IOHANNIS RAPHAELIS MOXII GERUN-DENSIS,

METHODI MEDENDI per venæ sectionem morbos muliebres acutos, Libri quatuor.

QUIBUS SUCCEDIT SPICILEgium eorum, quæ à variis sunt scripta de curandi ratione per venæ sectionem febres, quas humor putrescens accendit.

OPUS OB DISCIPLINÆ GRAuitatem, & antiquarum lectionum varietatem, non Medicis solùm necessarium, verùm & Theologis, Iureconsultis, Philosophis, ac rerum humanarum studiosis apprimè vtile, atq; iocundum.

AD ILLUSTREM ADMODUM & omni virtutum genere ornatissimum virum Saluadorum Fontanetum I.V.D. Regium consiliarium, & in supremo Arragoniæ consilio regentem meritissimum.

COLONIÆ ALLOBROGUM.
Apud Samuelem Crispinum.
CIƆ IƆC XII.

Elenchus librorum, qui hoc volumine continentur.

ILLV-

2

ILLVSTRI ADMODVM ET OMNI GENERE LAVDIS ORNATISSIMO VIRO SALUADORO FONTANETO V. I. D. Hispaniarum potentissimi Regis à Consiliis, & in supremo eiusdem Arragoniæ Senatu regenti meritissimo, Iohannes Raphaël Moxius Doctor Medicus, & Philosophus S. P. D.

M VNVSCVLVM *tibi, Vir clarissime, leuidense mittimus. Sed quid? Haudquaquam mittimus, imò suopte impetu aras tuas petit: idem, quasi tener partus te nutritium adit, & Parens, teipsum adfectat Mœcenatem. Vtrosque amabò tuo sinu amplectere, foue, defende. Neque factum fato. Optionis namque tutelaris duplicem nos habuimus caussam: Vnam, quia nobis splendorem conciliare intendimus à tuo fulgenti splendore, lucem ab ætherea luce, qui inter doctos splendes, inter Sapientes fulges, inter Regios Consiliarios micas, & cum eisdem maxima luce coruscas: Alteram rursus, quòd humanitas, beniuolentia, officium*

quibus ab ineunte ætate, & publicè & priuatim, præsens & absens vsus in me semper fuisti, huc me impellit, cogit. Beneficia in me collata omitto modò, ceu immensa, ne Atlantium mare cotyla exsorbere videar. An fortè illa meo merito? nullo Aedepol, sed solo comitatis tuæ nutu, ἀληθείας inquam, quâ præstas, excellis. Hac via, ὦ σοφὲ, ad summam gloriam aditum aperuisti. Potentissimus enim noster Philippus (quem per Nestoreos annos sospitem seruet omnipotens) tua sibi nota doctrina, prudentia, consilij & ingenij copia seriò te in supremum Arragoniæ Senatum adscribēdum accersiri iubet. Mox exploratis sibi amplius animi tui dotibus, virtutúmque tuarum elucescente encomio, Edetanorum Valentiam te sedulò proficisci contendit, vt illustris huius Regni, post fœlicissimum Hispanis nefariæ Agarenicæ gentis exilium, & implicata dirimas, difficilia quæque componas, & Regis ac Regni patrimonio æquè bonique consulas. O térque, quatérq; beatus! quem supremo fato natum videmus, vt omnes vitæ tuæ partes ad Regna administranda, iuuandam Rempub. ad bene de hominibus cunctis merendum contulisse videaris. Nihilominus ô nostra Gerunda beata, quæ inter tot ac tantos nacta viros, illustrissimos præsertim Magnum Cancellarium Iacobum de Agullana, tum & Cataloniæ regentem Cancellariam Hieronymum Tornerium, dominos meos, mihique longè charissimos, tibi pariter maxima necessitudine coniunctos, te, ceu huius nostri æui gloriam produxerit, germinarit. Quare, ne, vltrà sim, vir ornatissime, munus hoc, etsi ἀτελώμενον, ceu nostrì tenuis ingenij partum, animi tamen grati specimen, vt in parte exsoluerem, aut laxarem beneficiorum vinculum, quo teneor, quæ me semper

soles

ſoles benignitate cape, unà & aduerſus Zoilorum liuores tuæ auctoritatis ſcuto protege, tuere. Tu modò ne tuum ſplendorem defugias quæſo, aut tegas velo, ego te per noſtram amicitiam iterum, iterúmque rogo, obteſtor. Vale, & te Deus per annos plurimos familia candidißima, Reipub. & nobis ſeruet incolumem.

Barcinonæ Kalend.
Maij ∞ IↃCXI.

¶ 3

PHILIATRO S.

CVM pulchram, & decoram sacram Medendi scientiam, Philiatre candide, strophis sycophantarum, versutiis circulatorum, præstigiis impostorum, & Empiricorum conuiciis, omnium vnà frementium, lachrimabile dictu! à suo natiuo splendore, à pristina venustate, ab eius præterea gloria, iam iam emarcescere contemplor, intimis angor sensibus, animi dolore dirumpor. Quid quod & vt cecinit Poëta, Ouid. in Sappho.

Nunc vellem facunda forem, dolor artibus obstat,
Ingeniúmque meis substitit omne malis.
Non mihi respondent veteres in carmine vires,
Plectra dolore tacent, muta dolore lyra est.

Nobis porrò, si fortè ars aliqua, illicò idem obstat dolor, ingenium subsistit, calami plectra tacēt, mentis lyra mutescit. eò præsertim, cùm procaces istos viros, Naturæ potiùs infensos hostes, & lethiferos Cerberos, non à rudi tantum plebecula, verū ab Optimatibus ipsis videam commendari, & maximis iugiter celebrari encomiis. O sors miseranda! ô deploranda calamitas! Ita enim res habet, futilia ac vana, fallacia potiùs vt placeant, à fumiuendulis istis viris, ac infidis præstigiatoribus dolo introducta, quàm lectissimam Medendi scientiam, eiusque sacra principia, diuina arcana, à limpidissimis sapientum Medicorum, atque Philosophorum fontibus deriuata, colere, amplexari. Adeò viget illorum

lorum hostilis vis,quod nõ priuatos solum,aut singulos homines, sed & Principes, ac Reges, Rempublicásque plurimas inuadat,inficiat,perdat. Adeò itidem hoc malum in hominum animis infixũ hæret, vt extrahi vix queat. Resipiscant igitur amabò omnes in tanto errore cæcutientes, tot pericula caueant,támque ferina aufugiant mala,discernant Medicinæ lucem à tenebris,splendorem ab opacitate, nitidam veritatem à fallaciis. Hanc laude, & gloria dignam æstiment, & cunctis illis tantum præstare, vt dici vix possit, quid intersit. De quibus Vlpianum sic fantē audite D.li.1.de var.&extraord. cog.tit. 13.l.1.Præs.Prouin. *Non tamen accipiendus*, vt Medicus inquam, *si incantauit, si imprecatus est, si, vt vulgari verbo impostorum vtar, exorcizauit*, hi nunc ab Anselmo Mago Anselmadores: *non sunt ista Medicinæ genera, tametsi sint, qui hos sibi profuisse cũ prædicatione adfirment*. qui passim, ac multi in triuiis occurrunt. Quare lege sancitum, hos ceu mendaces nefarios, & impostores à Prouinciæ Præside non accipiendos, relegandos potiùs. Sacra verò Medicina, tanquam à Sacro Numine orta, Eccles. 38. & religiosè tenenda, & piè veneranda: vti & eius Artifex, eôdem imperante Numine, honorandus. Hæc ineffabili modo à Conditoris manu clementi Protoplasto largita, mox ab eôdem, auito quodam iure, in posteros dimanans, impartita reliquis: ab heroicis viris exculta semper, à summis Philosophis elucubrata, à munificis Regibus maximo honore habita, nec non à sacro Spiritu commendata. Hæc inter scientias Architectonicas throno insidet, ius suum exercens, vocánsque ancillas suas ad arcem. Inde Regibus imperat, cunctísque hominibus leges

¶ 4

imponit; omnem gubernat statū, etiam & in claustro fœmineo insidentem. Hæc homines sæpè ab Stygio redimit orco, vitam producit longæuam, fœlicem eandem largitur, mentem denique præstat sanam in corpore sano. Quid charius? quid diuinius? Rursus tam longè, latéque patet huius παμβασιλεία, supremum inquam imperium, per vniuersum diffusum orbem, quod vbique cum clementi potentia suum præbeat auxilium, suámque ferat opem. In sylua itaque præest, in vrbe, in agro, in mari, in omni loco. Mitis est, misericors, nec abest Iustitia dum ius dicat, nullius personam accipit: æquè materno vultu, & pectore leni Sarmatas regit, Scythas moderatur, Aethyopas gubernat, Americis fert auxilium, cunctis prouidet Græcis, Latinis, viris ciuilibus, ac syluas incolentibus. Hæc denique quasi germen Dei, & altera manus, & maxima obseruantia colenda, & summo studio exploranda. Fallaciæ Pseudolorum, & Impostorum præstigia, ceu pestes hominum, ferináque cacodæmonum deleteria ableganda omnino, abducenda. Sed heu! cum rursus horum cacoëtham intueor sortem, abhorreo, contabesco. neque aliquis tam agrestis est, si rem videat, qui hoc portento non commoueatur. extorris sacra medendi scientia, amplexa circulatorum fallacia: illa collapsa, hæc supra aras. Sed quid ego mœrorem hunc modò exagito? dabit Deus his quoque finem. Faxit.

Cæterum quamuis in tanta caligine sacra Medicina verseтur, tot conuitiis, tótque strophis ab illorum prauitate fœdè sugillata, vt quasi pannosus alter Telephus in vulgi scena se offerat: tamen in turbine tantorū malorum, illis inuitis, lucet amplius,

luce-

lucebrique in perpetuum; officiosis quibusdã suum sæpè vultum præbet intentem, sydereámque lustrat faciem: à cuius dulci contemplatione, iisdem, sedulò ardentes sui concitantur amores. imò tanta eius serij exploratores prehenduntur dulcedine, etiam neglecta sugillatorum malitia, quod eius pulchritudinis æstus fœlicia absorbeat ingenia, eiúsq; gloria mentes omnium diuinitus trahat, alliciat. Nos nihilominus eius allecti decore, amore pariter accensi, cæteris soluti curis ei vacauimus: simul per aliquot annorum decadas assiduo & herculeo labore, necnon & frequenti vigilia amœnissimos eius agros colere studuimus, florida iugiter vireta excolere, mox odoriferos legere flores, coronas texere, polyantheas componere. denique ex eius summa vbertate, & ditissimis sacrariis opus istud construximus, nostri laboris partum, tenuem ob ingenij nostri tenuitatem, grandem verò ob doctrinæ grauitatem. Nam in ipso difficillima replicantur plurima, seriò eadem exoluuntur: arcana varia aperiuntur nec minima, ex variis excerpta scientiis, quæ nobis perbellè & occasio obtulit, & series disputationis impulit. Ad venustatem, ad decorẽ. Porrò, iuxta operis institutum, diuini muliebres morbi, ardui, inquam, & intricati, & methodo per venæ sectionem aptè sanantur: & cuncta lustrantur exemplis. Verum enim verò cum therapeuticam hanc alia præcedant ius sit, & eandem faciliorem, ac dilucidiorem reddant: aliqua prius exindè libauimus, nec pauca, aut leuia, quæ ceu prodidagmata singulari cuique libro præfiximus. istud, & stylo nec vulgari, aut dissipato sermone: vt doctis tantum, (quibus tantum placere

ſtudemus) fieret ita pergratum,& cunctis eruditis iucundum. hic ſcopus: mihi laborioſus ſanè, reliquis fructuoſus. Verùm calumniatorum iam voces audio, ringentes, & abnuentes (certum malæ mentis indicium) iam intueor,& præuideo; quid ad me? neque fœliciorem me reliquis cenſeo: virtutem ſemper comitatur inuidia,vt pulchrum Momus. tantúmque abeſſe â culpa me ſcio, quantum cachinnantes & carptores à vera laude. Medicinæ ſtudio, & amore quo flagro, hæc, dum eandem exercerem, ſub quibuſdam notulis ſcripſi, & rei grauitate ductus, ſæpè in noſtris aduerſariis eadem ſedulò literis mandaui,expoliui tandem,& amicorum impulſu in lucem edidi: nec ignarus in omni publica re ſub cineribus ignes latere. Ardeat, & ſimul contabeſcat. Tu Philiatre candide,me,ſi fortè labentem videas,non impellas,ſed miti interpretatione leuato. Fateor namque non ſolum me labi, & errare poſſe, verùm in hac humana caligine natum,ſolere.quæ & ad veniam,& ad gratiam.Recede à Veſparum,&Pſyllorum conſuetudine,qui tantum librorum venena ſugunt,effutiunt:Has itaque qualeſcunque Barcinonenſes vigilias æquo animo cape,fruere:nec pigebit ſpero.Vale.

INDEX

INDEX ET ORDO LIBRORUM singillatim, & capitum.

LIBER PRIMVS

Disputanda proponit; plurima ad morbos acutos spectantia examinat. Mensium, & hæmorrhoidum naturam, tum venæ sectionis expiscatur vim; methodúmque tradit, quâ curandi veniunt morbi acuti, eisdem mensurnis fluxibus connexi, per idem auxilium.

CAPITVM SERIES.

LIBER II.

De Conceptione, ac de morborum fœtarum grauitate plurima disputat: an eisdem venæ sectio vtilis. Mox de caussis abortus agit: & an fas directè partum abigere, texit sermonem. Methodum tandem exponit curandi morbos acutos per venæ scissionem in ipsis vtero gerentibus.

CAPITVM SERIES.

II. De

Liber III.

Partus naturam, & in eo dolorum caussas rimatur, plurima de lochiis. Morbos acutos sanat per venæ sectionem, ex puerperio ortum trahentes: cos-

eosdem ex abortu: epilepsiam itidem acutam exoluit ex eodem partu, vel abortu.

CAPITVM SERIES.

potius

LIBER IV.

Mensium accisionis naturam docet, caussas per signa explorat: morbósque ab eisdẽ obortos caussis inquirit: curationem mox eiusdem restrictionis instituit, morborum pariter acutorum ab eâdem germinatorum caussâ: idque per venæ sectionem, iuxta vtrumque Medicinæ Parentem, & quatuor medendi scopos.

CAPITVM SERIES.

VII.

¶¶ 3

AVCTO-

AVCTORVM SYLLABVS.

AVctores omnes, quorum in hoc opere mentio, hîc, si lubet, vide. Inter hos, ceu huius totius nostri consily cardines Hippocrates, & Galenus eminent, cum nec rarò, etiam non vocati accedant: creberrimi sententiis, doctrinâ clarißimi, & cunctis Medicis seriò antesignani. Quorundam nihilominus, ob varios dicendi campos, quos lustrare compellimur, & frequentiùs, & libentiùs pariter vtimur disciplinâ. aliorum mox opiniones exploramus, conuellimus aliquando.

E SACRIS SCRIPTORIBUS, ac Pontificibus.

ACta Apostolorum.
Albertus Magnus.
Ambrosius D. Eccles.
Antonius Magnus.
Antonius Archiepisc.
Auctor lib. 4. Esdræ.
Augustinus D. Eccl.
Augustinus Eugubinus Episc.
Basilius Magnus.
Beda.
Bernardus.
Bonauentura Doctor Eccles.

Catechiſmus Trident.
Cayatanus Cardinalis.
Clemens Alexandrinus.
Concilia varia.
Dauid Pſalmographus.
Decretalia; & Decreta.
Dionyſius Areopagita.
Eccleſiaſtes.
Eccleſiaſticus.
Epiphanius Epiſc.
Euſebius Cæſarienſis.
Gaſpar Contarenus Cardin.
Gilbertus Genebrardus Archiepiſ.
Gregorius magnus doct. Eccl.
Gregorius xiv. P. M.
Hieronymus Doct. Ecc.
Iacobus Apoſtolus.
Ignatius martyr.
Innocentius iii. P. M.
Iobus.
Iohannes Chriſoſtom.
Iohannes Damaſcenus.
Iohannes Euangel.
Iſidorus Hiſpalenſ. Epiſcop.
Leo magnus P. M.
Lucas Euangeliſt.
Machabæorum libri.
Matthæus Euang.
Moſes propheta.
Nicetas martyr.
Numenius Epiſc.
Paullus Apoſt.
Pius II. P. M.
Regum libri.
Salomon Rex.
Sixtus V. P. M.
Thomas Aquinates D. Eccleſ.
Tobias
Toſtad. Abulenſis Epiſc.

E VA-

E VARIIS DIVERSA-rum facultatum, atque linguarum auctoribus.

Haly.

nesius.
Petrus Paullus Pereda.
Phauorinus.
Philo Iudæus.
Philothæus.
Philumenus.
Phlegon.
Picus Mirandulanus.
Pindarus.
Plancius.
Plato Philosophus summus.
Plautus comicus
Plinius
Plotinus.
Plutarchus.
Polybius hist.
Pomponius Mela.
Posidippus.
Praxagoras.
Prosper Alpinus.
Ptolomeus Astrologus.
Publius Cyrus.
Pythagoras.
Quinctus Curtius histor.
Rabanus Abbas.
Rasis
Renardus I.C.
Rodericus à Fonseca.
Rondoletius.
Rufus Ephesius.
Saluus Selanus.
Scholiastes antiquus Melæ.
Scholiastes Aristophanis.
Scholiastes Nicandri.
Scribonius Largus.
Secundus Philosophus.
Seneca.
Serapio Med.
Sextus Pompeius.
Silius Italicus poëta.
Simocatus.
Simon à Brixia.
Simon Petræius Med.
Socinus I.C.
Solinus Polyhistor.
Sophocles.
Soranus.
Sotus.
Stephanus Atheniensis Med.
Stobœus.
Strabo Peripateticus.
Suetonius Tranquillus
Suidas.
Syluester.
Terentius Comicus.
Tertullianus.
Theocritus.
Theodoricus Gaudanus.
Theodorus Gaza.

Theophraſtus Phil.
Thomas Eraſtus.
Thomas Linacer.
Thomas Rodericus à Veiga.
Thomas Sanches ſo.Ieſ.
Thucydides hiſtoric.
Thucydides Med.
Tibullus.
Timothæus.
Titus Calphurnius.
Titus Liuius.
Torquemada I.C.
Valerius Maximus.
Victor Trincauellius.
Virgilius.
Vitruuius.
Vlpianus I.C.
Volutius Metianus.
Xenophon.
Zeno.
Zoroaſtes.

ΕΥΣΕΒΕΙΑ.

CEdunt omnia in omnibus feliciter, si principium, & finem Deum O.M. semper nobis statuerimus. hic enim solus, in cuius manu progressus omnes, & exitus optatos iis actibus tribuit, quos ab ipso auspicamur. In nomine igitur Omnipotentis Dei Patris, Filij, & Spiritus Sancti, triadis sub monade ineffabilis, hoc opus suis fruatur auspiciis, & tanto splendore illustratum optatè procedat, finémque consequatur fœlicem, rogamus, obsecramur: meritis pariter Deiparæ Virginis, & Sanctorum omnium. Amen.

IOANNIS RAPHAELIS MOXII GERVNDENSIS

Methodi medendi per venæ ſectionem morbos acutos cum menſium, aut hæmorrhoidum fluxu connexos.

Liber I.

De totius operis instituti ratione, ac ordine.

Cap. I.

Qvamqvam ab hoc ſcribendi munere difficilis argumenti ratio, grauiſſimorum virorum pariter ſtudia me deterrere poterant, & ne hanc prouinciam acciperem vnà reſtringere: cum teſtante Romanæ Eloquentiæ fonte Cic. de orat. plurimi deſperatione debilitati experiri id nolint, quod ſe aſſequi poſſe diffidant: tamen cùm ius ſit ingenuarum omniũ rerum vſus ſubire, etiã & ingenij vires periclitari, his præſertim qui & res magnas, & magnopere expetendas concipiunt: proinde modò, ſacro quamprimum afflante Numine, arduum hunc curſum experiar, ſubito iugiter & huius noſtri tanti conſilij rationem, & vſum, vires ſimul in re magna ſeriò periclitabor ingenij. Addidere adhuc currenti calcar Priſcorum exempla, quorum fama perennis. In

Medicina etenim Hippocrati soli, incomparabili sanè viro locus non est: nec diuinus iste vir Archigenem, aut Galenum deterruit vnquam, & à scribendi munere amouit. rursus nec Galeni amplitudo, & ineffabilis doctrina Oribasium, Paullum, Aëtium: veluti nec Platonis Aristotelem restrinxit excellentia; sicuti iste Naturæ Genius posterorum nusquam suppressit studia, quorum omnium tanta fuit multitudo, tanta in suo cuiusque genere laus, vt cum miremur somnia, inferiora simul probemus. quid, quod cum illis scientiarum Antistitibus nec vniuersum interiit humanum ingenium, nam artes omnes, ac ingenuæ scientiæ per secula ceperunt incrementa: cum indies *præclara ingenia*, scribente Philone insigni in vita Moysis *circa scientias multa nouent*. non est igitur quod nobismetipsis nũc silentij imponamus seruitutem. eo potissimum, cum nulla sit ætas, nullúmve seculum, etiam multiplici cognitione præditum, cui plurima quottidie posteris non suppetat docendi copia, ac discendi: vt cum plurimum spatij in ipsis disciplinis cõfecerimus, multo adhuc plus supersit: & ante in ipso cursu obruamur, quàm expetitum illum encyclopędiæ portum contingamus. Quare non est quod eorum qui se studio litterarum consecrarunt, spes infringatur, mens tabescat, languescat industria: verum audenter viam quisque teneat, præeuntem sequatur honestum, & illud ipsum quod est optimum non desperet; in præstantibus denique rebus magna esse ea arbitretur, quæ optimis sunt proxima. Hec cum conciperet animo doctissimus ille Boëtius lib. 4. metro 6. viros hos sic adhortatur, dicens,

Ite

Ite nunc fortes vbi celsa magni
Duxit exempli via. cur inertes
Terga nudatis: superata tellus
Sydera donat.

Amussitatè idem contemplatus Hispanorum splendor Seneca in Medea affirmat, dicens, quod *Fortuna fortes metuat, ignauos premat.* cum ipso Suidas concinit ex Eupolide, *Viri,* inquit, *timidi nunquam trophæum statuunt.*

Cùm hæc igitur diu, multúmque cogitassem audacter, hilarique vultu hoc rei magnæ, & simul expetendæ aggressus sum iter, haudquaquam infricta spe, aut tenui nostra labescente industria, non ab argumenti huius maxima offusa caligine contabescente animi vi. neque amplius nos perterruit; quod à nemine (saltem quod sciam) huc vsque argumentum huiusmodi ex instituto, aut sub methodi lege fuerit pertractatum. immo hoc idem, & summa pariter eiusdem rei in artis operibus quotidiana necessitas animum impulit meum, vt onus hoc, graue sanè, & fortè vltra vires meas, libenter susciperem, iucundè amplecterer: nec minus, vt mulieribus, quibus, nec minimum, ob multa honesta officia nos debemus, grati animi significatione satisfaciã. *Mulieres namque, ceu generationis cooperarias honorare, ac ceu procreationis caussas amare oportere*; dixerat diuinissimus Martyr Ignatius epistola 10. ad Heronẽ diaconum. Hęc omnia (ingenuè testor) nequaquam ambitio, aut nouitatis ventus impulere. Cæterum rem iam ordiamur.

Consilium itaque huius nostri instituti operis est, de morbis muliebribus præsertim acutis distinctè, ac plenè pertractare, eorúmque medendi me-

thodum tradere per venæ ſectionem, grauiſſimum ſanè acutorum auxilium. Verum cum ſub tetrade contineatur huius ſexus ſtatus omnis, in quantum à virili ſeiungitur tetrabiblicum pariter ſit opus. Altera huius pars mēſtruatas reſpectat, iam altera grauidas, enixas tertia, vltima tandem acciſos menſes habentes. & cum peculiares amplectatur indicationes, ac diſcordes inter ſe peculiaris cuiuſque ſtatus: hinc diſtincta, ac varia occurrit morborum acutorum in ipſis medendi ratio. Status ſecundum naturam dignitate, & eiuſdem Naturæ ordine prior eſt altero præter naturam. rurſus inter ea quæ ſecundum naturam ſunt, prior natura & tempore ſtatus eſt menſtruatarum, mox vtero gerentium, iam tandem puerperarum. Nos ſimiliter (ceu Naturæ æmulatores) methodo quadam reſolutoria morbos quamprimum aggrediemur ſanandos in menſtruatis, deinceps in fœtis, iam præterea in enixis, & denique in his, quibus mēſes fuerint circunciſi ab aliqua præter naturam cauſſa. Hoc totum quàm arduum, in ardua iſta tractatione, non ſolum mihi, verum & cuilibet, fruſtra dixerim apud inexpertum. cæterum quantum mihi oneroſius, tantum & cunctis pulchrius: quantum moleſtius, tantum reliquis ſuauius: cum reclamante Platone diuino 6. de Rep. δύσκολα τὰ καλά, difficilia, & quæ rerum multarum aſſidua inueſtigatione, vſúque conſtant, pulchra, & præclara exiſtere ſemper poſſidenti, exploratori ardua, & moleſta. Difficultatem parit, & auget ſubiectum inextricabile, ſinuoſus videlicet, ac labyrinthæus fœmineus ſexus, quod acutè, ac facetè Comicus Plautus in Pœnulo act.1. Sce.2. his verbis declarat,

Negotij

Negotij sibi qui volet vim parare, nauẽ & mulierẽ,
Hæc duo sibi comparato. Nam nulla magis res dua
Plus negotij habent.

Hæc quamuis à Comico de moribus affirmentur apposite & de earum morbis tum dignoscẽdis, tum sanandis possunt intelligi. cuncta enim muliebria ardua: vti arduus earum dolus, & hominibus inexplicabilis cum Hesiodo in Theogonia. quia, vt Tibullus fatur lib. 3. eleg. 4. Iuuen. Satyr. 6. *Nulla ferè caussa est, in qua ipsa litem non mouerit.* patet in vtraque Philosophia. Hinc Publius Syrus, seriò quidem dixerat, *Fœmina naturam regere, esse omnium desperare.* Nos modò morum relicta Philosophia, Physicam prosequemur, à grauitate subiectæ materiæ exordium sumentes.

De grauitate morborum muliebrium.

CAP. II.

Diuinus Hippocrates libro Prognosticon 1. illustri illa totius immensi operis præfatione, in qua plurima, & admiranda consulit, illicò Medico, diuino artifici πρόνοιαν, anum, inquam, illá Stoicorum fatidicam studiosè commendat: cuius tres, nec leues quidem signat vtilitates. Cæterum, vt cũcta Medici opera seriò, ac opportunè in vsum flectant, inter reliqua quamprimum illud obseruandũ proponit, *si quid in morbis diuinum fuerit, vt pariter & illius ediscamus prouidentiam.* Quid verò illud in morbis diuinum, venari ne facilè quidem: nobis tamen modò opportunum. Respuit summus Dictator nu. 1. 2. 3. 4. diuinitatem in morbis, quasi citra naturã Deus eorum immediatè sit causa. cõuellit istud diffusè libro de morbo sacro: innuens, immò arguẽs

antiquos ſolerter, vocantes hunc morbum ſacrum, cum hic nulla re morbis reliquis aut ſacratior, aut diuinior. Hinc itidem Magos arguit, & ſui temporis expiatores, qui natura neglecta ſolis luſtrationibus, & Magicis incantamentis morbos omnes curabant. In qua funeſta calamitate (proh dolor) etiam hiſce noſtris luctuoſis temporibus verſamur, cum iterum, quaſi de nouo germinans zizania inimici hominis, à diſcolis quibuſdam hominibus, ad vniuerſum Catholicorum cœtum dimanet quædam ſuſurratoria curandi formula, flagitioſa, & impia, quam vulgò enſalmos vocant: maximo applauſu à polydædalis ingeniis, & à cuncta rudi plebecula, rerum nouarum perpetuò ſtudioſa, amplexa, temeréve recepta. Illi itaque adulteri genium quoddam mentientes à patre diabolo gratiæ curationis, anilibus quibuſdam fortè verbis, ac quiſquiliis, dæmonis dolum velo fucatæ pietatis obnubunt, ac tegunt, & hac arte varios morbos curare ipſi, ac ſæpiſſimè fruſtra contendunt. Hos expungit ſanctiſſimè ſacrum Tridentinum concilium, dum libro illo aureo, & ſummis encomiis prædicando, Catechiſmi inquam ad parochos, exponens illa verba ſacra dominicæ orationis, *ſed libera nos à malo*, rationem aſſignet, qua liceat Chriſtianis, in cunctis morbis ſe gerere, veluti in reliquis aduerſis rebus, vt videlicet quamprimum ſummum perfugium, & præſidium ſalutis Deum requirant, mox & remedia, quibus à Deo inſita eſt ſanandi vis, & quæ iuxta Eccleſiaſt. ca. 38. *de terra creauit Altiſſimus*. tandem commendat & illos, qui vitam ex diuinis legibus agunt, abſtinentes omnibus remediis, quæcunq; ad curationem à Deo non adhibita eſſe conſtet. quod ſi etiam

si etiam eorũ vsu medicamẽtorum illis sit explorata spes sanitatis, tamẽ ab iis, vt cantionibus, & dæmonũ artificiis (qualia hauddubiè sunt ensalmi) abhorrẽt. Attendãt igitur amabò hanc sæuissimam pestẽ, Christiana pietate indignã, perniciem luxuriantẽ, cum iamiam per vniuersum grassetur orbem, Principes, & qui terrã iudicãt. nam nisi occurratur cautè, ac sedulò, Horat. 1. Car. ode 12. *Crescet occultò, velut arbor æuo.* Aduersus hos sunt strenui doctores, inter nostros Hispanos Gaspar Ciruelus Toletanus Canonicus libro peculiari de superstitionibus, iam Annæus Robertus, Iureconsultus insignis lib. 1. rerum iudicatarum, c. 5. & tandẽ Benedictus Pererius lib. 1. de Magia, tùm Martinus del Rio lib. 1. disquisitionum magicarũ. tom. 1. ca. 3. obiter Thomas Rodericus Auriga lib. Art. Med. ca. 85. vberrimè autem nunc Ioannes Hucherius lib. 4. de maleficiis tum & And. Laurentius lib. 1. de mir. strumarum sanat. ca. 5. & 6. Sed iam ad pensum redeamus.

Morbi itaq; omnes vt prudẽter dixerat Hippocrates, causas habẽt in natura, ad quarũ ablationem varia, ineffabili prouidẽtia Gubernator summus prouidit, ac lautè. vana igitur expiamẽta, clũbes lustrationes, futiles susurrationes. quia Numinis potentia dissipatur hoc medio, vt seriò opinatur Hippocrates. testatur idẽ August. diuinus dũ tract. 7. in Ioannẽ periapta, ligaturas, & incãtationes neq; morborum causas existere, neq; illos iuuare affirmet. Admittẽdũ tamẽ, vti præter Herodotũ, li. 1. n. 20. & Homerũ Iliad. α. sacra nostra testãtur oracula, etiam quę sæpè à iusto, ac inscrutabili Dei iudicio hominibus immitti morbos, aut ad iustã scelerũ vltionem, vt Regi Antiocho, Machab. 1. c. 9. aut ad iustorũ probationẽ,

vt Iobi,ac Thobię tragicis viris,ac pariter sanctissimis. Verũ hi nõ medicamentis,sed pietate vincũtur. Si igitur ex Hippocrate morbi nõ sunt diuini, quia à Deo , nec quia vnus altero sacratior,ac diuinior, cũ omnes immediatè naturã habeãt caussam , quid innuit illud diuinũ in morbis prouidẽtia ediscẽdũ? Clarissimus Hippocratis paraphrastes Galenus, cuius nitẽte splẽdore Hippocraticis nos abundè fruimur bonis,in eius sentẽtię cõmentario per illud diuinũ(expunctis plurimorũ opinionibus)aëre interpretatur nos ambientẽ,quem omnes & cœlũ, ac æther vnà vocãt. quasi illa sententia insinuet Hippocrates prouidendum Medico , an morbi seminarium , seu causæ coniunctæ principium existat in aëre ; vsus metonymia. Hanc expositionem ceu accuratã amplectuntur omnes, quotquot viderim horum librorum interpretes , vno dempto Cornelio Gemma lib.1.de Naturæ diuinis characterismis. ca. 1. hinc epidemicos morbos, ceu ab aëre exortos grauiores affirmant , ac contumaciores reliquis à praua ratione victus germinatis. Idem confirmant & altero Hippocratis oraculo,dum lib.3.Prognost. Sen. 38. dicat , *Quin etiam quo fiant epidemicorum morborum inclinationes simul atque ingruerint, animo complecti oportet,tum ipsius anni historiam.* Quare inquiũt,hoc quod animo cõplectendũ est,inclinationes videlicet,& naturas morborũ vulgarium,illud idẽ est quod alibi tanquã diuinũ prouidẽtia ediscẽdum imperat. Verum enim verò, quãuis hæc acutè sint dicta,ceu à perenni Galeni fonte dimanãtia,mihi tamẽ(pace tantorũ virorũ)ne arrident quidẽ,duplici conuicto ratione. In primis propositio illa ἐν, qua vtitur Pręceptor summus,quidpiam intrinsecũ morbis,

morbis, haud dubiè innuere videtur; inquit enim, εἴ τι θεῖον ἔνεστιν ἐν τῇσι νούσοισι. Ideſt, *& ſiquid diuinum inſit in morbis.* Illud enim inſit in morbis, quidpiam inſitum & intrinſecum, ſeu affectionem quandam à morbi eſſentia fluentem inſinuat, & declarat: haudquaquam aërem ambientem rem extrinſecam, & à morbi natura ſemotam, quia aër remedium potius fit, ſi opponatur morbo, huius prophaſis ſi naturæ. quare in morbis non ineſt, cum extrinſecus occurrat. Porrò neque obſeruata vi nominis, diuinum vnquam aërem ſignificabit, benè quidem cœlum, quia proximè nos cœlat, veluti corpus illud quintum remotè: tum quia eo medio cœleſtes influxus recipimus, vnde propriè etiam æther: Cic. 2. de Nat. Deor. Græci itidem æther παρὰ τὸ αἴθειν, ab ardore appellant: vti Ariſtoteles libro de mundo ſyderum ac cœli compaginem indicat, quaſi dicatur ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν, quod eſt in motu perpetuo, ac incorruptibili; quod ne aëri quidē vllatenus ingruit, ſed cœleſti illi corpori tantum. Nullibi igitur aër diuinum vocari comperimus, nec analogicè. Diuinum itaque dicimus, vti in omni ſęculo, & omniũ nationũ ore fit frequētiſſimũ, quidquid admirandũ, quicquid perarduũ, & in quo quidpiá elucet diuinũ. Hinc Ariſtoteles lib. 12. Metaphy. c. 7. intellectũ diuinum appellat, quia admirabilis: vnde vocamus & nos Hippocratem diuinũ, diuinũ & Platonē, propter eorum admirabilem intellectũ, & acerrimá ingenij vim. Hebræi Deũ O. M. Iehuè, ſeu ſupra modũ admirabilē, Geneſ. 32. quia propter eius infinita attributa per ſe ac ſemper ineffabilis, ac ſupra modũ admirabilis: diuinũ igitur idē ꝙ admirandũ; à noſtra admiratione pariter deriuatur miraculũ, effectus diuinus,

perarduus, & insolitus ex D. Angelico Thoma, 1. p. 4. q. 105 art. 7 ad resp. quasi supra naturam. Quamobrem diuinum in morbis dicetur omne illud perarduum, occultum, & inexplicabile ex sua natura, quod nobis admirationem parere valeat; siue sit vis aliqua deletoria toti nostræ substantię infensa, cum Fernelio, li. 3. de abdit. ca. 10. siue aliquod funestè, ob cacoëthiam morbo superueniens, admiratione dignum, propter inexplicabilem, & perarduam eius naturam, tum insolitum, aut perrarum vsum, intra cancellos tamen naturę contingens. hęc incomprehensibilitas in causa est, quod infortunia, & spei frustrationes optimis etiam Medicis accidere conspiciamus, vt scripserat perdoctus Stephanus Atheniensis com. in lib. 1. num. 3. ad Glauconem. Neque hanc nostrã interpretationem respuit Galenus (quãuis sibi ipsi impar videatur:) quãdoquidem eodem commentario, sic fatur, *Non simpliciter quaecunque causas habent incognitas, aut inopinabiles diuina vocamus sed vbi mirabilia habeantur duntaxat.* Diuinũ igitur, arduum, & admirabile, ex eodem Galeno: vti apud Platonem lib. de conuiuio, quidquid sua natura causa melioris conditionis, qualis immortalitas. idẽ refert & Aristot. lib. 2. de Gener. animal. c. 1.

Cum itaque in cunctis ferè mulierum morbis, etiam & in quolibet earum statu plurima occurrant difficilia, perardua prosiliant, & admiranda germinentur, diuinum quidpiam proculdubio illis inest, sedulò, ac maxima pronidentia ediscendum. hanc rem idem dictator summus perbellè illustrat lib. 1. de morb. mul. 1. num. 87. dum inquit, *Periculosa sunt omnia, & plerumque acuta, & magna, & intellectu difficilia, & perardua &c.* si igitur difficiles huiusmodi

mu-

mulicbres morbi,& diuini; si diuini,ergo in maxima prouidentia ediscẽdi. Hinc forsan Medicos increpat eodem libro, qui attentè non rimãtur cuiusque muliebris morbi causam, intendũtque eosdem sanare virilium more: nescientes multum differre muliebrium,ac virilium curationem, propter illud perarduum,& admirandum, propter illud inquam diuinum,quod eisdem inest.comprobat affabrè hãc eandem sentẽtiam idem optimus Senex, cum dicat lib. de muliebri natura,nu.1.*Qui rectè tractare vult fœminarum morbos oportet primum ex Diis exordiatur curationem.* his verbis eleganter consilij nostri rationẽ exponit.nam si in omni curatione ad Deũ, tanquam omnium bonorum largitorem confugiẽdum,multò magis si diuinũ quid insit,ac perarduũ. vtrumque declarat libro de Elegantia nu. 6. dicens iuxta accuratã Heurnij versionẽ,*Numen cuncta gubernans in Medicina minimè otiosũ esse animaduertunt, & in iis morbis quos ipsimet curare nitũtur,& in iis,quos vltrò absque sua opera superare vidẽt.Quotquot enim vincit Medicina, hinc deorum ope vincit.* Ascribit piè summus Præceptor cuncta Deo; & inquit Numen videre Medicum, etiã in cunctis morborũ historiis,dum caussas,morbos,ac symptomata explorat;etiam & lib.de Nat.mulieb.nu.1. res secũdum naturam,hominem inquã, cuius caussam Numen signat,cum Naturæ principem &auctorem in illis præter naturam rebus notat, & eius curam ac prouidentiam inter curãdum cernit: sed multò magis elucent hęc in morbis,qui vltrò absque auxilio diuino nequeunt superari,cum in eis quidpiam insit diuinum. Ex Deo itaque muliebrium morborũ exordienda curatio,non morbi ratione tantum,ve-

rum quia fœmineus omnis perarduus, atque difficilis, & maiore indigens Numinis potentia. Difficile namque & perplexum occurrit quam primum Medico, qua arte sanandi sint morbi acuti cũ fluxibus mensium connexi: iam rursus iidem morbi fœta existente fœmina: tandem & incomprehensibiles ferè enixarum. Augent difficultatem, præter grauitatẽ maximam, quam habent hi morbi ex sua natura, ea quæ ab Hippocrate referuntur citato li. 1. de morb. mul. nu. 87. harum videlicet verecundia, ac pudor, cùm suos secum morbos contineant ipsæ, ac celẽt: tum quia inexpertæ ipsæmet sese ægrotare nesciãt, priusquam expertæ morborum insultus subierint. Denique connexus tantorum affectuum hanc doctrinam, & vsum difficilem reddunt. Si namque vnusquisq; per se arduus, & intellectu difficilis, quid, si tot, inexplicabili quodã nexu iungantur? proculdubio fiet affectuum intranabile pelagus. Attestatur hanc rem quotidianus vsus: attestantur & idem Epidemicæ historiæ; nam ex enixarũ historiis octo, à morborum sæuitie, & symptomatum grauitate omnes ferè vitam cum morte commutarunt: ex aliis verò periere plurimæ, & quæ saluæ, hæ ad maximum vitæ discrimen fuere perductæ. Experimur idem discrimen in his, in quibus morbo existente acuto menses succrescunt: quia si aliquando vtilia morbo remorantur auxilia, anteuertunt aliquoties eadem, aut naturam saltem mutant, formam & qualitatem alterant, quantitatem minuunt, occasionem in aliud tempus differunt, vtendi modum eorundem aliquando etiam interturbant. In vndoso isto oceano rectum tenere cursum, & in tanto naufragio ignorantię ventis non abripi, diuinum sanè.

hinc

D.Hieronym.epist.ad Euag.hinc eruditi, ac præexcellentes Medici aporiati,acsolliciti,hęrent animo. *qui dum in dubio est*, vt dixerat Poëta Comicus in Andria act.1.Sce.5.*paullo momēto huc,illuc impellitur*. verum ignari in tanta rei grauitate cæcutientes fœdè submerguntur. horum qui audaces,præpetes seu temerarij potius tumultuaria remediorū copia(propria quidem ipsis) rapidi torrentis instar, non pulsantes solùm, sed quasi absorbentes ægrotantiū naturam quàm citò in præcipitium feruntur.Nam inscitia fiduciam;prudentia cunctationem gignit, testante Thucyd. timidi, perterriti, & quasi in extasim rapti subterlabente ipsis remediorum occasione funesta ipsis mulierculis inferunt damna. Et quod peius est,prætexunt viri isti turpissima ista vitia honestis quibusdā vocabulis,ignorantes enim se cautos vocāt, timidi consultos,temerarij diligētes, ac in omni remediorū copia armatos, ac prōptos. hæc seriò omittamus,ad vtiliora conuersi, sed libemus in primis plurima,quæ ad futuram disputationem maximi pariter sunt futura momenti, exordiendo cum Gal.lib.2.meth.ca.3.à morbi natura, ac differentiis;quem expungere, media sectione venæ nobis in hac disputatione mens est.

De morbi natura,ac definitione.

CAP. III.

CORpus humanum hæreditario quodam iure, inter alias calamitates plurimas, & inexhaustas,à Pandoræ pyxide dimanantes. (Hanc describit Hesiodus lib.1.opera,& dies.)à tribus acerrimis lacessitur præter naturam hostibus,2.meth.Gal.ca.3.

morbo,eius caussa,& symptomate. Morbo tantum, propriè curatio debetur, quia res facta, & actionis terminus: caussæ verò, veluti fienti morbo qui adhuc caussæ rationem habet φυλακτικὴ. tribuitur autem morbo misto ex fienti & facto, mista & innominata curatio, ex Galeno tum lib.12.meth. ca.1.tū Artis Medicæ.c.88. Symptomati tandē cum morbum sequatur,quasi eius germen, iuxta Galeni doctrinam eodem libro methodi 12. ca.1. nihil deberi autumandum:nisi aut caussæ rationē habuerit, maximum parans morbo cui accidit incremētum, aut vires frangat: tunc enim curationem ad se conuertit.Hæc tripliciter à Medico progreditur, aut enim symptoma eodem auxilio tollitur ac morbus, vt in pleuritide dolor, ac inflammatio, media videlicet sectione venæ. rursus aliquando curationi morbi resistit,vt vellicatio in dysenteria, in qua cum lenis ac pinguibus rebus leniatur illud seuissimum symptoma,illa eadem reluctātur morbo, seu intestinorum vlceribus.Denique quādo vires robustæ sunt, negligūtur symptomata,& acceditur ad morbi curationem, etiam & aliquando per ea quæ vrgens symptoma ingrauescant: & vt in eodem moremur dysenteriæ exēplo, huic aliquādo adhibemus mordicantia auxilia, quæ valeant potenter abstergere vlcus, etsi dolorem augeant. hanc methodum tradit Galenus lib.meth.12. cap.1. & exemplis iugiter illustrat. Sed caussi, & symptomatis modò omissis, ad morbi naturę expositionem,quem primò intendit Medicus expungere, quamprimum in his nostris prodidagmatis accedamus oportet.

Morbus itaq; (vt rē à sua definitione exordiamur) ex Galeno lib.de diff.sympt. ca.1. *affectus præter na-*

tu-

turam est, primò actionem lædens. Definitio hęc absoluta, & perfecta, cum genere, ac differentijs constet, Genus affectus est, non quatenus κατα χρηστικῶς de causa morbi, ac symptomate profertur: sed propriè, quatenus de re permanente ex alteratione, & motu, seu potius ex affectione. Sub hoc genere continetur & sanitas, morbo contrarium, cum ambo ex Galeno lib. 1. de tuend. valet. ca. 1. affectus sint permanentes, non habitus, cum hic præter permanentiam, separationis difficultatem includat, sanitati, ac morbo non proprium: affectus autem solam permanentiam, propter partes factas, haudquaquam dependentes per aliquam generationis partē in fieri, bene quidē in cōseruari, quales morbi materiales vocati. Affectus igitur de omni corporis statu dicitur, dūmodò habeat permanentiam, de salubri inquam, insalubri, & (si talis conceditur) de neutro. Affectus enim illud est, quod ex affectione, seu ex actione, & passione relinquitur, in subiecto permanens, per quā rationē distinguitur ab eo quod suum esse existit, in fieri, & in alteratione seu motu, quod Gręcis πάθος, seu πάθημα, Latinis passio appellatur. Motus igitur iste seu alteratio, quatenus ab agente proficiscitur actio, seu operatio appellatur, quatenus à patiente recipitur passio, illud verò permanens, quod impasso relinquitur, quod vestigium est impressum ab affectione, seu motu propriè affectus vocatur, qualis morbus est, & sanitas. Quare à propria affectus significatione excluditur tum morbi causæ, tum symptomata, cum hæc κατα χρηστικῶς, & per communē affectus significationem, omnē mutationem permanentem, ac succedentem amplectētem, dicantur affectus, πάθος verò, in vniuersum, de

omni, quod in nostris corporibus præter naturam oritur, vt innuit Galenus lib.1.Epide.com.1.Sen. 23. His ita,vt decet expositis, apparet manifestò quàm stultè contradicendi magister Argenterius nostrum arguat Galenum,li.1.de morb.ca.1. præclarum veritatis Medicæ indagatorem, cum modò causam, & symptoma affectus vocet,modò distinguat:definiẽdo morbum per affectum, ceu rem permanentem, genus tantum ad sanitatem,& morbum:nec aduertens hunc καταχρηστικῶς sæpe fuisse loquutum, aliquando verò propriè.vitium sanè conuiciatoribus proprium, nodum in scirpo quærentibus, & lucẽ in meridie.

Præterea sugillat Galenum,quòd impar fuerit in assignando genere in morbi definitione, cum iam διάθεσιν, iam κατασκευὴν nominet, res quidem inter se non parum distinctæ,cum illud dispositio interpretetur,hoc verò constitutio,& compositio. Verũ reapse hæc duo nomina de eadem re dici possunt: etsi sub quadam ratione formali distinguantur illa. Dicitur namque morbus accuratè διάθεσις, dicitur & κατασκευὴ,dicitur & ἀμετρία,aut ἀσυμμετρία,nec nõ & eleganter à diuino Dionysio,li.de diui.nom.par. 4. ca.4.μικροταξία,quia hic dupliciter consideratur, aut vt quidpiam absolutum,& tunc collocatur in categoria qualitatis,& qua talis affectus dicitur,res permanens, nec difficulter à subiecto separabilis, & à Gręcis,tum Aristotele lib.categ.ca.de quãt. διάθεσις, deducto nomine ἀπὸ τοῦ διακεῖσθαι, vt Galenus censet lib.de sympt.diff. ca.1. quod verbum dispositum,& affectum esse sonat, siue bene, siue malè fiat:& ita genus erit ad sanitatem & morbum, quæ cum sint contraria, etiam sub eodem genere contineri est necesse.

necesse. Quare morbus cũ absoluta res sit, nullius alterius rei comparatione erit, aut intelligetur. Porrò cõsideratur morbꝰ relatiuè quatenus respectũ dicit ad partes; quę relatio secundũ dici cũ sit, variis terminis circũscribitur morbus, ac definitur. nãque, si iste obseruatur, vt magnitudines secundum naturã, seu quantitates excedit, opportunè μικροταξία, seu inordinatio appellatur, cũ morbus sit quidpiã inordinatũ, respectu ordinis quẽ habẽt partes naturales corporis inter se. hinc diuinus ille Areopagita Dionysius definit morbum μικροταξίαν, seu rẽ minimum habentẽ ordinẽ, & in ipso minimo ordine ferè cõsistentẽ. Relatiuè itidẽ dicitur ἀμετρία, seu ἀσυμμετρία propter excessũ, seu recessum à naturali mẽsura: cũ hic mensurã, stata lege à natura dispositã excedat, & naturalẽ ordinem inuertat: hoc autem nõ multum, aut omnino, quia sequeretur potius corruptio, & interitus, quàm morbus. Relatiuè tandem dicitur κατασκευή, quia structuram, & naturalem constitutionem interturbat; vnde per hunc respectũ structura, & constitutio vitiata appellatur: non quod morbus absolutè, ac per se sit omnis illa structura, & constitutio vitiata, sed illud vnum præter naturã in constitutione & structura vitiatũ, siue illud qualitas sit, ac intemperies simplex, aut composita, siue numerus aliquis additus &c. materialiter inquam, cum formaliter sit affectus, aut dispositio. quare inuito Argenterio propriè, & absolutè morbus datur simplex: respectiuè tamen ἀμετρία, & κατασκευή, in quantum pars subiecta inordinata, inconcinnáque est, vitiatam habẽs structuram, ac compositionem. quia veluti sanitas corporis formaliter (vt cum nostris logicis loquamur) in omnium partium siue

B

ſit elementorum in ſimilaribus,ſiue ſimilarium in organicis ſymmetria conſiſtit,concinnitate,conſtitutione optima,& etiam in ſtructura,teſtante Galeno lib.5. de decret. Hip. & Plat. ca. 2.Similiter, ex cuiuſlibet à naturali ſtatu receſſu pars aliqua dicetur morboſa. nõ quod morbus ſit omnis illa vitiata conſtitutio per ſe, verum reſpectiuè: quia reſpectu eius priuatæ partis in qua morbus exiſtit conſtitutio,& ſtructura totius organi vitiata, & morboſa dicetur.Exemplo hanc rem illuſtremus in Architectura, Sit domus τάξις,& διάθεσει, εὐρυθμία, ac συμμετρία,decore videlicet, & optima partium diſtributione ædificata:ſit præterea ſingulare aliquod & effatu dignum vitium, circa circunſtantiam aliquam ad domus perfectionem requiſitam, verbi gratia,ſit oſtium æqualis latitudinis ad altitudinem (quæ proportio altitudinis hypothyri ad latitudinẽ ferè dupla eſſe debet, vt lib. 4. ca. 6. teſtatur Vitruuius)vitium iſtud erit in ἀρυθμία, & abſolutè in illa ſola domus parte,videlicet in oſtio,cũ reliquas abſolutas,& perfectas omni ex parte ſupponamus. tamẽ domus illa vitiata dicetur,& imperfecta relatiuè reſpectu ſcilicet illius partis, quæ ἀρυθμίαν non ſeruat;quæ conſiſtit,ex Vitruuio lib.1.ca.2. ſuæ Architecturę in venuſta ſpecie, & in commodo in compoſitionibus membrorum effectu, ſeruãdo ſymmetriam,& conuenientiã inter membra operis, altitudinis ad latitudinẽ, & latitudinis ad longitudinem. Pari itaque ratione dicemus & nos,quod amputato digito manus, abſolutè morbus eſt in numero, deperditio videlicet alterius digiti:ſtructura autẽ manus, & conſtitutio morboſa dicetur reſpectu alterius partis deficientis ad totam manum.& cum hęc
ſit

ſit relatio ſecundum dici;tantum morbus abſolutè dicetur qualitas, affectus videlicet in numero imminuto,cum neque morbus per ſe, & abſolutè exiſtat in manus ſtructura. Quare morbus in ſe (non ſolum vt qualitas; qua ratione ſemper eſt res ſimplex)& ſimplex aliquando erit, ſi ſimplicem à parte rei naturam habuerit, qualis eſt nuda intemperies calida,aut frigida in partibus ſimilaribus, in organicis ſimplex numerus additus, aut diminutus &c. Vti enim malum atteſtante diuino Dionyſio citato ſuprà libro,aut ex multis, aut ex particularibus defectibus proficiſcitur, haud quaquam bonum, ſed ex vna,& tota cauſſa.ita morbus ceu malum;ex particulari defectu,& ſimplici affectu proficiſcitur, & exiſtit:ſanitas contrà ceu bonum integram requirit cauſſam,ac totam.Hanc doctrinam apposite confirmat Ariſtoteles lib. 7. Ethic. ad Eudemum,ca. vlt. dicens,*ſingulas igitur habere reliquas*, ſc. virtutes, de his enim loquitur eo loco,tanquam librorū ſubiectum.*qui huius*, videlicet probitatis: cogimur hæc interpretari propter ambiguitatem textus. *appellationem ſit conſtituturus,neceſſum eſſe patet:nam neque in cæteris aliter id veniat vſu.Nemo enim toto corpore ſanus ſit,parte autem nulla,ſed neceſſum aut omnes aut certè præſtantiſſimas rectè habere: non diſſimilis etiam in toto ratio.*Dilucidè igitur ex tātorum virorum auctoritate in vtraque Philoſophia liquet malum in re ſimplici poſſe conſiſtere, nequaquam bonū, cum in ipſo cuncta ſit neceſſe concurrant optima,& perfecta.Sed iam hunc moleſtum Argenteriū relinquamus, ceu in angulo ſedentem, & reliquas definitionis morbi partes luſtremus amplius.

Adeſt mox quamprimū differentia illa,præter na-

turam, per quā morbus à sanitate disiungitur, quæ affectus genus prius coniunxerat. Sanitas itaque affectus est, & secundum naturam, dignitate, natura, ac tempore etiam prior ipso morbo, vt testatur Galenus lib. 1. de tuend. valet. ca. 1. Dignitate quidem, quia bonum ipsa, vti morbus malum: natura, quia ipsa semper quod bonum est, intendit: hinc Aristoteles lib. 9. Metaphys. ca. 10. bonum natura, & dignitate prius esse malo affirmat. tempore rursus, quia morbus propriè lapsus est, ac recessus ab indiuidua natura, sana quidem necessariò prius: vnde affectus à natura congeniti, si præter naturam, indiuidui vitia potius, quàm morbi; quamuis respectu illius naturæ communis, & specificæ κατηγορητικῶς & morbi, qui si actiones lædant, pariter & curationem indicant, ex diuinissimo Galeno lib. 14. Meth. ca. 15.

Altera differentia in hac morbi definitione est *primò*, quod apud Galenum lib. de diff. symptom. ca. 1. idem quod apud Aristotelem, per se. per hanc distinguitur à sua causa morbus: quia hæc secundario, & per accidens, mediante videlicet morbo actiones lædit.

Per vltima verba, lędens actionē, differt morbus à symptomate: cū hoc nec primò, ac per se, & quod magis est, nec per aliud actionem lædat, nisi aliquādo per accidens, habens rationem causæ: tunc enim cùm affectum augeat, aut vires prosternat, actiones per accidens dicetur offendere.

Galenus & libro Artis Medicæ ca. 88. li. 1. de nat. hum. sen. 19. & alibi, alterā videtur adiungere differentiā, obseruatione fortè dignam, dum læsionem sensibilem debere esse cēseat. quasi innuat, quod ad hoc vt morbus quispiam talis iudicetur, sit necesse sensi-

ſenſibiliter lędat actiones,ac ſenſus iudicio.Cæterū hæc differentia parui momēti, cum in pathologica Medicinæ parte nō requiratur exploranda, quia tātùm curatur quod per ſe,vel per ſigna cognoſcitur: innoteſcit autem præcipuè quod manifeſtò, ac ſenſibiliter actiones lędit. quid,quod & quæ actiones manifeſtò nō lædūt,nec morbi adhuc nomine merentur condonari, immò πάθος: & proinde propter eorum imminutam , ac imperfectā generationem, nec ad pathologicam partem hi veniunt diſputādi, nec ad therapeuticam ſanandi, ſub ſalubri tantum contenti.Et cum Galenus libro citato Artis Medicę de vtraque Medicinæ parte tractare pręſumat,hinc illam differentiam obſeruādam ibidem comminiſcitur. De his plura à nobis modò exagitanda non eſſe conſultò decreuimus, cum hæc variis certatim modis, tam à priſcis quā recenſioribus copiosè fuerint explorata.quæ cùm ob crebram,ac faſtidioſam iterationem, tum ob maiorem inde obductam caliginem in contemtum,& maximam venerint difficultatem, ita , vt ne vix quidem certi ac explorati quicquam de huiuſmodi rei veritate,& Galeni διάνοια nos habeamus: proinde ab illorum ſophiſmatis abhorremus ſeriò,& Galeni doctrinam nudè, citra verborū ābages cōſcriptā amplectimur,& retinem⁹.

De morbi magni natura,ac differentijs.

CAP. IV.

PErfunctoriè morbi natura explanata,operęprecium eſt magis ad ſcopum accedentes, modò eiuſdem differentias percenſere , non quas ſpecificaſ rimatur Galenus lib.de horū differentiis, ceu à noſtro cōſilio alienas,verum communiores alteras,ac

genericas, quæ à proprietatibus quibusdam dimanant, ab eorum etiam essentia deductis.

Omnes itaq; morbi in vniuersum aut magni sunt, aut parui. nihil refert cũ Galeno lib.3.de Cris.ca. 4. & lib.1.Aph.se.12 hos magnos aut vehementes, paruos aut mites appellare: etsi morbi substãtia nõ sint, neq; quãtitas, immediatũ hæc reliquorũ accidentiũ subiectũ, veluti illa primũ. quæ quantitates, quãuis ex Aristotele tũ li.5. Metaphys. ca. 13. tũ lib. Categ. c. de quant. per se dicantur de cunctis eius speciebus linea, superficie &c. tamen per accidens dicũtur de his omnibus, quæ quãtitatẽ, magnitudinẽ videlicet aut paruitatem habent annexã: etsi his quantitatis ratio non conueniat. hinc substantia quanta dicitur magna, vel parua, qualitas itidẽ, vti albedo magna, vel parua. Quare cum Medici omnes benè de hac re sentiẽtes, etiã cũ ipso Arist. (quidquid aliqui ineptè garriãt) morbos omnes per se qualitates statuant, simili ratione eosdẽ omnes & magnos, & paruos appellãt, veluti pulsũ vocãt magnũ, referẽdo ad quãtitatẽ diastolis, aut vehementem, ad qualitatem ictus. Liceat igitur nobis modò, vti & apud omnes ferè Medicos vsu receptũ est morbos omnes nõ vehemẽtes solũ, sed & magnos, & paruos nominare, referẽdo magnitudinem ad intensionem potius, quàm extensionem. vnde dicitur morbus magnus, qui vehementiam & vim maximam obtinet, ad hoc vt nostrum lædat corpus, & ab intensiuo recessu à naturali habitu; quasi magnitudo æstimetur ex magno recessu, & magna actionum læsione. paruus rursus dicitur qui & languidus, & mitis est, & à quo quam minimùm nostrũ lacessitur corpus, vel in eo fit minor recessus à naturali habitu: Prætereà vtriq;

morbi

morbi magni, & parui,aut tardi sunt, lentóq; gradiuntur pede,& hi chronici vt plurimum fiunt,aut celeres,breuíque circumscripti tempore.qui celeres cum magnitudine sunt coniuncti, acuti vocantur, cum paruitate autem,ephemera præsertim adest, & inter tumorũ species,vt Galenus testatur lib.3.Aph. Sen 26. & lib.2. ad Glauc.ca.1, phima, cito oriens, ocyssimè crescens ac celerrimè ad suppurationem perueniens. Sunt tamen & nihilominus ex Galeno lib.3.de Cris.ca.4. morbi parui ac debiles,qui simul cacoëthiam habẽt adiunctam, vt inter reliquos pestilés ephemera est.verũ hi,parui tantũ dicũtur sensus iudicio,cũ ex sua natura aut per quidpiã occultũ vehemẽtes,& magni sint,chronicorũ autem sub vtraque differẽtia & latissimus cãpus,& vasta sylua.

Paruis, chronicísque modò relictis, ceu à nostro scopo alienis,de magnis, & acutis nostra modò texatur oratio. Magnũ itaque morbum Græci variis condonarunt nominibus,iuxta varias cuiusq; proprietates,alium iam σφοδρὸν vehementẽ nominarũt: alium rursus ἰσχυρὸν validum & energia excellens: iã mox χαλεπὸν qui præter magnitudinem coniunctũ habet periculum, qualis est morbus omnis acutus. Cæterũ cum in omni morbo tria nos obseruemus, affectũ,subiectũ corpus quod afficitur, & facultatẽ ac actionẽ,quę primò à morbo lęditur:simili ratione omnis magnitudo in morbis ex eisdẽ tribus rebus æstimatur ex Galeno libro potissimum 4. & 7. methodi.ca.6.& ca.12. Magnitudo igitur in primis, affectus ratione pẽsatur, seu ex propria morbi essẽtia,si maximus ille fuerit in sua essentia,vel maximè recesserit à naturali statu. prior ille, affectum in suã formali ratione respectat,vti ingẽs intẽperies, vul-

nus maximū iuxta trinā dimensionē: alter verò morē morbi, qui mos cōsistit in cacoēthia caussæ, aut sæuitie symptomatū. Porrò morbus magnus vocatur subiecti ratione, quando corpus quod afficitur per se, vel per cōsensum magnū est ac pręstans. pręstantia spectatur ex facultatis excellētia, quæ totum corpus gubernat, & dignitate actionis promanātis à principe facultate. vnde hæc duo in vnum sæpè coëunt, subiecti corporis præstantia, & facultatis ac actionis dignitas: cum partes corporis æstimētur ex facultate, & actione potissimū. Facultas itaque totū corpus gubernans spectatur in principibus corporis partibus cerebro, corde, hepate, vētriculo: actionis dignitas tum in his, tum in aliis plurimis, vt in oculo actio vidēdi, in aure audiēdi, in testib. speciē cōseruandi. Quare quotiescunq. læditur subiectum aliquod præstans in corpore, aut vnà vitiatur facultas totū corpus gubernās, aut actio dignitate excellēs, morbus magnus hauddubiè cēsendus: dummodo etiam & læsio effatu sit digna, cum possint & illa à minimo affectu lædi, vt cor à minima intēperie, qualis est ephemera febris, morbus quidem paruus, minima itidē in oculo inflāmatio, perexiguus sibil' in aure. Dicūtur autē morbi isti magni subiecti ratione, quia propter partis præstantiā, dignitatē, aut vsū, etsi illi minores in sua essētia fuerint, aut periculū vitæ inducūt, aut saltē ingentē noxā, & quāuis de ratione morbi magni nō sit vitæ periculū, est tamen de ratione acuti, altera morbi magni species.

Morbi itaque magni aut sunt simpliciter magni (quorum latitudo maxima, cum chronicos etiam amplectatur) aut acuti qui & celeres, & periculo pleni. confirmat hanc rem clarissimus Galenus cum

cum lib.de dieb.decret.2.ca.12.&3.c.vlt.libro etiam 6. Epidem. com.1. sen. 28. hoc periculum in cunctis acutis palam comminiscatur. Hi acuti aut absolutè considerantur vt tales, aut vt malignam, & cacoëtham habent naturam, grauia ac funesta inferendo symptomata: in quibus ex Galeno lib.1.c.16. de Cris.& grauia, & aliquando lethalia signa apparent, ac indicia. his funestis acutis opponuntur & alij itidem acuti, etiam ex Galeni mente lib. citato 1.de Cris.ca.3.quos Græci ἠπίους vocant, Latini mites,& placidos, quibus & benigniora,& leuiora germinantur symptomata, securissimísque fruuntur signis. Hinc Hippocrates lib. Prognost. 3.sen.9.& 10. malignas, ac cacoëthas describit pleuritides, mites alias,& securissimis firmatas signis. Cacoëthus autem morbus, etsi præter acutiem deterior multo sit, quàm communis cuiusque speciei morbi natura, & constitutio ferat, maximúmque iugiter vitæ minetur periculum: non tamen autumandum hunc omnem spem salutis adimere, vt lib. 1. Prorhet. cõ.14. dilucidè Galenus attestatur. Est igitur cacoëthia non occulta aliqua qualitas seu toto genere, qualia sunt venena, vt plurimi somniarunt, verum adscititia ac praua quædam qualitas morbis superueniens, ab illorúmque consuetudine maximè aliena, nec facilem ob eandem malignitatem admittẽs curationem. hanc declarant subsequentia symptomata, quæ ab Hippocrate perbellè in Prognosticis libris referuntur, vt doctè Galenus exponit libro 3. de Crisibus.ca.4. Sic cacoëtha, & malignam sæpè habent caussam, & vt plurimum deterrima multò symptomata. Neque distinguitur cacoëthus à maligno, vt declarat Galenus lib.de rat.vict.cõ.2.sen.40.

his verbis, *Morbos præterea εὐήθεις, i. beneficos dixit, non quidem maleficos, morosósque, quos Græci κακοήθεις vocant, sed εὐεργέτας, i. qui facilè ad bonum vergunt.* quod igitur latinè nos dicimus malignos, maleficos, morosos, Græci κακοήθεις appellant. in quibus morbis etsi cuncta seriò, ac rectè administrentur, nihilo mitiores fiunt, immò ingrauescunt potius, vt idem Galenus scripserat lib. 1. Epidem. com. 3. sen. 1. Et hi aliquando vt refert Auctor Finitionũ Med. potestate magni, & graues sunt morbi, specie verò imbecilles, nec tempora certa habent indicationis. quia callidè procedũt aliquando, nec prauitatẽ occultam quam habent foras exponunt. diximus occultam prauitatem, non quod hanc arbitremur à tota substãtia esse, cum neque hanc in pestilentibus morbis admittendam censeamus, iuxta Galeni diuinissimi viri mẽtem lib. 6. Epidem. com. 1. sen. 29. quo loco inquit, *calorem* (qui febris essentia est) *pestilentis febris, à calore reliquarum febrium putridarum non differre per putredinis ἰσχυρόν.* (quod Hermãnus Cruserius eo loco excellentiam vertit, alij iuxta putredinis energiam vigorem, ac robur.) & quod eo loco dixerat *ἰσχυρόν*, libro 3. de præsag. expulsf. c. 4. scripsit putredinem magnam, *μέγαν* Græcè: vocans pestilentium febrium putredinem magnam; per quã magnitudinem, seu excellentiam, & energiam distinguuntur hæ à reliquis putridis, haudquaquam quod quidpiam occultum includant, & à tota substãtia insensum. occultum itaque non solum significat id, cuius qualitas seu natura per se difficilis cognitu est, vt omnia tota substantia aut toto genere talia vocantur: verum etiam & id quod sensibus non subiicitur, ratione tamen facile assequitur, tanquam

quã natura notũ. Insinuat hanc rẽ elegãter Galenus lib. de rat. vict. cõ. 2. sen. 47. *quum dicit virium offensas omnes, & à manifestis fieri caußis, & ab occultis.* & dum exemplo hanc doctrinam illustrat, ex his quæ dicta sunt ab Hippocrate lib. 1. Prognost. sen. 6. & 7. cum faciem illam funestam describat, hæc inquit, *Nam hæc corporis cõditio fit quidem & ob vigilias, & ob excretionem quandam quæ multa sit, & ob inediam: fit quoque & absque his, cum sc. corporis humores tenues fuerint, & febris calor acris. nam euaporantur qui ita extenuantur per insensibilem euacuationem.* quare quod supra occultum dixerat, mox exponit insensile, seu subterfugiens sensus non effectus tantũ ratione, verum & caussæ. Neque autumandum in febribus præsertim causodis (quas modò puncticulares febres vocant) virium illam offensam, & quæ mox sequuntur signa funesta à caussa toto genere nobis insensa produci, immo manifestam obtinere illa caussam, insensilem & occultam vacuationem, & hanc rursus tenuitatem humorum, & acrimoniã maximam (qua pollent hæ febres) febrilis caloris parere. Quamobrem cum nobis mẽs sit in hoc opere, de morborum acutorum curatione diexodicè pertractare, quibus malignitas sępe, seu prauus mos accidit, in muliebribus præsertim: hinc sedulò ediscenda cacoëthia, veluti & si quid diuinum, tum & ad prognosin, tum & ad curationem. in hoc enim labyrintho labascit sæpe, ac omnis Medicorum industria omnino silet.

De morbi acuti natura, ac differentiis.
Cap. V.

QVia ad portum appulimus, consistamus paulisper, & effusiore quadam orationis serie singillatim explicemus quid morbus acutus sit, quot eius differentiæ, quótque caussæ. Morbus igitur acutus (vt ab eius definitione exordiamur) magnus cum sit, periculum habet adiunctum, & celeriter ad statum vsque percurrit. Illud accidit vel à sua natura & essentia, quia vehemens, vel ob partis læsæ præstantiam, vel ob vehementiam paroxysmorum, istud videlicet celeritas præsertim à sua caussa, quæ materia calida est, & biliosa, irrequieta, concitata, ac furiosa. quantóque magis acuti, tanto concitatiores, ac breuiores termini, vt in peracutis apparet, iuxta vtrosque Medicinæ Parentes lib. 1. Aph. sen. 7. verum breuiores itidem fiunt, ac celerrimi non à sua caussa tantum, sed à cacoëthia, ac symptomatum sæuitie, vt in lethalibus ac funestis acutis videre est: in pestilentibus inquam morbis, à quibus ægrotantes vnico die, biduo, aut saltem triduo interclusa anima mortalitatem explent. Acuti itaque morbi à motus celeritate potissimum appellantur, quoniam celeriter, continenter, & symptomatum sæuitie suam absoluunt historiam, cum cita mors veniat, aut victoria læta. hanc cõfirmat doctrinam insignis Galenus tum lib. 2. Aph. sen. 19. & 23. tum lib. 6. Epidem. com. 1. sen. 29. Terminum vltimum horum morborum accuratè diuinus Præceptor & lib. 2. Aphor. sen. 23. & in Coacis Prænot. diē quartum supra decimum statuit, quem nullus, inquit, Galenus in Aphoristicæ sentẽtiæ com. vlterius progre-

greditur, quod si aliquis fortè hunc transgreditur, iam simpliciter acutus & exactè appellandus non est, sed cum additione talis ex decidentia, cum à vera morbi acuti idea degeneret, concitatè videlicet ac celeriter moueri, qui continuatam acutiem vltra decimum quartum diem haud dubiè nequeunt obtinere. Hanc rem Galenus perdoctè replicat libro 2. de diebus decret. c. 12. nec difficilis ratio; quia tum à continuata morbi acuti magnitudine per dies quatuordecim, tum à comitantium symptomatum vehemētia, nec vires vltrò queunt sustineri, quin succumbunt potius, & mors sequitur: aut fortè accincta strenuè natura ad morbi caussæ expulsionem, & æger liberatur, & in salubrem mox sanitatis statum illicò perducitur.

Omnes morborum acutorum differentiæ qui nonum explent numerum. Alij, videlicet simpliciter, seu exactè acuti altero clauduntur septenario, pars media peragratorij mensis constantis 27. diebus, cū horis ferè octo. Alij rursus peracuti dicuntur vnico septenario contenti, carcer primæ hebdomadæ, & tetragona eiusdem mēsis. Alij deinde peracuti exactè, seu peracutissimi appellantur, quorum termini tetrada, hebdomadæ ferè medium. Vltimi sunt eorū qui non simpliciter vocantur acuti, cum vltra quartum supra decimum prorogentur, ad vigesimum vsque solē, tertiæ hebdomadę extremum. verum cum vicesimus iste valeat rationē obtinere decimi quarti, arrepta velocitate à septenario primo, continuata pariter serie acutiei: proinde adhuc meretur acuti nomine, qui hac lege progreditur morbus. non licet tamen de reliquis vltra hanc vicesimi metam istud affirmare, imò potius vocandi acuti ex deci-

dentia, cum vti decidentes, & appendices se habeant ad reliquos simpliciter acutos. Hi itaque morbi quintam constituunt morborum acutorum differentiam, vt innuit pariter Præceptor summus lib. 1. Prognost. sen. 25. quadragesimum solem constituens extremum acutorum horum: quasi queant progredi decidentes hi per alterum vicenarium extremum illud acutorum. Doctrinam hanc arte insignis Galenus nihilominus confirmat lib. 2. Aph. sen. 23. vbi iis est expressa litteris, quæ hic leguntur, *Sed & harum indicationum semiinclinatarum* (*Græci* ἡμιῤῥόπως *vocant*) *alius quidam est externus terminus, vltra quem progredi non liceat, quadragesimus nimirũ dies.* Morbos ergo Hippocrates qui intra quartum decimum diem integrè iudicantur, acutos absolutè appellare consueuit: eos verò qui aliquo dierum decretoriorum imperfectè iudicati ad quadragesimũ vsque diem durarunt, non iam absolutè acutos, sed appellatione ex integra oratione constante acutos intra dies quadraginta iudicandos nominare solet. Verum apertius mihi dicere videntur qui eiusmodi morbos, per prioris status in alium mutationem, aut à sua specie degenerationem acutos vocitant, quos ἐκ μεταπτώσεως ὀξέα νοσήματα appellant Greci. Elucet ex his Galeni verbis internum acutorum terminum quartum supra decimum esse solem, extra hunc verò illorum qui per degenerationem, aut cõuersionem fiunt: quæ, motus cuiusque celeritas, vel tarditas distinguit: vti motus varietas efficitur ab humorum idiotropia, seu à varia, ac diuersa materie morborum germinatrice.

Hanc doctrinã, optimam sanè redarguere videtur dictator

dictator summus, dum citato oraculo lib.3. Progn. sen.25. inquit, *Considerare autem oportet statim abscessus signa, si viginti diebus transactis febris detineat.* quibus verbis hauddubiè videtur ipse innuere vicesimum potius acutorum esse terminum, quàm decimum quartum in Aphoristica sententia signatum. Hanc eandem videtur admittere Galenus interpretationem in eiusdem sentẽtiæ commentario, cum sic fatur, *Cum antea de morbis diutinis iam differeret, mentionẽ habuit vicesimi diei, propterea quod ad hunc vsque diem extentus morbus nondum diutinus existat.*

Gratiam inter hos locos conciliabimus, si dixerimus aphoristicum oraculum ratum, decimumquartum internum semper acutorum terminum, vicesimum analogum, seu externum, quatenus videlicet sibi asciscit naturam decimi quarti. vnde nec propriè terminus acutorum, cum vltra medium mensem procedat, per quem tantum illius celestis corporis, lunæ inquam fit auctio, nec propriè diutinorum cum valeat referre naturam decimiquarti, inchoato cõncitato motu in primo septenario. quod ne fas quidem reliquis diebus vltra vicesimum; hinc appositè hi chronici, etsi ad extra, etiam ad quadragesimum vsque acuti vocentur, per quandam videlicet eorum appendicem, neque amplius aut absolutè, aut respectiuè lubet acutos vocare, immo & idem Hippocrates lib.4. de rat. vict. sen. 56. diutinos potius appellat, quamuis imperfecta quadam crisi terminentur per vicenarios, & quadragenarios, lentis potius cessionibus, aut abscessibus, quàm crisibus subitaneis, quibus fruuntur exacti acuti, vt fusius Galenus exponit li.1. de dieb. dec. c.13.

Morbi igitur à vicesimo ad quadragesimum vsque diem protracti medij vocantur à Galeno com. in citatam mox sententiam lib.4. de rat. vict. inter acutos,& longos:quia in his paulatim morbi energia remittitur, vis quaternariorum perit, septenariorum autem (quorum vis ante vicesimum ad crises maxima (languescere incipit. istud declarat apposite idem Galenus lib.3.Prognost.sen.10. dicens, Postea verò (sc.vltra vicesimum) exolui quaternarios, fierique per septenarios iudicationes: deinde etiam hos exolui procedente tempore,ita vt per vicenos dies morborum efficiantur solutiones:postea ad mẽsium numerũ deuenire. Vicesimi igitur quarti nulla, aut quàm minima vis, vicesimi septimi, tricesimi quarti,& quadragesimi, quia septenarij aliqua: vltra quadragesimum, cum acutorum ratio deperdatur, etiam septenariorum languet vis omnino; verum quia magni adhuc morbi, eorum solutio per crises fit, confirmante Galeno ex Hippocrate,libris Epidemicωn,tum lib.2. Aph. sen.24. per vicenarios tamen, aut quadragenarios. hinc sexagesimum,octogesimum, centesimûm, & hunc cum vicesimo decretorios horum morborum passim assignat citatis Epidemicωn libris dictator summus. quidquod si amplius protrahantur hi morbi à centesimo cum vicesimo, tunc nec per vicenarios aut quadragenarios, immò aut per menses, aut annos computandos arbitratur Galenus tum lib.1. de dieb.decret.ca.10. tum lib.1. de natura humana,sen. 41.qualis est inter hos quartana,ad decimum quartum vsque annum aliquando prorogata. Quamobrem cum tot sint morborum acutorum differentiæ, proinde citato Prognost. loco Galenus nulhac

lum eorum certum statuit carcerem, quasi sit in hac re, inquit, ambiguitas soritica, quam Cicero lib. de diuinat. acerualem vertit. Acuti tamen simpliciter decimumquartum habent terminum: acuti non exactè vicesimum, qui per conuersionem, seu ex decidentia vocantur, quadragesimum. In his terminis, iuxta cuiusque morbi motum (quem humoris natura efficit) vehementiores, aut languidiores fiunt crises. quo enim concitatius, ac vehementius morbus mouetur, eo breuior fit: quo rursus concitatius morbus protrahitur, eo fractius natura concitatur. Infra decimum quartum magnæ fiunt in morbis perturbationes, asserente Galeno 1. libro de dieb. decret. cap. 10. quia petulanter furit humor, & hinc vehementiores crises accidunt: his proximæ sunt quæ ad vicesimum vsque occurrunt diem. Cæterum cum dierum in quo crises fiunt maxima sit facta mentio, horum naturam explorandam censemus, vt exactius, quæ ad naturam morborum acutorum spectant intelligantur. nec futilis sanè, aut ingrata disceptatio.

De diebus quibus morbi iudicantur acuti, & vnde eorum vis.

CAP. VI.

IMmutabilis Deus, ordine immutabili, sub mensura, & pondere creauit cuncta. eius pedisequa Natura illa eadem immutabili serie prouidè afflat,

moderatur, seruat. inter cætera, quæ hác Dei prouidentiam, & eius ministræ Naturæ legum immutabilitatem, quas indixit ipsi, declarant, illud quammaximè quod morbi sempiterna lege in omni ætate, in omni natura, in omni sexu, in omni tempore, & in omni denique regione ac climate dies habeant statos, in quibus decretoriè iudicentur. O factum ineffabile! istud replicabimus, quantum tenuitas nostri ingenij sustinere valebit, in re tanta.

Cæterum, vt rem à suis primordiis ducamus, illud obseruãdum, duplici ratione dies decretorios considerari, in abstracto, & in concreto: quorũ vtriusq; diuersa ratio. nam huius natura ex tribus potissimũ dependet, ex natura peculiari ægrotantis, ex motu humoris, ac ex syderum, seu corporum cœlestium influxu. ex mutua namque horum omnium vi consurgit quintum, septimum, aut nonum huic ęgrotãti fieri decretorium, aut aliâs. vti, si temperamẽtum ac eius insitus calor ita vegetior fuerit, vt caussam morbificam victam quinto iam morbi sole contineat, humor pariter & cõcitatè moueatur & per dies impares, cum morbi vehementia concurrat tãdem cælestium corporum influxus, viuifico eorum calore; proculdubio morbus iste quinto iudicabitur die, neq; amplius procedere fas. Quare quintus dies huic morbo necessariò decretorius, nó ex vi diei, cũ varij isti sint intra latitudinẽ acutorũ, verũ ex energia caussarum cõcurrentiũ. Abstracti decretorij naturã assignare, & caussam, vti non facile, sic etiam & clarissimis viris offensaculum. Nam in omni ætate, natura, ac sexu, in omni morbo acuto, in omni tempore anni, cœli statu, regione, ac climate quaternarios, & septenarios sempiterna lege decretorios esse,

haud

haud quaquã ſenarios, aut octonarios cauſſa adeſt neceſſariò cõmunis ſignanda, quæ cunctis illis cõueniat & adaptetur, & tantarum rerum, & diſtantium ſanè carceres amplectatur. quid quod & illud primum ad criſin potius ſpectat, veluti hoc ad tempus, ſeu ad naturam diei decretorij, in qua criſes accidere ſolent. res ardua, & diuina.

Verum vt fiat perſpicua doctrina, & facilis methodus, rem à ſua definitione ordiemur. Dies igitur decretorius eſt, qui ex ſua natura quam tutò, ac frequenter morbos iudicat. Et quamuis iudicium fieri poſſit omni die, ſiue ad bonum, ſiue ad malum, ſiue ad ſalutem, ſiue ad mortem, & hinc omnis dies κρίσιμος: tamen nos modò non definimus niſi principẽ decretoriũ, vim certã, ac firmã habentẽ decernendi morbos, κρίσιμαι ἡμέραι elegãter ab Hippocrate vocatũ. veluti Galenus libro 3. de criſibus c. 2. etſi variæ ſint criſiũ differentiæ, criſim definit (principẽ videlicet) ſubitam ad ſalutem mutationem: quæ princeps & optima, inter reliqua ex eodem Galeno c. 3. exoptat, & quod à contemplabili die indicetur, quales ſunt quaternarij, & quod in die decretorio contingat, quorũ dierũ fortiſſimi, & perfectiſſimi ad decernendum ſunt ſeptenarij. Horum vtrorumque dierum, cum maxima ſit dignitas, non leuis momenti eſt, ex Galeno lib. 1. de diebus decret. cap. 3. & ad ſolutiones morborum, & eorumdem curationes exacta, & abſoluta dignotio. Quare cum dies tam decretorij, quam indicatorij maximam vim obtineant ad illam mutationem ſalutarem, hæc proinde ſeriò exploranda vis, rimanda origo.

Nos cunctis miſſis opinionibus ſeu ambagibus,

clarissimum Galenum sequuti, arbitramur hãc vim promanare ex cælestium corporum latione, seu motu, ac influxu, lunæ præsertim, quæ, ceu inferior, reliquorum corporum vires colligit. Hanc rem sciscitatur ipse abundè, & ex instituto, libro 3. de diebus decret. cap. 1. & 2. neque aliam caussam sibi offert assignandam præter cœlestia corpora. nec immeritò sanè. nam etsi plurimæ fiant in nostris corporibus alterationes, & motus, ex proportione potentiarum agentium ad patientes, qui & certis etiam, ac statis accidunt periodis, quales sunt præsertim inter cętera febrium putridarum typici circuitus, quos nec Galenus, nec quiuis alius mentis compos superioribus tribuet caussis, sed putrescentium humorum naturæ potius. tamen ne negãdum haud dubiè plurimos etiam in nostris corporibus accidere insultus, plurimósve motus, ac alterationes stata itidem regula, firmáque lege sancitas à supernis illis corporibus ortum quidem trahentes, syntagma mundi perpetuum. Nam quis, amabò, alterá assignabit caussam periodorum mentium typicorum, per singulas videlicet lunationes promanantium, ipsa Luna ablata? quis grauiditatis, & nixus certos statuet terminos, eadem è medio sublata? Fatetur hoc Hippocrates diuinus, fatetur & idem insignis Galenus. li. de septim. partu nu. 1. Porrò paroxysmi epileptici idem declarant, cum vt plurimum excitẽtur, atrociúsve ingrauescant sub νεομηνίᾳ, dum ipsa cum sole per biduum ferè coit: sub quo tempore & maiores, & grauiores in nostris corporibus fiunt assultus, sæuiores passiones germinantur. Maniaticos tandem, ac melancholicos sub lunę pariter diametris, aut tetragonis de nouo quasi concitari

assi-

assiduè experimur, vehementiúsque percelli. Quid plura? Quamobrem cùm decretorij dies in omnibus vniter,&concorditer per omnia se habeant,assignanda necessariò cõmunis caussa, valens omnia illa continere.hęc nulla alia,præter cælestia corpora, vnà cum aëre facultatum eorundem corporum internuntio. Illa enim suas facultates sublunaribus cunctis corporibus,siue per influxum, siue per motum maxima cum summi Opificis prouidentia demittunt:à quibus nostra corpora non alterari solũ, verum & vinci perdoctè,ac diffusè clarissimus noster Galenus testatur, tũ lib.2 de diebus decret ca.2. tum lib.3.eiusdem argumenti.c.2. Hanc doctrinam nuda veritate sartam firmiter tenent classici doctores prophani,& sacri. Adest quamprimum præter diuinum Hippoc. in Asclep. Philosophorum Princeps Mercurius Trismegistus, Plato diuinus. in Theæt. Naturæ genius Aristoteles tum lib.1. meteo.ca.2.& 3.& lib.8. Phys.ca.8.Philo itidem Iudæorum elequentissimus,& lib.de migrat.Abrahę, &lib.de mundi opificio:Michael Psellus Iuliani Apostatæ Medicus clarissimus,in expositione sermonis Zoroastis, quem plurimi, nec temerè Mesraim filium Chami, & nepotem Noëmi esse opinantur: Plotinus etiam insignis Platonicus, libro quo inquirit vtrum stellę aliquid agant,ca.9.Marsilius Ficinus Platonicorum alumnus lib. de vita cœlitus cõparanda, ca.6. Martius tandem Galeotus libro de doctrina promiscua. cap.24. Ex sacris verò scriptoribus adsũt diuinus Dionysius,li.8.de diu.nom.c.4. Augu.li.13.deTrin.c.4.Basil.Homil.6.Ambros.Hex. dist.14.q. vlt. & doctor meus seraphicus Bonauentura in 2. sentent.& Angelicus Thomas li.2.de cœ-

lo,ca.7.& lib: contra Gentes, ca.91.& opuſculo 26. & denique Albertus Magnus in 2.ſenten.& in Speculo cap.de elect.Nec opus eſt plures recenſere,his grauiſſimis contenti viris.

Cũ itaq; indubitata ſit doctrina,ratione,& auctoritate præclara cæleſtia videlicet corpora in hęc inferiora ſuas vires & facultates demittere,nec creata vt noceãt,verùm vt hæc inferiora gubernent feliciter, cúmque conſtent in orbe omnia, non cæleſtia tantum,verum & terrena, miro, & artificij pleno ordine,in quo & inferna parent, & imperent ſuperiora,Lunam inter cætera abundãtiùs multò,atque fœlicius eaſdẽ vires nobis largiri pro certo habẽdũ. Hæc enim quia propinquior, vt quidã cõtiguã aëri cenſeant,& quia Naturæ altera parens,cum teſtante Ariſtotele lib.4.de gener. animal. ca. vlt. ſit minor ſole, ſeu luminare minus ex diuo Moſe,Gen.1.plurimos fœtus ab altero parente maſculino ſole per totũ ſilentij tẽpus cõceptos,eodẽ interrupto,& quaſi parturiẽs,eoſdẽ mox inferiorib⁹ cõmittit corporibus.declarat acutè hãc rẽ eloquẽtiæ Parẽs Cicero 1.de Nat.Deo.dũ eloquitur,*Ipſe ſol mũdum omnẽ ſua luce complet,ab eóq; luna illuminata grauiditates & partus affert,maturitatéſque gignendi.*quid quod nec ſolis tantùm,verum ſyderum reliquorum,& planetarum,ceu inferior,facultatibus gaudet.Exponit dilucidè hanc rem doctus Hely Aben Rodan, com.in lib.1.Quadripart.Ptolomęi,ca.4.cum dicat, *Luna in qualibet quadratura cõmunicat ſe omnibus ſyderibus, vnde prouenit quod virtutes contineat omnium,eáſque ſimul cum ſua inferioribus cõmunicet. Hinc eſt quod virtus ſolis & lunæ dominetur ſuper virtutes aliorum ſyderum.* Rurſus paullò infrà, *Cum luna ſit multum terræ*

terra vicina, eius virtus efficacior multò, antequā mutetur, ad nos peruenit: propter quod eius actio seu operatio magis quā reliquorū syderū sit manifestior, mutādo etiā humores existentes in corporibus. &c. Et proinde idē Astrologorū Phœnix Ptolomæus lunā corpora nostra mutare manifesta mutatione, & alteratione, eodem citato loco asseuerat. nec ratio difficilis: quia hæc cum reliquis sit vicinior, maiori multò, manifestiori itidem, & assidua effectuum varietate, & iliade, omnem suam vim in hæc inferiora imprimit corpora.

Porrò cùm ex his liquidò constet, vt tergiuersandi cunctis sit locus præcisus, Lunam à superioribus, à Sole præsertim vires concipere maximas, & has vna cū natiua inferioribus impertiri humoribus, fluidísve corporibus, ex Aristotelis itidem mente lib. 4. de generat. animal. ca. 10. præsidem fieri, suásque vires præsertim in his exercere. Quamuis nāque singuli planetę antistēt priuatis quibusdā rebus, cūquibus est aliqua sympathia, vti Mars bili, Saturnus melancholię, Iupiter sanguini, pituitę ipsa Luna: tamen cū omnes humores actu sint fluxiles & humidi, vt refert Galenus libro præsertim de morb. differ. cap. 12. per eandem rationem & lunę subijcientur imperio. Luna itaque virtute humida præest, & antistat cunctis sublunaribus humidis, curam eorum habet, mouet iugiter, ac turgescere facit. Et cum exactius multò sit rationem probabilem comminisci, quàm rem intactam relinquere, assiduo vsu hæc comprobatur doctrina in fœminarum præcipuè mensoribus purgationibus: cum has per lunationes singulas à sanguinis sarcina exonerari videamus, tributúmve cruentum simul reddere, & nectar illud vi-

uificum typicè libare lunæ. Præterea & concitatur ad eiusdem motum oceanus, concitantur pariter in nostris corporibus humores cuncti concitata & ipsa: percellitur nec minimum cerebrum in crebru eius motum, vti & omnis fœmineus sexus, vnde & caducus morbus lunaticus appellatur etiam in sacris oraculis, quia per varios lunæ motus & schematismos atrocius multò affligit ille.

Quamobrem cum humores sint morbiferaces, & lunæ subiecti, probabili ratione credendum hos moueri iuxta lunæ motum, vti & morbos ad eorũdem humorum motum, quorum sunt causæ efficientes. cum igitur ipsa luna per tetragonas, & diametras stationes mutetur, humores pariter morbiferi, ab illa vi arrepta, eadem vestigia insequentur, & per eosdem tetragonos, & diametros excitabunt suos in morbis assultus, vnde decretorij dies proculdubio sument exordium. neque alteram horum licet aut synonymam, aut homonymam assignare caussam, quicquid dicat perdoctus And. Laurentius li. 2. de crisib. ca. 13. tum Ioan. Heurnius in suis notis in Hipp. lib. 3 prognost. text. 3. Receptum namque est à plurimis, & classicis doctoribus Philosophis, vti Soncinate & Soarez 12. metaph. q. 14. etiam & ab ipso Aristotele lib. 12. Metaphys. ca. 3. iuxta Alexandri interpretationem, quam vnà Angelicus Thomas amplectitur, corpora cçlestia, quatenus entia corporea etiam vniuocè secundum quid (vt ita cum ipsis loquamur) generare substantiam, altera videlicet entia corporea. quid quod & eundem numero effectum à causa synonyma fieri solitum, posse itidem connaturali quodam modo à caussa homonyma exoriri, vt à causa totali, & proxima: si absq; interuentu

teruentu causę synonymæ, sola homonyma caussa, ac ex sua natura vniuersalis applicetur ad illũ producendum effectum immediatè; & ipsa sola. Quare cum hæc ita sint,& vndequaque absit synonyma aliqua causa vim producens decretoriam in hoc vel illo tempore:necessariò occurrendum corpori cælesti,seu lunę tanquam instrumento, & eius intelligentiæ mouenti orbém illius, tãquam primo principio.hæc igitur est vnica causa synonyma secundũ quid horum dierum decretoriorum. Si namq; corpora illa cęlestia valent citra interuentum alterius causæ synonymæ substantiam generare, quanto magis proprietates illis connaturales sublunaribus corporibus impartientur? hoc diffusè comprobat etiam ex Arato clarissimus Galenus lib.3. de diebus decret.ca.2.& 5.tum idem Ptolomæus lib.2.Astrol. Iud.

Hæc itaque Lunæ vis humoribus morbiferis cõmunicatur,qui iugiter mouentur per suos tetragonos,& diametros ad lunæ motum:fiũtque in morbis eorum ratione vehementiores assultus concitãtes naturam sub eisdem stationibus:qua excitata accingitur velociter ad causæ morbificæ expulsionẽ. hæc igitur caussa,quæ suo orgasmo, ingrauescente simul morbo naturam commouit, ab eadem natura itidem repatitur,cum eius abscessum pręsumat, aut omni conatu foras exilire contẽdat.Vis itaque diei decernens à luna:crisis verò à natura, iuxta eius triplicem periodũ coquendi,secernendi, & excernendi.& cum subiectum in quod agit natura sit humor morbifer,est eius natura spectandà ad crisim,vt statim in huius capitis exordio diximus. Cæterum cũ vis dierum decretoriorum tanta sit, tãta eius digni-

ras, vt quæ frustra aliquando fiūt, diebus his certiora contingant, quam quæ in alia incidunt tempora, vt apposite etiam ex Hippocrate testatur Galenus li. 1. prorhet. com. 2. sen. 27. magni faciēda hęc doctrina omni obseruatione digna.

Cum suprà mētionem fecerimus Heurnij viri sanè docti, arbitrātis haudquaquam à Luna vim dierum decret. deriuari, cum causam habeant synonymam: lubet modò hanc rem explorare, vt facilior, ac dilucidior reddatur doctrina. Hic itaque Lunam expungit, anili quadam ratione: Si ipsa imponeret necessitatē, id maximè efficeret per suos quadratos, & oppositos aspectus: sed cum quadrati in diē septimum non cadant, quo peracuti iudicātur, immo in octauum: vti oppositi non in decimum quartum, verum in decimum quintum medium. Ergo à Luna non est hæc vis. Cæterum deceptus est, cum sibi assumat mensem consequutorium, constantem diebus 29. cum dimidio, minutis ferè 45. vt declarant verba illa præcipuè, oppositio fit in decimo quinto medio. potius enim sibi assumere licebat mensem peragratorium (qui annus Lunæ est) constantē diebus 27. cum horis ferè octo. cuius mensis quadratus est septimus, & oppositio decimus quartus. hæc omnia diffusè infra exponentur.

Tandem expuncta Luna, hac ratione synonymam assignat caussam. Natura existēs in solidis partibus, iuxta triplicem illam periodum coquendi, secernēdi, & excernendi non solum crisis caussa, verū & tēporis, & speciei eiusdem. Tempus crisis (de quo modo ambigimus) demonstrat hoc rationis momēto. Crisis cadit in diem paroxysmi. ergo eadem est ratio diei critici, quæ paroxysmi. eadem quoque paroxysmi,

roxysmi, quæ periodi.

Nos modò antecedens admittimus, quamuis suas habeat difficultates, & negamus consequens. nam & si sub paroxysmo cadat crisis, nec sequitur inde, quod vis tribuenda paroxysmo: quod probamus ex Galeno lib. 3. de dieb. decret. ca. 8. & triplici ratione, primũ quia sequeretur, quod omnes dies paroxysmi præcellẽtes essent decretoriis, & bene, ac feliciter sol uentes, quod falsum est, ex Hippocratis & Galeni doctrina, cum hi tantum sint septenarij, veluti contemplabiles quaternarij. secundò sequeretur quod omnes ferè dies morbi decretorij essent, in his qui per pares mouẽtur omnes pares, in reliquis qui per impares, & omnes impares. vnde vis illa Princeps, & ineffabilis septenariorum, & quaternariorum, tantopere ab his Medicinæ Parentibus decantata elumbis, ac vacua. Tertio tandem sequeretur nec decimumquartum diem, veluti vicenum decretorios esse in morbis qui per impares mouentur, cum paroxysmus nequeat incidere in his diebus ex Galeno lib. 3. de dieb. decr. c. 6. Vnde apparet falsitas antecedentis. etiam ex hypothesi à nobis admissi. cum in his morbis decimus tertius, & decim⁹ nonus sint dies paroxysmi, & tamen crisis propter vim diei decretorij trãsfertur in decimũquartum & vicenum, quia septenarij, vti quaternarij omnes (in quorũ primo non cadit paroxysmus, moto morbo per dies impares, cõtemplabiles ex sua natura sunt. Quare vis tẽporis aliunde à natura synonyma pẽdet. Hęc enim materiam ad crisim disponit, humor morbifer ex sua natura peculiares habet motus, per pares videlicet, vel impares moueri, & similiter statos geminare paroxysmos. verum luna influit humoribus,

(quibus hæc vis eſt ipſis participata) ad tempus decretorium conſtituendum ſuam vim per diametros,& tetragonos.

Qua ratione vis Lunæ impartiatur humori morbifero ad producendos decretorios dies.

CAP. VII.

IN hoc logiſmo non minima ſe offert difficultas, an morbi motus ita conſequatur motum Lunæ, vt ipſa incipiente moueri rupto ſilentio, ſimiliter moueatur pari paſſu & morbus,apparente ipſa appareat & inchoetur morbus, ſilente ipſa ſileat pariter ac terminetur & morbus. Verum ſi rem exactè contemplemur non ſunt parallela, neque morbus percurrit pari paſſu cum Luna. refragatur enim hoc experientiæ magiſterio, cum plurimi morbi acuti exoriantur ſub diuerſis temporibus lunæ, iam ipſa ſilente, iam dichotoma, iam oppoſita,& tamen omnes progrediuntur eaſdem ſtationes, etiam perſæpè inter ſe exiſtentes oppoſitas, lunæ videlicet ac morbi. Influxus itaque Lunæ virtute continet motricem Planetæ vim, veluti ſemen virtute animal, vel plantã:imprimitur autem hæc vis, & in actum reducitur in corpore, ita, vt abſente Luna morbus ſua tempora diſcurrat per quaternarios, & ſeptenarios. & hæc vis, veluti reliquorum cæleſtium corporum, diffunditur ſublunaribus in quolibet tempore, etiam & illa ſilente, cum nunquam ſuo munere fruſtrentur. Hinc morbi in quolibet Lunæ tempore exoriuntur, ſuóſque ordinatos, & ſtatos motus exercent, illa arrepta vi ab eius influxu.

Cæte-

Cæterum oportet accurato & arguto exemplo à maris æstu petito rem expoliri. Æstum hũc maris, Βράμμα à Nicandro Colophonio lib. 1. Linguarum appellatum, Lunæ ascribendum clarissimi omnes testãtur viri, Physici, Medici, atque Theologi. Rursum oceanum duplici motu concitari diurno, & mensurno vtróque Lunæ attributo, iidem censent: quamuis propter Lunę ad solem diuersis aspectibus maiores vel minores fieri assultus, & æstus, quotidie experiamur. Diurno motu quater cietur, bis fluendo, & toties refluendo. In hoc motu, periodos lunę imitari oceanum secundum eius motum diurnum, contemplanti fit euidens. nam vti Lunæ motus in tetradas secatur, iuxta æquales quadrantes cœli, ortum inquam, occasum, & vtriusque verticis punctum diei, ac noctis: similiter per singulos dies, easdem oceanus sectatur periodos, fluendo dum ascendit Luna à puncto ortus supra nostrum horizontem, vsque ad meridiei verticem: refluendo mox declinante eadem à puncto huius verticis ad occasum vsque. Fluendo iterum dum à puncto nostri occasus ad meridianum noctis illa procedit: & tandem refluendo dum à noctis fastigio ad orientẽ vsque iterum graditur. Oceanus præterea & altero motu, mensurno videlicet concitatur, iuxta diuersos Lunæ aspectus ad ipsum solem. hinc vehementer feruet sub plenilunio, dep[illegible]mitur ac mitescit ipsa dichotoma, maiores itidem fiunt vndarum reciprocationes, & assultus illa silente. Varia est natura in his, iuxta varios orbis tractus. Hæc, quæ maximè commendant Dei sapientiam, & potentiã, parallelo modo non discurrunt, quod pari passu, ceu ęquè simul distãtes ambulent Luna & oceanus,

neque planetæ tantum præsentia huiusmodi concitantur motus, sed virtute immissa oceanus id præstat. neque per horas duodecim in hoc nostro hemisphærio illa præest semper, vt sua præsentia per illud idem tempus æqualiter diurnum fluxum, & refluxum patiat: neque absente, dum oppositum hemisphærium peragrat, priuatur oceanus diurno, aut mensurno motu, cum stata lege munus sibi impressum exerceat. Fuit autem ipsi in orbem motus necessàrius, vt subiectis cunctis corporibus, per varios orbis tractus dispositis, suos impertiretur influxus: cùm ipsa, veluti reliqua luminosa corpora suos effectus tantum per motum, & lumen nō producant, verum & per quosdam influxus, seu per quandam quasi seminalem vim, aëri internuntio communicatam. Hæc doctrina cōmunis est, à grauissimisq; amplexa viris, D. Patre Seraphico Bonauentura in 2. senten. dist. 14. q. vlt. D. Angelico Thoma com. in lib. 2. de cœlo, c. 7. & Quodli. 6. art. 19. Alberto Magno in lib. 2. sent. Abulense li. 3. Reg. ca. 17. Cōtareno Cardinali li. 2. de elemēt. Platone, in Thæet. Ptolomęo, & Albumazare & c. Alterato igitur & aere, & per hos influxus spermate à Luna recepto, etiā absente ipsa, ceu causæ principio; stato ac certo ordine effectus germinabutur in corporibus ipsis dispositis, & illi subiectis. Quare censendum & dies decretorios vim habere ab influxu Lunæ receptam in aere, & corporibus inferioribus conflatam.

Quis

Quis Lunæ motus, seu quis mensis æstimandus ad dies decretorios constituendos.

CAP. VIII.

INextricabilis alter se offert labyrinthus, ex quo nec Galenus ipse, vel Thesei filo adiutus se expedire valuit, quem nam videlicet Lunæ motum imitentur dies decretorij. In Luna namque triplicem obseruamus motum, triplicem pariter mensem cõstituentẽ (relicto altero Galeni cõmentitio, cũ à natura nunquã illa moneta sit percussa, vt doctè inter reliquos illũ expurgit Mirandula, lib. 3. aduersus astrol. ca. 16.) Inprimis occurrit motus ille Lunæ per propriũ epicyclũ, percurrens à puncto Zodiaci cuncta gradiẽs signa, donec ad eundẽ reuertatur terminum. & hic motus mensem peragratorium constituit, constantem diebus 27. horis 7. & minutis 43. & cum deficiant minuta 17. ad horæ complementum, minima quidem pars, vti integra à plurimis æstimatur. Hic Lunæ motus æmulatur alterum solis anniuersarium, peragrantem pariter cuncta illa Zodiaci signa, spatio dierum 365. cum horis ferè sex.

Porrò & alter obseruatur motus in Luna, totius temporis illuminationis, per quod videlicet à Sole illustrata nobis lucet, & hic motus mensem constituit φάσεως seu apparitionis, constantem indifferenter propter epicycli lunæ obliquitatem diebus 26. cum horis 16.

Exploramus tandem in Luna & alterum motum, ab epocha coniunctionis alterius, ad aliam vsque. hic motus nomẽ imponit mẽsi cõsequutorio, ex 29. diebus, horis 12. cũ minutis 44. & secũdis ferè tribus

composito, iuxta Alphonsi regis doctrinam. Hunc mensem Xenophon libro de æquiuocis temporum menstruum annum vocabat: quia Græci antiqui (præter Iudæos, Samaritanos, Chaldæos, ac Damascenos ἀπὸ τῆς φάσεως suas inchoantes neomenias) ab ipso Lunæ iugo & neomenias statuebant, & ab hac epocha menses ortum trahebant. vnde tempus illud à puncto silentis Lunæ inclusiuè, vsque ad aliũ Lunæ iugum exclusiuè Lunarem mensem ciuilem vocabant: quia hoc tempus ab omnibus, etiam ignaris facilè obseruari poterat. cúmque hoc temporis interstitium triginta diebus sit minus, maius autem quam viginti nouem, hinc alternatim menses plenos, & cauos constituebant.

Cæterum nos non leui de caussa commoti mensem priorem illum peragratorium censemus archetypum dierum decretoriorum. cuius rationis hoc momentũ; quia per hunc motum absolutè Luna vniuersum percurrit Zodiacum signorum omnium feracem, & singulorum omnium vires concipit, vt sempiterna lege, ac stato, ac certo semper temporis interstitio inferioribus communicet. & quod sol præstat in orbe, annuo illo motu, quo iugiter hoc signifer graditur totum, exercet & luna hoc peragratorio mense, neque admittendus consequutorius, ceu superuacaneus, cum partem Zodiaci duplo percurrat: neque apparitionis, ceu mancus, cum hunc motum in orbem non adimpleat. Firmat tandem iudicium ineffabilis concentus. hunc exploremus. Diuidamus quamprimum hunc mensem in æquales tetradas, statuamus mox epocham in luminoso signifero congressus solis cum ipsa Luna, σύνοδον hanc Græci vocant, veluti νεομηνίαν spatium

illud

illud ferè biduum, quo ipsa cum sole congreditur. deinceps obseruemus Lunam quarto ferè die à cõgressus instanti cornutã,& vacuã propè surgentem; quasi ob congressum (si iocari licet) suffusa pudore, falcata facie in cœlo apparere. rursus ab hoc quaternario sensim ad septimam vsque lucem accrescere: in quo septimo diuidua apparet, innuens iam medium iter confecisse ab interlunio ad plenilunium vsque. hæc figura à Græcis διχότομος dicitur. Porrò vlterius illa progrediens sub altero quaternario, vndecimo videlicet sole demonstratur gibbosa, ἀμφίκυρτος, seu vtrinque curua tunc appellatur. Tandem ad decimumquartum iam accedens diem, alterius hebdomadæ carcerem,& totius peragratorij motus mediumvndequaque orbe pleno, absoluto tunc illustratur splendore. quam figuram πανσέληνον Greci nominant. Cæterum ab hac meta, iam rursus decrescens, sensim easdem figuras repręsentat, quousque peruenerit, ad priorem illam epochã, in qua ipsa hymenæum cum sole celebrauit. gibbosa igitur decimoseptimo sole, iterum media vicesimo, & septimo supra vicenum denique delitescit. Et quamuis per obliquitatem epicycli Lunę diuersimodè se habeat ipsa, cum citius, aut tardius has figuras repręsentet: tamen cum sit hoc discrimen per horas aliquot, pauculas quidem, parui pendendum. Cum igitur hæc ita sint, & vsu comprobata, & ex sacrariis Astronomorum elicita, quis non mirabitur sacrum Naturę artificium? quid Naturæ? Dei O. M. potius ineffabilem sapientiam? quis rursum Lunæ harmoniam, cum ipsis morbis acutis? Luna per tetradas,& hebdomadas stata lege distinctos demõstrat schematismos: hoc idem morbi imitantur

acuti,ab eodem planeta afflata,ac remissa facultate. Hinc quarto,7.11.& 14.vti illa crescente,vehementiores fiunt in morbis assultus, maiores perturbationes, validiores crises. A decimoquarto rursus ad vicesimumseptimū cum illa decrescat ad occultationē vsq;,similiter & minores in morbis fiūt assultus, tenuiores perturbationes, & imbecilliores multò crises.quod si fortè vicenum,inter decrescētes alter septenarius, perfectè, ac validè iudicare obseruemus,non aliter hoc præstat ex Gal. lib. 2.Aph. sen. 23.nisi habente rationem decimi quarti; quia lentè, aut inæqualiter inceperat morbus, & in primo septenario concitatum ac velocem arripuit motum: cuius concitati motus respectu, vicenus potius habendus pro decimo quarto, carcere morborum acutorum. quare per accidens morbos decernunt acutos, qui supra decimumquartum sunt dies, & omnes à Lunæ vi per suum peragratorium motum statuendi decretorij.

De exacta ratione dierum decretoriorum iuxta mensem Lunæ peragratorium.

CAP. IX.

HÆc cum superioribus inuoluamus rursus, quæ ad prę sentem faciunt disputationem quā maximè. penitus itaque replicemus admirabilem Naturæ harmoniam dierum decretoriorum cum ipso Lunæ peragratorio motu, & formalem rationem inquiramus singulorum. Mensis igitur peragratorius, quem diximus ex vicenis septenis diebus,cum triente ferè constare,exceptis 17.tantū minutis, in quattuor æquales portiones diuidendus: earum singula septenariofruitur numero,omni encomio

comio celebrando. hunc hebdomadam vocant, etiã Galenus lib. 3. de dieb. decret. ca. 8. & 9. Gaudet itaque Luna, cum septimus sit planeta, & numero septenario, vt scripserat Macrobius com. in lib. 2. somnij Scip. ca. 6. hinc & per septenarios suos adimplet motus, gaudet nihilominus & ipsa Natura, seu potius Naturæ auctor, quæ omnia sub mensura & põdere creauit & numero septenario. experimur iuxta Solonis elegiam in cunctis ferè humanis rebus maximam præ se ferre excellẽtiam. harum iterum plurima enumerat seriò contemplatus diuinus Præceptor lib. de principiis, nu. 22. 23. 24. dum semen quã primum, dum in vteri claustro concipitur, septimo die prima vita frui recenseat, septimo mox perfici mense, & secundum naturam nasci hominem. septimo iterum mense iam in lucem edito dentire, anne septimo veteribus prius depositis nouos recipere; altero septenario pubescere, hircire, ac semẽ gliscere. reliquas pariter ætates etiam per septenarios mutari. tandem & sub septenariis annis (quos climacteres vocant) ceu vitæ terminis, plurimi iter vniuersæ carnis ingrediuntur. Numerus iste maximam in se includit perfectionem, vt insinuarunt Virgilij illa verba, 1. Aneid. *Oterque quaterque beati.* coagmentatur nãque ex numero mari, ac fœmineo simul coëuntibus, seu ex ternario numero toto impari, diuino, Numini sacro, & quaternario toto pari, Naturæ iugiter dicato. Sed numerorum ratione omissa, strom. lib. 5. & 6. à diuinis, & clarissimis viris Clemente Alexandrino, Chrysostomo, Augustino, Origene, & aliis religiosè, ac piè obseruata, ad nostri consilij rationem iterum reuertamur.

Partiamur amplius dies illos 27. cum horis se-

ptem, ac minutis 43. in quatuor æquales partes: vnaquęque illarum dies continebit sex, cum horis ferè 20. diximus ferè, propter defectum 17. minutorum ad horæ octauę complementum. hoc innuit palàm Galenus etiam ex Hipp. lib. 3. de diebus decret. ca. 9. dum septimanam integram non esse retur. Hinc igitur exurgit omnis ratio formalis dierum decretoriorum. cum enim in primo septenario supra illas sex luces integras accedant illæ 20. horæ quintupla diei particula, iudicia haudquaquam in sexto, verum in septimo proculdubio fient, repræsentante altero Lunæ schematismo. quare septimus legitimus, præcellénsque decretorius dies. Porrò altera hebdomada cum reuera ac stata lege ab illa vicena hora exclusiuè ortum trahat (etsi videatur oppositum sentire Galenus, citato lib. neglecta quidem illa minima particula quatuor horarũ diei septimi) finietur decima sexta hora supra decimam tertiam integram lucem. cumque horæ illæ 16. in sesquialtera ferè sint diei portione & integra quadrupla, nequaquam decimus tertius ęstimandus decretorius, verum decimus quartus, carcer morborum acutorum, & augescentis Lunæ. Deinceps à puncto illo horarum 16. diei decimi quarti tertia exoritur hebdomada, terminatur vicesimo sole integro, supra horas ferè 12. quæ cum ἀμφοτερίζει in æquilibrio sint naturalis diei, tum vicenus, tũ primus supra vicenum decretorij censentur. Hippocrates nãque sibi impar est, cum lib. 4. Aph. sen. 36. & lib. 1. Epidem. cõ. 3. sen. 14. & lib. de diebus iudicat. nu. 9. vicesimum primum decretorium assignet, eundẽ & Archigenes, tum Diocles, vt refert Gal. lib. 1. de dieb. decret. ca. 10. quamuis Hippocrates sæpius multò vicenum

cenũ potius ſtatuat iudicẽ, & Galenus vbique hunc tantum amplectatur. ratio facilis: quia cum ad integritatem illius octauæ horæ peragratorij mẽſis deficiant minuta 17. quarta amplius pars horę, temporis lăx potius verſus vicenum attolletur, ceu minus põderans. vt autẽ dies decretoriâ fruatur facultate, debet ſaltem conſtare quadrupla diei particula, quę horarum 16. eſt: qua parte gaudet (vt ſupra diximus) decimuſquartus, & eſt exactus, ac præcellens decretorius. In viceno itaq; fiẽt criſes, veluti & luna decreſcẽs media tũc apparet. Vltima tãdẽ hebdomada, exordio ſumpto ab illa 12. hora non integra, ſupra diẽ vicenum ſuo termino claudetur in puncto eodem, quo Luna peragratorium abſoluerit curſum, ſeptimo videlicet ſupra vicenum, horis pariter ſeptem, ac minutis 43. quæ horę cũ tertia ferè pars ſint diei, non viceſimus octauus, verum viceſimus ſeptimus verè decretorius. Hæc eſt methodus, qua per ſeptenarium in natura mirandũ dies demonſtrantur decretorij, præſtantes, atque legitimi. eâdem mox cuique erit facilè quaternarios inuenire, ſeptenariorũ perfectè iudicantium exacti indices. qui in impares dies vt plurimum incidunt: quia motus acutorũ in eiſdem fit, vnde & ſigna in die motus: hoc inſinuat manifeſtò Hippocrates lib. de rat. vict. cõ. 4. ſen. 63.

Secandus itaque eſt vnuſquiſque ſeptenarius in duas partes ad quaternarij inuentionem. cum igitur hebdomada contineat dies integros ſex, cum horis ferè viginti, ipſa diſſecta, eius quaternarius conſtabit diebus integris tribus, cum horis tribus ſupra vicenam. quæ horæ cum iam iam vltimum attingant naturalis diei terminum, haudquaquam tertius dicetur tetrada huius hebdomadæ, & index

ſeptimi , verum dies quartus; in quibus quaternariis luna etiam ſuas exponit figuras, & in aëre ſuas ſimul mutationes efficit, ſic dereliquis quaternariis habendum, vt in ſequenti χηματισμῷ liquet abundè.

Quaternariorum, & ſeptenariorum noua methodus inueniendi, iuxta motum Lunæ in peragratorio menſe, dicbus conſtante 27. cum horis ferè 8.

Quaternarij, quorum incredibili ſpeciè dignitas in indicando.	Dies	Horæ	Septenarij, quorū diuinitas maxima in decernendo.
4 —	3	23	
	2	21	
	6	20	— 7
	3	23	
11 —	10	19	
	2	21	
	13	16	— 14
	3	23	
17 —	17	15	
	2	21	
	20	12	— 20
	3	23	
24 —	24	11	
	2	21	
	27	8	— 27.

Nul-

Nullus ſeptenariorum in menſe peragratorio, vti in decretoriis his plenus eſt, ſed cauus potius; cum in ſingulis cuiuſque diebus vltimis horæ deficiant quatuor, ex quibus nos iterum alteram demimus horam; pars altera huius quaternionis horarum; conſurgit inde quaternarius hebdomadę. conſtat itaque quaternarius quiſque diebus integris tribus, & horis 23. neque enim quaternarius, veluti ſeptenarius integros habent dies. illi igitur dies tres cum horis 23. ſupra hebdomadam quamlibet ſuperadditi exactè quaternarium cõſtituunt, vt videre eſt in ſuperiori χωματισμῷ. quo pariter quaternario conſtituto, ſi accedant dies duo cum horis 21. (qui vna cum quaternario conſtituunt hebdomadam ſeu ſeptenarium) remanebit exactè elicitus quiſque ſeptenarius. vltra menſem peragratorium non progredimur, quia finitus menſis, quid quod & eodem ſeruato ordine quaternariorum, & ſeptenariorum ad quadrageſimum vſque nos procedere valebimus: haudquaquam relatis diebus ad peragratorij menſis ideam, terminatus cum ſit. quare vltra ſeptimum ſupra vicenum, triceſimus erit quaternarius, vti triceſimus ſeptimus; triceſimus quartus verò, & quadrageſimus ſeptenarij, qui omnes dies vltra viceſimum ſeptimum pleni ſunt, cum amplius motum lunæ non æmulentur.

Demonſtratur methodus diuidens dies decretorios.

CAP. X.

ANtequam de tam amœna decedam prouincia, demonſtratio appendenda methodi diui-

détis dies hos decretorios, iuxta peragratoriũ mensem, cardo totius huius disputationis. Dies decretorij motum sequuntur Lunæ, reclamante Galeno libris de diebus decret. & reliquis bene de hac re sentientibus. Sed omnes Lunæ motus menses constituentes per dies integros nõ fiunt. Ergo neque dies decretorij illos ęmulantes integri. Si in nostras partes Hippocratem aduocemus, idem confirmat lib. 3. prognost. sen. 4. cuius verba sole illustriora libenter adscribemus, *Fieri vero non potest vt horum vllum integris diebus eximiè numeretur. non enim annus, ac menses integrè numerari diebus natura apti sunt.* Ex his Hippocratis verbis, quæ acutè Galenus exponit lib. 3. de diebus decret. ca. 9. liquet, decretorios dies motum sequi Lunæ, quod prima intendit propositio: tum & menses, dies non habere integros, vti & annum, quod altera propositio suadet: tum tandem dies decretorios motus Lunę ęmulatores neque integros esse, quod affabrè conclusio probat. Rursus si præter Hippocratis, tum Galeni decreta lubet & ratione demonstrare, sufficiunt quæ superioribus capitibus abundè diximus, dum singula illa priuatis quibusdam capitibus demonstrauimus.

Cæterum quod portio illa quadrupla caui diei (hæc enim necessariò requiritur tum in die decretorio, tum contemplabili,) qua fruitur dies decretorius vel contemplabilis, æquè sit valens, ac si plenus, efficax pariter per crises perfectè absoluere morbos, ius est & Hippocratis doctrina istud stabilire; hic inquam, libro de septimest. partu, sic fatur, & librum exorditur, iuxta Cornarij versionem, *Septimestres autem nascuntur diebus centum, & octoginta duobus, ac dimidio, & insuper accedente diei parti-*

particula. Galenus optimus Hippocratis interpres in commentario in hunc libellum aliter hanc legit ſententiam, cui & Marcus Caluus, & Iohannes Lalamantius, docti ſanè interpretes plaudent, quãuis hic Galeno aſcriptum fragmentũ cenſeat: horum lectio ſic habet, *Septimeſtres oriuntur ex centũ octoginta duobus diebus, quadam inſuper diei particula.* Hęc interpretatio archetypũ inſequitur Græcum, qui excludit illa verba, *ac dimidio,* & noſtram illuſtrat cõſilij rationẽ. quia ad hoc, vt vitalis ſit fœtus, & ſeptimeſtris indiget naſcatur poſt integros dies 182. ab epocha conceptionis, vltimus autẽ dies nixus cauúsne an plenus ſit nihil intereſt, dũmodo ſaltem conſtet quadrupla diei parte, videlicet, vt Galenus perdoctè interpretatur in eo commentario, non ſolum horis 15. verum etiam & vigeſima quarta parte alterius horæ, per hãc enim horæ particulam fit partus ſeptimeſtris, cũ potius aliter eſſet ſextimeſtris, cũ cõtineret tãtũ, vt Lalamãtius cum Galeno interpretatur in ſuis ſcholis in hunc librũ, mediam anni ſolaris partẽ, quæ conſtat diebus 182. cum horis 15. quare cum horę illę 15. cum altera horæ particula ſit ferè proportio quadrupla ad ipſum naturalem diem, conſtantem horis 24. proinde illę horæ diei integri ad partum rationem habebunt.

Idem Ioannes Lalamantius citato loco, Hippocratis mentem appoſitè ſic declarat, quod cum mẽſis quilibet luminaris conſequutorius ſcilicet, dies capiat 29. & dimidiatum, certè ſex menſes, vndecũque fiat numerandi initium, dies cõplectentur 177. & hunc numerum finem eſſe ſexti menſis, & principium ſeptimi. ſeptimeſtris tamen nõ dicitur, niſi qui dies 182. & horas 15. fuerit cõſequutus: quia ſol

etiam auctor est generationis, dierum, & anni, & cum prior ille numerus ad sex solares menses integros deficiat per dies quinque, horásq; quindecim, hinc septimestris erit tantum qui hunc numerum attigerit posteriorem 182. dierum cum horis 15. & quadam altera particula, quæ septimo solari mense suum exortum dat, & cuius ratione fœtus 27. hebdomada fruitur decretoria. hanc particulã Galenus citato com. saltem 24. horæ partem debere obtinere censet. hora autem, testante insigni Iosepho Scaligero li. 1. de emendat. temp. cap. de horis, in quatuor secatur puncta, punctum in minuta 40. minutũ in partes 480. pars in momẽta 1760. quare si per particulã interpretatur Galenus 24. partẽ illarum 480. in quibus secatur minutum, exigua quidem erit horæ pars, verum si intelligat vicesimam quartam partẽ horæ, in tot partes diuisæ longius erit tẽpus, cum sit alterius puncti (quod Hispani *quarto* vocamus) pars sexta, capiens minutum vnum cum quarta parte alterius, seu partes ferè 19. seu momenta ferè 69. Quare in septimestri partu vltimus mensis cauus est, reliqui priores integri, etsi dicat Hippoc. fœminã concipere posse luna mediata sub plenilunio: tamen respectu dierum constituentiũ mẽses lunares, priores sex integri erunt ac pleni, cauus autem vltimus: & quod de septimestri partu diximus, idem censendũ de reliquis, cum vltimum necesse non sit esse plenũ. Simili igitur ratione & de diebus decretoriis arbitrandum, cum priores dies debeant esse integri, decernens autem, aut contemplabilis haudquaquam; oportet verò capiat maiorem diei partẽ, & si fas est sesqui alterá, vt apparet in septenario priori, cũ hic cótineat horas 20. veluti & in 14. horas 16. maximè attin-

attingens sesquialteram diei partem. in viceno autem cum nec horæ 12. sint integræ, crisis non in vicesimo primo, verum in vicesimo accidit. hoc explanat perbellè etiam Galenus lib. 3. de diebus decr. ca. 7. De 17. die contemplabili occurrit difficultas, cum hic pręter 17. dies plenos amplectatur & horas 15. videtur enim quod & crises, & indicia potius statuenda in 18. die sequenti. satisfaciemus, quod præter vsum, Hippocratis, ac Galeni auctoritatem, attestantes omnes decretorium potius esse 17. hoc contingere, quia cum horæ illæ sint 15. nec adhuc integræ, & recedant à sesquialtera parte diei, quidquod & à quadrupla, quam capit decimus quartus, hinc seruatur vis in 17. nec ad sequentem numerum vicenum transfertur: nec præstat minimum, imparem illum esse.

De differentijs dierum decretoriorum.

Cap. XI.

Copiosius forsan nos hæc singula exploramus: nec sine ratione, ceu frequenter & vtile, & ad curationem necessarium semper. Sed iam hinc nos expediamus, perfunctoriè dierum decretoriorũ differentias exponentes. Dies itaq; decretorij aut sunt simpliciter decretorij, aut simul indicantes, aut tandem coincidentes, qui intercalares decretorij iugiter appellantur. Omitto modò referre decretorios, iuxta motus morborum differẽtias in pares, & impares: cũ nobis hoc loco mens sit recensere tantũ præcellẽtes decretorios, & cõtẽplabiles, & eos qui à cœlesti vi depẽdẽt, haudquaquã ab humoris motu. Omitto præterea & illaudabiles dictos, in quibus

à Galeno lib.1.de dieb.decret. ceu medius inter decretorios primæ notę & bene ſoluentes,& eos,qui ſecũdæ notæ,nec benè,ac ſubitò ſoluẽtes exiſtunt, quia incipiunt criſes decimi quarti,aliquando cõcitato iam humoris motu in ipſo decimo tertio.

Decretorij igitur iuxta hanc Galeni diuiſionem, aut ſunt primæ notæ,quales ſunt ſeptenarij omnes & quaternarij, & reductiuè intercalares: aut ſunt ſecundæ notæ,quales ſunt octauus, decimus, duodecimus,decimus ſextus,& decimus nonus, quos ceu imperfectè,& infidè iudicantés à decretoriorũ cœtu cõſulto reijcimus.admittimus ceu omni encomio dignos ſeptimum,& decimum quartũ,quia inter omnes benè,fideliter, atq; perfectè ex ſua natura iudicant. quaternarij autem (excepto primo ceu rarò decernente) quia rationem habent ſeptenarij,vti vndecimus à quarto,& decimus ſeptimus ab vndecimo,nec imperfectè poſt illos decernunt. Intercalares adeò imperfectè ; vt ex minori errato recidiuam pariant,veluti & ex quibuſdam admiſſis erratis criſis in eos transfertur,vt recẽſet idem Galenus lib.2.de dieb.decret.ca 6.

Pulcherrima ſanè hæc doctrina,ac frugifera quidem, & rationali Medico digna non ſolum ad inſtituendam in acutis præſertim morbis victus rationem , verum ad eoſdem exactè exoluendos. in hac doctrina ob eius pręſtãtiam,vſum, ac difficultatem multa oratione liceret vti , verum nobis in hoc Lyceo breuioribus ſpatijs ambulandum , cum ad alia nos cõſilij ratio aduocet,expoſita priusquadam imparium dierum difficultate , ceu huius diſputationis colophone .Hippocrates,& vnà eius in-

ternario numero, & ſeptenario, non quià par, vel impar: aut in ſui ratione, procedente numerorum ſerie, qua ratione 2. 4. 6. 8. 10. 12. ac etiam 14. pares numeri dicuntur. quid quod ſunt & aliqui, qui etſi ex ſui ratione formali, continuata videlicet ſerie pares ſint, quales ſunt 14. & 20. tamen ſi diſiunctim ſumantur, quatenus ſeptenarij, impàres potius; decimusquartus enim eſt ſeptimus ſecundæ hebdomadæ, vti viceſimus tertiæ, & per hanc rationem dicuntur impares, & præexcellentes decretorij, veluti quartus non in ſui ratione quia par, ſed per primum ſchimatiſmum Lunæ, cuius vi fruitur. & hac arte erit ſatisfactum cunctis Hippocratis, & Galeni locis apparenter inter ſe oppugnantibus.

Tandem quæ de numeris diximus, ſic habenda; quod vis nulla ſit in ipſis, vt nugantur Arithmetici, & forſan Pythagoras, præexcellentem ipſis tribuentes facultatem, nec ſimpliciter impar, quia maſculinus, fortior pari, ceu fœmineo: nec in maſculis, quia illi fortiores, iudicantur morbi vehementes, quales acuti: vti, nec in fœminis, ceu imbecillioribus, longi. nulla igitur numerorum vis in criſibus, neque auctores harum ſunt. Sed quia Luna inferiora corpora innouat, & alterat, periodos motuum ipſius Lunæ ad hunc, vel alterum numerum contingit venire: & hinc in numeris ipſis, quaſi ſtata alterationum tempora, & ſchimatiſmi deprehenduntur. Cum itaque mutationes, & alterationes corporum inferiorum non à numeris, ſed à Luna dependeant, vti & à reliquis corporibus cæleſtibus fieri accidit, obſtrepẽda Arithmeticorũ nugatio. verũ cũ id ꝙ mutat in motu ſit, tempus neceſſariò cõiunctũ mutationibus, & neceſſariò numerus: negã-

dum tamen non est, naturam in suis functionibus quam maximè esse numerorũ obseruatricẽ ac ipsis delectari impensè: vis autem insita haud quaquam huic instrumento, verùm naturę, ceu efficienti causæ. & hæc est accurata Galeni doctrina ex lib. 3. de diebus decre. ca. excerpta, quã amplectitur vniuersus ferè Philosophorum, ac Medicorum chorus.

De morborum caußis in genere.

Cap. XII.

CVm omnis doctrina quæ ratione constat, ex Philosophorum antesignano & lib. 1. de demonstrat, ca. 1. & 2. & lib. 1. Phys. ca. 1. ex causis semper proficiscatur, ac pendeat: & hæ in omni disciplina, veluti eiusdem principia sint cognoscendi, & sciendi (cum scire tunc arbitramur, cũ causas ipsas nouimus) proculdubio & in omni parte Medicinę, tanquam rationali scientia, causæ semper veniunt indagãdę. quare tanta, ac tã vtili cognitione nequidẽ frustrãda therapeutica, insignis Medicinę pars & reliquarũ coronides. si enim ab ipsis omnis exorditur curandi methodus, & curationis primordia ab eisdẽ petũtur, sedulò in hac parte explorãdę causæ. Hanc rẽ lepidè insinuat idem clarissimus Philosophus, vt li. 9. de varia hist. refert Aelianus, huic enim ægrotãti cũ accessisset Medicus, & quoddã vnà imperasset remediũ: sic illi respõdet, *Ne cures me, ceu bubulcũ, aut fossorẽ, sed prius seriò morbi causã disce, ac mihi expone, vt me vtaris ad obsequẽdũ paratissimo.* Ni fallor his verbis nostrã probat cõsilij rationẽ, cũ curatio adhibẽda nõ sit, quin prius & inquiratur,

ratur&inueniatur morborũ causa.Expedit itaq,nobis, imò ius, methodú curandi morbos fœminaru acutos tradituris,sedulò,ac serio hãc artem ãplecti, & in omni morborum curatione pariter per comatam aç cæduam caussarum syluam iter facere.

Cæterum cùm omnes morbi acuti(disputationis nostræ subiectum)duplicem in se formalem rationem includant,& morbi,& acutiei: illius insinuatur per illud quod affectus sit præter naturam primò actionem lædens:huius verò per temporis breuitatem,motus concitationem,ac vitæ periculum: quæ tria morbi vehementiam declarant. Vtriusque modò causas assignare censemus,quantũ huius nostri cõsilij ratio patietur. Causas singulorum morborum specificas assignare nec nobis mens,cum & longam, & à nostro scopo disiunctam requirant disputationem, & iugiter diuinissimus Galenus huic operi ex instituto manum imposuerit, ac diuinè.

Definita quamprimumcausa,principium sui effectus,vel vnde omnis existit effectus,ex Galeno li.de causis procatarcticis,c.1. inquirendũ quãprimũ an omnes morbi suas habeãt causas,an vti reliqua naturalia entia, & cunctis causarum generibus finiãtur:tãdẽ ad acutos descensi,horum efficientes causas explorabimus,&cur vehemẽter,continenter,ac celeriter pariter moueantur semper.Sed antequam huius disputationis prima salutemus limina,illud imprimis supponendum,nos cum Aristotele lib.2. Phys.ca.3.lib.1.Metaphys. ca.3.& 2.de demonstrat. ca.11. quatuor tantum assignare causarum genera, finem,formam,materiem,& efficientem, arbitrantes reliqua à Galeno & lib.de symptom. different.

ca.1.& li.6.de vsu part.ca.12.tradita ad illa commodè referri posse. Neque intendimus modò rimari, an morbi in vniuersum suam habeāt causam: cum enim entia naturalia, & reapse, neque in naturá quidpiam ex diuino dictatore sine natura,suis causis nec carebūt illi.consilium autē nobis nūc est inuestigare an morbi, quatenus affectus sunt, & res permanentes actu fruantur suis causis, & an illorum esse, & existere,à suis actu causis dependeat, quasi causa & eius actio transiens genito effectu seu morbo, vnà existant. singula igitur scrutemur.

Cum genera caussarum quatuor,& horum in ordine naturę sit finis primum, vt est causandi exordiū,deliberatioque omnis à fine incipiat, vti actio ex Arist. lib. 3. Ethic.ca.5. in eundem terminatur, proinde inquirēdum an hoc genere causæ & morbi gaudeant. Si rem oculatè obseruemus, eos fine priuari euidēs apparebit.nec huius rei inefficax ratio,quia finis ex Platone in Philebo, & Arist.lib.5. Metaphys.ca.24.rei perfectio,& quidpiam optimū adeo,vt Galenus finem,qui cuiusq; rei vnus, nihil aliud esse affirmet,quàm secundùm substātiam bonum,quod & efficiens caussa intendit consequi, & propter illud agit.bonum enim scripserat Arist. li. 1.Ethic.ca.1.appetunt cuncta. Sed cum morbus res sit pręter naturam,& sub genere malorum contenta,tātum abest,quod sit perfecta, vt inter mala corporis supremum attingat locū, & quà talis fugienda quidem.quare citra finem morbus.Sanitas contrà eius oppositum ex Platone lib. 6.de Rep. & lib. 1.&2. de leg.inter humana bona primum sibi vēdicat lo-

cat lo-

cat locum, vti Menander; *Quam bene habere melius in vita nihil.* eandem Plutarchus lib. de tuenda bona valetud. *bonum diuinum* vocat, & Cato summis encomijs, precipuè ac primum nobis curam esse salutis commēdat. Si itaque sanitas bonum, maximum ac diuinum, morbus eius oppositum detestandum quidem malum. illa perfectio quædam, hic imperfectio: illa fœlicitas quædam læta, hic deplorandas calamitas. his concors Siasonius Amphion, dum canit eleganter,

O beata sanitas te præsente amœnum
Gratijs ver floret: absque te nemo beatus.

Quamobrem cum morbus quidpiam malum, ac perfectionis defectus: malū autem, natura, quę appetens & opifex bonorum est, nunquam intendat: hunc citra finem gigni optima ratione asserendum.

Cæterum cum morbus duplici ratione consideretur, aut priuatiuè, aut positiuè (vt more logico loquamur) priuatiuè in quantum defectum perfectionis dicit, & malum quidpiam, reuera tunc suo fine priuatur: positiuè verò in quantum ens, cum bono conuertibile, necessariò tunc & suo fruitur fine. cuncta enim naturalia entia, vt testatur insignis Auctor librorū de secretiore parte diuinæ sapientiæ secundùm Ægyptios lib. 1. ca. 1. per eam rationē qua causam habent efficientem, & per eandē suo gaudent fine, propter quē illa operatur causa. cum ex Arist. li. 2. Phys. ca. 8. quidquid fiat, alicuius gratia semper fiat sit necesse. Rursum in quantum quidpiam positiuum, affectus videlicet, & qualitatis species, aliis duobus consideratur modis, vel in genere in sua ratione formali, vt ens & qualita-

tis ſpecies, alijs duobus conſideratur modis vel in genere in ſua ratione formali, vt ens & qualitatis ſpecies, vel reſpectu particularium agentium, quo ratione dicitur temerè, vel caſu contingere. quæ autem caſu accidunt dictante clariſſimo Galeno li. de cauſis procatarct. ca. 1. Videntur eo genere cauſę orbata, eo, inquam, quod dicitur cuius gratia fit: ea quippe nullius gratia fiunt. carent itaque fine, etiã ex Ariſtot. li. 2. Analyt. ca. 11. Quod autem morbi temerè, aut caſu accidãt, fit palam, cum nuſquam natura in hominis generatione, aut conſeruatione eoſdem intendat: & cum finis operationem nõ habeat diſtinctum ab agentis operatione, cùm natura agens ſit, haudquaquam morbos intendens, quando ipſi accidunt, haud dubiè dicentur caſu contingere, & præter naturã, hominis reſpectu: cæterũ reſpectu ordinis vniuerſi, & cauſarum in genere, ſuo neceſſariò fruuntur fine. cauſa enim omnis efficiens ſemper alicuius rei gratia agit, ita vt finis & agens in eandem operationem concurrant, & eiuſdẽ rationis ſint. cum itaque hæc efficiens cauſa homini ſuas lędat actiones, eadem operatio finis: & cum hęc cauſa ſit per accidens, etiam & per accidens finis.

Præterea de formali cauſa ita cẽſendum, quod cũ morbus res ſimpliciter priuatiua non ſit, ſed ſecũdum dici, ceu ens reale ſub genere qualitatis, neceſſariò ſeu res poſitiua & ſuum habebit eſſe, per quod ſimul exiſtat, cum quęlibet res per ſuam exiſtat formam, iuxta illud Ariſtot. lib. 2. Phyſ. cap. 3. quod vti res naturales per materiam ſunt in potentia, ita per formam exiſtunt, & ſunt id quod ſunt.

Vnde operatio formalis cauſæ eſt, facere aliquid forma-

formaliter tale: sed cum morbi omnes qualitates sint, quatenus talia entia, & per suam existent formam: immò & accidentia solum sunt forma, cum materiam respuant. quæ, cum de eorum ratione sit in alio existere, per eorum itidem existent subiectũ. Quare proprium esse morbi erit eius caussa formalis, finis generationis, in quem actio vniuersę naturæ intendit. & hæc caussa ex Aristot. lib. 2. Analyt. ca. 12. sola & simul est cum re genita. Præter naturã autem dicitur morbus respectu caussarum particularium (vt diximus) cum hę casu, aut temerè agant, seu subiectum alterent. Quòd si actio & motus naturæ concedatur in morborum generatione (necessariò verò concedendus) necessariò itidem & caussam efficientem admittendam censemus; cum hæc ab actione denominetur efficiens, & sit physicè primum motus seu actionis principium. Hæc caussã vnicè obseruatur à cunctis Medicis methodo rationalĩ vtẽtibus in omni morborum curatione. quippè tenetur quamprimũ eius infringere vim, actionem impedire, compescere motum. hac namque operante, morbi sanatio nulla: cum habilis semper, aut eundem de nouo creare, aut factum amplius fouere, & conseruare, aut alium mox priori peiorem geminare morbum.

Caussam hanc efficientem Medici appellant non illud solum vnde principiũm motus (cuius operatio per se transiens, & terminatur in eum quem producit effectum): verum etiam quidquid siue simpliciter, siue primò & per se, siue secundò & per accidens, siue vt instrumentum, vt lib. 1. de loc. affect. ca. 2. Galenus dixerat, id omne, inquam, quæ rei efficiendæ operam præstat, caussã efficiens vocatur.

Cæterum de hac efficiente caussa nec leuis dubitatio exurgit, quæ trepidationem, & magnam sanè in animis Medicorum excitauit dubitationem, an actu in morbis inueniatur. Explosis multorum nugis, Galeno præsertim Medicorum asylo, ac veritati pariter cohærens, negantem tueor partem. Si namque morbus affectus, res facta, ac permanens, necessariò omnem excludet motum, necessariò & omnem efficientis caussæ vim ac actionem. Eo enim à patho distinguitur, affirmante Galeno lib. de sympt. different. ca. 1. quod hîc res sit in fieri, & in motu, in se & actionem & passionem includens: morbus verò res facta iam, per se motus terminus, in quem ipse finitur. idem dilucidè & lib. 2. meth. c. 3. Ipse prius idem scripserat Arist. lib. 8. Phys. c. 7. cum alterationis terminos affectus, & cõtrarias qualitates assignet, nequaquam res alteratas. Quare cum morbus propriè sit affectus, vt cunctis sit dubitandi locus præcisus, & reapse qualitas, per se terminus erit actionis & motus, nullatenus res mutatæ, vt perperam doctus Fabius Pacius com. in lib. 1. methodi cap. 9. de morb. nat. asseuerat. Morbus itaque affectus ex affectione relictus, seu ex motu, quo actu iam existente, omnino ille cessat, & pariter eius caussa operari: qui rursus in sui ratione permanentiam includit, ab alio haudquaquam dependens. si igitur morbus motum omnem respuit, ergo & motoris actionem, & omnem efficientis caussæ vim, actu efficiendo. Omni itaque actu efficiente caussa priuantur actu morbi. Sententiâ digna cedro. quamuis in Senatu posteri-

steritatis etiam à quibusdam improbè sugilletur.

Hæc nos quadam præmissa distinctione, tum morbi, tum caussæ efficientis facilè exoluemus. Morbus igitur vel talis absolutè vocatur, & est, vel cum adiectione fiens dicitur, qui pathos potius appellandus. Efficiens præterea caussa vel dicitur talis, quia actu efficit, vel quia factum iam & fouet tantum, & seruat. Suppositis his inferendum, morbum absolutè dictum omninò excludere caussam efficientem vt efficit, ceu res iam facta, ac permanens, nullam habens dependentiam in fieri à sua caussa: benè tamen admittere aliquando conseruantem; quales præsertim sunt morbi in numero addito, aut in figura, & cauitate: quia hi sæpè caussam habent coniunctam, affectum seruantem, aut nouas acquirunt partes per quas seruetur ille, ac augeatur, nequaquam de nouo fiat. Porrò morbus cum adiectione, cum necessariò fiens, necessariò & actu habebit efficientem caussam vt efficit, & citimam; quam licet etiam nobis continentem appellare, quam expungit omnino morbus absolutè dictus, repellens vnà omnem motum, quia terminus motus, in quo perpetuò quies adest. Quare morbo tantum debetur curatio, & simplex, cum ab omni abhorreat caussa: fienti verò προφυλακτικὸς, seu præuisio, quia hic in suis visceribus caussam continet efficientem, vt efficit. præuisio solam respectat caussam, vti curatio solum morbum. quando morbus vtrumque amplectitur, quid factum habens, & adhuc fiat, mistam tunc, ceu innominatam, vt retur Gallenus lib. Artis Med. cap. 88. requirit curationem ex

idem principium, seu semen, duplex exercet munus, sit opifex & efficiẽs caussa, & materialis itidem, ex quo insito homo fit, etiam inuito Aristotele li. 8. Metaphys. ca. 4. & alibi. parcat mihi modò Naturæ genius, in rebus physicis non parum aliquando trepidans. Verùm facilis responsio, cum longè lateque sit verum, morbum accidens esse, affectum videlicet, primam qualitatis speciem, necessariò & carebit materia. nam si materia est principium patiens, ex Arist. lib. 5. & 7. Metaphys. ca. 24. & ca. 8. ex quo tanquam ex insito aliquid fit, haud dubiè illa non parum ab accidentium natura distabit: cum tantum habeant subiectum, per quod existant, & cui inhęreant. quę inhæsio per aptitudinem, quamuis sit de ratione formali accidentium, ex Angelico Thoma lib. 4. sent. q. 12. art. 1. tamen materia illa secunda, seu subiectum ab extrinseco illis est. quod innuere forsan intendit Galenus lib. Finit. Med. dicens, quod accidens sit corporis expers. nullatenus enim includitur illud sub illorũ ratione formali in essendo: etsi ex eodem Arist. lib. 7. Metaphys. cap. 8. definiantur illa per additamẽtum, & substantiam, non quod hæc includatur in conceptu formali definiti, sed quia pertinet ad eius perfectam cognitionem. vnde non possunt vllatenus definiri accidẽtia, nisi per subiectum. Quare nulla ratione morbus in sua ratione formaili caussam materialẽ admittet. ergo neq. humores impacti in ipsa obstructione morbi sũt materia, imò caussę cõiunctę subiectum. Neq. analogia anthropogomię quicquam cõcludit. cum horum diuersa sit ratio. quia cum huius generatio sit substantiæ, potẽs quidem est idem semen ob eius diuersas partes generatricem vim obtinere, mox

per alteras subiici vt materia. quod nequit adesse in accidentium generatione, cum omni ex parte hæc materiam vt caussam respuant, non vt subiectum. tantum enim abest non inhærere quod secundum naturam subiecto indigeant ad existentiam. quamuis ordine ineffabili, seu vt Philosophi dicunt, per potentiam Dei absolutam, etiam citra subiectum existere possint; vt videre est in sacrosancto, & œcumenico Eucharistię sacramēto, in quo ineffabiliter accidentia citra subiectum existunt, quantitate habente tantum subiecti rationem. vnde in illorum ratione formali ne quidem includitur subiectum, cum queant & citra illud esse, & existere. Concludamus itaque morbum, vti omne accidens ex Aristot. lib. 8. Metaphysicorum cap. 5. cum sit forma simplex, non habere materiam ex qua fiat: sed tantum in qua fiat & insit. hinc morbus corpus humanum, omnem videlicet eius partem viuentem pro subiecto habet. Et cum triplex sit huius corporis compositio, similarium ex elementis, organicarum ex similaribus, & totius corporis ex organicis cunctis: exurgit hinc & triplex subiecti differentia, triplicem pariter & morborum differentiā constituens. Quare sicuti morbus suum habet subiectum, corpus (vt diximus) humanum, in quo inhæret, nec suo frustratur, & morbi efficiens caussa, in quo existat, nec viuat est necesse; cum vt plurimum sint humores, inquorum quidem mole stabulatur & illa; vti & symptomata in functionibus insunt, quas functiones formales reipsa à temperamento non distingui arbitramur.

An can-

An continens causa in morbis, an tantum coniuncta.

CAP. XIII.

CVm doctores plurimi, etiam & classici morbos obseruassent materiales, nec vsum materię in ipsis exactè consequerentur, in varias, & distantes fuere distracti opiniones. quidam eam efficientem causam constituerunt, & hanc continentē pariter appellarunt, cum ea posita ponatur effectus, & sublata similiter tollatur. Alij nullatenus eam causam admittunt, sed morbum potius hunc coacti collocant in categoria substantiæ. Porrò alij morborum quasi elementum censent. vti tandem alij remotam potius causam, & in potentia vocarunt. Cæterum cum singulorum explorauerimus mentem, omnem hanc ceu vacuam, & elumbem reijcimus. neque sufficit modò verbis rem excludere, nisi vnà & ratione singula conuellamus. quo pręstito vera facilius multò stabit opinio.

In primis itaque audiendi illi non sunt, qui materiam causam efficientem & hanc continentē statuunt. & ratio facilis, quia materia (vt superiori capite dictum est) potius subiectum causæ efficientis. quid, quod & si hāc admittamus efficientē causam, nullatenus continentem censemus: cum morborū nequeat assignari causa continens: nec iugiter difficilis ratio. quia ex Auctore libro introductorij ca. 8. etiam ex Galeno passim lib. præsertim 2. meth. ca. 4. causa continens dicit actualē actionē seu effectionem, cuius effectus vnà in fieri totus: vti Sol

reapse causa continens dici:hæc è diametro naturæ morbi reluctantur;quia affectus, res permanens, & facta,& quiescente motu alterationis terminus, per se citra efficientiam causæ efficientis, vt efficit, existens. Neque illorum partes facit Galenus lib.1.de loc.affect.ca.2.Dum causam definit id,quo tangente afficimur, & quo separato cessat affectus. nam non proinde constituit causam continentem,quam Stoicorũ opinione definit Galenus libello aduersus Iulianum ca. 6. eorum quæ in generatione ipsa essentiam habent,nequaquam eorum quæ absolutè esse dicuntur.& cum morbi absolutè, & per se existant, quia affectus, vt eo loco, ac millies recenset Galenus: nullatenus continentem habebunt ipsi causam.eo verò de loc.affect.loco intendit Galenus exponere causam efficientem, quæ morbis fientibus competit;de quibus verum est affirmare,ea nos tangente affici nos, & separata simul affectionem separari,seu potius cessare. cuius verbi si vim æstimemus,etiam morbos factos poterit hæc sententia amplecti, quasi innuat Galenus ablata, & separata causa efficiente cessare etiam morbum, id est non vlterius fieri, quia cessat generatio eius,siue remoueatur omni ex parte vnà cum causa,quod propriũ est morborum fiẽtium, siue vlterius non procedat, etiamsi iam quod factum iam est ita remaneat, vt hectica, & hoc proprium est morborum absolutè dictorum, quorum pars nulla in generatione: & horum quidem alij ablata causa quamprimum, ac facillimè tolluntur:quia eorum conseruatio à causa iam non efficiente consistit. alij tantam habent soluendi difficultatem,vt diutius permaneant, etiã ablata causa.neque hæc verba tollẽda à Galeni textu

tu, vt perperam arbitratur Dodericus à Veiga in com. in citatum lib. 1. de loc. affect. sect. 2. cùm intendat eo loco Galenus demonstrare esse morbos aliquos, qui simul soluuntur cum causa, quales sunt omnes fientes, & ex factis aliqui: alios rursus qui etiam ablata causa nihilominus perseuerant, ita vt difficilè soluantur. Neque inter hos admittendi, qui asserunt partem dari continentem caussam, in quibusdam videlicet morbis, partim verò eandem in aliis denegant. ratio in promptu, quia morbi omnes, ex Galeno lib. 2. meth. ca. 7. vnica natura, ac simplici, ac essentiali definitione fruuntur. vnica inquam non homonyma vt aniliter censet Fabius Pacius com. in tit. primum Galeni meth. ca. 9. sed synonima, cum omnes qualitates sint, & affectus: affectus autem præter naturam primò lędens actionem. quamuis morborum differentiæ propter varius & distinctus rationes formales possint sub diuersis categoriis fortè collocari. quare cùm omnium vna sit natura, & in hanc conueniant vt sint affectus, ac res permanentes & absolutæ, necessariò & omnes causa destituentur continenti. Quid, quod, & curationi, quæ morbo tantum debetur nullus esset locus, redundans & methodus, vacua ab ipso indicatio. si enim ablata continenti causa morbi pariter soluuntur, vt nullum relinquatur eorum vestigium: potius præuisio, nequaquam curatio. quod absurdum affirmare. nam ablata putredine, adhuc relinquitur febris, indicans sui ablationē per contraria, & aduocanda adhuc methodus, vt de indicato deliberemus. Nec nos latet existere morbos, quorum esse in conseruando vndequaque à causa efficiente vna cum materia in qua existit de-

pendet, qualis inter reliquos dysuria ex lapide in vesica contento. verum affectus iste permanés quidem, etsi respectu existentiæ in sua causa conseruante magis consistat, quàm in ægrotantis corpore: proinde ablato lapide nullus relinquitur in corpore affectus. ratio est, quia lapis tantum afficit corporis meatum, seu solam superficiem instrumenti cauam, tribus constantem Mathematicis dimensionibus, propriam hercle instrumento cui inest morbus, passio viuentis corporis: non tamen afficit substantiam corpoream, & in eam permanentem aliquem ac diutinum affectum germinat. vnde ablato lapide neque in superficie aliquis seruatur affectus, sed libera cauitas, & morbus in totum solutus. Subministrat adhuc nihilominus & his methodus, testante Galeno lib. Artis Medicæ, ca. 94. quia cum obstructio adsit, affectus corporis, quidpiam illa per se indicabit distinctum à sua causa. verùm cum in morbis, à causa siue efficiente, siue conseruante sit incipienda curatio, & in hoc, ablata causa tollatur pariter & morbus, adnexa erit præuisioni curatio. Respuenda itaque in omni morbo continens causa, cum omnes in suo esse permanentiam includant.

Præterea expungendi veniunt, qui materiam, humores videlicet, quatenus efficiunt, causam appellant, quatenus subiiciuntur, morbum, quasi morbus sit humor in obstructione, lapis in vesica, stercus induratum in intestinis &c. & per consequens morbi hi substantia. Cæterum vt superiori capite diximus, morbi nec materialem habent causam, neque hi vllatenus substantia, sed intra legitimos Philosophiæ carceres accidentia potius, & inter accidentia qua-

qualitatis, affectus videlicet, altera qualitatis ſpecies, vt Ariſt. Galenus, & plurimi alij claſſici viri benè de hac re ſentientes philoſophantur. ſi enim ſanitas affectus, & qualitas, neceſſariò & morbus eius contrarium ſub eodem genere continebitur, quiſquilias igitur iſti nobis indoctè obtrudūt.

Deinceps ſugillatur aliorum opinio, elementa morborum materiam illam aſſerentes: quia elemētum minima eſt rei particula, quare & eiuſdem rationis cum re, cuius elementum. Sed cum materia illa ſubſtantia ſit, morbus itidem ſubſtantia. quod erit in priorum cœno reuolui.

Tandem conuelluntur & illi, qui materiam illam cauſam remotam morborum vocant, & hanc tantū potentia talem. Si namque illa remota, ergo aſſignanda citima neceſſariò, & immediata, quam omnem omnis reſpuit abſolutè morbus. nec potentia, quia ſi potentia tantum cauſa, ergo & effectus ſimiliter potentia. cum ex Ariſt. lib. 2. de Demonſt. ca. 11. cauſa potentia ſuum tantum effectum potentia gignat: vti & quæ actu eſt, ſuum etiam effectum actu: quia hæc ambo pari paſſu ſemper percurrunt. vnumquodque enim inquit Ariſt. lib. 7. Metaphyſ. ca. 8. & 9. ita agit, vti exiſtit. quare cùm actu morbus exiſtat, non habebit cauſam potentia, cùm producto morbo deſinat omnino eſſe cauſa & effectus. deficit autem cauſa actu, quia iam actu non producit morbum, cum ſit productus, & ſuis numeris abſolutus. vnde ceſſat & relatio, veluti & potentia, cum hæc nulla ſit ad rem abſolutam, & actu iam exiſtentem.

Sed ne diutius noſtram ac veram de hac re ſentētiam differam, tenendum cenſeo materiam illam,

à qua morbi materiales vocantur causæ quidem efficientis rationem obtinere in morbis tantum fientibus, quia in illa materia insunt qualitates, quę per se & primò, ac immediatè sunt morborum feraces. Exemplo rem deducam. caliditas præter naturam in sanguine concepta, dum musculum aliquẽ irrepserit, morbum immediatè in eo producit, calidam videlicet intemperiem: mox si eiusdem sanguinis moles ac substantia per inania illius musculi spatia se insinuarit, ita vt pars in molem attollatur, alterum connexum germinabit affectum in magnitudine. quare materia illa seu sanguis causa efficiens vtriusque morbi est actu, quando actu ipsi generantur. caliditas, illius intemperiei calidæ, tumoris, seu morbi in magnitudine, eiusdem moles, & quãtitas. Dum verò morbi facti iam sunt materia illa, ac vis eius efficiens otiosa residet, & vsus causę producendi cessat. quamuis aliquando, adstante illa materia coniuncta morbo, vis in ea conseruandi seruetur: cuius ratione dicitur causa efficiens conseruans, fouens, & affectus vehementiam augens à Galeno lib. 1. Epidem. com. 2. sen. 84. haudquaquam continens. Acutissimus Aristoteles accuratè hanc causam efficientem lib. 2. Analyt. ca. 11. ὁμόγονον vocat, seu germanam, aut coniunctam: quæ & eiusdem generis est cum suo effectu, & eadem ratione demonstratur. vt si causa agit, effectus pariter fiat: si factus effectus, idem & causa: si verò futura, nihilominus & futurus effectus. quia hęc causa cum simul tempore sit cum suo effectu, pari passu ambulat. Illustratur eclypsis Lunæ exemplo, etiam & ab eodem Arist. fit eclypsis, ergo interponitur terra inter Solem & Lunam: factus est iam, ergo interposita-

posita etiam fuit: futurus est eclypsis, de futuro igitur interponetur & illa. Cum itaque hæc homogona causa eo triplici dicatur modo, malè doctissimus Thomas Erastus libello illo, erudito sanè in viuam Comitis Montani Anatomen, eam ausus est continentem vocare, cum latius illa pateat, & caussa continens tantum dicatur de causa actu operante, & quæ iugiter effectum habet actu in fieri: rursus & principium motus est, inducitque effectui omnem suæ generationis partem, qualis Sol diei respectu. hæc cuncta longè absunt à morbi facti natura: cum ad eius esse & existere amplius iam nulla requiratur causa. ὁμώνυμος igitur non solum de illa continente causa dicitur, verum & de omni efficiente, dummodo coniuncta sit, & quomodolibet se habeat circa effectum, siue actu illa operetur, siuè iam à suo cesset opere, vel actione. hanc tantum Aristoteles à separata distinguit causa, vnde & duo solum summa causarum efficientium assignat genera. de homogona lib. 1. Analyt. cap. 11. disputat de separata verò sequenti 12. cap. Quare hæc caussa homogona, seu coniuncta, separatæ opposita, respectabit non effectum solum fientem, verùm & factum, ac futurum. vnde consequenter in morbis, cum facti ipsi sint hæc coniuncta causa respiciet & factum effectum. Materia itaque illa quæ morbo, ceu coniuncta adhæret; in locísque patientibus vnà colligitur, & homogona appellanda causa, vti itidem & coniuncta. Seruat autem adhuc, ac meritò sanè causæ nomen, quia etsi morbum de nouo non creet, neque inducat ei aliquam generationis partem, factum tamen illum aliqua ratione seruat, fouet, & sæpè solu-

tionis difficultatem præbet: abhorret tamen omnino à continentis causæ nomine. Stephanus Athenienſis inſignis & Medicus, ac Philoſophus, commentario illo doctiſſimo in lib. 1. Galeni ad Glauconem num. 6. poſtquam tria ſtatuerit genera rerum præter naturam, facientium, qualia causæ; fientium morbi; conſequentium ſymptomata. cauſas rurſus in alia tria diuidit genera, primitiuum, & proëgumenarum ſeu antecedentium, & ſynecticarum, quas coniunctiuas interpretatur Gadaldinus, ac doctè. nam συνεκτικὸς idem quod coniunctiuum, ac continens ſonat, ſiue continentia illa (vt ita loquar) conſiſtat in efficiẽdo de nouo, ſiue in tuendo & conſeruando quod factum eſt. cum igitur Stephanus conſtituiſſet morbum ſub genere fientium, nihil mirum ſi cauſam ſynecticam ſeu continentem appellet, cum horum ſit propria. quid quod & ſi fortè iam factum obſeruet, quatenus tuetur & conſeruat, illam admittet. ſi enim cauſam hanc quatenus tuetur, & ſeruat, ac fouet morbos, accipiat continentem, libenter & nos eandem accipimus. verum impropriè & καταχρηστικῶς, cum propriè dicatur de cauſa actu efficiente, cuius ſimul effectus totus eſt fiens, quaſi eſſentia huius cauſæ ſit in generatione, vt ſupra ex Galeno diximus libello aduerſus Iulianum ca. 6.

Hæc cauſarum cognitio expetitur quammaximè à Medicis, vt illis cognitis omni ſtudio, ac ſedulò eaſdem auerruncemus. Nam vti & virtutum, ac vitiorum cognitio, non per ſe optatur, ex Ariſt. lib. 2. ca. 2. & 10. Ethic. cap. 9. verum vt agnita, illas curemus ſerio nos exornent, hæc verò radicitus illicò deherbentur ne nos deforment, ac fœdent: pari

ratione

ratione & sanitatis ac morbi, cum sua causa.

De differentijs causarum morbos efficientium.

Cap. XIV.

OCcurrit modò, dum causarum efficientium experimus doctrinam, postquam continentem in fientibus, & coniunctam in morbis factis adiniserimus, harum causarum differentias exponere, & ad vnguem rimari. Causæ itaque morborum effectrices, quæ omnes à Galeno libro Artis Med. cap. 84. insalubres vocantur, etiam ex eodem Galeno lib. 2. de natura hom. sen. 5. lib. 3. de humoribus sen. 3. & lib. 1. Methodi cap. 8. duplici ratione se habent, aut enim externæ, aut à nobismetipsis prodeunt: has internas vocare licet, vti alteras προκαταρκτικὰς Grecè, προκαταρχούσας, ac προφάσεις aliquando, Latinè præincipientes, inchoantes, & manifestas: quæ itidem ex Galeno lib. de causis procatarct. ca. 1. & li. 4 de rat. vict. sen. 23. occasiones dicebantur à veteribus. De externis proprium construxit librũ Galenus, de quo modò diximus, nec negligendum.

Porrò causæ externæ in duplici itidem sunt differentia, aliæ necessariò operantur, quæ quamuis extrinsecus nobis occurrant, ineuitabiles tamen, ac necessariò alterantes, haudquaquam vt congenitæ. quales præsertim non naturales à Medicis appellatæ, quia nobis à principio nostræ generationis non insunt. verum etsi ineuitabiles censeantur, ac necessariò alterantes, non tamen semper lædunt, vti quæ simpliciter præter naturam sunt, quasi in medio ambigãt, vnde sępè sunt nobis secundũ naturã, ac vt

causæ salubres nos alterant. Dicuntur ineuitabiles, cum semper illis indigeamus, & fiant nobis salubres, vel insalubres. cum itaque de necessitate nobis occurrant, & corpus alterent, proinde & necessariò alterantia vocantur. de his diffusè Galenus lib. Artis Med. ca. 89. & Auctor libri Introductorij, cap. 9. quas senario claudunt numero. Aër primum sibi vendicat locum, mox cibus & potus, somnus & vigilia, excretio & retentio, motus & quies, tandem animi pathemata. Præterea aliæ sunt extrinsecæ, quæ tantum voluntate, aut casu efficiunt, non tamen necessariò, cum vitari possint, & citrà has incolumis quit seruari humana natura. Sub hac diuisionis parte continentur pariter illa cuncta sub senario complexa, non naturalia dicta, non in vniuersum sumpta, sed specificè: sub qua ratione vitare cuncta illa valemus. nam aërem vitare impossibile, hunc vel illum facilè: citra alimenta nequimus sanè animam & corpus vnà excubias agere, possumus tamen ab hoc vel illo abstinere, & sic de reliquis.

De his causis externis hæc duo obseruanda; primum, quod ex se morbos in nostro corpore non gignant, nisi quoties inopportunè, ac insalubriter adhibentur, nostrum alterando corpus vehementer, ac præter naturam. Secundò, quod omnis externa causa effectum producit, morbum videlicet, aut per se, & immediatè, aut per accidens, seu per aliud, mediante videlicet altera causa per se in corpore operante. Neutro ex his modo externa causa sumpta, testante Galeno lib. 5. de tuend. valet. cap. 10. ad remediorum conducit indicationem, sed tantum ad morborum sæpius perfectam dignotionem.

tionem. Omnis igitur causarum notitia à Medicis apprimè expetenda, quia etiam externæ, quamuis per se ad curationem nihil proficiant, ceu iam semotæ: conferunt tamen per accidens, quatenus perficiunt morborum dignotionem, quorum natura neglecta inanis curatio. nam dissimili arte curatur vulnus à causa incidente inflictum, vt ense, ac quod à causa contundente, vt fuste. non quod ensis, aut fustis quidpiam indicent, cum absint: verum diuersa morbi dispositio, à diuersis illis causis exorta, diuersa pariter remedia indicat. ad cuius dispositionis diuersitatis dignotionem ne peruenire quidem ius, quin seriò externa vulneris causa obseruetur.

Sed saltus hic insidet, & pedibus latens opponitur offensaculum. plurima ex illis quæ mox supra non naturalia vocauimus, tantum abest quod extrinsecè se nobis occurrant, quòd nobis potius interna, connaturalia, ac ceu proprietates coniuncti, moueri inquam, quiescere, vigilare, somnum capere, irasci, misereri &c. Ne igitur hæc inter externas causas recensenda: verum ab hoc labyrintho sic nos facilè expediemus. Procatarcticæ causæ propriè non omnes externæ, neque omnes præincipientes, sed dum nostrum corpus adeo alterant vehementer, vt iam ægrotet homo, vt refert exactè Galenus lib. de morb. causis. cap. 2. Etsi autem quædam ex illis non naturalibus propriè non sint externa, cum intra nos lateant, à quibusdam naturalibus principiis fluentia, non vt congenita, verum ceu necessariò consequentia, tamen propter hanc rationem, quia mox consequuntur, ac superueniunt, externa appellantur:

ad distinctionem illorum quæ à prima nostri corporis constitutione nobis insunt, & proinde interna. Rursus illa externa itidem vocantur, quia & manifesta nobis sunt, & ab altera identidem externa causa, tanquam primo principio concitantur. per quam rationem omnes externæ causæ προφάσεις seu manifesta accuratè à cunctis Medicis dicuntur: vti internæ à Celso in proœmio sui operis appositè abditæ, & ipso prius, ab Hippocrate lib. de Alimento, obscuræ.

Sed his explosis, ceu ad nostram disputationem futilibus, internas iam aggrediamur. Internæ itaque morborum causæ (quæ circa sex naturalia elementa versantur, temperamentum, humores, membra, facultates, spiritus, & actiones) appellantur illæ, quæ intra nostrum corpus constitutæ latitantes, & abditæ, malè, ceu præter naturam illud lacessiuntur, diuersos, ac varios ex Galeno aduersus Iulianum in eo germinantes præter naturam affectus. has omnes in vniuersum Græci προηγουμένας, Latini antecedentes vocant. Harum duplex constituitur genus, alterum sub vtraque lingua genericum illud nomen seruat, alterum contractius sumitur, & à Galeno itidem indifferenter variis condonatur nominibus, cum iam συνεχῆ, iam προσεχῆ, iam tandem συνεκτικὴ. hanc vltimam vocem Iustus Lipsius vir natus in gloriam huius nostri æui, dum Plutarchi sententiam interpretatur lib. aduers. dialogis. tum in cap. 2. lib. 4. polit. vertit coagulum, seu vinclum. doctè sanè. est enim quasi coagulum, ac vinclum ipsa coniuncta causa, quo morbus ipsi hæret: ita quidē, vt plurimi abiungantur, illa ablata. Hoc vltimū genus Latini pariter, proximam, coniunctam, vel coniunctiuam nomi-

nant,vti quæ morborum fientium auctor est continentem.quæ nomina illis prioribus Græcis aptè consonant. Consideratur hoc idem genus contractius,in quantum caussa efficiens interna primò,& immediatè suos actu producit effectus:veluti alterum,in quantum antecedit, & mediatè, seu per aliud,alterius videlicet causæ interuentu eosdem vel gignit, vel gignere parata est.

Auctor amplissimi illius operis de secretiore parte diuinæ sapientiç secundum Ægyptios libro 1. ca.1.etiam hanc causarum efficientium diuisionem admittit in antecedentem,& coniunctam: vniuersaque causarum quatuor illa genera sub hac contineri diuisione asseuerat,dicens,*siquidem constitutum est vno consensu eorum, qui in diuinis sapientia cæteris præstant, vniuersæ naturæ causas antecedentes, & coniunctas esse quatuor: Materiam, Formam, Efficientem, & Finem,reliquis nobiliorem.* Doctissimus Iacobus Carpentarius de re Medica, & omni sanè doctrina, bene meritus vir,sic húc locú interpretatur,ac vertit,appelládo iugiter causas illas antecedentes & coniúctas· omnis itaq; interna causa efficiés vel est antecedés, quia anteit,ceu primaria causa omnẽ affectuú præter naturá encyclopædiá, vel est cõiúcta,quia effectui cohæret. Prior illa antecedés in morbis immaterialib⁹,effectu producto statim abscedit,neque amplius causæ rationẽ habet.in materialib⁹autẽ idẽtidẽ factis,respectus efficiẽtis causę deperditur,in quãtú efficit, & fit causa cõiúcta fouẽs, cõseruans,vel augés. In fiẽtibus autẽ morbis hęc eadẽ efficiẽs causa antecedẽs cõtinẽs appositè quit appellari.quãuis Galen⁹li. Art. Med. ca.88.hác fiẽtem dispositionẽ (impropriè morbú)

antecedentem causam simpliciter appellet, tanquá futuri potius morbi causam. quia de ratione morbi potius est nulla habere fientes partes, cum ipse semper rem factam explicet.

Cæterum cum vniuersalis cognitio vsu fraudata, omnino suspecta sit. cum in disciplinis satis non sit illa generalis dignotio, sed in singulis exerceri simul, & vtrumque colligere: nam & Vulcani arte Pallas è Iouis cerebro prosiliit: hinc nos hanc vniuersalem causarum doctrinam vsu non fraudemus, sed exemplo lustrare contendamus. Ex hypothesi itaque constituamus Petrum febre putrida laborantem. hic morbus ex Galeno lib.11.Meth.ca.13. septem in se continet distinctos inter se affectus: cunctorum efficiens causa antecedens humor est in vasis contentus. hic namque quamprimum, vel quia multus, vel lentus, vel crassus (tres quidem modi causandi) obstructionem parat in eisdem vasis, morbus sanè in cauitate. hæc rursus, etsi morbus, rationem iterum continet causæ, & ventilationem prohibitam germinat. quod symptoma putrediné, ceu morbum parit, & hæc tandem febrem. In hac affectuum sylua, totius huius legionis dux & auctor, vti cunctorum horum malorum antecedens causa humor est in genere. verum quatenus hic idem humor actu fluit, & actu obstructionem efficit, iam huius fientis morbi continens dicitur causa: quia primò, & immediatè hunc actu producit effectum, cuius effectus esse in fieri consistit: consequentium autem effectuum nequaquá dicitur causa cótinens, cum cuique sua priuata sit causa continens, dum fit, & immediata. Verú quatenus humor ille, qui prius antecedens causa appellabatur fluxus iam est, & ab

eodem

eodem parta iam vndequaque obstructio, citra vllam ficentem partem, tunc temporis ille humor nec propriè antecedens caussa, nec efficiens vt efficit, multóque minus continens, appellandus: sed proxima, coniuncta, aut conseruans efficiens. Et quæ diximus de obstructione, de reliquis morbis subsequentibus hanc, idem censendum: nequaquam de symptomatis, quæ quidē & suas continentes caussas perpetuò obtinent, cum permanentiam non includant, morbos semper sequuta.

De morborum acutorum efficienti caussa.

CAP. XV.

LVstremus nunc operæpretium est, descriptis caussarum generibus, & expositis caussarum efficientium morbos ideis, quænam fuerit peculiaris caussa efficiens ipsorum morborum acutorum. cur videlicet morbi acuti periculum includant, concitationem maximam habeant, & breui morula cuncta morborum tempora discurrant, celeriter inquam, continenter, ac vehementer moti. Quod autem morbi acuti ob maximam concitationem, continuam, ac vehementem breues fiant, innuit diuinus dictator, dum lib. 2. Aph. sen. 23. decimum quartum diem vltimum horum statuat carcerem: demonstrat & idem nominis etymon, dum Græci τὸν νόσον ὀξὺν acutum morbum appellent. ὀξὺς autem non solum de sapore dicitur acuto, seu acri, verum & de sonitus quadam differentia, de ea videlicet quæ crebrioribus, & celerioribus sit motionibus, ex Arist. li. 5. de gen. anim. cap. 7. apud Mathema-

ticos rursus de illa anguli specie, quæ recto angulo, & cauo minor est, & angustior: breuioréque interuallo inter se lineæ distant iuxta conum, qualis est figura pyramidalis. Dicitur etiam & de tempore breui, ac veloci eius motu, vt videre est apud eundem Hippocratem lib.1. Aph. primo illo oraculo dum occasionem (in angusto præsentis temporis interstitio consistens) præcipitem, ac volucrẽ nominat. quibus verbis innuit haud dubiè huius temporis angustiam, ac eiusdem velocitatem, qua ipsa præsens citissimè captari indiget, in occipitio calua cum sit; & proinde diuinus Præceptor inquit, *ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, acuta, ac volucris occasio.* Dicitur igitur ὀξὺς de omni re volucri, celeri, ac breui, etiam ex Aret. citato loco. vti gladium acutum etiam vocamus, quod celeriter agit, ac pungit. quare morbum vocamus acutum, quẽ celeriter moueri conspicimus, & breui temporis interuallo, seu pressè finiri. Celeritas hæc caussam habet aut morbi naturam, vehementiam videlicet eius, ac magnitudinem, aut morem eiusdem, qui symptomata parit vehementia, ac sæua, & in acutis, vt plurimum à cacoëtha exoritur caussa. vnde acuti, & celeres, & periculosi. nã cùm Natura ferè sit comparatũ, vt ne quidem multum, ac diu dolere valeamus, hic affectus multus ac vehemens necessariò citam ac breuem habebit terminationem, vel in bonum, vel in malum. hoc idẽ tenet Galenus, & accuratè illustrat lib.2. Aph. sen.23. Nulla igitur est facultas quæ plurimum temporis vehementem ac vrgentem queat sustinere morbũ: neque vllus est morbus acutus, qui in longum tempus vllo pacto valeat crisim differre, cum statim ad summum percurrat statum.

Cæte-

Cęterum quamuis facultas ac vis dici crisis, Lunę tribuenda (vt supra diximus): tamē morbum concitatè moueri, & citò vniuersalia percurrere tempora, ne illi quidem adscribendum, cum synonyma adsit caussa. hanc replicemus. Supponamus quamprimū axioma illud Physicum: Vnde habent res essendi principium, inde & mouendi. rursus, cum essendi principium physicum sit ab efficiente caussa, quæ cum formali concurrit: cum forma principium efficiens sit, inferendum, quod ab eadem caussa erit mouendi principium. Quare cum omnes morbi acuti coniuncti materici, ab hac materie, seu efficiēte caussa suum habeant esse, existere, & seruari, necessariò ab eadem caussa & moueri fruuntur. Hinc apparet, quod cum materies frigida, pituita videlicet crassà, & lenta, cum lentè, ac tardè moueatur, similiter & morbi ab illa producti tardè, ac ignauè procedunt. calida porrò materies, tenuis, & acris cum contrà concitatè, ac velociter moueatur, germina itidem ab illa parta, pari passu ambulabūt. & celeriter, ac concitatè mouebuntur. Hoc idem & quibusdam & aliis Physicis principiis comprobare lubet. nam omne agens naturale synonymum semper ac per se generare intendit rem sibi similem in specie, cùm forma, quæ agens est, coincidat semper in idem speciecum forma, quę terminus motus est. hinc humor calidus, quamprimum ac per se in nostro corpore calorem gignet: vti humor qui cōcitatè ac velociter mouetur, producet pariter effectū, qui cōcitatè per se, ac velociter moueatur: qualis inter reliquos solus est humor calidus, & tenuis. Caliditas nàq;, cū inter reliquas qualitates magis acuta, & actiua, ex cōsensu Medicorū óniú ac Philosophorum; effect⁹ ab illa ꝓducti eādē imitātur naturā,

citatíque fiunt, & efferatæ velocitatis; præsertim si materiem tenuem, subtilem, ac siccam adepti ipsi fuerint. Frigida materies minus mobilis, minus agens, immò segnis, ob modum substantiæ crassæ, ac viscidæ, quam perpetuò habet comitem. inde effectus ab ipsa orti lento pede gradiuntur. Quamobrẽ, si morborum ideas contemplemur, morbi à materie calida subtili, ac tenui, vti à bile germinati, celerem, ac velocem cum sua caussâ habent motum, & acuti fiunt: qui verò à materie frigida crassa aut lenta, à pituita videlicet, aut melancholia, potius tardè procedent, ac segniter, & chronici occurrent. Hæc igitur est sol caussa per se morborum acutorum, materies calida, bilis, aut sanguis feruens.

Præter assignatam nuper caussam per se acutiei morborum, est & altera per accidens; & hæc rursus duplex: iam symptomatũ vehementia, iam caussa cacoëtha. Accidit enim morbis, quod à caussa efficiente per se non breui cõcitentur, velocésve fiăt, verum ab altera per accidens, quia aut sæua, ac vehementia inuadunt symptomata, aut maligna, ac cacoëtha efficiens occurrit caussa. à quibus vtrisque facultates omnes, principes præsertim labascunt, in maximámque deueniunt ruinam. testatur illud apoplexia, aliud verò pestilens febris. in apoplexia adest symptoma vrgentissimum, respirationis abolitio, à quo statim mors. in pestilenti febre cacoëthia summa, & excellens putredo, quàm primum, ac citissimè omnem cordis, ac spirituum vitalium symmetriam dissipans. Possunt hæc tria vnà in simplici ac proprio acuto morbo reperiri, & citissimam indicabunt terminationem, ac certam mortem. potest & altera tantum caussa, absentibus reliquis

reliquis:& tunc iuxta dignitatem cuiusque aut breuior aut longior magis, aut securior cõtinget finis.

Constat itaque ex his omnem acutiem, ac celeritatem per se in morbis acutis prouenire à natura morbi, quæ suam caussam sequitur antecedentem, vel coniunctam, humores videlicet, & hos semper calidos, cum ab his tantum, testante Galeno lib. 7. Aph. sen. 32. morbi acuti propriè trahant originem, vti à frigidis chronici, & à mistis inter illos medij. opportunè idem declarat lib. de diæta Hippoc. in morbis acutis c. 2. idem insignis Galenus, dum easdem morborum differentias assignet, easdem pariter & caussas. Idem rursus libello qui breuis denotatio dogmatum Hippoc. inscribitur, desumpto ex Stobæi codice, quo loco rem hanc sic eleganter definit, *Hippocrates lib. 2. de nat. hum. morborum, sen. 1. alios acutos facit, alios diuturnos, & alios medios. fieri autem ait acutos, vt plurimum à bile, & sanguine, ætate vigente, æstiuo, & verno tempore; diuturnos verò à pituita, & atra bile, & in senibus, & hyeme: medios autem à causis mistis prouenire.* Libro tandem 2. Prognosticon hanc eandem doctrinam appositè lustrat, his verbis, *Sanguinea* (videlicet fluxiones) *& pituitæ modesta habentur: quæ verò atra bilis, aut flaua difficiles censentur. vtraque enim derodit corpus, idque commune illis est, proprium verò vtriusque, flaua quidem bilis vt acutas accendat febres: atra verò vt solutu difficilem committat affectionem. siquidem humor, qui crassus, terrenúsque est, adeò infarcit membra, quibus conditus est, vt difficilius excernatur.* Occurrunt aliquot scopuli in hac sententia. in primis sibi ipsi videtur impar Galenus, cum morbos hîc ex sanguine ortos modestos vocet, cum in altera

acutos potius. Mox hic morbos ab atra bile difficiles solutu exponit, in altera diuturnos. a ratione enim est alienum, atram bilem, calidus cum sit humor, acris, & mordax, & acutorum ferax, diuturnos germinare morbos. Satisfaciemus contradictioni (si forsan est) dixerimus, Galenum hac vltima Prognostica sententia sanguinem æstimasse iuxta suum naturale esse, vel saltem parũ ab eo recedentem qui mitissimus cum sit caloris viuifici, ac halituosi particeps modestos, ac mites sanè producet effectus. verum si longe à suo temperamento recedat ille, aut in biliosam cõuersus naturam, aut putrescens, aut in maxima plenitudine redundans, iam tunc nec mites, nec modesti expectandi morbi verum acuti, ac vehementes, quid quod neque implicat contradictionem morbum mitem esse, & acutum: vt cum Hippocrate explanat idem Galenus lib. 3. Prognost. sen. 2. dum morbos acutos simplicissimos, mitissimos, ac placidissimos aliquos vocet signísque firmatos securissimis: maleficentissimos rursus, ac exitiosis signis, ac difficillimis alios morbos. Alteram facilè exoluemus, & primũ si priori loco de natura humana per atram bilem intellexerimus melancholiam, hæc enim sæpè confundũtur, & promiscuè accipiuntur, vt videre apud Galenum, tum Hippocratem, lib. præsertim 1. de nat. humana. quo loco hanc rem ex instituto declarant dicente Hippocrate sen. 34. *At atra bilis in autũno plurima.* nam si de pręter naturam fuisset loquutus, quorsum in aliis anni temporibs humores naturales augeri scripsisset? & quæ Galenus in comm. inteprętatur, haudquaquam queunt atræ bili præter naturam accommodari.

Porrò

Porrò dicemus (quæ altera erit expoſitio) bilem atram, heterogenea cum ſit, duplici conſtare parte, (barbarè Peramatus has partes in via, ac in termino ſignat) calidam, quam ex aduſtione adhuc ſeruat, & per hanc morbos parit acutos, ac breues, frigidam ac ſiccam alteram, ob cineritiam partem ac terream ab aduſtione ſimiliter contractam; per quam morbos longos, ac ſolutu difficilie proculdubiò germinabit. Hanc reſponſionem videntur luſtrare Galeni verba, dum inquit flauam bilē, & atram, per illud in quo conueniunt caliditates erodere noſtrum corpus. illa tamen quidpiam habet proprium febres accendere acutas, quia ignea: hāc verò difficiles potius ſolutu gignere morbos, quia ignea cum partium craſſitie: vnde malefici excitantur ab ipſa morbi, ſæui, ac funeſti, & cum tenaciter ob eandem craſſitiem membris hęreat, nec natura excernere illam potis eſt.

Tandem Auctor Introductorij morbos acutos à materia calida, ſanguine, aut bile exoriri perbellè demonſtrat; tum Ariſtot. parte 1. problem. probl. 6. idem videtur ſentire. Sed quid amplius in re nota immoramur? Optima itaque ratione ex tantorum virorum auctoritate fit palam ἐφοδον., ſeu inſultus breuitatē, & motus acutiem, ac velocitatem, per ſe à natura calidi, ac tenuis humoris, morborum cauſſæ efficientis haud dubiè prouenire: nec aliud intendimus, quam à natura morbi: cum amplectamur intra huius naturæ carceres cauſſam ſimul efficientem.

An ſola cauſſa calida ſit morbi acuti parens.

Cap. XVI.

QVæ superiori capite à nobis fuere exposita, experientiæ magisterio obniti videntur: cui multò minus quā rationi, testante Galeno lib. 10. de simpl. med. fac. c. 8. sero lact. fides adhibenda. Experimur igitur morbos plurimos & citissimè terminari promiscuè, siue à caussa calida, siue à frigida, siue à crassis ac lentis fiant humoribus, siue ab acribus ac tenuibus. A crassis, viscidis, ac frigidis humoribus apparet apoplexia, catus itidem, conuulsio, epilepsia, lethargus, voluulus, & alij quàm plurimi primam tetradam ne quidem excedentes, ob illorum exactissimam acutiem. Si igitur hi acutissimi ac breues, ergo acuties, ac velocitas motus aut à caliditate non procedit, aut omnis humor habilis ad eius productionem.

Verum præmissa distinctione facilis responsio. Morbi alij per se acuti, quod à sua caussa efficiente habent, bile videlicet, aut sanguine, de quibus nobis sermo: alij per accidens, qui non à morbi, aut caussæ natura acutiem, ac velocitatem possident, sed à grauitate, aut sæuitie alicuius symptomatis assidentis, vel pathognomonici. & ita per aliud sunt acuti. & cum illorum symptomatum ratione citò morte ęgrotantes præoccupentur, hinc eorum breuis terminatio. quod si aliquando, ac rarò ab ipsa vindicentur atropo, vltimos conatus præstat natura ad illius lethalis, ac funestæ caussæ expulsionem, sęuissimi germinis feracis. naturæ subministrat sæpè ars, cuius auxilio potenter subleuatur æger. Demonstrat hanc vltimam partem diuinus Dictator, tum lib. 2. Epid. com. 3. sen. 25. tum lib. 3. Aph. sen. 9. cum

9. cum Autumno morbos acutissimos fieri scribat. quos lib. 2. Aph. sen. 25. & Galenus in eius sententiæ com. longos potius denunciat. Si itaque longi, qua ratione vna acutissimi? discordes res. An quia ob implicatorũ symptomat. sæuitiẽ, qui ex sua natura longi erãt morbi, breui in inexorabilẽ terminãtur mortẽ? & qui fortè fortuna seruantur etiam diutissimè laborare experimur. Iustrat hanc nostrã expositionem idẽ Hippocrates, dum in vtraque sententia post epitheton acutissimi, statim adnectit & perniciosissimi, & exitiales: quasi manifestò insinuet eo acutissimos fieri autumnales morbos, quia perniciosissimi, & exitiales: non ex sua natura, verum per aliud.

Constat itaque ex his ex materia frigida, & crassa morbos per se diutinos exoriri, per accidens autem fieri breues. in apoplexia videre est à crassa, & viscida excitata pituita, frigida pariter, & humida. Hæc intemperiem maximam parat in cerebro, vnà & obstructionem in eius ventriculis. causa longum exigit tempus ad eius coctionem, morbi vtriusque natura similiter & diutinum, cum intemperies illa maxima, & obstructio, renitentia sint, vt breuiori tempori cedant. nec fas quidem, eo pręsertim si partis situm & conformationem obseruemus, temperamentum, ac substantię modum. Verum quia huic morbo forti præcipuè adnectitur grauissimũ ac funestũ symptoma in actione abolita, functione videlicet simpliciter ad vitã necessaria, respiratione inquam, sine qua animal impossibile est viuere. necessariò itidẽ, & quamprimũ accersitur mors: & quod diutinũ sperabatur, pressè, ac celeriter finitur. Insinuat hoc idẽ Hippocrates cũ li. 2. de nat. hum. sen. 5.

sic scribat, *Morbi quicunque ex valentissimo corporis membro ortum habent, vehementissimi sunt.* Quod per membrum valentissimum, princeps intelligat, nemo est qui inficietur, cum igitur partes hæ principes actiones habeant eiusdem rationis, sequuntur enim semper hæ operantis conditionem: quotiescunque hæc pars princeps læditur, actionem eius iugiter lædi necesse. & ad gradum læsionis partis consequens sit actionis læsio. Sed cum harum partium principum actiones, nequaquam ad benè viuendum, verum ad vitam simpliciter sint necessariæ, hinc maximam harum partium læsionem, maximam germinabunt & lęsionem in illarum excellentibus functionibus ad vitam simpliciter necessariis. maxima itaque functionum læsio, index morbi vehementissimi, si non per se talis, saltem tanquam causa, quod est per accidens. si morbus igitur vehementissimus, siue per se, siue vt causa, ergo breuis, & acutus: cum natura ingentem illam vehementiam diu sustinere nequeat.

Sit igitur totius huius disputationis symperasma morbos à causa calida ortos ex sua natura, ac per se acutos existere, ac breues simul. Sed cum quæ per se sunt talia, magis talia sint, quam quæ ex accidenti: proinde cunctis his morbis ab humoribus calidis obortis, sola ac per se competit acutorum ratio. Neque fas est aliam signare huius acutiei rationem, præter humoris, seu causæ caliditatem, vehementem, ac concitatum motum in suo effectu gignentē.

An morbi omnes acuti semper coniunctam habeant febrem: & si hanc, an semper continuam.

CAP. XVII.

Nec

NEc triuialis difficultas, nec omittẽda, an morbi omnes acuti febrem semper adnexam habeant, quod si hanc, an & continuam. Nihil moror nunc an morbum, vel symptoma illam constituere. Vtraque pars suam habet probabilitatem, & vtriusque Medicinæ Parentis auctoritatem. Affirmans quàmprimum, quia frequentissimus affectus febris, & à leuissima causa tam interna, quàm externa prosiliens. quid quod non solum acutos, verum etiam & ex magnis plurimos comitatur. si igitur magnos, quanto facilius & acutos: cum hi nostrum corpus vehementer afficiant, violenter alterent, velociter crucient, ac perniciosè sæpe ad interitum vsque. si itaque tanta est acuti passio, & febris generatio facilis, nullus citra hanc existere fit possibile. Sed febris expendamus naturam, & introductionis auiditatem.

Febris hostis est infensissimus, diligens, irrequietus, audax, temerarius, vitæque fontis auidus: variis artibus omnem depopulatur ætatem, omne callidè aggreditur temperamentum, æquo pede vtrumque inuadit sexum, omni tempore gliscit, per vniuersum rursus grassatur orbem, sæuiens ferociter, nemini parcit, etiam abdita, & abstrusa claustra penetrans, fœtum pariter in vteri ergastulo obsidens. quid plura? huius sæuam ac diram luem cum contemplarentur Romani (quamuis, ceu fide orbati, barbarè, impiè potius) huic soli, inter morbos reliquos, diuinos ac sacros tribuere honores, placabiles hostias in aris propriis, ceu numini immolabant assiduè, vt ab eius tyrãnide vindicarentur, propitiam, ac fautricem semper haberent. Quare obseruata hac febris natura, explorata propensione, euidens est,

apoplexiam inquam, conuulsionem, carum, epilepsiam acutam, catalypsin, voluulum ex fœcibus induratis, quid amplius commemorem? In calidis porrò & idem experimur, adest apoplexia ex diathesi phlegmonosa, seu vasorũ interceptione, morbus deinceps bilaris, cholera morbus dictus, hæmorragia copiosa à feruenti sanguine, sputum sanguinis ab erosione venarum, syncopes tandem à causa calida oborta, ingenti videlicet ira. Præter hæc, quæ vicem gerunt demonstrationis, lubet & clarissimis Hippocratis, & Galeni auctoritatibus illustrare. Ille nãque li. 1. Prog. sen. 25. hoc ipsum exserte insinuat, dicens, *Spirationis autem facilitatem existimari oportet per quam magnam vim habere ad salutem in omnibus morbis acutis, qui cum febre sunt.* Paraphrastes Galenus in com. interpretatur, quod illud, qui cum febre infestant, adiecerit, vt à conuulsione eos, & neruorum distentione, & bilari disiungeret, & quicunque alij morbi sine febre acuti sunt. Præterea idem Galenus vnà cum ipso Hippocrate lib. 5. Aph. sen. 31. concinit, cum laudet Hippocratis sententiam affirmantem grauidis quopiam acuto morbo corripi sit perniciosum, siue ille cum febre, siue citra eam: cuius generis, inquit, sunt apoplexia epilepsia, conuulsio, tetanos. Nihilominus & idem sentit tum libr. 7. Aphoris. sen. 1. tum libro 2. de diebus decret. capite 12. Tandem & Hippocrates in eodem videtur iterum stadio currere, dum libr. 1. Epidem. com. 3. sen. 3. dicat, *Sunt autem acutißimi, maximi, grauißimi morbi, ac præ cæteris omnibus lethales in continua febre.* hoc igitur loco non solum seiungit acutos cum febre, ab aliis citra hanc, verum etiam & hos qui cum fe-

bre, & hac continua infestant, acutissimos censet, grauissimos ac exitiales. Quid quod & impestilenti constitutione morbi adiunt febrem respuentes, vt videre est manifestò apud Hippocratem tum libro 1. Epidem. comm. 1. sen. 10. & 14. tum & libro 3. comment. 3. sen.55. Quare satis constat, non omnem morbum acutum febrem semper implicatam habere.

Tentabo contentiosum hunc funem componere,& rationem vtriusque partis replicare.& quamuis plura sint quæ in tam vberi re possim, parco tamen, vt in transcursu breuiter cuncta stringam. Ad instar itaque illam morborum acutorum diuisionem, quam superiori capite recensuimus in per se acutos, & per accidens, omnem exoluemus difficultatem, dicentes, quod illi semper habent adiunctam febrem, haudquaquam necessariò alij. rursum hoc vno flatu omnis dissipabitur contradictio, si forsan est, in vtroque Medicinæ parente. Nec, quia cum Hippocrate, & Galeno in cunctis acutis per se, febrem seriò semper admittimus, ceu ab ipsis inseparabile accidens; proinde à reliquis per accidens acutis, eandem omnino abstrahimus, cum persæpè & eandem habeant comitem, necessariò tamen non consequuntur. Nec difficilis ratio, quia morbi acuti per se calidam habent efficientem causam bilem, aut sanguinem: quæ intra venas contenta, si accendatur (quod vtrique humori facilè) aut putrescat, dum corpori fit præter naturam, synochum febrem, aut causodem aut dubiè gignet. Sin verò in priuatam aliquam illi humores decumbant partem, inflammationum fient auctores, quas cum supponamus maximas,

ximas, ex hypothesi, vt morbi acuti mereantur nomine, necessariò & febris consequens, maxima. Apparet istud in pleuritide, perineumonia, phrenitide, angina, ac reliquis eiusdem farinæ morbis. Ne videamur hæc ad libitum dicta, Galenum aduocemus, hic igitur libr. 2. Aphor. sen. 19. duplicem statuens acutorum morborum per se differentiam, sic inquit, *Duplex porrò est acutorum morborum natura. nam aut in solis humoribus accenduntur calidioribus, nullum certum occupantibus locum, sed æquabiliter quauis corporis parte genitis: aut parte quapiam affecta fiunt, veluti in pleuritide fit, perineumonia, & cynanche. Sed & morbos acutos febres ferè comitantur, velut continuæ. rarò enim sine febribus reperiuntur, qualis est apoplexia.* Ex hac sententia, quouis sole illustriori, elucescit abundè totius huius difficultatis explanatio. cum & affirmet à solis humoribus calidis morbos per se acutos exoriri: idq; duplici modo, vel intra vasa accensis, aut putrescentibus, vel extra potius. dum primo illo germinantur modo, tunc febres primarij sunt morbi, & continuæ sunt, cuius generis vtraque synochus, tum præsertim causodes. si verò altero modo, tunc febres symptomatis habent rationem, & pariter continuò affligunt. Deinceps, & admittit morbos acutos citra febrem, quales sunt qui per accidens, à causa frigida oborti, apoplexia, à calida cholera morbus, qui etsi à calida materia, febrem respuit, testante Galeno libro 1. Prognost. sen. 25. quia cum illa materies non moretur in corpore, nequit febrem accendere. in hoc enim affectu, irritata natura maximo cum impetu & per superna per os, & per

inferna per aluum deiicitur bilis, vnde illi nomen.

Tandem restat vltima pars exponenda, an febris quæ acutos per se comitatur morbos continua, an secus. Iuxta Galeni mentem continuam semper esse liquidò constat, tum citata nuper sententia libr. 1. Prognost. sen. 25. tum libr. 3. eiusdem argumenti sen. 10. lib. itidem 2. sen. 19. & 5. Aphor. sen. 31. libro 1. de rat. vict. sen. 8. libr. de diæta Hipp. in morbis acutis, cap. 9. li. 2. de diebus decret. cap. 12. quo loco & continuam febrem absolutè acutorum propriam censet, tum tandem & libr. 3. de difficult. resp. cap. 9. Præter Galeni doctrinam, adest & ratio idem confirmans. omnis morbus acutus præter breuitatem, & periculum, hoc vnum habet, quod continuò, citra dialemma aliquod nostrum lancinat corpus. Ergo febris, quæ hunc semper, ceu inseparabilis comitatur, necessariò & continuò affliget. Nam omnis morbus per se acutus aut febris morbus est, vt causus, & synochus, aut febris in eo symptoma, germen quamprimum productum ab eo, & tandiu perseuerans & consistens, quamdiu morbus quem sequitur, vt in angina, phrenitide, pleuritide, perineumonia: exoriente enim morbo vnà exoritur & febris, ceu pathognomonicum symptoma, & deficiente, vnà & ipsa deficit. Rursus febris nequit esse intermittens, cum distinctissimæ sit naturæ morbi acuti. nam illa diuturna ex sua natura, dialemmate fruens, citra periculum: opposita cuncta morbi acuti naturæ. Denique comprobatur illa consequentia Galeni doctrina, commentario in citatum nuper oraculum 31. lib. 5. Aphor. cum iis expressa litteris

teris ſcribatur ſententia, *Siue enim acutus cum febre morbus ſit, neceſſe eſt febrem continuam eſſe. talis enim eſt morbus acutus.* Quibus vltimis verbis hauddubiè inſinuat Galenus typum morbi acuti neceſſariò imitari febrem adiunctam. cum igitur ille continuò affligat, neceſſariò & febris continuò, vnà cum morbo, cuius eſt germen, affliget. quia cum inſeparabilis ab acuto morbo, pari paſſu curret. quod inſeparabilis, declarat Galenus libro 1. Aphoriſm. ſen. 7. ſi Græcum archetypum ſequamur, non fidem interpretis Leoniceni. ἢ τοὺς, inquit ille, πυρετοὺς τοὺς ἀχωρίστους τῶν ὀξέων νοσημάτων. quod verbo ad verbum redditum ſonat, *Et febres inſeparabiles morborum acutorum.* quid dilucidius? hæc autem inſeparabilitas non ſolum generi acutorum conuenit, qui per ſe tales, & ex ſua natura, verum etiam & cuilibet ſpeciei illius generis. non igitur proprietas generis tantum, verum & cuiuſlibet ſpeciei, ſub illo genere contentæ. nam quidquid conuenit generi, neceſſariò & ſingulis conuenit ſpeciebus. Nullum itaque tempus, in quo febris morbum acutum, cui accidit, non comitetur, ceu inſeparabile, ac proprium quidem accidens.

Cur acutorum alij cum febre, alij citra. & cur per ipſam fiat illorum aliquando ſolutio.

CAP. XVIII.

IN difficili, & ambigua diſputatione ſæpè accidit, vt exoluta parte altera, & quaſi iam in tuto

collocata, mox altera de nouo promat, è medio tollenda. Postquam itaque nuper capite superiori eluctauerimus difficultatem, quod morbi per se acuti semper habeant connatam febrem continuam, nequaquam alij: modò interest huius rei nos assignemus caussam, & an febris huiusmodi alicuius sit commodi ad illorum sanationem. Si rem exactè contemplemur, cum morbi omnes à sua caussa habeant esse, vti symptomata à morbo: certè acutorum febris, si morbus, à sua caussa, quæ necessariò calidus humor est, vti si symptoma à sua itidem caussa, quę morbus, & hic necessariò rursus caussam habens calidam, humorem videlicet calidum, consistet. Quare omnes morbi acuti febrem adiunctam habent, quia mediatè, vel immediatè ab humore exoriuntur calido, bile, vel sanguine: qui verò ab his non germinantur morbi, & per accidens dicuntur acuti, necessariò febri nō fruuntur: quamuis per accidens quidē aliquādo accēdātur. Astruit pariter & hāc doctrinam clarissimus Gal. lib. 2. Apho, sen. 19. dū postquā nominarit morbos acutos eos tantum, qui ex materia calida oriuntur, quasi hi solum, per se, ac propriè acuti: statim mox diuidit eosdem, in eos qui illam materiem calidam intra venas habent accensam, aut putrescentem, & in alios qui in quapiam corporis particula systrophicam parāt inflammationem. quo loco nulla de morbis à caussa frigida obortis facta est mentio: vti impropriè acuti. cum igitur materies calida habilis sit valdè, vt accendatur: & hæc duplici illa arte, vel inter vasa accensa, vel putrescens, exterius verò inflammationes concitans, morbos pariat acutos, necessariò & febrem, per omnes illos vtique modos. Longè distant

ſtant, qui frigidam habent cauſſam, ac materiem. Porrò & iſtud idem innuit lib. 1. Prorhet. com. 2. ſen. 50. cum Numenij filium apoplecticum affirmet, apoplexia non acuta, & calida laborare. quaſi velit ſignificare, ideo apoplexiam illam non fuiſſe acutam, quia non calidam. quod ſi acuta dicatur, per accidẽs potius, cum à materie frigida traxerit ortum. & per accidens itidem his contingat aliquando febris.

Humor itaque calidus acutorum materies, aut ſanguis eſt, & hic cum calidus & humidus, habilis ad putredinem, ob qualitates putredini obnoxias: aut rurſus bilis, tenuis humor, igneus, calidus & ſiccus, & hic quidem paratiſſimus ad accenſionem, quæ nec putredinem reſpuit ſæpè. putredo, & accẽſio cauſſæ febris neceſſariæ, ſi magnæ, quales in acutis, ex Gal. li. 1. de diff. feb. ca. 5. ergo in his neceſſariò febris, ab iſta cauſſa calida, haudquaquam à frigida. quia humor frigidus, aut pituita eſt, frigida, & humida, aut melancholia, frigida & ſicca; qui vtrique humores, & ob qualitates oppoſitas putredini, & accenſioni. tum ob modum ſubſtantiæ, cum aut craſſi, aut viſcidi ſint, vt pituita aut craſſi, ac terreſtres, vt melancholia; multo tempore indigent, vt vtrunque illud ſimul, aut viciſſim conſequantur. hinc ſæpenumerò, ſi humores hi morbos aliquos gignant, eorum, quos per accidens vocamus acutos, multò citius terminantur in perniciem, aut aliâs, quàm materies illa febrem efficiat.

Quod ſi nobis obiiciant bilarem morbum, acutum citra febrem, à bile, vnde nomen, ortum trahẽtem, Dicemus, quod nulla obiectio; & ratio, quia in hoc affectu humor quã primũ õni ex parte extra

corpus fertur, vnde inducias non dat, vt queat febris accẽdi ex illa materie. Nam ad febris facilem generationem requiritur ex Galeno citato mox lib. I. de different. feb. cap. 5. & lib. I. de comp. sim. gen. c. 2. non solum vt humor calidus sit, ac humidus præsertim, verũ etiam & in loco calido sit inculcatus, & stabulatus, vti in vasis; vt videre est in vtraque synocho, aut in parte inflammatione obsessa, in qua cum non diffletur humor, putrescit, & incalescit pars, & ratione societatis accenditur febris, cum ab illa quę prius incaluit, rursus & alia vicina calesiat, quousq; affectio ad cor ipsum perueniat. Hæc omnia longè absunt à bilari morbo: vnde & febris.

Cæterum si fortè acutus per accidens producatur, aut quia non vehemens, aut quia vires ægrotãtis valentes sustinere morbi tyrannidem, tunc vel à labore maximo, vel quia inculcatus in parte putrescit humor ille frigidus, accenditur quidem febris, qualis appaiet, nec raro etiam in huiusmodi morbis, & aliquando acutissima. Interfui enim Abbatissæ, quæ gracilis cum esset habitus, in prima senecta, tenuissimo victu assueta, temperamenti tamen frigidi, & sicci, obnoxia destillationi pituitosæ è capite, tandem postquam sacratissimum Eucharistiæ sacramentum assumpsisset, repentè apoplexia fuit correpta, per tres integros soles producta, citra vocem, ac sensum à primo instanti, ad interitum vsque. hinc post aliquot inuasionis horas, febre, & ardentissima sanè, exitiosè prehensa fuit, magna cum aliorum trium grauissimorum doctorum qui aderant admiratione. nec remediis vllis cedens affectus, ac maximis sanè, tandem animam sum-

summo Creatori reddidit. Hæc febris accidit morbo à caussa frigida, & non solum huic adiumento non fuit, verum vt omnes arbitrabamur funestiorē reddidit affectum; cum & sola febris per se sufficiēs esset ad interitum. neque istud summos illos Parentes latuit, cū lib. 1. Epidē. cō. 3. sen. 3. hoc idē videatur Hip. recensere, dicens. *sunt autem acutißimi, maximi, grauissimi morbi, ac præ cæteris omnibus lethales in cōtinua febre.* Hoc itaque loco non solum intendit Hipp. acutos disiungere febri connexos, à reliquis citra febrē: verùm & qui febrē continuā habent implicatam, maximos æstimat, acutissimos, grauissimos, ac exitiosos, quasi febris augeat multo magis illorum acutiem, ac vehementiam, & malitiam: tantum abest vt soluat. Galenus præterea in eius sententiæ com. haudquaquam à Senis recedit mente, immo cum illud interpretetur, *in continua febre*, inquit, quod quouis modo illa intelligatur siue continens, siue cōtinua peculiares suos percurrens paroxysmos, tam quę symptoma, quàm quæ morbus, ferè semper accidit, quod illa & acutiores, & grauiores multo faciat adiunctos morbos. Nec difficilis ratio. nam si à simplici continua vitæ periculum impendet, hęc eadem cum altero morbo complicata acuto, geminato periculo, lethalior, ac funestior quidem iste procedet.

Non ignauè obiiciet aliquis, quamuis verum sit istud in morbis à materie calida, haudquaquam in frigida, in qua plurimi acuti, & magni, si febris superueniat, tantum abest eos lethaliores reddere, aut grauiores, quod illis persæpè remedio sit. Iubet exemplis ex Hippocratis sacrariis oblatis rem lustrare, in primis lib. 2. Aph. sen. 26. dum febrem con-

uulsioni superuenire melius esse scribat, quam febri conuulsionẽ. rursus & lib. 4. Aph. sen. 57. *Qui à conuulsione, aut neruorum distentione tenetur, febre superueniente liberatur.* Mox & lib. 5. Aph. sen. 70. *Qui quartana corripiuntur, non admodum conuulsionibus tentantur: si verò prius tentati fuerint, superueniente quartanâ liberari.* eodem porrò lib. 5. Aph. sen. 5. Apoplexiam ab ebrietate excitatam febrem soluere indixit. Tandem & lib. 2. Epidem. comm. 5. sen. 7. (quod multò magis est) puerperis conuulsione correptis febrem Medico excitare imperat ad hujus affectus medelam. Priores illas aphoristicas sententias confirmat bis libro coacarũ prænotionũ Hip. num. 3. dicens, *Conuulsionem sanat exorta febris acuta, quæ prius non fuit: quod si prius fuerit, exacerbata* &c. rursus statim, *Repentinæ conuulsionis remediũ est febris, & alui profluuium.* Alteram porrò de quartana vindicante à conuulsione, & aliis morbis tuetur, ac replicat tũ lib. 1. Epid. cõ. 3. sen. 4 & 6. Epidẽ. com. 6. sen. 7. Galenus itidem per diuersa horum oraculorum commentaria eidem assentitur Hippocrati. Quare ex vtriusque sententia liquidò apparet, quod non solum non acutos morbos perniciosiores reddat febris adnexa, verum eosdem potius exsoluat, ac deleat.

Cunctis his Hippocraticis exemplis vnica respõsione erit satisfactum, dicendo, nos cum Galeno non loqui de morbis per accidens acutis, à caussa frigida ortis, quibus vtilis aliquando febris: verum de per se acutis, à caussa pariter calida germinatis, quibus iuxta illud Galeni lib. de succorum bonitate ac vitio, cap. 14. maligna fit febris, dicens, *Morbi acuti semper oriuntur à caussa calida, vnà cum*

mali-

malignis febribus. Malignæ autem ac funestæ fiunt his morbis febres, quia cum nullum ab his recipiant iuuamen, neque vllatenus queat emendari caussa, immo exardescere amplius, addito gradu ad gradum caloris; hinc & morbi vehementiores, ac lethaliores. Augetur itaque morbus noui sæuientis hostis aduentu: augetur iugiter ob eius tyrannidem, & periculum. diuersa frigidorum ratio; quia in his à febre emendatur caussa, sanatur & sæpè morbus. cum febrilis calor potens sit attenuare crassum, incindere ac lentum, absumere, ac per halitum digerere: intemperiem tandem, si forsan introductam, emendare. Nihil igitur mirum, si tot tantísque suffragantibus beneficiis, morbi huiusmodi eius præsentia exoluantur. oportet itaque ad palmam morbi reportandam fortiter dimicet febris aduersus humorem morbum efficientem crassum ac lentum, & potenter ad frigiditatem eiusdem caussæ, ac morbi simul expugnationem subire. Nec semper imitanda Natura, præsertim in ambiguis. nec omnia quæ licent, expediunt: testante diuino Apostolo. 1. Corinth. c. 6. & 10. Plurima enim sagax Natura mediis quibusdam inscrutabilibus, ac penè diuinis, per occultas, nec planè imitari possibiles vias, sua exercet munera; quod & stultum, ac omninò noxiū esset Medico imitari. Si igitur casus contigerit febrem morbo superuenire frigido, illud pro gratia habendum, haudquaquam eandem nobis excitare licet. aut expedit potius. Nec ad salutem illa semper, cum sæpè ad perniciem, vt plurimis experimentis, longóque vsu in hoc senatu posteritatis comprobauimus, præter illam Abbatissæ historiam. nec ardua ratio. nam

febrilis calor non est θερμὸν, familiaris, aut amicus, qualem curabat, & exoptabat Hippocrates, lib.5. Aph. sen. 21. in curando tetano per frigidam natationem, carnoso existente iuuene: verũ πολέμιον bellator, & lacessor. vnde maior fit noxa, & in toto corpore maior iactura ab isto in morigero, ac infenso hoste per dies septem (peracutorum terminus) quam à viuifico, & innato calore, amico ac familiari per septuaginta annorum spatium, vitę humanæ, iuxta concentum Dauidicum, psalm.89. fatalem carcerem. Absit itaque tantum facinus, hunc hostem in humani corporis ergastulo, ceu funestum intromittere. immò & fortè intromissum, vestigia oculatè semper insequi, ne sua immorigera qualitate, ceu alter Acesius lacessor fiat.

De mensium natura, & caussis.

Cap. XIX.

CVm nos vltrò procedere cogat consilij ratio, morborum videlicet acutorum curationem, cum mensurno fluxu implicatorum, aut hæmorrhoidum: consultò factum, nos compositoria impellente methodo, quam vti comitem facundam in hoc nostro progressu amplectimur, prius aliqua præfari de his, quæ eundem poterant remorari, & à recto deflectere. N que hæc methodus resolutoriã alteram respuit, to. us operis architectricem; immò ceu sorores consertis brachiis, modò pulcherrimos effingunt choros. Explanatis itaque prius, quæ ad morborum acutorum dignotionem spectabant, idque per quandam anacephalæosin, & quantum nostrum

ſtrum hoc patiebatur inſtitutum, fas erat modò, eadem proſequuta methodo, & quædam alia de natura, cauſis, ac differentijs diſputare earum excretionum, de quibus nobis in hac curatione morborum, habendus ſermo. Eſt igitur quamprimum exploranda menſium natura, mox & rimandę eorum cauſæ.

Deus O.M. in vniuerſa animantum natura, teſtãte diuino Coſmographo, Geneſ.1. duplicem conſtruxit ſexũ: alter præcipuus, ac nobilior, ex Ariſt. lib.1. de gener. anim. ca.2. extra ſe ſuã propagat ſpeciem, alter verò, & ignobilior hoc idẽ intra ſe præſtat, intercedente diſcrimine. quod quędã huius vltimi ſexus animalia tantum intra ſe concipiant, nõ viuificent, aut nutriant, qualia ouipara omnia, volatilia inquam & natantia cuncta, ex reptilibus itidẽ plurima. reliqua autẽ, & intra ſe concipiant, viuificẽt, & iuxta cuiuſque animãtis ſpeciem ad ſtata vſque tempora, & augeant, & intro nutriant. Inter huius notę animantia lõgè excellit humana fœmina, mulier inquam, cui, affirmante eodem naturæ Genio, Ariſt. li.3. de hiſt. anim. ca.19. prę cæteris, miro quodam artificio eius, cuius delitiæ ſunt eſſe inter filios hominum, exuberãs tributus eſt ſanguis, nectar ſanè viuificum, vt per mẽſes nouẽ, aut decẽ in vteri irriguo hortulo abundè, ac lautè fœtũ nutriat, alat, & augeat. hac enim tanta perculſus φιλανθρωπίᾳ ineffabilis artifex, maxima cũ prouidẽtia cũcta homini, ceu reliquarũ creaturarũ extremũ fuit largitus, nõ intra tantũ, verũ & extra. Solis igitur mulierib⁹ hos prębuit mẽſes, & copioſos, vt ijs intrò abũdè, & eiſdem extra in lac conuerſis, copioſè proprium enutrirent fœtum. Hinc Democritus re-

ferente Solino lib.collect.c.4.mulierem ſolam mẽſtruale appellauit animal.

Præterea pręter hunc vſum,& alia illuſtratur dote menſurnus iſte ſanguis,quod fiat materies , imò alterum ſit noſtrę generationis principium,ex quo vna cũ vtroque ſemine maris,ac fœminæ admirabile hominis corpuſculũ fabricatur,ſecus quã exiſtimauit Princeps Ariſtote. lib.1.de Gener.animal. ca.20.ignauè huius fabricæ materię arbitratus ſolum ſanguinem mẽſurnũ, vti artificem ſolum maris ſemen.In quo duplici ſanè errore verſantur, vnà cum Magiſtro fere omnes peripatetici,quos arguit diuinè Galenus Antiſtes noſter paſſim,ex profeſſo tamen libris de ſemine,in quibus,neceſſariis argumẽtis quiſquilias illas eliminat: veram ſentẽtiam, quam plurimi in hoc theatro poſteritatis & Philoſophi,atque Theologi obnixè amplectuntur(demptis quibuſdam in verbis iurantibus Magiſtri) demonſtratione pariter confirmat.Ille itaque eſt(vt ad penſum redeamus)diuini ordinis, ſeu prouidæ Naturæ ſcopus princeps,redundantiæ menſium in humana fœmina.

Verũ cum ipſa in vtero ſemper non gerat, poſtliminiò ad eius ſalubrem ſtatũ neceſſe fuit à ſagaci, ac prouida natura quoſdam fabricatos fuiſſe canales , hóſque ſimul,etiam & ſecundum naturam reſeratos, vt à ſarcina illa,ac humorũ colluuie,à qua ceu iã excrementitia premeretur haud dubiè , blãdè,ac ſenſim leuaretur , quod mediante iſta toto genere ſecundum naturam menſurna purgatione pæſtat. In hoc itaque conſiſtit natura , & eſſentia huius vacuationis.Quare prudenter factum, & admirabili ordine,vt per ſtatas , ac typicas periodos

riodos, per singulos Lunares consequutorios mẽses fluxus illi cruenti fiant, tributum à Seneca appellati: cum sensum hunc Lunæ, cui fœminæ subiiciuntur, per singulas lunares epochas reddant: Ancunulentas tunc vocat Festus lib. de verb. signi. quasi inquinatas.

Periodi mensurnę causa, non ad qualitatis sanguinis vitium, aut eiusdem copiam referenda, cum hæc nequat mensurnos illos motus, ex sua natura concitare: sed aut ad Naturæ vim, quæ certis, & statis legibus cuncta gubernat, aut ad sempiternos, & immutabiles motus Lunæ humorum præsidis. Hæc namque vti luminis varietate crescendo, ac minuendo emetitur mensem, ita & res sibi subiectas, fœmineas præsertim, & humores, firma eiusdem ordinis constantia moderatur, administrat. hinc ipsa plena, turget, ac exuberat in illis sãguinis moles, viæ vnà laxantur, ora dilatantur; insequuntur vt plurimũ inde mẽsurni isti fluxus, orbe plena testatur istud naturæ genius lib. 2. de Gener. animal. ca. 4. li. 7. de hist. eorund. c. 2. & 3. assidus pariter idem demonstrat vsus.

Porrò & moueri incipiunt menses in adolescentia, cum iam pubescere incipiunt fœminæ: quia tunc maior iam facta accretio, sanguis & in maiori copia redundat, & calidior fit, viæ itidem & canales ampliores. hæc ætas, iuxta Aristotelem lib. 1. de gener. anim. cap. 19. & 20. indicia exerit mãmarũm tumescentiam, libidinis titillationẽ, nouam lanuginis circa genitalia inspersionẽ, vnde pubertatis nomen: adiũxit Hipp. li. 6. Epi. com. 3. sen. 25. & cõ. 4. sen. 27. & aliud, hircescentiã videlicet, seu hircorum more vocem edere raucam. quã sentẽtiã dũ

interpretaretur Gal.lib.14.de vſu part.ca.7.hæc fatur, *Cum partes genitales intumeſcunt, & vox mutatur, grauiórque efficitur τραγᾷν, ſeu hircire vocat Hippocrates.* τράγος etenim hircus eſt animal, vnde metaphoricè etiam vtriuſque ſexus adoleſcentes idem Hipp.vna cum reliquis Græcis, τραγίζοντας, aut τράγους appellauit quaſi iam ſalaces, & coitum appetentes, tum ad inſtar hircos vocem raucam, & aſperam reddentes. Quod in hac ætate rurſum, alterũ iam claudente ſeptenarium, & ſanguis calidior, & maior copia, cauſa menſtrui fluxus efficiẽs, confirmatur ex Galeno lib.pręſertim 6. Epidem.com. 3. ſen. 25. dum Hipp. interpretatur ſententiam, *Cum venere vti incipiunt, aut hircire, ſanguinis profluuio laborant.* Galenus in huius oraculi commentario, ſic eloquitur, *Ac prius quidem, cum eſſent pueri, ſanguine copioſo abundabant, verum ratione incrementi non etiam pariter copioſo.* quibus verbis apertè innuit adeſſe magnum adhuc ſanguinis incrementũ in adoleſcentia, cum in hac ætate præcox augmentum iam ceſſarit, & inde ad ἀκμὴν vſq; ſenſim, ac paulàtim progrediatur Natura. Mox alterã definit cauſã, *Sanguis autem ipſis,* videlicet adoleſcẽtibus, *calidior eſt, propterea eius profluuio tentantur.* Calidior autem fit ſanguis, quia cõſequitur temperamentum illius ætatis, quam Galenus li.2.de Temp. ca.3. calidam, & ſiccam ſtatuit, propter autem ſiccitatem comitem acrior eſt, & qualitate maior, ſeu intenſior huius ætatis calor quàm puerorũ, cũ in his ob multã natiuã humiditatẽ calor benignior, halituoſior ac mitior, in ſubſtantia ac quantitate reliquis ætatibus multò maior. Quare adoleſcentũ sãguis acrior cũ ſit, ac tenuior, cõcitatius haud dubiè mouebitur, gliſcet, ac fluet. Luſtratur id

ipſum ab vtroque Medicinæ Parente,à Diuino Dictatore lib.6.Epid.com.3.ſen.26. dicente, *Soluerit autem & ſanguis emanans, frequentius autem perfectioribus id incidit.*Galenus in comment. *ſanguinem,* inquit, *profectò emanantem omnibus id genus vitijs prodeſſe ſapius iam didicimus: in infantibus autem de quibus ſermonem facit, ab initio neque ſanguis apparet,præterquam rarò.ideo & ipſe addidit,frequentius autem perfectioribus id incidit, hoc eſt ijs qui ſunt adultioris ætatis* &c. quales hauddubiè ſunt quibus hircorũ more vox ex acuta fit aſpera,rauca,grauior, atque ſuperior, ob inæqualitatem creſcentis arteriæ, vtroque ſexui proprium: quo tempore vnà & menſes primi ſolent erumpere fœminis, ſemen nouos pruritus gliſcere, mammas in altum attolli, lanugines circa pudenda pullulare.

Cæterum cum extra vterum fœminæ citius ſuum ſuſcipiant incrementum ipſis viris, ſecus quàm in vtero fiat. hinc citius cuncta illis apparent. Menſes non ſolum decimo quarto, epocha huius fluxus, & alterius ſeptenarij carcer, verum etiam & plurimis vndecimo anno iam effloreſcunt, hebdomadam cum tetrada amplectente, ad quas præſertim viri fuerint ingreſſi, aut temperamentum habuerint calidiorem, multóque ſanguine bilioſo ac feruenti redundantes.hoc oculata fide quimus teſtari, vti alteram enixam fuiſſe ante annum duodecimum. quidquod & Albertus Roſarius in Indice, leg. 1. in verbo matrim. puellam quandam refert nouenniam peperiſſe.Relinquo modò Indiæ populos Mandros,& Calingas, ſcribente Plin.li.7. de Nat.hiſt.c.2.quorum fœminæ 5.aut 6.anno in vtero habẽt,& ruiſus Æthyopum fœminas,li.de pla-

cit. Philos, referente Plutarcho in primis annis iam concipientes, quæ ceu vana, & futilia, reiicienda censeo. Hanc rem cum longo obseruassent vsu legum sanctores maturè in vtroque iure sanxere, vt ipsis prius refert Macrobius lib. 7. satur. ca. 7. Mulieres iā incepto duodecimo anno, ceu iam viro maturæ, ac nubiles, matrimonium contrahere queant. replicat hoc idem Collector Iuris Canonici, tū doctissimus noster Hispanus Didacus Couarruuias in Epit. lib. 4. part. 2. ca. 5. tum doct. Cenedo 2. part. & Martinus Ledesma. q. 60. art. 5. Viris autem secus accidit, quia his matrimonium interdicitur non completo decimo tertio. Quamuis scripserit D. Hieronymus epistol. ad Vital. puerum decennium compressa nutrice generasse, tum magnus Gregorius in Dialogis idem de nouennio. Et quod magis est ex sacris elicitur oraculis Salomonem decennium genuisse, Acham vndecennium. Geneb. chron. li. 1. Verum hęc vti rara à communi Naturę ordine ableganda, cum rarò contingentia sub legem non cadant.

Physica ratio quare feminæ viris, & citius extra vterum, & tardius intrò accrescant hæc est, quia humidiores illæ viris. humidū autē cum difficilè propriam recipiat, ac seruet figuram, facilè, ac citò dilatetur ac crescat, dūmodo calorē, ceu efficientē auctionis causam adiunctum habeat: proinde in vtero & difficilius, & tardius formationis sigillum recipitur, & exinde tardius aura intromittitur diuina, expectans absolutam organorū formationem: extra vterum verò cedente facilè humida illa materie citius dilatatur multò, citiúsque accrescunt & illæ, vt cum Plut. probl. 100. Arist. prius testatur sect. probl. 7. prob. 32. Porrò cū in prima illa ætate calor vigeat,

con-

concurrentibus vtrisque causis celerius multò crescunt, quàm viri. Ab augmẽto autem citius itidem ipsæ cessant, quia frigidiores. imbecillis namque calor nequit amplius ad maiorem auctionem materiem illam perducere. Hanc doctrinam apposité insinuat Diuinus dictator lib. 2. Epidem. sect. 3. sen. 41. his verbis, *Quod citius discretum & motum est, augetur rursus segnius, & in longius tempus.* Hoc idẽ rursus manifestius lib. de Septimest. partu. num. 8. Galenus itidem lib. 2. de semine ca. 5. nec non & Arist. lib. 4. de gener. animal. ca. 6. Doctissimus Petrus Iacobus Estene Valentinus com. in citatum nuper librum 2. Epidem. plurima tanto ingenio digna de isto recenset argumento, quæ nos modò breuitatis causa relinquimus, & eò lectorem remittimus. Sed ad menses redeamus.

Menses quolibet anno incipiant (quorum hæc prima epocha ab anno vndecimo, ad decimum vsque sextum) vt plurimum per septenarios quinque prosiliunt. quia natura quàm maximè septenariis gaudet. vnde si citius eruperint, & citius itidem absoluentur, quamuis tarò vltra quinquagesimum annum procedant, aut concipiant fœminæ. Varia autẽ est in his natura, ob varia fœminarum temperamẽta, diuersos habitus, & distinctas morbosas affectiones. Nam vti secundum naturã in puerili ętate non apparent menses, tum ob vasorum ac meatuum angustiam, tum caloris natiui obruitionem, ob magnam humiditatis copiam redundantem in ea ætate: similiter, si causa aliqua præter naturam huic similis accidat, aut nulli, aut tardè sanè, ac difficulter erumpent menses. rursus, vti vltrà quinquagesimum non apparent, in perpetuum iam

cessante muliebritate illa , quia iam protracta est tunc senectus, octauo ingresso septenario, natiuus calor etiam secundum naturam, ætatis ratione imbecillior, vniuersum corpus amplius exinde refrigeratum, humidúmq; natiuum magna ex parte absumptú, sanguinis laudabilis in hęmatoseominima generetur copia, fœculétus potius fiat, crassus, & ad motum ineptus: facultates naturales itidem languidiores, & ne quidem si casu superserit aliqua sanguinis copia, hanc amplius foras detrudere valeant. si hæc omnia fœminis, aut maior eorum pars ab aliqua præter naturam causa contingant, hauddubiè & menses accident, & plurimorum affectuum erunt auctores.

Huc vsque communiorem mensium causam nos assignauimus, Naturæ vltimus scopus, restat modò & alteram specificam replicemus, quæ ex fœminei sexus specifica natura dependet. Cum igitur omnis mulier, ex sexus natura, comparata ad medium totius substantiæ, quod homo temperatus est, si Galeno credimus, tum lib.2.de semine, ca.4.tū li.2. Aph. sen.42.48.69 (cuius respectu cuncta sublunaria corpora simpliciter dicuntur calida, vel frigida) & humidi ac frigidi sit temperamenti, ex eodem Galeno, & lib.14.de vsu part. & lib. aduersus Erasi. cap.6.7. Præterea cum hæc otiosè, ac delicatè viuat, sedentaria cum sit, nequit proinde omnem sanguinis quātitatem, ab hæmatoseo generatam ad nutritionem cunctarum corporis partium absumere. hinc redúdat maxima in toto corpore sanguinis moles, sarcina quidem Naturæ: quæ ceu inutilis, ac quasi orgasma grauissimorum affectuum esset feracissima, ni sagax Natura, seu diuinus impositus ordo, Sapien-

pien.cap. 8.qui attingens à fine vsque ad finem, disponit cuncta suauiter, aliquos prouidisset ductus, apertos formasset canales, per quos κατὰ φύσιν, blandè, & abundè omne illud exuberans per quandam quasi palindromen expurgaretur. quare hæc repurgatio sola, quàm maximè ius habet Naturæ, & multis commodis ipsam beat mulierem. contra, si aut vitio formationis, aut aliâs, ab aliqua præter naturam causa circuncidantur menses, dirè afficitur, vterinis affectibus lacescitur, grauésque alios patitur morbos: quod insinuauit eleganter Dictator summus li.coac.prænot.n.3.dicens, *Salutare est, muliebria non cohiberi. Nam inde veniunt epilepsia, diarrhœa longa, vt arbitror, nonnullis etiam hæmorrhoides.* quid quod & sæpè hæ, quibus secundum naturam, ætatis videlicet prouentu menses exciunt, & eisdem ferinis hystericis affectibus lancinantur, comitantibus aliquando & quibusdam funestis symptomatis.

Explicata modò quæstione an sit, & qua ratione sit, reliquum est iam alteram lustremus quid mensurnus iste fluxus sit, definitionem eius, ac naturam. Ex dictis elucescit palam. Est itaque menstruus iste sanguis, benignum ex Galeno lib.14.de vsu part.ca. 4. ac vtile excrementum, vltimi cunctarum carnosarum partium alimenti, quod statis periodis per singulos menses secundum naturam in moderata quantitate per vterum excernitur. Quidam, inter quos Andreas Laurentius vir doctrina, & fama clarissimus libr. 2. Anatom. cap. 10. huic definitioni addunt hanc particulam, ad animalis generationem, & nutricatum. verùm eorum pace dicam, perperam, quia hæc verba vltimis reluctantur, ab eis-

dem admissis. nam si excrementum illud per vterum expurgatur, nequit expurgati ad fœtus generationem, aut nutricatum, cum potius in vteri claustro esset seruandum, mulieri sane molestissimum, cum non semper in vtero gerat, & semper indigeat typicè illud repurgare. Rursum & expurgatio illa esset præter naturam, cum contingeret illa foras expulsio præter naturæ vniuersæ scopum, affectantis generationem, & nutricatum. Quare cum finis priuatæ naturæ, huius videlicet, vel alterius fœminæ sit, hanc, & illam à colluuie redundantis sanguinis liberare, optima ratione illa verba superuacanea censenda. Per accidens itaque particulari naturæ contingit fœtum ex illa materia generari, mox nutriri. quamuis per se condonetur Naturæ vniuersæ, exoptanti hac arte speciem seruare hominis. & ita, vt consequatur scopum, appositè fœminam construxit temperamenti frigidi & humidi, delicatam, & laborum impatientem, vt valeat ita copiosum sanguinem gignere, ac diu seruare redundantem, vltra nutricatum singularum eius corporis partium carnosarum, & hæc redundans portio materies fit huius secundum naturam excretionis.

De discrimine excretionis mensium secundum naturam ac præter naturam.

CAP. XX.

OMnis excrementorum vacuatio aut secundũ naturam accidit, aut præter. illa propriè Naturæ opus, hæc symptoma, & effectus, seu morbi germen. Verum cum aliquando hæ actiones non mini-

minimam inter se contraxerint similitudinem, ac quandam simul affinitatem, quispiam facilè functionem naturæ iudicabit symptoma, aut symptoma, functionem κατὰ φύσιν. Quare omni studio, & solerti diligentia vtrunque dilucidè oportet distinguere, ne rem noxiam & præter naturam in humano corpore pro naturali seruemus, aut contra rem secúdum naturam ceu noxiam abigamus. Hoc munus longè, multúmque præstitit diuinissimus Galenus tum lib. de sympt. different. ca. 6. tum lib. 3. de caussis eorundem. ca. 2. Cæterum quamprimum obseruandum, hoc discrimen ab excretis haudquaquam petendum genere, aut rei substantia quæ excernitur quantitate, aut qualitate secundum naturam, aut præter: quia excretum quit tot genere, aut qualitate, aut quantitate præter naturam esse, nequaquam excretio eius farinæ: sed Naturæ potius opus. vt si lapis, robore naturæ à vesica foris expellatur: bilis itidem æruginosa, aut vitellina ab eadem natura foris, aut per vomitum, aut aluum excernatur: sanguis tandem sola quantitate exuberans (res quidem toto genere secundum naturam) vel per nares, vel hæmorrhoidas, in tempore simul debito vacuetur, expellente pariter natura, quod sibi oneri, & molestiæ, idque cum conferentia, & euphoria. tunc hæ cunctæ excretiones, ac symptomata quidem absolutè vocandæ, & præter naturam res, cum à læsa actione non fiant, immò opera dicendæ naturæ, cum ipsa benè, ac fideliter operante prosequantur. Porrò potest nihilominus excretum aliquo ex prædictis modis secundum naturam contingere, excretio tamen erit præter naturam. vt in profluuio menstruo apparet, tum

in iſchyria, & aliis affectibus. in his enim actionibus, quamuis excreta ſecundum naturam ſint, ſanguis,aut vrina: tamen quia in his excretionibus facultas operans læſa eſt, potius præter naturam dicentur illæ, ac ſymptomata. Hæc itaque ſtudioſè exploranda, & acri ingenio cuncta rimanda, ne in errore verſetur Medicus, tum in dignotione affectuum, & prognoſi, tum in eorundem curatione. ita enim hæc ambo cohærent, quod iuxta diuinum dictatorem lib.de Arte, tum clariſſimum Galenum lib.1.ad Glauc.ca.1.& lib.1.de aliment. facul. ca.7.eiuſdem ſit noſſe, & curare; ſeu quod ſufficit ad cognoſcendum,ſufficit quidem & ad ſanandum.

Accurata itaque harum excretionum diſtinctio, quæ ſecundum naturam fit, ab altera quæ præter, ex Galeno petenda lib. de differ. ſympt. cap.6.quaſi, quæ ſecundum naturam, in tempore tantum fit:ideſt confert,&facilè fertur:quæ verò pręter naturam,oppoſitè ſe habet. Et ſi lubet aduocare Hippocratem,hic ipſe eandem luſtrat ſententiam,dum lib.1.Aph.ſen.2.ſic effatur, *In turbationibus alui, & vomitionibus ſpontinis ſi qualia oportet purgentur,confert, & facilè ferunt.* Rurſus idem repetit vltimo oraculo eiuſdem ſectionis,quod Galenus connectit, ceu altera pars,cum altero prædicto. Et tandem idē amplius,eodem libro ſen.23.dicens, *Quæ vacuantur multitudine metienda non ſunt, ſed ſi quæ oportet vacuentur, & facilè ferant.* In quo oraculo non ſolum Hippocrates qualitatem excreti obſeruandam eſſe docet,verum & quantitatem, cū ſtatim ſubiungat, *Atque vbi ad animi deliquium educere conuenit faciendam,ſi ægrotus par eſſe poſſit.* Cuius rei hæc vnica poteſt aſſignari ratio,quia ſi vacuationis quantitas

tas non respondeat copiæ humoris redundãtis, vacuatio illa non conferet, neque ægrotantes facilè ferent, quia non leuantur ab onere: vti si vltra modum fiat, neque conferet, neque ferent; quia natura copiosas non sustinet vacuationes, & nouo mox germinato affectu, non conferunt. Quare priores illæ vacuationis conditiones, stata regula in vtraque valetudine seruandæ. quamuis in secunda, non hæ solum, verum & excretum vnà æstimandum, ex diuino dictatore, cum dicat, *multitudine metiendum non est, sed si vacuetur quale oportet.* quid quod & ad priora hæc quit reduci. nam si non vacuetur quod oportet, & quantum, nec conferet vacuatio, cum non alleuetur morbus, neque ægrotantes facilè ferent, hoste adhuc relicto, à quo infligitur natura.

Illud igitur Galeni in tempore, haudquaquam occasionẽ insinuat, aut fortè aliquod morbi vniuersale tempus: etsi reductiuè potẽs istud significare. verum illud potius, quod ex Hippocrate, & Galeno interpretamur conferentiam, & euphoniam. quod vtrumque contingit, vacuata quantitate, & qualitate molesti, citra vllam functionum noxam. hoc enim herclè fieri in tempore. quemadmodum enim quæ prudenter ducta, optatum & felicem consequuntur finem, in tempore facta censentur: pari ratione, quando Natura ipsa in opere aliquo prudenter se gerit (prudenter autem opus suum semper prosequitur, ceu diuinus ordo, ni impediatur) & finem pariter quem intendit optimum consequitur, in tempore operari à cunctis dicitur. Quod autem nuper reductiuè diximus affirmari de occasione, seu de opportuno morbi tempore, in quo absolutè cocta iam materie, criticè

quod in corpore fuerit relictum. Nec cogit vnquam redundantium humorum multitudo, cum adsit aliud maximum ac præstans auxilium, placidè, tutò, ac citò etiam, valens eandem tollere, cui suffragantur clysteres, ligaturæ, frictiones, cucurbitulæ, ac inedia tandem. Sed de his alibi.

De mensium secundum naturam quantitate per singulas typicas periodos.

CAP. XXI.

INtereſt quam maximè acri quodam ingenio quantitatem menſium ſecundum naturam explorare. quia hæc vti cynoſurá ſe habet ad quam flectenda omnis totius huius libri primi, methodi ratio. Ignorata enim, aut neglecta potius huius fluxus ſecundum naturam quantitate, in difficiles mæandros haud dubiè perducetur curatio. Nam hac oblita, nequit relinqui de ſuperflua materie, quantum naturæ fuerit opus ad eius munus. vnde ſubſequetur plus iuſto imminuta futura illa vacuatio, ſi itidem plus iuſto per venæ ſectionem ſanguinem extraxerimus, deſtituta natura ſufficienti materie. rurſum neque intelligemus nos, anſit materiei depoſitio naturæ operanti committenda, & an illa ſatis copioſa vacuatio, ad deponendam omnem humorum redundantem vbertatem. quæ omnia ſeriò æſtimanda conſulit Galenus noſter lib. 9. methodi, cap. 5. in curatione ſynocharum, ſeu earum nomine reliquorum acutorum morborum habentium menſurnos fluxus con-

que degunt. frigidi enim loci fluidi sunt: calidi verò sicci, & stabiles. Quod in hoc insigni oraculo nostrum prosequatur institutum Hippocrates, methodum videlicet tradat, ex artificiosa coniectura petitam, qua defectum, vel copiam, proprium cuique mulieri secundum naturam, metiri possimus, aptè verborum, series declarat, tam præcedentium, quam subsequentium, si ingenuè rem quisque explorarit. Verum rem per singula capita exponamus.

Adest quãprimũ mulieris tẽperamẽtũ, hoc si vniuersale sexus æstimemus omne ex Gal. 2. de sem. c. 4. & 5. frigidũ & humidũ, sed si latitudinẽ huius sexus tẽperamẽti obseruemus, cõstituentes pariter in hac latitudine medium, alterum, huius medij respectu, calidũ, alterũ potius frigidũ, humidũ rursus, aut siccũ appellabimus. Mediũ istud medio modo se habebit, iuxta quantitatẽ, in reddendis mensibus: & quo magis recedẽt tẽperamẽta ab hoc medio, ceu intẽperata, valdè minorẽ etiã reddent copiã. nã quę tẽperamẽti sunt frigidissimi, aut calidissimi per distinctas, & oppositas rationes formales, quã minimo fruũtur sanguine, & per cõsequẽs menses exigui prosilient.

Deinceps ætas repetenda, nam adolescentia, inter reliquas menstruatas, cũ maiori sanguinis copia redundet, & copiosiori gaudebit fluxu. Mox iuuentus, in qua adhuc sanguinis, tenuis simul, & biliosi seruatur dominum. in altera quæ cõsistens est, ceu iam magis recedens à primordiis generationis, quasi iam decrescit sanguinis copia.

Habitus porrò obseruandus, qui vt plurimum tẽperamentũ consequitur, ceu strues corporis, ex Gal li. de rat. vict. sen. 47. habitus itaq; crassus, ac obesus & minima pollet sanguinis copia, & exiles cõtinet venas: quia frigidi tẽperamẽti. vnde & quam mini

mũ dimanat iis mẽstruum. habitus autem carnosus, cuſarcõ corpus, venas iugiter habẽslatas, ceu tẽpera menti calidi, & humidi ſoboles, & ſanguinis copia abundat, & menſiũ ſiccũ & gracilẽ habitũ habẽtes, medio modo ſe habent, niſi venas inſuper latas cõtineant: nã in iis maxima coaceruatur ſanguinis redundãtia, cũ corpus quã minimũ nutriatur, & menſes apparẽt itidẽ plurimi, ac vberiores. Victus rationẽ certũ eſt cõſtituere priuatã quandã differentiam quãtitatis menſiũ. nã, quæ lauto vtũtur cibo, & boni ſucci, in cunctis etiã ad victus rationẽ ſpectantibus medio modo ſe habent, circa ſomnũ, & vigiliã, motũ & quietẽ, tũ animi pathimata, haud dubiè & plurimus his aceruabitur ſanguis, & huius ratione plurimus & menſurnus fluxus. contra, quæ inedia corpus abſumunt, aut praui ſucci alimẽtis vtũtur: in reliquis pariter extremè ſe habeãt, vtrũq;, minimũ fiet. Medio modo ſe habent, qui & medio itidẽ modo, in cũctis, quæ ad victus rationẽ ſpectant, procedũt. Quæ de victus ratione diximus, & idem de vitę ſtatu cenſendũ. nã valdè exercitatis, ob laborẽ ingẽtẽ cõſumitur ſanguis & menſes ferè circũciduntur. otioſis ac ſedẽtariis cõtra accidit: quibus ſtatus vitæ medius, medio in vtroq; fruuntur. Conſuetudo nihilominus in reddendis menſibus pluris æſtimãda, nã hæc ſæpè vicẽ Naturæ, ac Legis gerit. hîc tamen pro more naturæ ſumimus cõſuetudinẽ. obſeruãda itaq; cõſuetudo, & typicus ordo præcedentiũ menſiũ, an abundè, an diminutè, an medio quodãmodo per ſingulas lunationes fiant, an potius alternatim, vt ſæpè accidit. & ſi alternatim, qualis futura imminens, aut præſens, an copioſa, vel diminuta, vel media. rurſus perpendẽdũ, an occurrerit aliqua cauſa, ſiue

siue secūdū naturā, siue prçter, valēs imminuere cōsuetā vacuationē, an potius excitare vberiorem.

Color mulieris ad temperamentum referendus, hic namque signum est, & index temperamēti: Gal. li.2. de temp. ca.1. hoc innuit. hinc mulieres albi coloris, & venas habentes exiles, frigidi temperamēti, vnde & minori pollent sanguinis copia: & ceu impossibiles ferè ad scissiones venarum, scarificandas potius easdē censet passim Gal. li. de cu. rat. per venę sect. ca.11. Nigræ verò, cum ad frigidum & siccum vergant temperamentum, ceu melancholicę exiguā sanguinis copiam seruant, & minus purgantur. Rubicundæ ab augmento sanguinis fiunt, & ceu maximè redundans in his, abundè itidē & per menses fluit. Sanguinis natura dū excernitur attendenda. nā biliosus, ceu motui aptus percurrit velociter, & abundè, melancholicus ceu crassus & motui ineptus, tardè, & lēto gradu progreditur, nec proinde ita copiosè vti biliosus excernitur. floridus sanguis inter hæc extrema tanquam cōsistentia similiter medius, medio itidē modo se habet. pituitosus tādē viscidus, ac crassus cū sit, & piger est, & ad fluxionē inhabilis. vnde quā minimas cōcitat fluxiones, aut forsā diuturnos, si præsertim sanguis ichorosus potius fuerit, aut pituita tenuis, & aquosa: & tunc concitatior erit ipsa melancholia.

Anni tēpus nihilminus docet & quātitatē mēsurni fluxus, iuxta distinctas tēporū qualitates. Nā ver, ceu tēperatū in quo sāguis augetur quā maximè, & copiā sanguinis functioni suppeditabit, & suo tempore vias laxas reddet. Æstas ceu calida & sicca, & sanguinē suo feruēti calore siccat, & absumit, & aliò ab vtero auertit, aut per sudores copiosos, aut sę-

pè per aluũ, cũ sint diarrhœę huic tẽpori familiares, tūc corpora minus nutriuntur, imminuta appetẽtia ab illo excedente calore. Autumnus inęqualis, aut, si mauis, frigidus & siccus, per vtramque qualitatem, & per absumptionem, & ob deprauatum, ac imminutum nutricatum à præcedenti præsertim æstate & minimo sanguine corpora abundant, & deficiẽte materie minores fient menses. Hyems frigida, & humida medio modo se habet, quia augetur frigoris tempore appetitus, ventres calidiores sunt, vnde meliores coctiones, tum ob tẽporum iniuriam, & diei breuitatem minus exercentur. quàre augebitur sanguis, & præbebitur materies functioni. obest tamen aëris externi frigiditas, cum stipentur carnes, & viæ strictiores fiant. Hæc cuncta perfunctoriè diximus, cùm quisque pro sua industria valeat amplius singula perscrutari. Cæterum cùm citata suprà sententia Hippocrates inter hæc æstimanda & regionem replicarit, etiam pro reliquarum rerũ exemplo: nos ceu aliquid magnitudinis in se includentem pariter tanto doctore duce, adhibito studio immorandum censemus. Inquit itaque diuinus pręceptor frigidas incolentes regiones vteros habere fluidos, seu in maxima copia fluentes: calidas verò habitantes astrictos potius, ac siccos, mensésque accisos. Huius vtriusque rei signat causam alibi, ingenuo videlicet illo libro de aëribus, aquis, & locis, nu. 48. præsertim dum de Scytharum fœminis hæc retur, *Lunares namque purgationes eis non eueniunt quemadmodum est necesse, sed minus & intempestiuè per longius tempus.* quo loco, quamuis innuere ipse videatur purgationes Scytharum minores esse quã deceat: istud tamen de optimi, & laudabilis sanguinis

nis purgatione hauddubiè intellexit, quo ipsæ Scythæ carent, cum earum corpus, testante eodem loco Hippocrate, ad miraculum vsque fluxum sit, & præ carnis pinguedine, & nimia humiditate fiant steriles. verum intempestiuè purgantur, & per longius tempus, ob nimiam sanguinis ichorosi copiam, quo abundant ipsæ, vnde fluidæ, & copiosis videlicet mensibus ichorosis fruuntur. confirmat hoc idem libro 6. Epidem. comm. 1. sen. 7. dum ait, *Menstrua humidis* (ὑδατωδέσι,) Id est ichorosis, seu tenuem humorem habentibus) *mulieribus diu durare.* Contra verò quæ calidas, & feruentissimas regiones incolunt, cum ab ingentissimo calore primigenium humidum depascatur, & absumatur nectareus sanguis, & siccę ac graciles apparent fœminæ, & menses, destituta natura materie, necessariò nulli, aut pauci. Horum enim extremorum distincti effectus, distinctam & diuersam continent causam. Nam, vt scribit Galenus lib. Quod animi mores &c. cap. 9. *Quis non cernit homines sub Vrsam & Aquilonem degentes corpore & animo longissimè, & prorsus contrariè affectos ijs, qui torridam propè habitant zonam?* Aquilonares igitur fœminæ, quæ scilicet algidissimas colunt regiones, inter æstiuum solis ortum, & eiusdem occasum sitas, seu versus polum arcticum, supra videlicet septimum clima, cùm multa obesitate ac nimia in toto corpore humiditate redundent, & à crudis ac duris aquis potentur, quamminimum purgant, & steriles fiunt: aut si conceperint, aboriuntur facilè, aut laboriosè pariunt. Hæ regiones partim Antiquis ignotæ, vt Grotlandia, Laponia, & Scrifinia, & aliæ partim ab eisdem cognitę, vt Europæa Scythia, Noruegia, Go-

tia, Moscouia, Lituania, Dania &c. Quæ autem fœminæ alteras regiones septentrionales illis inferiores, seu infra septimum clima habitant, ceu magis ad meridionalem plagam accedentes, cum & prioribus sint calidiores, seu minus intẽperatæ, hinc & abundãtiores his menses fluunt, cõcipiunt facilius, ac pariũt, quales sunt Germanæ, Gallæ etiã, & Thraces. cunctæ enim hæ, vt experientia testatur, fœcundissimæ, & facilis ipsis nixus: quia calor natiuus earum vegetior multo est, ceu in centro reconditus, vnde sanguine abundãt vberiori actiones naturales robustæ omnes, viri itidem audaces, animosi, iracũdi, stabiles, vt non facilè à concepta opinione resiliant, Germani præsertim vtrique. Qui oppositã colunt orbis partem, regiones videlicet sub primo aut secundo climate, à tropico capricorni ad tropicũ vsque cancri, præsertim quæ sub meridionali plaga versantur, cum maximam habeant cum sole vicinitatem, feruentissimæ sunt, & earum regionum fœminæ strictæ, siccæ, & stabiles, hinc & his lunares menses, aut nulli quidẽ, aut pauci, proinde has Hippocrates citato libro. de aërib. aq. & loc. infœcundas vocat: vti quæ medium inter hæc extrema continent, & magis quo ad orientẽ vergunt fœcundissimas, quia hę plurimo, ac laudabili abũdãt sanguine.

Cæterum cum eodem scribente dictatore summo lib. de Præception. nu. *Cum quæ non ex sensibus comperta obseruatione, sed solum ex probabili rationis figmento proficiscitur, frequenter grauem, & tristem diathesin adferat.* Hinc ephodus seu sensifica & particularis obseruatio vniuersalem method um præcedat semper, aut comitetur saltem ius est: Medicus itidẽ sensificus artifex sensibus hæreat oportet, κρί-

νειν

πεῖραν alterũ quo insistat ipse, neq. vniuersali tãtũ doctrinę aquiescat, sed assiduè in particularibus se exerceat, ne suspecta reddat artis principia opinio sine actione. quæ opinio etiam in externis rebus vexat, & grauiora, aut maiora omnia veris proponit. Inde metus, aut dolores. Si rem iuxta subiecta materiam experiamur, docet Hippocrates, vnà cum vniuersa antiquitate regiones australes sub zona torrida inhabitabiles, vnà & vicinarum partiũ fœminas infœcundas: vti sub polo attico, aut nullas regiones esse, aut hominum conuentu priuatas. Hæc est vniuersalis horum extremorum cognitio: particularis autẽ oppositum tenet, & vtrumq; falsum declarat, cum & vtraque pars plurimis abundet populis, & australis altera feracibus, ceu temperata, & ad inhabitandum idonea, neque fœminę eorum steriles, immò fœcundissimę. Norunt hæc omnia inuicti ac strenui nostri Hispani, totius orbis indefessi, ac seduli exploratores, qui cunctas illas regiones peragrarunt. norunt idem & reliquę orbis nationes, quę alteram septentrionalem plagam immensa & ardua nauigatione tranarunt. Versus austrum, videlicet sub meridionali linea plurima sunt regna, in Africa, Aethiopia, Guinea, & Manicõgo, & alia multa, quæ alluuntur oceano: versus solis ortum est regnũ Calecutum, Zeilan, Malaca, Samotra, seu Taprobana insula, vtraque Iaua, insulæ Molucę, & alia plurima plena quidem populo. Tandem in America auro fertili adest Brasilium regnum, amplum, & aliud Perusinum, vnà & fœcundissimum, ac amœnum, ceu immensis fluminibus irriguum. Quare vt affabrè, ac serio dicebat Galenus lib. 9. meth. ca. 4. in ẽxẽplis exercitari quiduis discẽtes maximè expedit:

neque enim satisfaciunt ad exactam cognitionem vniuersales methodi. idem prius dixerat & lib.3. meth. c. 4. & li.4.c.1. inde nos vniuersalibus non neglectis, in rerũ particulariũ obseruatione, vt exacta fiat cognitio, mentem sedulò exercebimus. Nam, etiam in quolibet orbis climate distinctissima obseruamus, siue temperatum illud fuerit, siue intemperatum. cum ob diuersitatem ventorũ, à quibus diuersa cuiusque climatis regna difflantur, situ etiã cuiusque vario, syderum ortu & occasu diuerso, vicinitate diuersorũ locorum, mõtium, paludum, fluminũ, esculentorum, tum locorum, & hominum temperamẽta & habitus mutantur, tum mores etiam. Nam hac admirabili Naturæ dispositione attemperãtur quæ feruẽtissima essent, vt de zona torrida diximus, calfiunt quæ frigida, quæ sterilia fœcunda apparent, quæ aprica rursus amœna. Hæc igitur cuncta solerti cura tenetur explorare Medicus, vt & seriò cũcta iudicet, prudenter æstimet.

Si itaque vltra septimum clima habitantes fœminæ infœcundæ, & minus purgãtes, simili ratione & quæ in priuato quodam orbis tractu eandẽ naturam referente colonæ fuerint, & minores reddẽt menses, & infœcundę erunt. Maximoperè igitur indagare oportet priuatæ regionis naturam, statũ cœli, ambientẽ aërem, anni tempus, viciniorum locorũ pariter naturam, positum, ventos, à quibus perflatur, temperamentum denique & habitum fœminæ, vt quis perfectum, & absolutum de mensium quantitate ferat iudicium.

Tandẽ præter artificiosam nuper edictã coniecturã inueniẽdi mẽsium quantitatẽ iuxta singularũ naturas: alterã accuratã sanè, & si minus artificiosã, idẽ

Dicta-

ſumm.Dict. demonſtrat,lib.præſertim 1. de morb. mul.n.15. quā hiſce deſcribit verbis, *Moderati verò ſunt menſes prodeuntes in omni muliere, ſi ſana ſit, vt duarū heminarū Atticarū menſura ſecedāt, aut paullò plures, aut pauciores, atque hoc ad duos, aut tres dies,* &c. Plurima circa iſtud oraculum ſe offerunt expendenda. in primis habendum, Hippocratem vſum non fuiſſe vocula illa hemina, quam vertunt interpretes, cum Romanorum potius ſit menſura, Antiquioribus Græcis & inuſitata, & incognita: quamuis Iuniores Græci, vt Paullus, & Aetius ea vtantur, quia Italiam frequentabant. in codice autē Hippocratæo Græco ſic legitur ſententia, *μέτρια δὲ ἐστὶ πάσῃ γυναικὶ χωρεῖν, ἢν ὑγιαίνῃ, τὰ ἐπιμήνια ἐλθόντα, ὅσον κοτύλαι δύο Ἀττικαὶ, ἢ ὀλίγῳ πλείονα, ἢ ἐλάσσονα,* &c. κοτύλη igitur vtitur nomine, quæ Attica menſura eſt, diſtās per alteram ferè vnciam ab hemina Romanorum, vt infra lib.3.c.9. nos vberius examinabimus. Menſurales itaque continet vncias nouem hæc Atticorum cotyla, vt docet Galenus lib. 5. de comp. med. ſim. gen. ca.2.

Præterea æſtimandum, quod nec hæc menſura Hippocratis cunctis ſanis conueniat, verum corpus habenti euſarcon, medium in ſexus fœminei latitudine, quaſi exactum ſymmetron proponat, ad quod reliquæ dirigi debent. Illa igitur ſanè, cæterarum etiam ſecunda valetudine tantum fruentium exemplar.

Porrò, poſt quantitatem diſcretam, & continuā aſſignat; quæ tempore ordinatur, & inquit, illam quantitatem duarum cotylarum deponendam per interuallum duorum, vel trium dierum, quod indefeſſabilis Natura hac arte præſtat, effundens in me-

dio huius temporis vberiorem, & crassiorem sanguinem, in carceribus autem contra. hoc enim medio, suauiter hæc actio procedit, dum sensim & incipit, & sensim terminatur. quod in cæteris naturalibus motibus non accidit; quia dum incipit motus, & rursus dum ad proprium accedit centrum, corpus velocibus multo mouetur: quod in homine haudquaquam exercet natura, quia fieret maxima cum ipsius iactura, subitas non ferentis mutationes. hinc natura prudenter cuncta gubernans, & affectans hominem, suauiter istud prosequitur: in reliquis, ceu inanimis, & dispendij huius inexpertibus seriò negligit.

Quamuis hæc methodus pluris æstimanda, ceu riuulus à perenni illo Hippocratæo fonte deriuatus: tamen altera prior coniectrix longè præstantior censenda, cum & eundem Hippocratem etiam auctorē habeat, & omnem itidem fœminarum códitionem ac statum apprimè amplectatur. quid quod, & hæc vltima mensura non minimum priorem methodum lustrat, cum in tanta purgantium fœminarum latitudine, ceu cardo cæterarum statuenda quidem sit.

De natura excretionis per hæmorrhoidas, & quibus familiaris.

Cap. XXII.

Galenus noster Apollineæ artis celebris gloria lib. 9. meth. cap. 5. dum vsum præbet magni illius auxilij venæ sectionis in synochis febribus, sub quadā admirabili methodo, inter alia quæ obseruāda cósulit, necessarias, seu potius secūdū naturá vtriq; sexui cósuetas vacuationes, recenset; fœminis

nis mensurnū fluxum, hæmorroidarum his, ac viris. nā inquit, has methodum à sua sede dimouere, & ad se Medici consilium vnà arripere. Cum igitur nobis mens sit hanc lustrare methodum, arduam sanè, atque difficilem, antequam rem aggrediamur, vt futura oratio dilucidior fiat, vtriusque vacuationis naturam amplificare seriò prius lubet. Sequatur itaque illam mensium, & altera hæmorroidarum.

Nomen istud à verbo deducitur Græco αἱμοῤῥοέω, quod sanguinē fundo interpretatur. Sed cum de omni sangninis effusione valeat hoc dici, ad illum sanguinis fluxum pręcipuè transfertur, qui per venas fit ani, ceu magis (mensibus exceptis) secundum naturam, & plus assuetum. nihilominus & altera, in qua per nares sanguis prosilijt, per eandem rationem, etiam & hęmorrhagiæ sibi vindicat simpliciter nomen. Latini longè recedunt, cum Mariscam appellent: appositum nomen ad vtramque speciem significandam, cæcam, & fluentem, quod itidem & Græcis peculiare. Translatitiè dicitur Marisca, quia similitudinem seruant quandam hæ ani venæ, fœculento illo sanguine repletæ, cum illæ ficuum specie Marisca dictę, à Castellanis breua, vti à Catalanis & Gallis figus flor. sub qua translatitia significatione desumpserat Iuuenalis mariscas, dum dicat Satyr. 2.

Cæduntur tumidæ, Medico ridente mariscæ.

Hæmorrhois itaq; simpliciter dicitur de sanguinis effusione, quæ fit per venas in inferiore parte intestini recti insertas, tum in parte eius interna, tū externa, vtrarumque finientibus oris in eiusdem intestini interna parte, seu cauitate, vt foris deponatur ad hominis commodum. Hæc actio sequitur

reserationem, siue anastomosin, aut diapędesin prædictorum vasorum, vti & hanc, inutilitas sanguinis in quantitate, aut qualitate. quod exercet natura citra intestinorum peristolē vtiliter, dum in tempore agit, vt suprà iam declarauimus. Dicitur etiam hęmorrhois de altera illa specie, in qua nullus dimanat sanguis, verum collectus maximum in eisdem aut venis concitat tumorem, nec non & sæpè intensum parit dolorem, verum καταχρηστικῶς: cum propriè effusionem sanguinis denotet, vt appositè innuit vocis etymon.

Familiaris hæc sanguinis effusio vtrique sexui apparet, etiam & diuersis ætatibus, quamuis declinanti multo familiarior, ex Gal. lib. 3. de hum. sen. 26. Aliquibus viris iam à pubertate, quando mensurnus fluxus fœminis luxuriat, etiam & ipsis typicè per singulas periodos erumpit, his pręsertim, qui aut succo melancholico, aut atrabiliario redūdant. cum vterque aut copia, aut qualitate Naturæ fit inutilis. hinc, hac arte vasa deplere intendit, vt leuetur. Insinuat istud dictator summus lib. 6. Epidem. cō. 5. sen. 15. scribens, *Atra bilis simile hæmorrhoides effundunt.* Frequentissimum exponit; nam frequentius multò natura succum melancholicum, siue atram bilem (quod vtrumque amplectitur eo loco Hippocrates) per ipsas venas vtiliter deplet. & quāuis huius succi admittat vacuationem alterius, sanguinis scilicet inculpati, non negligit, etiam aliquibus ad deplendam plethoram, assuetam. vtrumque affabrè diuinissimus Galenus exponit lib. de Atra bile, ca. 4. vbi cum pertractasset plurima de morbis à bile atra germinatis, ostendissetque Naturam quandoque secretionem tentare, ac sanguinis iugiter

def œ-

defœcationem, & quod inutile fuerit ad varias corporis partes, ceu receptacula demittere, hæc infert, *Sæpenumero autem natura, vasorũ sedis venã recludens, talem permistum sanguini humorem excreuit: vnde & Græci hæmorrhoidi nomen symptomati indidere, oportétque ex ea perdiscere qualis sit is, qui excernitur sãguis, vtrum qualem gymnastici, & athletæ, & inter vulgares ij, qui integra sanitate fruuntur, quique succis bonis præditi sunt, habent: an nigrior eo, crassiórque existat.* Plura sunt quæ possim in tam illustri sententia: sed parco modò, & reseruo me iis, quæ in hoc capite vberius de eadem re sumus disputaturi. Sufficiat nunc ostendere ex Galeno, assuetissimum esse per hanc partem atræ bilis fluxum, nonnunquã etiam contingere & laudati sanguinis ad instar athleticorum effusionem: quod sedulò æstimandum Medico censet. Quare cum adolescentibus maxima fiat sanguinis accretio, ceu huic ętati familiaris, inde aut ob plethoræ rationem, aut ob succi melancholici redundantiam à priuata temperie, frequenter etiam accidunt his hæmorhoides; nequaquam pueris, vt testatur Hippoc. lib. coac. prænotionum num. 3. vbi inter reliqua nec hæmorrhois his enasci arbitratur. neque altera huius rei assignanda est ratio, quàm quæ supra de mensibus indiximus: cum & ante pubertatem hi nusquam appareant, aut rarissimè.

Porrò & hæc vacuatio non maribus tantum familiaris, sed & fœminis, quibus præsertim menses tempestiuè, ac abundè non respondent, aut fœculẽto simul abundarint sanguine. quia cùm natura à sarcina exonerari exoptet, par vicinam partem deriuationis lege, per hęmorrhoidas venas illud com-

pensat. Præter Aristotelem lib. 7. de hist. animal. cà. 11. Galenus testatur lib. 5. de loc. affect. ca. 7. quamuis hoc loco de cruenta dysenteria, seu de vacuatione sanguinis per sedem illud affirmet. verum, vt idem ipse exponit, dum interpretatur illud oraculũ Hippocratis, libri 5. Aph sen. 33. *Mulieri menstruis præter naturam deficientibus sanguis è naribus profluens bono est.* illud è naribus, inquit, vice exempli proponit, cum sententia & de aliis similibus omnibus vacuationibus sit intelligenda, siue per sedem fiat, siue per hæmorrhoidas, siue per vomitum, dummodo molestia vacet. Expressè testatur lib. Coac. prędict. num. 3.

Non solum accisos menses, aut imminutos habentibus accidunt hæmorrhòides, verum & vtero gerentibus, quia grauiditatis caussa circuncisis mẽsibus, & dulce tantum sugente fœtu, quod inutile, crassum, ac fœculentum ad hæmorrhoidas venas, ceu vicinas vtero detrudit ipsa natura, vt leuetur. Neque intactum hoc Naturę genius Arist. reliquit, dum & lib. 3. de hist. animal. c. 19. & lib. 1. de Generat. c. 19. eorundem appositè describat. Verum Hippoc. lib. Coac. prędict. num. 3. censet pessimum iis, quod habendum, si vberius fluant retracta materie fœtum nitriente.

Iam & puerperis eadem vacuatio familiaris, quãdo fœculentum omne illud, dum in vtero habebant, in venis stabulatum nequeat iam per puerperium reddi. quod contingit non solum habentibus à natura strictas venas, aut pręter naturam obstructas, verum & aliquando lactantibus puerperis, elato sanguine tenuiori ac laudabiliori: ad mammas, crassiori ac fœculento suo quasi nutu inferna petẽte,

te,mox per surculos ex vena caua ortos,&ad sedem protractos citra molestiam exoneratur. cum idem vas numero sit, quod externas constituit hęmorrhoidas venas,& quod in vteri stomacho inseritur: vnde apposite mensibus occisis & illę replentur.

Tandem accidunt hęmorrhoides fœminis, quibus ætatis ratione iam statę mensium periodi omnino exciere, dum videlicet cruentum illud tributum amplius iam Planetę septimo non reddunt,nec huiusmodi libamina illæ offerunt. Destituta namque natura per tot annorum decadas assueta illa vacuatione,incipiente pariter cruda senectute, in qua secundum naturam vberior fit melancholicus succus,conatur ipsa omni studio hac altera per hęmorroidas fusione illud pensare, ac molestam sarcinam simul deponere per conferentem hunc locum, haudquam valente per vterum præstare.

Sed hanc doctrinam arguit Præceptor sūmus,dū lib.de Coacis prædict.num.3.hæc inquit,*sed à decimoquarto ad quadragesimum secundum annum,natura iam morborum corporis feracissima est. Rursum ab ætate hac vsque ad sexagesimum tertium vitæ annum, strumæ non enascuntur, nec in vesica lapis, nisi prius extiterit,neque dorsalis catarrhus, neque nephritis, nisi ex alia ætate huc deducta fuerit; tum nec hæmorrhoides, nec etiam cruoris profluuium,in prius natum fuerit.* Dicemus, standum potius Aphoristicæ sententiæ,ceu Hippocratis Germanæ,quæ lib.3.Aphorism. sen. 30. sic habet, *Vltra hanc ætatem* (videlicet iuuenilem, de qua præcedenti sententia.) *prouectis asthmata, pleuritides, perineumoniæ, lethargi, phrenitides, ardentes febres, diuturnæ alui profluuia, cholera, dysenteria, hæmorrhoi-*

des. Galenus itidem in commentario idem eleganter pronuntiat, dicens, *Ex hæmorrhoidibus autem venis sanguis profluens huius ætatis verus est & proprius morbus, sicut & melancholia.* Quare ex vtroque parente familiarissima hæc hęmorrhoidum fluxio ætati tricesimum quintum annum superanti, ceu & crudæ senectuti, & iam declinanti; quia in hac ætate maxima coaceruatur succi melancholici congeries, quam natura deponere hac arte commodè studet: haudquaquam silicerniis ac decrepitis familiaris. ætas ferè exanguis, facultates iugiter omnino languidas omnes habens. Conciliantur fortè loci, si dixerimus, huic declinanti ætati familiares quidem esse iis, quibus cõsequuntur ex alia præcedenti ætate, aliter in ea ætate exoriri non admittit, & tunc ad vltimam vsque senectam comitari arbitratur. Si igitur huic ætati familiarissima, multo magis fœminis, non sustinente natura his affatim, altera accisa mensium vacuatione longæua, ab incœpto repurgationis opere desistere: immò ferens molestè, tentat quod prius per vterum excernebat, ad ani venas per coniugem venam deriuatum vtiliter vacuare, donec & ætatis subsequentis ratione sanguis & minor, & frigidior redditus, hebes fiat. omni itaque ętati, extremis demptis, familiaris hæmorrhoidum fluxio, & omni muliebri vario statui.

Demum de hac vacuatione illud obseruandum restat, quod aliquando periodicè, & statis temporibus, per singulos videlicet menses exerceatur: iam rursus aliquando citra typum, bis, ter, aut quater, hæmorrhoidibus per annum dimanantibus. Porrò & hęc eadem vacuatio, ex Hip. 9. Epid. com. 3. sen.

37.& lib.3.de humor.ſen. 26.iam cum animalis cómodo,cùm valens ſit à grauiſſimis ac ferinis morbis homines liberare,ſi cum euphoria,ac conferentia procedat:iam rurſus non eorum vlla tenus medicatrix,verum ceu hoſtis infenſiſſimus , eorum potius ferax,demonſtrante & vſu,& Galeno pariter lib.6. Epidem.com.6.ſen.7. præſertim ſi immodica iſta vacuatio fiat,aut citra naturæ inſtitutum opus, immò ſupra modum irritata,vel à multitudine, vel praua humoris qualitate,(vtrumque enim hæmorhoides vacuant:) aut interdũ vacuato quamprimũ eo, quod prauum eſt, vtilis ſanguis mox immodica profuſio ſequitur, remanente diutius aperta vena.

De differentiis excretionis per hæmorrhoidas:& an aliquando ſanguinem laudabilem fundant.

CAP. XXIII.

Differentiç huius excretionis à duobus ſummis petũtur capitibus;aut ab excreti ſubſtantia, aut excretionis modo. Excreti ſubſtãtia duplex,aut ſanguis ſola quantitate inutilis, aut qualitate potius:modus,aut operante natura aut irritata;illudop⁹ naturç dicitur,iſtud ſymptoma, illud cũ vtilitate exercetur,iſtud per ſe cum noxa,aliquando,ac rarò, &per accidens cũ commodo.omitto modò & alteras ſubalternatas ſpecies,& conſultò.

Cæterum vt cũcta hæc affabrè intelligantur,operæ pretium eſt Anatomicam hiſtoriam replicare,& rem à ſuis primordiis repetere. Venæ itaq; ſanguifluæ,per quas fuſio hæc,in duplici ſunt differentia,

constituentes binas alteras ideas huius excretionis, iuxta excreti substantiam: (varia est de his venis Anatomicorum opinio, nos veriorē & proponimus, & amplectimur.) Alię vocantur, & sunt internæ, seu intra intestini recti cauitatem insertæ, à ramo venę portæ, qui ad splen dirigitur, antequā ipsum attingat deductæ: aliæ rursum externæ sunt, seu extra intestini cauitatem similiter insertæ, ab iliaca propagine venæ cauæ trahentes ortum. priores illæ, cum penu sint, vna cum splene, melancholici succi, necessario hunc vomunt, ichorosum videlicet, aut fœculentum sanguinem, alteræ, ceu venæ cauæ propagines, ærarium sanè nectaris illius viuifici, & purū, & laudabilem cruorem, qualis videlicet fuerit in ærario illo contentus. hinc apprimè hæ plethoram totius corporis deplere valent: vti illæ succum melancholicum, & morbos ab ipso ortos vnà exoluere. illud Galenus & lib. 2. de loc. affect. ca. 1. & lib. de atra bile ca. 4. demonstrat. istud Hipp. & lib. coacar. prænot. & lib. 6. Aph. sen. 11. & 21.

Porrò exortus venarum externarum ab iliacis vasis est, per quintam diuisionem venæ cauæ descendentis ab eadem trahentibus ortum, quę iliacę venę tertiò hypogastrica vasa cæterorum amplissima cōstituunt: cumque omnes ferè hypogastrij partes lōgè latéque expansa nutriant, in plurimos hinc inde diuisa ramos, tale proinde nomē eiusmodi vasa sortiuntur, quasi saturantia. Multifariam namque fissa ad vterum, eiusque ceruicem, & ad lotij simul vesicam distributa, tandem surculos ad recti vsque intestini extrema eiusque cauitatem quosdam mittūt, ibíque has externas hęmorrhoidas venas germināt. & cum sint germina venæ cauæ, eundem sanguinē lauda-

laudabilem, ac sincerum, si sanus fuerit homo, qualis gymnasticorum, & athletarum expurgabunt, & eiusdem naturæ cum menstruo, cum & ab eodem fonte sanguinem hauriant.

Illud præterea negligendum non est, quod vtraque vasa sanguiflua, tam interna, quam externa ora terminare intra intestini recti cauitatem, cum nequissent aliter sanguinem extra corpus fundere, nullo alio existente à natura fabricato meatu, per quem huiusmodi sanguis emanare foras potis esset.

Franciscus Vallesius Hispanorum doctissimus, hac oblita anatomica historia, in difficilem mæandrum incidit, cum lib. 8. controuers. ca. 6. statim initio capitis laudabilis sanguinis fluxum non admittat, dum in hæc prorumpit verba, *Per hæmorrhoidas expurgatur corpus vniuersum: effundunt enim non bonum sanguinem, ac purum, sed crassum, ac fæculentum.* Sub cortice horum verborum duplex tegitur error, alter, quia respuit laudabilis sanguinis per hæmorrhoidas fluxum, quem ex Galeno, & historia anatomica, tum experiētiæ magisterio assiduo necessariò admittendum arbitramur. alter rursus, quia cum concedat, & optimè sanè, vniuersi corporis expurgationem per hæmorrhoidas, debet pariter concedere, etiam optimi ac laudabilis sanguinis vacuationem, ac necessariò quidem. nā cum sanguis tum quantitate, tum qualitate fiat naturæ molestus, necessariò potest consequi illa per hæmorrhoidas vacuatio, sanguinis tantum quantitate inutilis existētis. Malè igitur illius propositionis, *Per hæmorrhoidas expurgatur corpus vniuersum* causam assignat quia effundunt non bonū sanguinē. obliquum sanè

cum potius altera sibi assignanda esset ratio , quia surculi quamproximi venæ cauæ totius sanguinis ærarij, vnde illi adaperti necessario & vena caua vacuatur, & per consequens vniuersum corpus, sed cũ sanguis, qui ab his surculis cõtinetur, haustus sit ab illo venæ cauæ stipite, laudabilis, ac optimus in homine sano, qualis gymnasticorum, vt citato lib. de atra bile, ca.4. & lib.6. epidem. com.5. sen.25. dixerat accuratè Galenus, necessariò qui vacuatur per eosdem hæmorroidum tubos, eiusdẽ erit naturæ, haud quanquam istud contingit, quotiescũque venæ reserantur internæ, quia cum rami venæ portæ, neq; per hos vniuersum repurgatur corpus, neque queunt sanguinem aliquãdo laudabilem euomere, sed crassum, impurum, ac fœculentum, haustum ab illo venæ portæ trunco succi melancholici ferace. Vnde aut fuimet oblitus Vallesius aut ratione aliquando conuictus palynodiam canit, ceu prudens. commentario itaque nuper citatæ sententiæ lib.6. Epide. hanc repurgationem boni, ac laudabilis sanguinis per hæmorroidas cõcedere libuit. Sed ad vlteriora iam progrediamur.

Ramus itaq; alter venę portę, mesentericus dictus qui internas germinat hæmorrhoidum venas per coli extrema & intestini recti longitudinem ad anũ vsque se pandit. cuius surculi vsus hic, quod dum natura ob aliquã lienis affectionẽ fœculentũ sãguinẽ sibi inutilẽ expurgare nequit, per hos tubos, certis quibusdã intervallis mediis foris eundẽ expellere conatur. Qui ramus duplici nomine spleniticus appellatur. & quia hoc mun⁹ præstat spleni: & quia postquã vena porta in quatuor fuerit diuisa tubos, rurs⁹ altera ei⁹ pars bipartitur in alios insignes surculos

culos binos, quorũ, absolutè alter splenic⁹ dicitur, mesentericus alter cũ per vniuersum mesenterium inseratur. & cũ vtriq; surculi, iuxta exortũ, in se inuicẽ cõmunicentur, hinc quando splenicus ille, ne valẽs quidẽ vniuersum illũ fœculentũ humorẽ recipere, à natura quasi expulsus, aut fortè remeans ad mesentericum alterum demittitur; per quam rationem itidem & iste splenicus appellatur. non quod splen recto tramite ad intestinum rectum, ac podicem surculos aliquot mittat , verum ex accidenti lien repurgatur, remeante humore ad illud alterum mesentericum vas , harum venarum hæmorrhoidum internarum auctor. Simili ratione & per externa alia vasa repurgatur aliquando vterus, ab ipso remeante, aut transmisso sanguine ad vasa illa, propter maximum eorum coniugium, vt videre est in grauidis, enixis, ac plethoricis fœminis imminutè iugiter menses reddentibus.

De vsu excretionis per hæmorrhoidas : & an hæc semper symptoma. CAP. XXIV.

EX descripta nuper Anatomica historia, huius excretionis & palam innotescet vsus, & cuius opus. opus quidem Naturæ: quæ, vt scopum attingeret, organa condidit, peculiares videlicet canales, ac meatus, per quos omnem inutilem depleret plethoram, aut molestam pariter priuatam aliquam sarcinam deponeret: & hic vsus. Si itaque in tempore hæc excretio fiat, cum tunc opus naturæ, conferet haud dubiè, & homo facilè feret. istud ad vnguem, & alteræ principi excretioni quammaxi-

mè conuenit, mensurno inquã fluxui. hoc solo intercedente discrimine, quod hæc menstrua purgatio, testante Galeno libro præsertim de sympromat. different. c. 6. & libr. 3. de eorundem causis c. 2. toto genere secundum naturam altera, vnà cum reliquis hæmorrhagiis toto genere potius prętet naturam. quamuis, & quæ per nares, veluti & hæc quæ per hæmorrhoidas sanguinis effusio, si in tempore fiat, seu cum conferentia, & euphoria, haudquaquam absolutè symptoma, & res præter naturam dici ius est, ceu opus Naturæ bene operantis, intra latitudinem sanitatis, nullam insequens læsam actionem, tamen quia semper vasorum aliquam saltem reserationem, ac leuem quandam anastomosin sequitur, hinc symptomatis nomine debere condonari censet Galenus, vt apparet lib. de Atra bile, cap. 4. tum adhuc dilucidius libro de sympt. different. cap. 6. dum scribat, *Eo quod opera naturæ sunt, & ipsi vsui fiunt sub hoc symptomatum genere (sc. in actione læsa) non collocabuntur: quamquam omnia quæ huiusmodi sunt ad alterum symptomatum genus, nempe ad affectum præter naturam reduci poßint. Etenim si in aliqua corporis parte ita dissecetur vena, aut eius osculum tanto hiatu aperiatur, vt profundat ea quæ continebat, huiusmodi affectum nequaquam secundum naturam esse dicemus.* In hac sententia, quouis sole illustriori aliqua veniũt obseruanda, inprimis quod vtraq; hæmorrhagia, narium inquam, ac hæmorrhoidum semper symptoma affectus semperque affectum quendam præter naturã saltem sequitur, anastomasim videlicet quandam, aut diopedesim, etsi opus naturæ, & ipsi vsui, ceu multarũ vtilitatum ferax. & tunc symptoma hoc, quamuis affe-

ctus,

ctus, & affectum ſequatur præter naturam cum intra latitudinem ſanitatis ſit, ceu minimus lapſus ex Galeno lib. Artis Medicæ ca.87. ſalubrium corporũ adhuc ille retinebit appellationem: quouſque videlicet ob magnitudinẽ affectus ſenſibiliter actio ſit læſa: tunc enim huiuſmodi hæmorrhagię, ſymptomata erunt in actione læſa, & morbum ſequentur, vti priori modo ſumptæ, nec propriè ſymptomata, immò Naturę bene operantis opus.

Præterea ex prædicta Galeni ſententia error quorundã Anatomicorum, tum & Andernaci in adnot. in lib.3. Pauli detegitur, c.60. affirmantium hæmorrhoidas venas ſecundũ naturã eſſe hiãtes, ac reſeratas, quod & Galeno, ac veritati reluctatur, ſolũ enim eo nomine hãc fuſionẽ ſanguinis ſymptoma appellat, & rẽ præter naturã, quia neceſſariò aliquẽ affectum, etſi minimũ, apertionẽ videlicet oſculorũ inſequitur. hoc idẽ apertius hiſce verbis Galenus innuit lib.6. Aph. *Hæmorrhoidas citari eſt impoßibile, quin propter ſanguinis multitudinẽ, & craßitudinẽ ora quædã venarũ aperiãtur.* Si ora venarũ aperiuntur à cauſa, multo videlicet & craſſo ſanguine, ergo ſecũdum naturã reſerata nõ ſunt. quid quod, & per hãc vnicam rationẽ hæc hęmorrhoidũ purgatio, à mẽſtrua diſtinguitur: quia hæc exercetur à Natura, reſeratis iã, ac recluſis, miro quodã tantũ artificio cõniuẽtibus, vteri vaſorum oſculis. vnde & per eandẽ rationẽ tutior multò hęc quę per vterum, cum toto genere ſit ſecũdũ naturã, neq; affect⁹ ſymptoma, neque vllum, ne minimum quidẽ inſequatur præter naturam affectum. quod ne per ſomnium quidem cenſendũm de reliquis hæmorrhagiis, ceu toto genere præter naturam. quæ quamuis aliquando Naturę opera, ſemper timendæ: cum cauſæ, quę præter

naturam occurrunt, rarò symmetron seruent in suis operationibus, immò aut immodicè, aut diminutè ferè semper, aut deprauatè. Cæterum quotiescunque mensurna purgatio à symmetra recesserit quantitate, iam non vltrò mensurna purgatio, sed vteri potius profluuium: symptoma quidē in actione læsa, & res præter naturam, ex Gal. lib. 3. de sympt. causis, c. 2. consequens necessariò aliquem ex tribus illis affectibus, quos perbellè Galenus describit lib. 5. Apho. sen. 57. nimiā videlicet apertionem, & vltra modum orificiorum conniuentium venarum, quæ in vteri cauitatem finiuntur dilatationem, & tunc hoc symptoma morbum sequitur in cauitate, seu in venarum meatu, aut orificio, si cum Galeno loquimur citato Artis Medicæ loco. rursus affectus ille proximè sequitur sanguinem tenuem, biliosum, ac calidum, germinatum ab intemperie hepatis calida. tandem cachexiam, & malum corporis habitum, adhuc valētem expellere maximam illius humoris redundātis partem ad ipsum vterum. istud symptoma comitatur morbū in intemperie valida, & præsertim frigida & humida, aut calida etiā totius corporis, hepatis præcipuè hæmatoseos. hoc idē videtur insinuare Gal. li. 6. de loc. affe. c. 5. quo loco affirmat interdum fœminis accidere muliebre profluuium vtero haudquaquam affecto. quod accidit quotiescunque exoritur aliquo ex duobus illis nuper expositis modis, ob vitiū excreti sanguinis, aut totius corporis habitus. nec proinde excludit priorē, immoderatā vasorum vteri osculorū apertionem, sub qua etiā erosionē, & ruptionē cōtineri autumamus, vt dilucidè innuit li. de differē. sympt. c. 6. Hæc itaq; sit cōclusio, quod quotiescunq; per vterum sanguis quanti-

quátitate sola, vel qualitate inutilis immodicè fluxerit, necessario comitari causã præter naturã, quę vacuatio, quãuis nõ dicatur toto genere præter naturam, cum excernatur per partem, iuxta naturæ scopum: tamen meretur simpliciter præter naturam vocari, quia intercedit aliquis præter naturam affectus, qui illam actionem læsam fœtat. Sola autem vteri fusio, & secundum naturam, & toto genere, quæ in symmetra quantitate recurrit: neque aliter secundum naturam illa contingere fas. quod apertis verbis declarat Galenus lib. 3. de causis symptomat. cap. 2. dicens, *Atque vteri profluuia tunc solum præter naturam sunt, cum modum in quantitate excesserint.* Hæmorrhoidum verò semper symptoma, & toto genere præter naturam, etsi opus naturæ, & cum commodo, cum excernatur sanguis, nectar viuificum, haudquaquam reserata secundum naturam parte.

Tandem exponendus est duplex modus, constituens binas hæmorrhoidum species, vti nuper de his, quæ per vterum excernuntur fieri indiximus. Est itaque altera hæmorrhoidum species, in qua Natura suo quasi nutu sola operatur, nullo intercedente sensili, aut effatu digno affectu, multóque minus aliqua læsa actione: hócque præstat ipsa certis, & statis periodis, in moderata insuper quantitate: & hæc quamuis symptoma, opus tamen naturæ. Altera denique est, in qua cuncta præter naturam: cum à sensili præter naturam affectu exoriatur, actio simul ac necessario læsa, quantitas ametra, ordo nullus. hæc semper malum prædicit, ac portendit, & vt signum, & vt causa, vti altera semper bonum, non solum præcauendo morbos futuros, verum

& presentes exoluendo. Quod præter locos aliquos supra assignatos, constat etiam ex diuino Præceptore, tum lib. 6. Epidem. ca. 23. tum & lib. de humoribus, com. 3. sen. 37. num. 9. & ex Galeno itidem lib. 6. Aph. sen. 47. & alibi passim. Nam vti ex reseratione venarũ internarũ fit succi melancholici repurgatio, & consequenter morbi ex eo orti quam maximè iuuantur, & sæpius exoluuntur: ita ex reclusione externarum iecur præcipuè, renes, ac totũ ferè venosum genus expurgatur, vterus itidem ipse, vt Hipp. lib. 4. Epidem. scribit, aut eius libri auctor non ignobilis, quisquis ille fuerit: deinde & lotij vesica, vna cum pudendo non minimum iuuatur, idque propter harum partium cum illis externis hæmorrhoicis venis maximum vasorum coniugium. Verum enim verò sicuti prædictis partibus morbo materiali affectis, systrophico inquam, hæmorrhoicus iste fluxus quam maximè fert opem: ita & sectiones venarum infernarum idem compensantes, propter vasorum coniugium, morbis earundem partium auxiliantur quam valdè. nec congero testimonia, solo contentus Galeni loco ex lib. 13. methodi desumpto. ca. 11. *Renibus*, inquit, *& vesica, & pudendo, & vtero sic habentibus* (videlicet inflammatione systrophica obsessis) *eas quæ in cruribus sunt sitæ, ac præcipuè quæ circa poplitem sunt*, &c. Excludimus semper ab hac methodo iecur, dum inflammatione tentatur, cum huic interna dextri cubiti vena potius scindere ius sit. vti & ope naturæ iuuatur, aperta nihilominus nare nasi dextra: etsi aliquando & reclusa externa hæmorrhoidum vena.

Quæ

Qua ratione hæmorrhoidum fluor toto genere præter naturam, solus menstrnus toto genere secundum naturam.

CAP. XXV.

CVm vtraque sanguinis fusio, siue per hæmorrhoidas fiat, siue per nares, à clarissimis Medicis opus Naturæ dicatur, vtilis itidem sit, benè morigerata, citra affectum sensilem, aut actionem læsam, in corpore sano, per venarum oscula ferè conniuentia, aut saltem quam minimè reclusa exerceatur: explorandum nobis, ceu arduum, atque difficile, cur Galenus lib. de sympt. diff. ca. 6. & lib. 3. c. 2. de eorundem caussis, lege sanxerit, non reliquas tantũ sanguinis fusiones, verũ & vtrasq; prædictas maximoperè: quid maximoperè? toto genere, quasi dicat extremè, à mẽsurno fluxu differre. Nã si rẽ penitius indagemus, incũctis ferè cõuenire omnes, facile erit cõprobare. in primis omnes hę tres species Naturæ opus, & semper qua tale, commodè recurrũt, ac vtiliter: in corpore rursus non morboso, sed sanitate prædito, citra actionem læsam, ac affectum sensilẽ, immò nec effatu dignam reclusionem, etsi in vterino vasa secundum naturam sint conniuentia. tandẽ nec distinguuntur per excretum, cum in cunctis his sanguis sit, dulce homini nectar, aut quantitate tantum, aut qualitate, aut vtroque modo naturæ inutilis; verum semper ex Galeno citatis locis secundum naturam excretum, idque toto genere, seu tota substantia, quod idem sonat in Galeni doctrina, cum adsint & alia excreta, quæ toto genere, seu tota substãtia pręter naturã sunt, vt vermis, lapis. pus &c.

Vt hanc, nec leuem sanè difficultatem serio exponamus, æstimanda prius aliqua veniunt; quam primum agens; duplex istud, nam omnis excretio, aut à natura benè operante, aut à facultate læsa. rursus illud naturæ opus itidem duplex, aut absolutè secundum naturam nullo intercedente, nec minimo quidem præter naturam affectu, aut etsi naturæ opus, aliquem tamen includit præter naturã affectũ: per quã rationẽ hæc excretio καταχρηστικῶς fortè meretur symptomatis nomine condonari, vti & altera simpliciter & absolutè opus naturæ. Porrò & altera excretio à facultate læsa, omnis inquam symptoma est in actione læsa, & dupliciter itidem accidit, vel excreto, quantitate, aut qualitate inutili existente, simul læsa naturali aliqua actione & facultate, vel eadem tantum intempestiuè irritata, vel ad prauum motum concitata. Deinceps fit præter naturam excretio instrumenti culpa, per quod huiusmodi exercetur excretio. hoc autem tripliciter accidit, aut nimium hianti organi osculo, aut vase rupto, aut eroso. Tandem præter hæc omnia, æstimandum excretum, substantia videlicet eiusdem, quantitas, & qualitas. His optimè constitutis ad rei explanationem stylum iam vertamus. Omnis itaque excretio, ad hoc vt toto genere secundum naturam dicatur requirit haud dubiè, quod cuncta secundum naturam occurrant: opus sit naturæ, à facultate videlicet naturali fiat, secundum naturam operante, nulla ratione læsa, tempestiuè, non irritata, seu ad motum deprauatum commota. instrumẽtum, nec vllum, etsi minimum, patiatur præter naturam affectum, ἀναστόμωσιν, διαπήδησιν, διάβρωσιν, seu

ἀνα-

ἀνάβρωσιν, aut tandem ῥῆξιν. intereſt tandem, quod excretum ſit homini toto genere ſecundum naturam, quale ſanguis, vrina &c. Quare cum hæc cuncta, inter omnes ſanguinis fuſiones ſolum concurrant, cum ea quæ per vterum fit, hinc accuratè Galenus vnicam hanc, abſolutè toto genere ſecundum naturam eſſe pronuntiat. Hæc namque à natura, ſtatis periodis, ſecundum naturam facultate expultrice operante, vtiliter, tutò, & moderatè, per locum à natura inſtitutum ad huiuſmodi opus ſimul exercendum, nullo intercedente præter naturam affectu, nec inſenſili quidem, inſtrumentorum oſculis vna ſecundùm naturam reſeratis: excretum denique ſanguis eſt, theſaurus vitæ, toto genere ſecundum naturam: quod intendit pariter natura per illos iam ab ipſa recluſos riuulos commodè deriuare ad fœtus nutritionem, quo viduata fœmina foris proſiliit, ne redundans, & ſtabulatum morborũ fieret in corpore auctor.

Accidit aliquando & hãc excretionẽ vteri præter naturam fieri, quoties humor aut qualitate, aut quantitate, aut vtroque modo naturę inutilis facultatem expultricem præter naturam irritat, aut temporis reſpectu, aut quantitatis excreti, vel rurſus inſtrumenta læſerit, germinando in ipſis aliquem præter naturam affectum. verum nunquam huiusmodi excretio dicetur toto genere pręter naturam: quia cum excretum ſit toto genere ſecundum naturam, & ab eadem natura deſtinatum per hunc locũ retribuere, haudquaquam toto genere præter naturam excretio. princeps ratio, vt nullatenus fiat toto genere præter naturam, ſed ſimpliciter præter naturam, quæ cum nulla ratione competat reliquis

hęmorrhagiis, nec hęmorrhoidum, aut narium, etsi excretum idem specie, cumque nec intentum per hos canales retribuere, nec præter naturam simpliciter quælibet illarum excretio, verum toto genere. Quod autem Natura intéra non sit per illas partes sanguinem expurgare, demonstratiuè constat, cum nulli reclusi sint ab ipsa fabricati canales, quales in vtero apparent ad sanguinem retribuendum, in pene ad vrinam, in ano ad fœces, quare per illas partes potius retinendus sanguis. quod si fortè reddatur, iam excretio toto genere præter naturam, cum fiat non solum præter naturam, ob reclusum præter naturam osculum, verum & excernatur per partē quod retinendū erat; in quod consistit, iuxta mentē Galeni, formalis ratio excretionis toto genere præter naturā dictæ. hoc proculdubio insinuat, dum libro de sympt. differ. c. 6. scribit, *Hæmorrhagia quidē quoad excretā substātiam pertinet, toto genere præter naturā est: euenit autē aut aperto vasis osculo, rupto vase, aut eroso.* Est itaque hæmorrhagia omnis præter naturam, quia sequitur necessariò aliquem præter naturam affectum sensilem vel insensilem, intra sanitatis latitudinem, vel extra. & cum effectus habeat caussam præter naturam, apertionē, ruptionem, aut erosionem necessariò symptoma. dicitur tamen toto genere quoad excretam substantiam, quia hæc cum toto genere secundum naturam sit, & qua talis omni arte seruanda accuratè, quotiescunque præter naturæ scopum funditur, videlicet per partes à natura ad hoc munus non destinatas, toto genere præter naturam dicetur excretio.

Exemplo rem deducam. Omnis secundum naturam

tam excretio tam facultatis ratione, quam excreti, eo dicitur tantum toto genere secundum naturam, quando & facultas operatur optimè, & in tempore, tum excretum illud quod natura fundere intendit, excernit per locum ab ipsa statutum. vt videre est in vrina; excretio sanè toto genere secundum naturam, cuncta prædicta ad vnguem seruans. verum si per vrinę meatum excernatur vrina quantitate, aut qualitate vitiosa, adhuc excretio toto genere est, quia excreta substantia eiusdem rationis specificę est cum re à natura per eũdem meatum expurgari solita: tamen ratione quantitatis, aut qualitatis vitiosę, ac pręter naturam, & lęditur mingendi actio, & symptoma fit in excretis, verum excretio tantum præter naturam æstimanda, non toto genere. Quod si per eundem meatum à valido facultatis robore lapis excernatur, opus sanè naturæ, tunc excretio quoad excretio quoad excretam substantiam toto genere pręter naturam. quia à natura non est fabricatus meatus ad lapidum expulsionem, immò præter naturæ scopum accidit. Quare idem censendum tum de immodicis mensibus, ac muliebri profluuio, cum vtræque excretiones quoad excretam substantiam tantum pręter naturam sint, cum excretum in vtraque vitium contraxerit. in quantitate in priori, vti in qualitate in altera. Illud igitur quoad excretam substantiam non habendum absolutè, quoad hæc vel illa substantia est, verum respectiuè ad naturæ consuetudinem, & statam legem, per hanc, vel illam partem demittere, hanc per vrinam, alteram verò per vterũ. Affabrè istud confirmat idem Galenus lib. 3. de

ſympt.cauſſis c.2.dicens, *Atque vteri profluuia tunc ſolum præter naturam ſunt cum modum in quantitate exceſſerint*. Mox paullo infra, *At muliebre profluuium, vt iam diximus non toto genere, ſed tunc ſolum præter naturã eſt cum quantitatis modum exceſſerint*. Quamobrem excreti ratione aliæ vacuationes toto genere ſecundum naturam appellantur, quando eadem operante, per patentes à natura ſtatutos meatus ſubſtantia excernitur, deſtinata ſecundum ſcopum naturæ per illos excerni, congruente vnà eiuſdem exacti moderata quantitate, modum ſemper natura in ſuis operationibus ſeruante. Præterea aliæ excretiones vocantur ſimpliciter præter naturam excreti ratione, quando quod ſtatutum eſt à natura vacuari, & inſeruit per deſtinatum meatum eius expulſioni, ſola quantitate vel imminuta, vel immodica, excretum ſit præter naturam. Tandem alię appellantur toto genere pręter naturam, aut quando excretum, etſi toto genere ſecundum naturam ſit, non excernitur à natura per meatum deſtinatum ab eadem, ad eius expulſionem: aut quando excretum toto genere præter naturam. Hæc eſt de hac re iuxta Galeni mentem noſtra ſententia, cunctis aliorum relictis ambagibus.

Cæterum, quamuis hæc ita ſint, profuſiones ſanguinis è naribus, aut hæmorrhoidibus toto genere pręter naturam eſſe in Galeni ſchola, reliquarum alumna: tamen cum vtriuſque earum ingens ſit vtilitas, vſus in vtraque valetudine & maximus & aſſiduus, familiariter occurrãt plurimis, cõgruentes pariter aliquib. ætatib., & pluris ęſtimandę, ne verẽdę quidem, ob illam arduam verborum congeriem toto genere pręter naturam. quid quod, & ſæpiſſimè, ſi affir-

si affirmare fas est, nec minoris sunt commodi, etiã in vtraque valetudine, ac sexu, si in tempore, quam in fœminis existit mensurnus sanguis. Quare ceu opera naturę, etiam in morborũ curationibus maximopere vtique ęstimandæ, vti commendat alteram, quæ per hęmorrhoidas fit vacuationem in synocharum curatione, diuinissimus Galenus lib. 9. methodi, ca. 5. quem locum in toto hoc libro interpretari nobis mens est.

Methodus inueniendi remedia ad acutos morbos sanandos, altero adstante vnà fluxu mensium aut hæmorrhoidũ.

Cap. XXVI.

QVę hoc nostrũ institutum erant lustrãda hactenus dixi: ad rem iam veniendum, in qua, ordine, seu methodo referam, & in lucẽ fortè protrahã, quæ vsque adhuc (quod saltem sciam) parum claro oculo conspecta fuere, curationem videlicet morborum acutorum per scissionem venarum, cũ connexu adstãtis actu mensium, aut hæmorrhoidũ fluxus. Horũ mentio crebra, non in Medicis solum libris, verũ in assiduis disputationibus, ac Medicis operibus: mentio tamen magis quã explicatio, ego hic faciã, & pro copia facultatis dabo in splẽdorẽ. vt possim seriò à Methodica exordiar remediorum inuentione.

Deus dominus & auctor naturæ in secula benedictus, Eccl. ca. 32. & 42. cum fecerit cũcta duplicia, & vnũ cõtra vnum, neque morbo, positiuo enti suũ denegauit contrarium: imò & cuique ineffabili cõsilio & suã peculiarẽ constituit oppositionem, cũq.

cõtrariũ natũ sit vincere,ac exterminare suũ cõtrariũ(nã tollunt se mutuo contraria)hinc, quæ morbis cõtraria sunt,causæ sanitatis efficiẽtia, apposite à Galeno li. Art.Med.vocãtur,vti alibi auxilia, aut remedia,nata quidem morbos superare,& persæpè radicitus euellere,Hæc parãtur & quãprimũ inuẽtu redduntur facillima,indicatione: quæ cũ vtrumq; amplectatur contrariũ,inuẽto altero eorum ,ad alterũ facilis trãsitus,cũ vnũ suo quasi nutu alterũ indigitet,perficitur autem illius contrarij inuẽtio eiusdem copia,tum & eiusdẽ vsu cõgruo, vtrũq; absolutè therapeutica docet methodus. quare cũ indicationes sint methodi quasi elementa,ac principia,omni studio hæ,ac sedulò quidẽ perquirendæ, vt rectè nos manu ducãt ad peculiaria inueniẽda remedia,& singulorũ exactũ vsũ,quibus omnis perficitur morborum curatio.

Indicatio itaq; vtrũque extremũ ambiẽs cõtrariũ, indicãs videlicet,& indicatũ,accuratius à Gal.definitur lib.2.met.ca.7. *Inuentio citra experiẽtiam orta ex ipsa rei natura & ab ipsa quod est sequens.* Inuentio igitur hæc ex ipsa rei natura petitur, & quæ naturã sequuntur citra experientiam , cum aliquo tamen discursu,ac ratiocinio. quidquid aliter sentiat Auctor ad Thrasybulum,ca.1.vt diffusè in nostro spicilegio demonstrabimus. Sed cum indicatio,vt diximus modò,intra suos carceres vtrumque amplectatur contrariũ:natura cuiusque & inueniẽda,& expẽdenda.Indicans quod & alterũ ac primũ contrarium, & methodi therapeuticæ incitamentũ ex Gale. li.2.ca.6.& 3.ca.9.methodi, & morbus est, & quid oporteat facere , repręsentat. Indicatum rursus alterum contrarium innuit,ac insinuat auxilium,

lium,seu rem iuuantem. iuuat autem auxilium, & causa fit salubris,quia opitulatur naturæ, quę eo mediante organo & eius contrarium vincit, ac depellit. Indicatio itaque omnis, Mercurij fungens officio iuxta remediorum inuentionem, à morbo potissimum in therapeutica sumitur, qui tantū ac vnicè, per communem indicationem sanationem indicat, seu ablationem per cōtraria: verū à Galeno li. 9. meth. ca. 14. à tribus cōmunissimis petitur fontibus, morbo, natura, & ambiente. sed vltima hæc per se remedia haudquaquā indicant, verum quàm maximè iuuāt, tum ad quātitatis, aut qualitatis remedij inuentionem, proinde & hæc indicare dicuntur, quasi potius coindicare, cùm vna cum principaliori indicatione, quæ à morbo deducitur, nos quasi manu ducant ad absolutā & perfectā remedij inuētionē. ergo ex his methodus constat curatiua. Nam quando hæc vnà cū morbo in vnum cōueniunt, & idē cum eo indicāt, coindicātiū propriè tunc merentur nomen, & cōcordiū: sin autē inter se mutuo dissentiunt, nō cōtrà indicātia vocāda, imò prohibētia, ac discordia, adeo quod fuerit ab illo præcipuo indicāte indicatū. Nec fas, hæc in curatione cōtrariū indicare à vero indicante, cum nullatenus illa remedium indicent solùm ac primò morbo proprium: sed tantum prohibent quod præcipuum indicans indicant, ac cum ipso discordant: vlterius iam procedamus.

Indicatio quę à morbo sumitur, ex Gal. lib. 2. ca 5 & 4. method. ca. 1. in tot ferè diuidenda, quot fuerint morborum ideæ. ad hanc reuocatur & morbi magnitudo, tum acuties, morbi caussa, ac symptoma, cum & istud aliquando indicet, reclamante,

Galen.lib.12.meth.ca.1.hęc igitur omnia homonymως, sub morbi natura continentur.

Prætereà indicatio à natura, quæ sui conseruationem per similia, per se indicat, suú etiã locum possidens in theatro medicatorio, communem naturam totius amplectitur, ac cuiusque partis quæ fruitur tota latitudine humani tẽperamenti: rursus & propriã naturã totius, & cuiusq; partis, quæ ambit tẽperamentum etiam sexũ, ætatẽ, adscititiam naturã, consuetudinem, vitę institutum, corporis substantiã ac eiusdem substantiæ modum, eius actionẽ, ac denique cuiusq; partis vsum. Et hæc aliquãdo concors cum morbo, aliquãdo discors.

Porrò indicatio nos ambientis aëris, non solum aëris constitutionẽ complectitur, verũ & anni tẽpus, cœli statum, ac regionẽ. res & inter se non parũ distinctæ, & seorsũ accuratè explorandæ, vt apprimè diuinus dictator cõmendat libro illo omni encomio digno de aëribus, aquis, & locis. Hęc sub aëris nos ambiẽtis indicatione contẽta, possunt quidem ad illa duo priora capita aptè reduci, nam aut hęc salubria, & tunc ad indicationem naturæ spectant, quia eã conseruant, aut insalubria, & tunc ad morbi causam haud dubiè referenda, ceu valentia nouum morbum generare, aut genitum tueri, & augere.

Verũ cum vniuersalis cognitio vsu fraudata vacua sit, ad scopũ hanc redigentes dicemus in nostra hypothesi duo quãprimũ se offerre sũma capita, ad quæ omnis indicatio reuocãda, ducẽs nos ad optimã remedii inuentionẽ. quo tandẽ sub ratione cõmuni inuento. & accedente methodo rationali, rectè de venæ sectione à nobis proposito modò auxilio, ius erit deliberare. deliberatio nam-

que electio est, ex multis propositis auxiliis, tum melioris, tum conferentioris, exploratis præsertim scopis, indicante itidem, ac reliquis vnà coindicantibus.

Primum caput, morbus acutus est, alterum mensurnus sanguis, aut hęmorrhoidum. illud in vniuersum, ceu præter naturam simpliciter sui ablationē indicat per magna contraria: alterum, ceu indifferēs ad vtrumque genus secundum naturam, ac pręter, etiam indifferenter indicabit. nam si in tempore, ceu res secundum naturam, conseruationem indicat. sin intempestiuè, seu nō in tempore absolutè, tanquam actio læsa sequens morbum, ad priorem illam, ac communissimam indicationem reducēda, ad ablationē inquam per cōtraria. quia tunc vterq; reuocandus ad symptomaticas excretiones, quę per se semper malæ, & vt signum, & vt causa, nisi aliquando, ac rarò ex accidenti, robustam nactæ fuerint naturam. Quid quod, & iidem fluxus in tempore concitati possunt & aliquando (quamuis per accidens) fieri pręter naturam, respectiuè, propter priuatam occasionem in qua fluunt, quando videlicet impediunt, ac remorantur alicuius priuati remedij vsum, ab vrgentia alterius connexi affectus vnicè indicati. verum si fortè materia fiant remedij, vt docet Gal. l. Artis Medicę c. 98 (accidit autē si in vigore, aut ipsa morbi declinatione occurrant) & maximoperè æstimandi, ac pro gratia semper habendi.

Indicatio igitur à morbo acuto prima, & præcipua in nostra hypothesi. reliqua coindicantia, quàuis simul cum hæc ad remediorum inuentionem vtilia valdè, tamen initium inuentionis eorum,

testante Galeno lib.3.meth.ca.1.ex.morbi necessariù sumitur natura: & hic per communissimam indicationem ex eodē Galeno & lib.Artis Med.ca.89.& 9.meth.c.3.sui ablationem indicat, & per contraria verum singulæ morborum ideæ, adhuc & eandem per distinctas oppositorū differentias, morbus magnus magnum cōtrarium,paruus paruū,acutus celer,languidus tardū.requiritur namq; iusta proportio inter morbum, & eius contrarium auxilium. nam si istud debilius, aut tarda, aut imperfecta, aut nulla curatio: si vehementius, periculosa,cum eius vi contrahatur & alter morbus, & forsan peior priori, perducto corpore in contrarium extremum. Quare morbus acutus, cum altera morbi magni species sit,& magnum, ac celer indicabit remedium.quę celeritas non tantum ad energiam auxilij spectāda, verū etiā ad sedulitatē artificis concurrēdo vnanimiter ad citissimā illius acuti morbi expulsionem. Auxiliorū vim in hisce morbis perbellè insinuauit Senex optimus lib.1. Aphorism.sen. 6. dicens, *Ad extremos morbos, extrema exquisitè comparata remedia, optima.* Inducias enim nullas admittit morbi vehementia,& eiusdem acuties.

Hoc magnum ac celer remedium ex vi methodi deliberamus, cum nullatenus aliquod particulare remediū indicetur,sed semper sub ratione cōmuni: quare vti morbus particularis,vt talis, haudquaquā indicans,sic nec particulare auxiliū, vt tale, indicatū.Deliberatio autē methodo procedit, cum nō solum indicās pręcipuum æstimamus,& cętera coindicantia,verum etiam & materias vnà remediorum exploramus, ac eorum scopos.cum igitur princeps indicans

indicans in nostra hypothesi sit morbus acutus, qui magnus & celer, cuius contrarium est magnum ac celer itidem remedium, explorandæ remediorum materies, valentes occurrere magnitudini, ac celeritati indicantis morbi, tum constituendi scopi illorum, qui assistere debent ad absolutam remediorum deliberationem. Materiem describit Gal. libro præsertim 2. Aph. sen. 29. & lib. 4. Methodi cap. 6. & duplicē statuit, purgationē videlicet, & venæ sectionem: vti vtriusque binos scopos, & eodem libro 4. meth. ca. 6. & lib. de curandi rat. per venæ sect. ca. 9. & 13. tum & lib. 4. de rat. vict. sen. 19. etsi eo loco tres assignet, sed ætas ad robur virium referenda. Scopi itaq; sunt vtriusque auxilij morbi magnitudo, & robur virium: quia ille est postulās magnum auxilium seu adæquatum contrarium: hic verò cōsentit eidem, quasi prior respectet indicās, alter potius indicatum, seu eius subalternatam materiem, iam deliberationi subiectam. His positis, statuendū istorum consetentias, an purgandum, an vena scindenda. ad cuius rei accuratam deliberationem, natura indicantis quàm maximè æstimanda, tum cuiusque materici remediorū pariter & natura. ad naturā morbi indicantis consideratione alij specifici spectāt scopi, an sit fluxio, an nō, an concoquat natura morbi causā an secus, an adsit multitudo cū vincēte sanguine, & adhuc suam ideam seruāte, an minima, ac omnino degenera, & alia: ad materiei auxilij naturā spectāt pariter & peculiares cuiusq; facultates sīgulis illis respōdētes scopis, q̄ reuellat, deriuet, vacuet, citò, tutò, nulla expectata coctione, aut hāc requirēte, fluido existēte corpore, aut secus. His denique cunctis delibatis, mens accurata methodo de-

cernet in morborũ acutorũ principiis locũ habere venæ sectionem tantum. quia hæc reuellit fluentem humorem, vacuat iugiter, citò id præstat, ac tutò, nullam requirit coctionem, nec fluidam corporis dispositionem. in eorundem verò declinatione cõtra solius purgationis est locus. quia hæc vacuat humorem coctum citò, ac tutò, qualis existit in morbi declinatione, veluti & fluidũ corpus. In augmẽto, ac vigore vtriusque auxilij interdicitur per se vsus, iuxta illud Hippocratis lib. 2. Aph. sen. 29. *Incipientibus morbis si quid mouendum videtur, moue. vigentibus autem quiescere multo præstat.* Et ratio facilis quia cum coctionẽ aggrediatur iam natura in ipso incremẽto, perficiat in vigore: coctio autem omnimodam requirat quietem, testante vtroque Medicinæ Parente pereleganter libr. 4. de rat. vict. sen. 44. Ius nõ est in vtroq; tempore mouere, nec per venæ sectionẽ, nec multò minus per purgationẽ, cũ hæc multò magis vniuersum corpus cõmoueat, agitet, perturbet, etiam & elemẽtia catarctica, cum nec aliter queant suum munus præstare. Admisit Galenus in incremento aliquando venæ sectionẽ, si tardè accersito Medico plenitudo nõ sit diminuta, qua pręsente natura coctionem aggredi nequit. Dicet quis hæc auxilia morbũ nõ respicere primò, verum causam. Satisfaciemus, quod cũ omnis morbus acutus necessariò maximę alicuius causę sit effectus, immò ex Gal. lib. 8. meth. ca. 4. discernitur ab effectu causa. hinc cõsultò deliberamus de maximo remedio in acutis morbis, ab eorum causa indicato, sub cõmuni ratione: & recidẽte causa, (à qua exordiẽda curatio,) & fiens morbus omninò recedit, & factus eadẽ fouente ablata, statim cessat. Huic itaq; in his morbis quam

quam maximè insistendum, vt exul fiat.

Cæterum in nostra hypothesi est actu præsens connexus ille fluxus, mensurnus inquam, aut hæmorrhoidum, & cum vtrumque secundum naturā æstimemus, cum ille toto genere sit secundum naturam, hic opus naturę, & vtile, haud dubiè sui conseruationem indicabūt. quare necessariò est discors indicatio, ab altera quæ à morbo acuto: & quamtum in se est. & prohibens deliberatum illud auxilium venæ sectionis, ceu vtrique dissimile naturæ operi. Non igitur rationali methodo consonum videtur, fluentibus mensibus, aut hæmorrhoidibus venam tutò scindi posse, ceu compescenti auxilio, cum sui conseruationem indicent. Hæc plurima, & ardua continent, omni obseruatione digna, quæ mox nobis interpretanda veniunt, quibusdam prius offensaculis remotis, & distractis.

An indicatio ab affectus magnitudine in medendi methodo sit ordine prima.
CAP. XXVII.

Methodi rationalis præstantia, non in valetudine tuenda demóstratur tantum, verum in exoluendis corporis humani morbis. Inde morbus, Gal. l. 3. meth. c. 1. & l. 6. c. 2. principium & carcer appellatur methodi: & eiusdem methodi pariter finis, ex eodem Gal. lib. 2. meth. ca. 7. inuenire cuiq; morbo auxilia: quasi morbus incitamentum methodi, ὁρμητήριον, & initium vnde inuenimus remedia. vti indicatio eiusdē methodi præcipuum organum, inuentio, est orta ex ipsa morbi natura, & ab ipsa quod sequens est, citra experientiam. Cæterum morbus

vniuersalissimum genus cùm sit, sub se plurima alia cótinés interiecta genera, ac infinitas penè morborũ ideas, nec sanatur, nec quicquã artificio dignũ indicat, testãte Gal. l. 6. meth. c. 2. sed sui tãtũ ablationẽ per contraria. res quidẽ lippis, & tonsoribus trita, & vulgaris, proinde ad inferiora descendere ius est, ad infimas vsque procedendo species, quæ singulæ, & singulari itidem fruuntur methodo. Quare Galenũ aduocemus iã lib. 1. meth. ca. 4. & seriò fantem cõtemplemur, iam & eodem nuper citato methodi loco, *Quisquis condere medendi methodum ad vnguem parat, huic à primis est indicationibus auspicandum: atque hinc ad eas quæ deinceps sunt trãseundum: rursúmque ab his ad proximas. Itaque pergenti non prius desistendum, quàm ipsius compos sit finis. Porrò finis propositæ nunc nobis tractationis est inuenire cuiusque morbi remedia.* Inuento itaque hac methodo auxilio in specie, accersendi mox scopi, quibus vnà adstantibus, & pro tribunali sedentibus artifex auxiliorũ eligat materiem; quæ ceu singularis nec indicatur, nec sub vniuersali scientia, sub qua indicationum cadit, immò à mente eligitur, affectans quatuor illos vniuersales medendi scopos. Hæc cuncta igitur ad methodicam curationẽ proculdubiò requirũtur. Sed cum curatio omnis, ex Gal. lib. de comp. med. s. loc. cap. 7. non solum admittat rationalem remediorum inuentionem, verum & materici eiusdem auxiliorum vsum, rationalem etiam. hinc, illa, indicatione perficitur, hic verò, & indicatione, præpositis pariter, & scopis. quę omnia vinclis methodi rationalis alligari fas est, ac ius, cuius (vt diximus) carcer morbus 3. meth. c. 4. Quare morbi naturã seriò, ac sedulò explorandam arbitramur. Et cum ad eius

naturam

naturã spectet maximè ceu peculiares affectiones, vehemẽtia, aut eiusdẽ pauc tas. has & in curatione æstimandas docet ratio. nihilque moror nunc magnitudinem, seu vehementiam cum Galeno & lib. 1. cap. 3. & 3. de Cris. cap. 4. & lib. etiam 1. Apho. sen. 12. appellare. Sub vtraque differentia plurimæ continentur morborum ideę. lubet modò, cum Galeno lib. 2. de pulsuum diff. ca. 10. quidquid alterum ab altero differt, differentiam vocare.

Morbus itaque magnus ad sui ablationem perito indiget artificè, qui maxima solertia cum methodo iurgiter auxilia sibi comparet exquisita. quæ omnia amplexus fuit sũmus dictator sub illo primo, ac diuino oraculo lib. 1. Aph. Paruus morbus vt plurimum sola medicatrice natura exoluitur. Verũ cum magnitudo seu vehementia, quædã sit affectio omnium illorum affectuũ, qui præter naturã accidũt, cũ nõ solũ cõtingat morbũ esse magnũ, sed & caussam magnam, magnum & symptoma: vnusquisque autẽ horũ affectuũ & per se indicẽt extra magnitudinẽ, ceu res distinctæ. hinc fortè fuit arrepta occasio à quibusdã etiam Classicis doctoribus dubitãdi, an concurrente hac vehementia cũ morbo, hæc in medendi methodo postremò quid indicet, an secus vnà cũ morbo, caussa, aut symptomate quid primò.

Fabius Pacius doctus vir sanè com. in libr. 4. meth. ca. 6. vnà cum eius clarissimo Præceptore Alexãdro Massària lib. de scopis mitt. sang. priorẽ obnixè tuetur opinionẽ. Pacius suã hãc confirmat anili quadam ratione, ab ipso Galeno exhausta. Inquit itaque ex eo Galenus lib. method. 3. omnes in vlcere connexas indicationes absoluit, neglecta altera quæ à vehementia præbetur, quia ceu pos-

tremam censuit, nec reliquis adiiciendã: & proinde lib. sequenti 4. eandem mox absolutè prosequitur.

Improbat rursus & eos qui de proposito morbo statim ex hoc magnitudinis scopo & præcipuis decernunt auxiliis. cum reliquæ potiùs percurrendæ illis essent indicationes, quæ aut in morbo simplici, aut composito consistunt, quibus demum altera ex morbi magnitudine iungenda venerat.

Exponens adhuc infrà, amplius suam mentem idem Pacius inquit, morbi magnitudinem in inuestigatione, & inuentione remediorum per methodum facta, haudquaquam in ordine primam præbere indicationem: primam autem suggeri in ipsa methodi exercitatione, & artificiali operatione, seu vt nos exactius loquamur in methodi medendi vsu.

Nos & anilem difficultatem, & oppositè sentiendum consulimus. anilis quidem, quia exorta ex cófusione præsertim scopi cum indicatione, qua tersa caligine, vt mox præstabimus, quæstio nulla. Sed rem modò à suis principiis petitam exordiamur.

Magnitudo contractè sumpta analogum, vnde nequit definiri. quia nequit ratio communis assignari, quæ per se cunctis conueniat magnitudinis differentiis. Sub triade hæc contineri fatur Galenus & lib. 4. meth. ca. 6. & lib. 7. cap. 12. Primò de affectu in sua essentia magna, seu de eo qui vehementer lædit actionem. dicitur rursus de affectu lacescìente aliquam nostri corporis præstantem partem, siue læsio sit actionis dignitate præstantis, siue facultatis toti corpori deseruientis. Tandem & de cacoethe affectu seu mali, ac deprauati moris. Hæc vltima

ma differentia siue sit respectu morbi, aut caussæ, siue à symptomatum feritate atque sæuitie, periculū aliquod vitæ semper habet coniunctum: reliquæ non necessariò. Cuilibet huius magnitudinis differentiæ, peculiaris itidem occurrit indicatio. vehementiæ in essentia & vehementis auxilij: secundum essentiam appositi indicatio. magnitudini ob excellentiam partis, eidem appositi magni auxilij indicatio, seruantis & actionis præstantiam, ac facultatis toti corpori communis pariter & robur. Denique & magnitudini cacoëthiæ, indicatio itidem magni oppositi alexipharmaci quantitate, vel toto genere operantis, iuxta naturam indicantis, quam innuit perdocte Galenus libr. 1. de comp. med. secund. genera. c.18.

Portò & de affectus magnitudine illud itidem omni obseruatione dignum ediscendum. quod aliquando, vt scopus se præbeat in consilium aduocatus, ad magna iugiter, ac seriò decernenda auxilia: aliquando verò, vt indicans, in rebus secundum naturam, simile, in aliis quæ præter naturam, contrarium. Quæ cum inter se non parum distinguantur, ceu totius difficultatis cardo, à clarissimis viris, aut neglecta, aut fortè ignorata distinctio, & plurima hinc exorta monstra, nec minimi parti errores, si aliquorum doctorum replicemus libros. Et quamuis coëant aliquando scopus, & indicatio, quasi eadem res has diuersas assequatur proprietates: tamen ob diuersam cuiusque rationem formalem & distincta apparent, & reapse sunt. Nam sub ratione scopi, morbi magnitudo ne indicat quidē, sed mēti præponitur potius ad deliberationem alicuius materici auxilij, cuius speciem & ideam iam prius

indicatio inuenerat. vnde scopus non ad remediorum inuentionem, sed ad materiei potius electionem quàm primum spectat. Exemplo rem exponã. In synocho, plenitudo morbi caussa indicat vacuationem, ceu illi contrarium: huius diuersæ species, venæ sectio, purgatio, frictio, cucurbitæ, &c. Menti se offert alterius adæquati auxilij deliberatio, mox aduocat scopos, antistat quamprimum morbi magnitudo, (talis namque naturæ synochus illa, ne indicat quidem tunc, sed consulit vna cum robore viriũ remedium eligendum magnum. & cũ huius notæ sint tum purgatio, tum venæ sectio, vtrumque amplectitur illa, quod nefas dicere de indicante, cum vnum vnum tãtum indicet. Magnitudo igitur, qua scopus haudquaquam indicans. Præterea nec indicatur materies remedij, cum indicatio indicans & indicatum continens, vniuersalium tantùm sit, & vnius ad vnum, nequit igitur indicari. Abeat igitur Pacius in tanta caligine cũ aliis offusus, & in hoc cœno volutans; quod si obiiciat quispiam Galenum hoc idem cẽsisse aliquibus in locis: satisfaciemus dicendo ibi loquutum fuisse καταχρηστικῶς, cùm semper non obseruet strictiorem loquendi formam, sed communem dicendi libertatẽ, & vsum, quod facilè erit demõstrare ex eodem Galeno, cum lib. 4. meth. ca. 6. sic scribat, *Ex quo patet non hoc esse quod mittẽdum sanguinem indicet, sed magnitudinem morbi, ac virium robur.* quo loco cũ signet scopos præponendos ad venæ sectionis seriã deliberationem, non fuit vsus verbo deliberet proprio, immò altero indicet abusiuo. nam scopi quatenus tales nec venæ sectionem indicant, nec quicquam aliud: sed præponuntur tantum, vt consilio impe-

imperent de vena secanda. quid quod robur viriũ, scopus alter (quod vt indicans propriè sui conseruationem potius indicat) quis quæso mentis compos venæ sectionem illud indicare, attrita fronte ausus fuerit affirmare? piaculum sanè. Porrò morbi magnitudo, vt indicãs inquã, nec venæ sectionẽ ꝓpriè indicabit. si enim hanc indicaret, cum vnum sit indicãs, nec aliud ab ipsa indicaret: néve alio auxilio tolleretur: quod absurdum. excluderetur namque purgatio, quæ tanquam iugiter auxilium magnũ æquè competit morbi magnitudini, etiam ex eodẽ Galeno, tũ citato nuper capite, tum lib. 2. Aph. sen. 29. & alibi. quamobrem affirmandum morbi magnitudinem propriè loquendo scopum potius esse ad venæ sectionem, quàm dicendi proprietatẽ seruauit Galenus libr. præsertim de cur. rat. per venæ sect. ca. 9. & 13. tum lib. 4. de rat. vict. & vbi ex instituto rem pertractat, eodem lib. 4. meth. sen. 19. ca. 6. cuius loci verba licet modò referre, *Hippocratem sanè diligentiæ nomine admiror cum in aliis omnibus, tum verò quod scopum, qui medico ad indicationẽ non in vno, alteróve, sed prorsus omni morbo sit spectandus, non omiserit.* Perbellè Galenus hanc, quam nos prosequimur doctrinam illustrat, dum scopũ propriè ad Medicum referat, haud quaquam ad auxilium: quasi Medicus aduocet scopos in concilium, ad materiei remediorum optimam deliberationem. præterea ne scopum quidem indicare retur, immò hunc ad indicationem in omni morbo spectare censet, quasi dicat apertius, præponendus est Medici menti scopus ad hoc, vt ipse consultò materiẽ auxilij deliberet: ꝙ auxiliũ in genere inuẽtum prius iam fuerat per vniuersalẽ indicationẽ, vna cũ

aliis coindicationibus ad hunc finem æstimatis. Et hæc est altera & præstans scopi significatio, ad nostram hanc spectans instituti rationem. Prępositum videlicet in artificis mente ad finis prosequutionem, & consequutionem.

Est & altera scopi significatio, quando sumitur pro fine, & intentione cuiusque rei, quatenus à mente contemplatur, seu quatenus existit, potestate mouens cæteras caussas ad agendum, vt actu fiat. hinc dicitur scopus auxilij, finis propter quem illud à mente eligitur. vt eligitur venæ sectio in morbo aliquo magno sanando; quia in eo est indicans compescationem, quam citò, ac tutò parat venæ sectio: proinde finis ille Medici, propter quem eligit venę sectionem, scopus est auxilij, compescatio seu reuulsio inquam. rursus & dicitur scopus methodi, sub hac eadem significatione finis ille, quo mens intendit morbi ablationem. Hæc diffusè in nostro spicilegio disputabuntur.

Ex his seriò prælibatis certo concludimus magnitudinem morbi ceu scopum non indicare, nec in vsu methodi vltimum obtinere locum, cum pręponendus sit, tanquam princeps scopus in deliberatione materici auxilij, nihilominus comitante & altero, à virium robore petito. quamuis respectu indicationum, quibus vtimur ad remedij speciem inueniendam vltimi illi sint scopi: tamen in consilio deliberatiuo de remedij materie, primum potius sibi vendicant locum. Absurdè itaque Pacius inquit magnitudinē morbi, quam citato lib. 4. meth. cap. 6. vt scopum contemplatur Galenus inter indicantia postremam esse in ordine cum nullatenus indicent scopi, sed vt cum Galeno propriè loquamur

mur Medico sunt spectandi ad indicationem : & tunc recto consilio , quę per indicationes inueniuntur auxilia , quid illorum sit eligendum , suadent.

Cæterum inquirendum modò , an affectus magnitudo, vt indicans (semota scopi significatione) vltima in ordine sit indicatio. diximus affectus magnitudinem, vt non solum morbum, verum & eius causam , ac symptoma , quibus magnitudinis ratio congruit, amplecteremur. Si hanc rem penitius exploremus, magnitudo quidem affectus, in sensu cópósito (vt nostri loquuntur Philosophi) prima potius in indicationum ordine erit. quod nobis lubet his rationum momentis demonstrare.

Magnitudo nihil distinctum specie ab affectu, cum quo contrahitur indicat, siue morbus, siue causa, siue symptoma fuerit. Sed omnis indicatio ab affectu, morbo, vel causa primo semper se offert loco. ergo & primò indicat, ac simul cum quo contrahitur magnitudo.

Liquet propositio , quia magnitudo per se nihil indicat , sed in quantum contrahitur cum affectu, cuius est proprium. vnde tunc vim tantum auget affectus , seu intensionem , & per consequens non mutat speciem indicantis , nec ab ipsa mutatur indicati auxilij species, cum tanquam vnica res composita vnico simul tempore indicet , & vnicum sit ab ea indicatum, compositum videlicet ex contrario cum intensione. Neque loquimur modò de quantitate aut magnitudine partium organicarum, quia hæc & morbus est, quotiescunque primò lędit actiones, & indicat curationem per contraria, quæ fiunt illi causæ salubres , vt doctè Galenus exponit

li. illo artis Med. ca. 7. Sed nobis nūc mens est agere de magnitudine morborum, seu de intensione ac vehemētia illorum, siue in similaribus, siue organicis existant partibus. non itaque agimus de magnitudine morbo, sed de magnitudine morbi. Ad pensum redacti propositionem lustremus exēplo. Si vlcus magnum, vlcus per se siccationem indicat, magnum autem, seu magnitudo connexa aliud à siccatione nihil. Sed vim siccandi in indicato auget, ex Galeno lib. 6. methodi ca. 2. Quare vnica apprehensione, & vnica indicatione dicemus, vlcus magnum magnam indicare siccationem.

Præterea assumptio trita est in Galeni doctrina, apud libros methodi. Nam cum indicatio à morbo sit caput methodi, ab ipso inchoanda curatio. qui si causam habet præsentem, ab ipsa potius, eadem decet methodus. quod si forsan symptoma vrgeat, etiam ab ipso exordiendum. relictis itaque reliquis coindicantibus ab aliquo horum affectuum præter naturam, ceu primò indicante semper exordienda curatio: æstimata in quolibet illorum sua magnitudine & vnà indicante.

Porrò est & altera ratio, si magnitudo vltimò in ordine indicantium indicaret, per se indicaret. Sed haudquaquam verum. Ergo nec illud ex quo sequitur.

Propositio vera. Nam quæ seorsum indicant, necessario & per se indicant, quia ceu distinctæ res necessariò debent distincta indicare, & iuxta cuiusque naturam, seu per se indicatio procedet.

Assumptio itidem ex eo patet. Ea dicuntur indi-

indicare per se, quę nullo interuentu alterius, verùm ex propria natura, specifica, aut generica insinuant indicata. Sed magnitudo per se, & ex sua natura nullum aut genericum, aut specificum insinuat indicatum. Ergo per se non indicat. Quod si per se non indicat, indicabit per aliud, per affectum videlicet, cum quo contrahitur, seu cum affectu, cuius est de essentia, vnde si primo indicat affectus, primò & indicabit magnitudo: cum separari nequeant, cōtracto modo sumpta, & quatenus vnum indicans. Quod autem magnitudo sit de essentia affectus, seu propriū, innuit Galen. aperte li. de totius morbi tempor. cap. 5. dicens, *Itaque morbi singuli ex sua quidem natura magnitudinem quandam possident*. Hinc cum morbi ex sua natura & magni dicantur, & sint, vnica pariter indicatione magnum indicabunt auxilium: nec primò auxilium, tandem magnum, cum & hoc idem necessariò supponat auxilium, quod est in concreto eius subiectum. Aliter se habet res in indicantibus per se, etsi connectantur: vti vlcus, sordidum, cauum. nam quodlibet ex his per se indicat, vlcus quàm primum siccationem, mox sordidum abstersionem, impletionem denique cauum. Est itidem & harum indicationum in se inuicem ordo. nam primum sordidum abstergendum, cauum deinceps implendum carne, tandem vlcus siccandum. in vlcere autem magno nihil distinctum indicat magnum ab vlcere, sed vnà magnum vlcus, magnam siccationem, Vnde inter hæc duo abest ordo prioris & posterioris, cum simul cum affectu, cum quo contrahitur, siue morbus, siue causa, aut symptoma sit,

indicet. Hinc fortè diuinus dictator lib. 1. Aph. sen. 6. consulit *extremis morbis extrema remedia.* nec primò censet morbo occurrendum, ceu primo indicante, mox extremo, videlicet valdè magno, & vrgentissimo, ceu vltimo. verum in vnum cogit, morbum cum extremo, ceu vnum indicantem, & remedium itidem cum extremo, ceu vnum indicatum, ab illo vno indicante indicatum.

Quamobrem concludamus in medendi methodo, si magnitudinem affectus, vt scopum consideremus neque indicare, neque per consequens ordinem prioris, & posterioris inter indicantia requirere: sin verò vt indicans, tanquam res composita & in vnum contracta, seu in sensu composito (vt vocant) indicare magnitudinem, idem ac simul cũ re cum qua contrahitur. neque vsquam inter indicationes vltima erit, cum semper cum aliquo præter naturam affectu contractam cõtemplemur, primum locum inter indicantia obtinente. Verumtamen est in disciplina methodi medendi tradenda, quæ à simplicioribus progreditur ad compositiora, magnitudinem vltimum possidere locum, quia vltimò venit obseruanda, cum componat simplicem affectum. Quo posito, & detegitur error, vnde fuerat exorta Pacij deceptio, & eius opinioni facilis quidem satisfactio. hic itaque cum Galenum considerasset lib. 3. meth. de vlceribus in genere, ac de eius singulis differentiis disputantem, & libro 4. denique de magnitudine illorum, ceu vltimum in methodo æstimandum pertractare, conclusit etiam & idem præstandum in vsu methodi medendi. hæc autem multò longè se habent. nam Galenus ibi per compositoriam methodum (qua perbellè & traduntur,

duntur, & docentur disciplinæ, quæ à magis vniuersis & nobis itidem notioribus ad minus vniuersa procedũt) prius de simplicibus disputauit, descẽdẽs sensim ad compositiora. neglexit proinde priori lib.3. causam, & affectionem seu magnitudinem, quam mox lib.4. explorat. Neque hanc interpretationem ab eius mente recedere arbitramur, cum eandem apposite eius diuina lustrent verba, dum li. eodem 4. cap.6. sic cecinit, *Præberi autem vacuandi indicationem ab ipsa ægritudinis vi, in eo libro non dixi*, & causam statim assignat Galenus: *propterea quod & longiorem demonstrationem requirebat, & totius corporis curam cum vlceribus non coniunxi. hic verò executus sum, quantum ad rem propositam erat vtile*. Quibus verbis manifestò innuit causæ contẽplationem (quam causam magnam simul æstimat ibi) in doctrina tradenda & difficiliorem hanc, ac longiorem pariter reddere, & per consequens, consulente eodem Galeno lib.1. meth. cap. 5. & libr. 3. cap.4. simpliciori, ceu faciliori, ac nobis itidem notiori postponenda. verum in medendi methodo, in qua præcedente omnium affectuum analysi per indicationes aucupamus & inuenimus auxilia, procedendo per alteram differentiam methodi cõpositoriæ, à primis causis ad magis propinquas, & ab his rursus ad effectum vsque perueniendo; affectus magnitudo si ad causam referatur, & præsens sit, primam haud dubiè hæc magna causa indicationem præbebit: cum in curatione morbi ab efficienti causa, siue magna, siue parua exordiendum sit. sin verò ad morbum; iam absente causa; simili ratione ex lib.11. meth. cap. 10. & primam suggeret indicationem, ceu methodi carcerem. nam quam-

primum aggredimur per rationalem methodum curationem morbi, occurrere se nobis statim morbi idea, pariter & statim hunc morbum definimus magnum; quod si magnum in vniuersum, & simul comprehendimus magnum indicare auxilium. rursus explorata eius natura, nihilominus & definimus per priuatam seu magis specificam indicationem, indicatum auxilium: & tandem cunctis æstimatis coindicantibus, & aduocatis vtrisque scopis, eorúmque numerum, dignitatem, ac dignationem vnà perpensis, auxilij ideam, seu materiem seriò definimus. vnde in hac methodo magnitudinis morbi quamprimum se offert indicatio, nequaquam primò morbi, vltimò magnitudinis. nam si ex primo indicante morbo inchoaretur methodus, elumbis & inualida esset censura, cum haudquaquam adęquatam auxilij speciem nos definiremus, neglecta magnitudine, & vltimò loco æstimata, & claudicaret omnis progressus.

Improbandus denique Pacius dum alios improbat, scopum cum indicatione confundens, & existimans denuò, vnà cum Præceptore Alexandro Massaria morbi magnitudinem venæ sectionem indicare. Neglecto priori, ceu iam supra abundè confutato, obiter alteri satisfaciemus. Si ad venæ sectioné duo saltem requiruntur scopi pręsentes, tum à diuino dictatore, & Galeno, tum ab vtrisque vestrûm: ergo illa nullatenus indicabitur, cum, vti ad indicationem futiles scopi, sic ad deliberationem opportuni. quare potius deliberatur, quam indicatur. Quid quod nec magnitudo morbi, etiam adstante causa, humore videlicet, qué proximè respicit venę sectio, simpliciter vacuationem indicat, tantum abest

abeſt, vt venæ ſectionem, materiam quidem auxilij, reſpuat omnem indicationem. immò primò ab indicante morbo magno, magnum potius auxilium: à cauſa verò diſtinguendum, nam hæc ſi multa vacuationem ſimpliciter indicat magnam, ſi mota, ac fluens compeſcationem per reuulſionem, aut deriuationem ſimiliter, & magnam. Iſtud illa diuina verba Galeni declarant, *præberi autem vacuandi indicationem ab ipſa ægritudinis vi.* nam cum eo loco Galenus vim hanc ſupponat contractam à cauſæ magnitudine ſimul adſtante, & hanc itidem ſupponat plethoram, proinde inquit, vacuandi indicationem præberi à vehementia morbi, cum plenitudine eius cauſa: nequaquam autem hanc morbi vehementiam præbere indicationem ſecandi venas ſcripſit, cum ſimpliciter morbi magnitudo adæquatè ſe habeat ad venæ ſectionem, & purgationem, vt multis in locis ſcripſerat ſeriò Galenus. quod ſi ita, vt luce meridiana clarius, temerarium cenſere, magnitudinem morbi indicare venæ ſectionem, ſeu per paſſiuam (vt cum Grammaticis loquamur) hanc indicari à magnitudine morbi, quia vnius indicantis, vnum per ſe indicatum: & quod pro ſui natura vnum indicat, ex Galeno lib. 9. cap. 12. & lib. 11. meth. cap. 15. illud vnum ſemper indicat.

Tandem illa Pacij explanatio, in principio capitis propoſita protinus, ceu falſa explodenda, cum abundè ex dictis eius falſitas innoteſcat. nam morbi magnitudo in medendi methodo, vt indicans, primum obtinet locum, cum ſit vnum cõtractum, vnum nihilominus ſemper indicãs auxilium. verù

in vſu methodi medendi, quando de materie magni auxilij decernimus,tunc morbi magnitudo indicans non eſt,ſed ſcopus potius ad ſeriò conſulendum de adæquata ac conuenientiori materie auxilij deliberanda.Benè quidem in methodo tradendæ diſciplinæ ipſarum Indicationum, inter ipſas vltimò ſanè illa tradenda.Sed de his ſatis. Varia igitur ratio formalis rem diſtinguit,ac diſpatat.

Hæc ſunt,quæ ego cum Galeno lib.3.meth.cap.3. edocta deſiderarem ab iis,qui citra methodum,generales curandi methodos cunctorum morborum ad nauſeam vſque ſæpè exarant. remediorum autem illud penu ex veteribus Græcis, tum quod magis dolendum,ex Arabibus tranſcribere,& ſæpè cum iis Neotericos aliquos committere, in immẽſum chaos omnia illa redigentes, maioris quidem negotij,ac laboris, quam ingenij, & tranſcribentis potius,quam optimè commentantis opus. Qui labores vacui cum ſint,exangues,)proh dolor)adulterinos concipiunt partus, & abortiuos effœtant natos,maxima cum viuentium hominum clade. Diſcant igitur amabò Medicinæ manes rectam hanc Galeni methodum, viriliter inſiſtant huic,diu, noctúque inuigilent, largè vim indicationum maximam æſtiment, perpendant ſedulò, & cuncta tandem quæ de hac re à noſtro clariſſimo Galeno Artis Medicæ Phœnice,ſtylo quaſi ferreo paſſim conſcripta apparent, explorent, rimentur, amplectantur.

De

De methodo exercendarum indicationum à mensium fluxu, aut hæmorrhoidum, morbo adstante acuto.

CAP. XXVIII.

IN rationali methodo (quam à diuino Hippocrate inuentam, & ab altero quasi naturæ genio Galeno perfectam accepimus) obseruata quàprimum morbi idea, docemur amplius, an qui proponitur nobis sanandus morbus simpléxne, an cum aliis connexus, rebus pariter indicantibus, siue secundum naturam sint, siue præter. Si simplex morbus, cum vnum vnum indicet, & simplex erit indicatio, & methodus facilis. verum si implicatio aliqua fuerit, videlicet morbi cum altero affectu curationem ad se conuertente, tunc temporis aduocanda methodus, quam perdoctè Galenus libr. 7. meth. ca. 12. describit, & tria in ea ęstimanda censet, primum quisnam illorum affectuũ vrgentior, rursus quisnam habuerit caussæ rationem, tandē quis ante alium sanari possit, vel nequeat, ordinem inquam. Hác methodum arduá sanè, ac diuiná in cōsilium redigentes, in hac nostra etiam consilij ratione morbus quamprimũ se offert acutus, & hunc, non simplicem, verum implicatum cōtemplamur, implicatum inquam, vel cum mensurno fluxu, vel hæmorrhoidum. qui fluxus cũ duplici sorte queát accidere, aut secundum naturam in tempore videlicet cũ vtilitate, ac citra actionem læsam, nullo intercedéte effatu digno affectu: aut rursus pręter naturá, vt symptomata sunt in excretis, ab aliquo prę-

ter naturam affectu germinata. Porrò & cum vterque fluxus accidere possit & tempestiuè, tam respectu morbi, quam ægrotantis consuetudinis, iuxta cuiusque typum: aut intempestiuè ad vtrumque relatus. hæc cuncta æstimanda veniunt in medendi methodo ad absolutum coindicationum harum exercendarum ordinem. Nam si fluores hi concordes fuerint, seu causæ salubris rationem habuerint, nihil tunc in se indicabunt, sed tanquam materies auxilij pro gratia habendi, & seruandi. Inter materies autem auxiliorum Auctor ad Thrasib. ca.7. accuratè excretiones, & retentiones commemorat. Naturæ verò opera (qualia hæc) testante Galeno li. lib.6. Epidem.com.5.sen.1. solum dicuntur auxilia, quando ipsa natura morborum medicatrix optima, vt eodem etiam loco declarat Hippocrates, opportuno tempore, & circa reliquos peculiares scopos decenter operatur, tunc enim auxilia tantum iuuant, vt libr. 11. meth. cap. 1. recenset insignis Galenus. Natura itaque morborum medica dicitur, quia seruandi animalis causa omnia seriò administrat.

Quando igitur medicatur ipsa, artifex ne moueat quidem ius: immò ipsam benè operantem contemplетur, insequendo semper eam, & eius vestigia explorando. quam si fortè à recto deflectere videat, iterum ad optimum statum reducat, & arte defectum omnem eius emendet.

Verum si discordes fuerint indicationes, vt ne fluxus illi causæ salubris rationem habuerint, quinimo insalubris potius, tunc & aduocanda est prædicta Galeni methodus, & obseruandum quænam discordium indicationum vigentior, aut causæ rationem

tionem habuerit: nam vltimus modus negligendus in nostro hypothesi. Si itaque morbus acutus fuerit, sua magnitudine reliquas vincens coindicationes, etsi discordes, omnem pariter ex Galeno lib. 8. ca. 9. & 11. meth. c. 3. ad securationem conuertet: quibus partem neglectis, quod indicans postulabit morbus acutus nos præstabimus: vti si phrenitis ille sit, angina, aut pleuritis, morbi quidem acuti: quibus cum congruat valde missio sanguinis, hanc ex cubito hauriemus, neglecto quidem menstruo fluxu, aut hæmorrhoidum: quantitati tamen auxilij aliquid condonando, ne videlicet plusquam oporteat nos demamus. immò æstimato vtroque fluxu, sectionis venæ, ac mensium, hemorrhoidúmve tantum auferamus, quantum corporis plenitudo requirit, ne aliter ægrotantes, ob nimiam vacuationé, quam ne quidem natura fert, in exitium perducamus. Dicitur autem morbus acutus vincere sua magnitudine coindicantia illa discordia, ob duplicem rationem, aut quia multum à nostra natura recedit, aut quia cum euidenti infligit periculo. Cæterum si coindicantia ista discordia ob excedentem fluxus excessum vrgentiora fuerint, tunc contra neglecto morbo omnem illa ad se conuertent curationem. fiunt autem fluxus illi immodici vrgentiores, quando eorum ratione exoluitur totius corporis symmetria, vnà & calor natiuus, & spirituum substantia. vnde periculosas censet extremas vacuationes Hippocrates lib. 1. Aphor. sen. 3. & affatim ab illis labuntur vires, scopus quidem dignitate præstans, ad deliberandum de magno remedio. Hæc igitur prima methodi pars, iuxta diuersas, ac discordes indicationes, quam quidam

impropriè sanè coactam methodum appellant: cũ reuera à genuina latitudine methodi non recedat. nam methodi respectu, nulla imprimitur nobis vis, ne cogimur quidem: cogit autem vrgens indicans, indicatum vrgens, ac citissimum. quod etiam competit & alteri methodi parti, quæ caussam contemplatur: hęc namque, si magna ac vehemẽs, cogit itidem vehementi indicato quamprimum illi occurrendum. Non igitur hæc methodus coacta, sed regularis, vt cum ipsis barbarè loquamur. Quare methodus liberè docet, vrgentiori nos quamprimum satisfacere, altero non neglecto, seu ad instar vrgentiæ, sit alterius negligentia. Hanc methodum omni encomio dignam, commendat, ac tradit noster Galenus per totum librum meth. tum lib. 1. ad Glauc. c. 14. tum & lib. 3. de tuenda valetud. c. 9.

Porrò si fluxus mensurni, aut hæmorrhoidum, discordes inquam, imminutè recurrendo, per quãdam anadromẽ caussæ fiant alterius cuiusque morbi acuti, iam tunc hæc coindicatio discors primum sibi vendicabit locum, vt ei citissimè, adhuc etiam operanti, præcaueamus: morbo haudquaquam neglecto. quãtum autem acutior ac impetuosior morbus, tanto minus negligendus. nam in his, cum valdè sit occasio pręceps, differre auxilium, pariter exitiosum. citissimum itaque auxilium in his, reuulsio ac vacuatio ex parte ad quam humor fluit, haudquaquam ex qua. In reliquis autem morbis, qui nobis aliquos dant inducias, caussæ iugiter non solum quamprimum occurrendum, verum & caussæ principio prius, seu parti mittenti reuellere igitur

tur imprimis ex mandante parte, ex qua fit anadromes, ne amplius mittat, mox ad morbum sanandum conuerti ius est. Hæc igitur methodus simpliciter acutorum, vti altera exactè peracutorũ, qui sub tetrade terminantur: in quib. neglecto quolibet illorum fluxu, statim ad morbi ablationem accingimur; nisi fortè plethoricum fuerit corpus, & vires validissimæ: quia tunc licebit à mandante vtero, seu ignobiliori parte, semel saltem reuellere, venas inferiores tundendo; iam rursus, interposita aliqua morula, cunctanter cubiti externas secare, vt simul, ex parte recipiẽte ad quam fluit humor, quod fluit reuellamus, & quod fluxum vacuemus. Hoc illustrat accuratè Galenus lib. 1. ad Glauc. c. 14. & alibi passim.

Totam hanc vniuersalem methodum diuinis quibusdam verbis, ac concisa oratione clarissimus noster Galenus replicat, libro 1. Aph. sen. 16. dicens, *Vnumquemque morbum simplicem, propriã, ac peculiarẽ postulare curationẽ, colligatos verò quaten⁹ inter se sũt implicati, eatenus communem habituros curationis indicationem: nobis videlicet vel obsistentibus & repugnantibus ei qui magis vrgeat, interim tamen prorsus non neglecta alterius curatione: vel ambobus pari studio auxiliantibus.* Eleganter itaque in hac sententia methodum tradit exercendarum indicationum in complicatis affectibus, & primum docet, quod vti morbus simplex, priuata ac simplici fruitur curatione: ita & connexi varietate gaudent. rursus vari quæ colliguntur, duplici ratione connectuntur, hoc enim in miscibilibus facile videre est, cum aliquando mista eundem gradum interse seruent, qualia ad pondus temperata aliquando vnum alterum

excedit per gradus diuersitatē, qualia ad iustitiam simili ratione affectus inter se connexi, aut implicantur altero alterum non excedente, & tunc pari studio vtrique auxiliandum, nisi obstat ordo: aut altero tantum vrgente, cui præsertim occurrendum citò, non neglecto altero. Priori modo potest offerri ratio caussæ, & tunc non æquè vtrique affectui occurrimus, sed primum caussæ rationem habenti. Quamuis hæc sententia propriè connexum rerum præter naturam respectet, vt dilucidè Galeni verba declarant: appositè tamen potest interpretari, etiam & de connexu affectuum genere distinctorum, de altero videlicet præter naturam, tum & de altero secundum naturam affectu, quales censendi fluores illi mensium, & hæmorrhoidum. Neque hanc rem excludit Hippocratis sententia, nec Galeni commentarius, cum connectāt affectum præter naturam, febrem inquam, indicantem victum humidum, cum ætate, ac consuetudine, affectus quidem secundum naturam, vt concordes quidem coindicationes cum febre, eundem pariter victum humidum acceptantes. Affectus igitur secundum naturam sui conseruationem indicat; his autem non seruatis sub latitudine sanitatis, & præter naturam fiunt, & nouos germinant præter naturam affectus, aut germinatos augent, & seruant. quare cum facilis sit transitus iste, nihilominus & respectu methodi medendi, æstimandi, non quod illi curationem indicent, cum res sint secundum naturam, sed quia seruandi in latitudine sanitatis, ne præter naturam fiant.

In acutis itaque morbis, viribus vnà stantibus, ceu iam assidentibus scopis, postulantéque iugiter morbo sectionem venæ, imò & vrgente (quia mor-

tus

ius omnis acutus semper habet adiunctum pericu-
um) venam secabimus affectum locum respectãti,
etiam mensibus, aut hæmorrhoidibus actu fluenti-
bus. nam morbi indicatio túc suo fungitur officio,
cessat partim altera fluxiũ. nec negligemus hos, ceu
partim coindicãtes, etiĩ discordes, non quoad quali-
tatem remedij, cũ hanc morbi vrgentia, ac methodi
ratio deliberandam cogat, verum eiusdem auxilij
quantitatẽ. æstimare enim tenetur Medicus & con-
iungere ambas vacuationes, vt nõ auferatur sanguis
vltrò, quàm morbi postulat caussa. Sin autem mor-
bus acutus non fuerit, neque vrgens, aut si acutus,
mitis potius, & securissimis signis firmatus: tunc tẽ-
poris methodus docet ambobus pari studio auxi-
liari, non adstante ratione caussæ, cui prius occur-
rendum potius. vnde naturæ motus obseruandus,
an sufficiat ad ablationem morbi, sufficit náque sæ-
pe ipsa, aut saltem aliqua ratione nó incómmodet:
operante igitur ipsa ab opere cessandum, & silente
ipsa, si fortè adhuc opere aliquo indigeret morbus,
reclamante indicatione, ad opus cunctandum, vel
mittendo sanguinẽ, vel aliâs. Quod si naturæ cun-
ctationẽ & tarditatẽ in huiusmodi motu cõtemple-
mur, aut quantitatis defectum, ac paruitatem, tunc
nos, haudquaquam vrgente morbo, vtrumque na-
turæ defectũ emẽdabimus, venas secãdo inferiores,
tum citò, tum iuxta præscriptũ naturę in reddendo
menstruo sanguine, aut hæmorrhoido. quo præsti-
to, si adhuc insistat indicatio morbi vacuationẽ, et-
iam & supernas secare ius est. Neque arbitrãdũ nos
morbum negligere, dum motum naturę spectã-
mus, si hanc auxilij rationem eidem conspexeri-
mus, aut ad alia confugerimus auxilia, valentia ni-
hilominus & morbũ illum vnà tollere, citra noxã,

excedit per gradus diuersitatē, qualia ad iustitiam. simili ratione affectus inter se connexi, aut implicantur altero alterum non excedente, & tunc pari studio vtrique auxiliandum, nisi obstat ordo: aut altero tantum vrgente, cui præsertim occurrendum citò, non neglecto altero. Priori modo potest afferri ratio caussæ, & tunc non æquè vtrique affectui occurrimus, sed primum caussæ rationem habenti. Quamuis hæc sententia propriè connexum rerum præter naturam respectet, vt dilucidè Galeni verba declarant: appositè tamen potest interpretari, etiam & de connexu affectuum genere distinctorum, de altero videlicet præter naturam, tum & de altero secundum naturam affectu, quales censendi fluores illi mensium, & hæmorrhoidum. Neque hanc rem excludit Hippocratis sententia, nec Galeni commētarius, cum connectāt affectum præter naturam, febrem inquam, indicantem victum humidum, cum ætate, ac consuetudine, affectus quidem secundum naturam, vt concordes quidem coindicationes cum febre, eundem pariter victum humidum acceptantes. Affectus igitur secundum naturam sui conseruationem indicat; his autem non seruatis sub latitudine sanitatis, & præter naturam fiunt, & nouos germinant præter naturam affectus, aut germinatos augent, & seruant. quare cum facilis sit transitus iste, nihilominus & respectu methodi medendi, æstimandi, non quod illi curationem indicent, cum res sint secundum naturam, sed quia seruandi in latitudine sanitatis, ne præter naturam fiant.

In acutis itaque morbis, viribus vnà stantibus, ceu iam assidentibus scopis, postulantéque iugiter morbo sectionem venæ, imò & vrgente (quia mor-

tus

bus omnis acutus semper habet adiunctum periculum) venam secabimus affectum locum respectãti, etiam mensibus, aut hæmorrhoidibus actu fluentibus. nam morbi indicatio tūc suo fungitur officio, cessat partim altera fluxiū. nec negligemus hos, ceu partim coindicãtes, etsi discordes, non quoad qualitatem remedij, cū hanc morbi vrgentia, ac methodi ratio deliberandam cogat, verum eiusdem auxilij quantitatē. æstimare enim tenetur Medicus & coniungere ambas vacuationes, vt nō auferatur sanguis vltrò, quàm morbi postulat caussa. Sin autem morbus acutus non fuerit, neque vrgens, aut si acutus, mitis potius, & securissimis signis firmatus: tunc tēporis methodus docet ambobus pari studio auxiliari, non ădstante ratione caussæ, cui prius occurrendum potius. vnde naturæ motus obseruandus, an sufficiat ad ablationem morbi, sufficit nāque sæpe ipsa, aut saltem aliqua ratione nō incómmodet: operante igitur ipsa ab opere cessandum, & silente ipsa, si fortè adhuc opere aliquo indigeret morbus, reclamante indicatione, ad opus cunctandum, vel mittendo sanguinē, vel aliâs. Quod si naturæ cunctationē & tarditatē in huiusmodi motu cōtemplemur, aut quantitatis defectum, aç paruitatem, tunc nos, haudquaquam vrgente morbo, vtrumque naturæ defectū emēdabimus, venas secādo inferiores, tum citò, tum iuxta præscriptū naturę in reddendo menstruo sanguine, aut hæmorrhoido. quo præstito, si adhuc insistat indicatio morbi vacuationē, etiam & supernas secare ius est. Neque arbitrādū nos morbum negligere, dum motum naturę spectamus, si hanc auxilij rationem eidem conspexerimus, aut ad alia confugerimus auxilia, valentia nihilominus & morbū illum vnà tollere, citra noxā,

aut naturæ operis impedimentum. Reliqua diffusè mox disputabuntur iuxta cuiusque capitis consilij rationem, & institutum.

De medendi scopis in morborum acutorum curatione per venæ sectionem, actu fluente menstruo, aut hæmorrhoide.

CAP. XXIX.

PRæsidiorum materiem, quam Galenus clarissimus lib. de constit. Artis Med. ca. 14. in tria reduxit capita, diætam, pharmaciam, & chirurgiam non ex morbo solum, verum & ex viribus, ac natura inueniri docet idem præceptor, libro præsertim 11. meth. ca. 3. viribus, & natura modò relictis, (ceu distinctam, ac longiorem disputationem exigentibus, & concordibus vnà suppositis) alterum tantum substernam, fulcrũ, & crepidinẽ, cui firmiter omnis insistit curatio. Nam, quid quæso curationem præscribit, quídve ex natura sua agendorum consilium præbet primò, præter morbum? Ab hoc quamprimum indicatio prima in curandi methodo desumi Galenus declarat lib. meth. 3. ca. 9. quamuis ex eo materies auxilij nequeat inueniri: eadem methodo requirente plures alias indicationes æstimandas esse, & per singulas cum ratione discurrendum. Hic in nostra hypothesi non magnus solum, verum acutus, quæ acuties magnitudini celeritatem ac periculum imponit. quare hi cum humores habeant efficientem caussam, hos detrahendos quamprimum, ceu res iam præter naturam, summus docet dictator lib. de flatibus. num. 2. detrahetur

tur adæquato contrario, magno vacuante auxilio: quod bimembre, testãte passim Galeno, venę sectio tum purgatio. quorum cum citius, ac tutius illud, hoc altero præstet (quod maximè in acutis spectatur:) hinc ceu conferentius illud, eligẽdum. prętercea si vacuationis scopum respectemus, sola venæ sectio ad multitudinem detrahendam, præsertim ex vsu est, in ea præcipuè, in qua humores non fuerint segregati, & sanguis suam, seruarit ideam: sin reuulsionis scopum, nõ multitudini solum, verum congeriei cacochymæ cõmpetit etiam valdè. Purgatio vtrumq; præstat, vacuat, reuellit: cacochymũ tamen respicit succum, sincerũ præsertim ac segregatum, fortè & sanguinem omnimodã iam adeptũ corruptelam, ac inutilẽ omni ex parte naturę redditum. hoc cum ratius frequẽtius multò accidat illud: hinc illius remedij vsus maximus, ac frequentissimus in principio, nõ in magnis morbis solum, sed & in acutis. Porrò venæ sectio nullã artis, aut naturæ expostulat præparationem: purgatio autem prorsus vtrãq;, iuxta illud oraculum li. 2. Aph. sen. 9. *Corpora quacunque quis purgare volet, eò fluxilia facere oportet.* Hoc idem Galenus in commentario, tum in altero, in 24. oraculum lib. 1. Aph. in quo & idem Senex catharticum in morborum principiis dissuadet, non quidem ob aliam quàm cruditatis rationem. quæ cruditas, inhabilem præparationem in humoribus signat, & in corpore: quã Natura, aut Ars perficere solet. Nũquã igitur, aut rarò purgãdũ, ex tãtorũ virorũ mẽte. rarò quidẽ, quia solũ locus conceditur turgente materie, quæ etiã rarò turget. quod igitur perrarò viris istis clarissimis, passim obuiã nostris Neotericis. Sed hi diuinissimũ exau-

diant Galenum lib.4.Aph.ſen.22.ſic fantem, *Quare cum in morbi principio ſemper ſint cruditatis ſigna, omnino, vt tum mala non ſit eiuſmodi humorum vacuatio fieri nequit.* Non igitur reſpuenda cathartica veterum cenſet Galenus,quia calida, & inclementia, amplectenda noſtratia, vt barbarè iſti ſentiunt, quia temperata,clementia,verum quia tunc præparatio nulla, inhabilis materies ad purgandum; neque alteram æſtimat Galenus, nec æſtimandam arbitratur. Reſipiſcant igitur, qui tantis impudenter abutuntur oraculis.Quare ſciſſionis venę in acutorum principiis frequentiſſima occaſio, purgationis nulla, aut rariſſima. illa igitur qualitas, ſeu auxilij materies deliberanda potius, negligenda hæc.

Inuenta qualitate remedij, ceu primus in curandis morbis acutis admiſſus ſcopus, reliquum eſt in noſtra hypotheſi,hunc, ac cæteros conſulamus amplius,quum eiuſdem qualitatis inuẽti remedij dexterum hi præbeant vſum. Quatuor namque ſunt, teſtante Galeno li.1.ad Glauc.ca.1.& in ſpecie, iuxta noſtrum inſtitutum lib. de venæ ſect. aduerſ. Eraſiſtratæos ca.4.in quibus omnis perficitur medẽdi methodus.cum vt interpretatur doctiſſimus Stephanus in com.in illum locum ad Glauc.*neque affectum vllum prohibere quis poterit, qui his ſcopis non vſus fuerit. Ad ipſa enim artis opera ipſis neceſſariò egemus* Hos igitur ſedulò & nos replicemus.

Qualitatis huius remedij,venæ inquam ſectionis in hac noſtra hypotheſi congruus,ac perfectus vſus tam difficilis,& arduus,quàm frequens, ac neceſſarius. Deliberare videlicet de venæ ſectione in acutis morbis inſtante,vel adſtante, menſtruo,aut hæmorrhoidum fluxu, iuxta illos medendi quatuor

insignes scopos, quibus omnis methodicus, ac congruus perficitur auxiliorum vsus. Cæterum solum Galenum huius tantæ methodi illustratorem habemus, silentibus cunctis, tam Græcis, quam Latinis doctoribus. neque vllus sanè hoc argumētum diexodicè, aut ex instituto explanandum aggreditur: quid quod & idem Galenus totius Medicinæ iubar fulgentissimum hanc eandem rem, adumbratè tantum, ac per quandam quasi rudem delineationem, istud describit. Libro enim 9. meth. ca. 5. dum febriū synocharum seriò traderet medendi methodum, sic fatur, *Si necessariò sequetur vacuatio quæpiam tātum illi de eo quod superfluum est relinquendum, quantum est per eam vacuandum. Itaque si tempore mittendi sanguinem menses moueri contigerit, siue etiam hæmorrhois sit reclusa, si inspectus fluentis impetus satis fore videbitur, qui solus quod requiris vacuet, naturæ rem omnem permittes: sin minus tantum ipse detrahes, quo ex cōiunctis ambobus perficiatur, quod postulas. veluti autē in his ad ipsam naturalem vacuationem quæ sensu vsurpetur, non leuiter attētum esse oportet: ita alibi vel ad naturā ipsam, vel ætatē, vel cæli statū.* Hęc verba, quanuis iuxta capitis institutum ad synocharū febrium curationem per venæ sectionem dirigantur: tamen & morbis reliquis magnis appositè adaptari queunt. Verùm omni ex parte methodo non satisfaciūt, cum obscurè, ac imminutè illius auxilij scopos prosequātur. fiet cuiq; palam, si verba, ac eorū seriē attentè replicet. Qualitatē inprimis remedij deliberatā supponit, ex indicatione potissimū elicitā magnę vacuationis, quā indicat plenitudo, febris synochæ efficiens causa, assidentibus vnà scopis ad tāti auxilij deliberationem necessariis. Quātitatem porrò eiusdē illa verba declarāt, *tantū ipse detrahes,*

ter naturam affectu germinata. Porrò & cum vterque fluxus accidere possit & tempestiuè, tam respectu morbi, quam ægrotantis consuetudinis, iuxta cuiusque typum: aut intempestiuè ad vtrumque relatus. hæc cuncta æstimanda veniunt in medendi methodo ad absolutum coindicationum harum exercendarum ordinem. Nam si fluores hi concordes fuerint, seu causæ salubris rationem habuerint, nihil tunc in se indicabunt, sed tanquam materies auxilij pro gratia habendi, & seruandi. Inter materies autem auxiliorum Auctor ad Thrasib. ca.7. accuratè excretiones, & retentiones commemorat. Naturæ verò opera (qualia hæc) testante Galeno li. lib.6. Epidem.com.5.sen.1. solum dicuntur auxilia, quando ipsa natura morborum medicatrix optima, vt eodem etiam loco declarat Hippocrates, opportuno tempore, & circa reliquos peculiares scopos decenter operatur, tunc enim auxilia tantum iuuant, vt libr. 11. meth. cap. 1. recenset insignis Galenus. Natura itaque morborum medica dicitur, quia seruandi animalis causa omnia seriò administrat.

Quando igitur medicatur ipsa, artifex ne moueat quidem ius: immò ipsam benè operantem contempletur, insequendo semper eam, & eius vestigia explorando. quam si fortè à recto deflectere videat, iterum ad optimum statum reducat, & arte defectum omnem eius emendet.

Verum si discordes fuerint indicationes, vt ne fluxus illi causæ salubris rationem habuerint, quinimo insalubris potius, tunc & aduocanda est prædicta Galeni methodus, & obseruandum quænam discordium indicationum vigentior, aut causæ rationem

tionem

tionem habuerit:nam vltimus modus negligendus in nostro hypothesi. Si itaque morbus acutus fuerit, sua magnitudine reliquas vincens coindicationes, etsi discordes, omnem pariter ex Galeno lib.8. ca.9.& 11.meth.c.3.ad securationem conuertet: quibus partem neglectis, quod indicans postulabit morbus acutus nos praestabimus: vti si phrenitis ille sit, angina, aut pleuritis, morbi quidem acuti: quibus cum congruat valde missio sanguinis, hanc ex cubito hauriemus, neglecto quidem menstruo fluxu, aut hæmorrhoidum: quantitati tamen auxilij aliquid condonando, ne videlicet plusquam oporteat nos demamus. immò æstimato vtroque fluxu, sectionis venæ, ac mensium, hemorrhoidúmve tantum auferamus, quantum corporis plenitudo requirit, ne aliter ægrotantes, ob nimiam vacuationē, quam ne quidem natura fert, in exitium perducamus. Dicitur autem morbus acutus vincere sua magnitudine coindicantia illa discordia, ob duplicem rationem, aut quia multum à nostra natura recedit, aut quia cum euidenti infligit periculo. Cæterum si coindicantia ista discordia ob excedentem fluxus excessum vrgentiora fuerint, tunc contra neglecto morbo omnem illa ad se conuertent curationem. fiunt autem fluxus illi immodici vrgentiores, quando eorum ratione exoluitur totius corporis symmetria, vnà & calor natiuus, & spirituum substantia. vnde periculosas censet extremas vacuationes Hippocrates lib. 1. Aphor. sen. 3. & affatim ab illis labuntur vires, scopus quidem dignitate præstans, ad deliberandum de magno remedio. Hæc igitur prima methodi pars, iuxta diuersas, ac discordes indicationes, quam quidam

impropriè ſanè coactam methodum appellant: cũ reuera à genuina latitudine methodi non recedat. nam methodi reſpectu, nulla imprimitur nobis vis, ne cogimur quidem: cogit autem vrgens indicans, indicatum vrgens, ac citiſſimum. quod etiam competit & alteri methodi parti, quæ cauſſam contemplatur: hęc namque, ſi magna ac vehemẽs, cogit itidem vehementi indicato quamprimum illi occurrendum. Non igitur hæc methodus coacta, ſed regularis, vt cum ipſis barbarè loquamur. Quare methodus liberè docet, vrgentiori nos quamprimum ſatisfacere, altero non neglecto, ſeu ad inſtar vrgentiæ, ſit alterius negligentia. Hanc methodum omni encomio dignam, commendat, ac tradit noſter Galenus per totum librum meth. tum lib. 1. ad Glauc. c. 14. tum & lib. 3. de tuenda valetud. c. 9.

Porrò ſi fluxus menſtrui, aut hæmorrhoidum, diſcordes inquam, imminutè recurrendo, per quãdam anadromẽ cauſſæ fiant alterius cuiuſque morbi acuti, iam tunc hæc coindicatio diſcors primum ſibi vendicabit locum, vt ei citiſſimè, adhuc etiam operanti, præcaueamus: morbo haudquaquam neglecto. quãtum autem acutior ac impetuoſior morbus, tanto minus negligendus. nam in his, cum valdè ſit occaſio pręceps, differre auxilium, pariter exitioſum. citiſſimum itaque auxilium in his, reuulſio ac vacuatio ex parte ad quam humor fluit, haudquaquam ex qua. In reliquis autem morbis, qui nobis aliquos dant inducias, cauſſæ iugiter non ſolum quamprimum occurrendum, verum & cauſſæ principio prius, ſeu parti mittenti reuellere igitur

tur imprimis ex mandante parte, ex qua fit anadromes, ne amplius mittat, mox ad morbum sanandum conuerti ius est. Hæc igitur methodus simpliciter acutorum, vti altera exactè peracutorũ, qui sub terra de terminantur: in quib. neglecto quolibet illorum fluxu, statim ad morbi ablationem accingimur; nisi fortè plethoricum fuerit corpus, & vires validissimæ: quia tunc licebit à mandante vtero, seu ignobiliori parte, semel saltem reuellere, venas inferiores tundendo; iam rursus, interposita aliqua morula, cunctanter cubiti externas secare, vt simul, ex parte recipiẽte ad quam fluit humor, quod fluit reuellamus, & quod fluxum vacuemus. Hoc illustrat accuratè Galenus lib. 1. ad Glauc. c. 14. & alibi passim.

Totam hanc vniuersalem methodum diuinis quibusdam verbis, ac concisa oratione clarissimus noster Galenus replicat, libro 1. Aph. sen. 16. dicens, *Vnumquemque morbum simplicem, propriã, ac peculiarẽ postulare curationẽ, colligatos verò quaten⁹ inter se sũt implicati, eatenus communem habituros curationis indicationem: nobis videlicet vel obsistentibus & repugnantibus ei qui magis vrgeat, interim tamen prorsus non neglecta alterius curatione: vel ambobus pari studio auxiliantibus.* Eleganter itaque in hac sententia methodum tradit exercendarum indicationum in complicatis affectibus, & primum docet, quod vti morbus simplex, priuata ac simplici fruitur curatione: ita & connexi varietate gaudent. rursus vero quæ colliguntur, duplici ratione connectuntur, hoc enim in miscibilibus facile videre est, cum aliquando mista eundem gradum interse seruent, qualia ad pondus temperata aliquando vnum alterum

excedit per gradus diuersitatē, qualia ad iustitiam. simili ratione affectus inter se connexi, aut implicantur altero alterum non excedente, & tunc pari studio vtrique auxiliandum, nisi obstat ordo: aut altero tantum vrgente, cui præsertim occurrendum citò, non neglecto altero. Priori modo potest offerri ratio caussæ, & tunc non æquè vtrique affectui occurrimus, sed primum caussæ rationem habenti. Quamuis hæc sententia propriè connexum rerum præter naturam respectet, vt dilucidè Galeni verba declarant: appositè tamen potest interpretari, etiam & de connexu affectuum genere distinctorum, de altero videlicet præter naturam, tum & de altero secundum naturam affectu, quales censendi fluores illi mensium, & hæmorrhoidum. Neque hanc rem excludit Hippocratis sententia, necGaleni commētarius, cum connectāt affectum præter naturam, febrem inquam, indicantem victum humidum, cum ætate, ac consuetudine, affectus quidem secundum naturam, vt concordes quidem coindicationes cum febre, eundem pariter victum humidum acceptantes. Affectus igitur secundum naturam sui conseruationem indicat; his autem non seruatis sub latitudine sanitatis, & præter naturam fiunt, & nouos germinant præter naturam affectus, aut germinatos augent, & seruant. quare cum facilis sit transitus iste, nihilominus & respectu methodi medendi, æstimandi, non quod illi curationem indicent, cum res sint secundum naturam, sed quia seruandi in latitudine sanitatis, ne præter naturam fiant.

In acutis itaque morbis, viribus vnà stantibus, ceu iam assidentibus scopis, postulantéque iugiter morbo sectionem venæ, imò & vrgente (quia mor-

bus

bus omnis acutus semper habet adiunctum periculum) venam secabimus affectum locum respectãti, etiam mensibus, aut hæmorrhoidibus actu fluentibus. nam morbi indicatio tũc suo fungitur officio, cessat partim altera fluxiũ. nec negligemus hos, ceu partim coindicãtes, ceu discordes, non quoad qualitatem remedij, cũ hanc morbi vrgentia, ac methodi ratio deliberandam cogat, verum eiusdem auxilij quantitatẽ. æstimare enim tenetur Medicus & coniungere ambas vacuationes, vt nõ auferatur sanguis vltrò, quàm morbi postulat caussa. Sin autem morbus acutus non fuerit, neque vrgens, aut si acutus, mitis potius, & securissimis signis firmatus: tunc tẽporis methodus docet ambobus pari studio auxiliari, non adstante ratione caussæ, cui prius occurrendum potius. vnde naturæ motus obseruandus, an sufficiat ad ablationem morbi, sufficit nãque sæpe ipsa, aut saltem aliqua ratione nõ incõmmodet: operante igitur ipsa ab opere cessandum, & silente ipsa, si fortè adhuc opere aliquo indigeret morbus, reclamante indicatione, ad opus cunctandum, vel mittendo sanguinẽ, vel aliâs. Quod si naturæ cunctationẽ & tarditatẽ in huiusmodi motu cõtemplemur, aut quantitatis defectum, ac paruitatem, tunc nos, haudquaquam vrgente morbo, vtrumque naturæ defectũ emẽdabimus, venas secãdo inferiores, tum citò, tum iuxta præscriptũ naturę in reddendo mensurno sanguine, aut hæmorrhoido. quo præstito, si adhuc insistat indicatio morbi vacuationẽ, etiam & supernas secare ius est. Neque arbitrãdũ nos morbum negligere, dum motum naturę spectamus, si hanc auxilij rationem eidem conspexerimus, aut ad alia confugerimus auxilia, valentia nihilominus & morbũ illum vnà tollere, citra noxã,

aut naturæ operis impedimentum. Reliqua diffusè mox disputabuntur iuxta cuiusque capitis consilij rationem, & institutum.

De medendi scopis in morborum acutorum curatione per venæ sectionem, actu fluente menstruo, aut hæmorrhoide.

Cap. XXIX.

PRæsidiorum materiem, quam Galenus clarissimus lib. de constit. Artis Med. ca. 14. in tria reduxit capita, diætam, pharmaciam, & chirurgiam non ex morbo solùm, verum & ex viribus, ac natura inueniri docet idem præceptor, libro præsertim 11. meth. ca. 3. viribus, & natura modò relictis, (ceu distinctam, ac longiorem disputationem exigentibus, & concordibus vnà suppositis) alterum tantum substernam, fulcrũ, & crepidinẽ, cui firmiter omnis insistit curatio. Nam, quid quæso curationem præscribit, quídve ex natura sua agendorum consilium præbet primò, præter morbum? Ab hoc quamprimum indicatio prima in curandi methodo desumi Galenus declarat lib. meth. 3. ca. 9. quamuis ex eo materies auxilij nequeat inueniri: eadem methodo requirente plures alias indicationes æstimandas esse, & per singulas cum ratione discurrendum. Hic in nostra hypothesi non magnus solum, verum acutus, quæ acuties magnitudini celeritatem ac periculum imponit. quare hi cum humores habeant efficientem caussam, hos detrahendos quamprimum, ceu res iam præter naturam, summus docet dictator lib. de flatibus. num. 2. detrahetur

tur adæquato contrario, magno vacuante auxilio: quod bimembre, testãte passim Galeno, venę sectio tum purgatio. quorum cum citius, ac tutius illud, hoc altero præstet (quod maximè in acutis spectatur:) hinc ceu conferentius illud, eligẽdum. prętercea si vacuationis scopum respectemus, sola venæ sectio ad multitudinem detrahendam, præsertim ex vsu est, in ea præcipuè, in qua humores non fuerint segregati, & sanguis suam, seruarit ideam: sin reuulsionis scopum, nõ multitudini solum, verum congeriei cacochymæ cõmpetit etiam valdè. Purgatio vtrumq; præstat, vacuat, reuellit: cacochymũ tamen respicit succum, sincerũ præsertim ac segregatum, fortè & sanguinem omnimodã iam adeptũ corruptelam, ac inutilẽ omni ex parte naturę redditum. hoc cum ratius frequẽtius multò accidat illud: hinc illius remedij vsus maximus, ac frequentissimus in principio, nõ in magnis morbis solum, sed & in acutis. Porrò venæ sectio nullã artis, aut naturæ expostulat præparationem: purgatio autem prorsus vtrãq;, iuxta illud oraculum li. 2. Aph. sen. 9. *Corpora quacunque quis purgare volet, eò fluxilia facere oportet.* Hoc idem Galenus in commentario, tum in altero, in 24. oraculum lib. 1. Aph. in quo & idem Senex catharticum in morborum principiis dissuadet, non quidem ob aliam quàm cruditatis rationem. quæ cruditas, inhabilem præparationem in humoribus signat, & in corpore: quã Natura, aut Ars perficere solet. Nũquã igitur, aut rarò purgãdũ, ex tatorũ virorũ mẽte. rarò quidẽ, quia solũ locus conceditur turgente materie, quæ etiã rarò turget. quod igitur perrarò viris istis clarissimis, passim obuiã nostris Neotericis. Sed hi diuinissimũ exau-

insignes scopos,quibus omnis methodicus,ac congruus perficitur auxiliorum vsus. Cæterum solum Galenum huius tantæ methodi illustratorem habemus,silentibus cunctis, tam Græcis, quam Latinis doctoribus.neque vllus sanè hoc argumẽtum diexodicè , aut ex instituto explanandum aggreditur: quid quod & idem Galenus totius Medicinæ iubar fulgentissimum hanc eandem rem, adumbratè tantum , ac per quandam quasi rudem delineationem, istud describit. Libro enim 9.meth.ca.5.dum febriũ synocharum seriò traderet medendi methodum,sic fatur, *Si necessariò sequetur vacuatio quapiam tãtum illi de eo quod superfluum est relinquendum, quantum est per eam vacuandum. Itaque si tempore mittendi sanguinem menses moueri contigerit,siue etiam hæmorrhois sit reclusa , si inspectus fluentis impetus satis fore videbitur, qui solus quod requiris vacuet, natura rem omnem permittes: sin minus tantum ipse detrahes, quo ex cõiunctis ambobus perficiatur,quod postulas. veluti autẽ in his ad ipsam naturalem vacuationem quæ sensu,vsurpetur,non leuiter attẽtum esse oportet:ita alibi vel ad naturã ipsam,vel ætatẽ,vel cæli statũ.* Hęc verba , quanuis iuxta capitis institutum ad synocharũ febrium curationem per venæ sectionem dirigantur : tamen & morbis reliquis magnis apposite adaptari queunt. Verùm omni ex parte methodo non satisfaciũt,cum obscurè, ac imminutè illius auxilij scopos prosequãtur.fiet cuiq; palam, si verba,ac eorũ seriẽ attentè replicet. Qualitatẽ inprimis remedij deliberatã supponit,ex indicatione potissimũ elicitã magnę vacuationis,quã indicat plenitudo, febris synochæ efficiens causa, assidentibus vnà scopis ad tãti auxilij deliberationem necessariis. Quãtitatem porrò eiusdẽ illa verba declarãt, *tantũ ipse detrahes,*

quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod postulat. quousq; videlicet morbi causa antecedēs fuerit ablata, plenitudinē inquā febrē synochā germinātē, & corpus in debita mediocritate iuxta cōtētū sanguinē etiā restitutū. ꝙ est illud idē, quod eod. lib. 9. c. 15. dixerat, *quā tū oportet.* vti namq; auxiliū requiritur in qualitate contrarium, ita in gradu adęquatum, vt contrarietate vincat & adæquata illa mensura, ac proportione idē exactius pręstare valeat, citra noui morbi introductionem. Exponit istud abundè li. Artis Medicę c. 89. Occasio rursus eiusdē (scopus Galeni in eo capite,) omnis à tergo calua cum sit & aligera simul, velociter subterfugit, hinc methodo captare seriò studet, quadam obseruatione præmissa. inuenta itaque auxilij qualitate, tū quæ præcedūt, inquit, attendenda, tum & quæ mox excipiunt. quæ præcedunt, differre quidem auxiliū per aliquod tempus valent, vt ventriculi ciborum cruditas. Hæc enim tantopere differt, quantum satisfacit non ad coctionem illorum tātum, verum ad excrementorū è ventriculo descensum, de hac re fusè infra. Quę verò subsequuntur, & venę sectionē pariter excipiūt, occasionē eiusdē auxilij alterāt. nā vti futuri auxilij cōsideratio (scopus tertius, ex quo de occasione in vniuersum deliberamus) alterare, ac mutarè eandē occasione haud dubiè valet: sic & futura vacuatio per mētes, aut hęmorrhoides, cū sępè rationē auxilij habeāt, & opera naturę sint, similiter & æstimanda, eò præsertim, quia necessariò sequuntur. obseruato itaq; post venę sectionē, statim, ac necessariò (ob instantē typi carcerem) subsequuturū fore mēstruum sanguinem, aut hæmorrhoidum, & occasio tollitur pariter secandi venas

& si

& si fortè secentur, copiosius saltem & per eas vacuandi. Illud primum declarat illis verbis, *si inspectus fluentis impetus satis fore videbitur, qui solus quod requiritis vacuet, naturæ rem omnem permittas.* quasi tollatur occasio omnimodè secandi venas, si tanto cum impetu fluant menstrua, vt omnem præter naturam jam eliminent plethoram. Alterum mox, dum inquit, *sin minus tantum ipse detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur, quod postulas.* quasi occasio in totum non tollatur scindendi venas, verum expectandus fluentis impetus, qui si imminutus, arte postea emendandus. quid quod & quatenus vacuationes illæ typicæ naturæ opera sunt, & conferenter fiunt, etiam in suo statu seruandæ, & per consequens particulare tempus opportunum ad agendum mutant. quod insinuat perdoctè Galenus dicens, *Si necessariò sequatur vacuatio quapiam, tantum illi de eo quod superfluum est relinquendum, quantum est per eam vacuandum.* quibus verbis cōmendat quamprimum has vacuationes mensium & hæmorrhoidum, ceu necessariò accedentes, statis videlicet temporibus, & naturæ lege, & obseruatione dignas fore, respuit contingenter occurrentes, ac per accidens. deinde has censet haudquaquam impediendus: quia cum sint naturæ opera seruandæ potius. seruantur autem, dum relinquimus in vasis humoris eam copiam, quā æstimamus per eam partem à natura vacuandam fore, siue vterus illa sit, siue hæmorrhoicum vas, quod habendum, non vrgente affectu, immo ob mitem ac benignam eius qualitatem inducias dante. in synochis itidem licet methodum hanc Galeni seruare, quia omnis sanguinis profusio ex vsu, cum ex qualibet corporis parte suf-

ficiat tollere plenitudinem, morbi causam. hinc non tollitur occasio, cum operante natura adsit occasio, qua natura gaudet, & ea cessante adsit artis, cum statim liceat venas quascunque supernas vel infernas scindere. Quare futuræ illæ vacuationes, eò interturbant secandi venas occasionem, quia cogunt relinquere materiem ad illud naturæ opus: quod in se, sui conseruationem indicat. Verum cum hæc methodus occasionem captandi venæ sectionis in synochis febribus multis ambagibus circumscribatur, ita vt ne facilè quidem eandem, reliquis coaptare morbis, cuncta hæc proprio capite fusè lustrabimus. In hac sententia tandem Galenus præstantem, & longè artificiosum vtēdi modi scopum neglexit: an videlicet, inspecto impetu fluentis humoris deficiente, curationem perficiamus sectis supernis vasis, an infernis: an rursus quamprimum naturæ defectui menses operantis occurramus, crurũ tusis venis, an opere neglecto illo, statim conuertamur ad plenitudinem morbi causam tollendam, scissis potius supernis, aut saltem partem affectam respicientibus. Hæc cuncta tanti momento sunt, difficilia pariter, & ardua, opportunum videlicet tempus inuenire secandi venas, & eiusdem auxilij vtendi modum, in connexu isto acuti morbi cum mensurno aut hæmorrhoidum fluxu, quod suspensos persæpè, ac hærentes Medicorum reddat animos tantę rei contemplatio, & multò itidem magis congruus eius vsus.

Cæterum cum difficile sit de rebus singularibus, in quibus non cadit scientia, canones methodo subiectos in lucem edere, & de priuatis quibusque sub-

occasionibus præcepta condere: artificiosam proinde assignabimus viam, quæ ab hoc inextricabili labyrintho, ceu Thesei filo adiuti politè, ac eleganter nos expediet. Quid quod & ars nulla in summis cōsistit generibus, nec ad artificem tantum spectat scire agendam rem esse, & quid sit agendum, verum & multò magis quando, & quomodo, vltimæ quasi, ac pulcherrimæ charites. Idipsum Galenus innuit lib. 6. methodi ca. 2. dicens, *Non enim scire quid fieri oporteat, id magna res est, vt quod omnibus hominibus natura insit, sed quibus rationibus illud efficias, id verò scire artificum est.* Quare cum Medicina, finis respectu, ars sit, & Medici officium circa singularia corpora versetur, non enim Medicus hominem in vniuersum curat ex Galeno lib. 3. meth. c. 7. hinc ad optimum spectabit Medicum omni studio, ac solertia circa particularia se exercere, promptúmque ac industrium se præbere in cunctis, & illa pariter seriò rimari. Hæc omnia cum diu, multúmque cogitassem, ac persæpe, dum actuosam Medicinæ partem exercerem, cùm ardua hæc, ac difficilis huius nostri consilij ratio obuiam fieret, in animum induxi meum, per plurimas vigilias, & assiduos noctiú in hac palæstra labores (ceu alteræ A. Gellij noctes Atticæ) operam nauare, vt illustriora mihi hæc omnia fierent, perspicaciora pariter, tanta prius offusa caligine: mox reliquis amicis, amico simul animo idem efflagitantibus, impertirer. Nec ad hoc præstandum munus, labori improbo vnquam peperci, etiam in ægris visendis, ac familiari re occupatissimus. Obtestor Ædepol, hoc solum animum concitasse nostrum ad hoc tenue opusculum

condendum, non popularis auræ ſtudium, aut inanis ambitio, quæ tanquam Chriſtiano Philoſopho indigna etiam ac Ciuili, ab ineunte ætate, non in me tantum, verum in ciuibus, ceu funeſtam peſtem abhorrui ſemper, & odio ſum proſequutus. Doctrinam hanc difficilem, quantum acutam, hos curatiuos in ſe complectentem ſcopos, qualitatem videlicet remedij, quantitatem, occaſionem, & vtédi modum, diffusè ac ſeorſum per ſingula capita, eo ordine, quo in curatiua proſequuntur methodo, exponenda proponimus.

De venæ ſectione, ceu qualitatis ſcopo: huiúſque deliberandi methodo in acutis morbis.

Cap. XXX.

ACutiſſimus Galenus libro illo ſynopſeo Artis Medicæ cum accurata methodo, & arte perfacili omnes illas tres in genere cauſas tradidiſſet, ſalubres inquam, inſalubres, ac neutras: quæ omnes in vſu Medico iuxta vtramque artis partem ſtrictè obſeruandæ veniunt: cúmque rurſus ſalubres in conſeruatrices, & effectrices eleganter ſecaſſet: illarum inuentionem ex corporis natura inſinuari cēſet, vti & harum ex morbi eſſentia. Natura cū ſemper ſuo ſimili & gaudeat, & exoptet, diſſimile reſpuat, ceu noxium, & oppoſitum, hinc ſui conſeruationem per ſimilia indicabit. cognita igitur natura cognoſcetur & ſimilis ſalubris cauſa, eámque pariter & ſanitatis eſſe conſeruatricem, ac tutricem. Morbus porrò res quidem præter naturam, cum à diſſimili, ſeu contrario vincatur, mutuò enim ſe expellunt

pellunt contraria, hinc sui ablationem per contraria indicabit. quo agnito, opposita causa iugiter cognoscetur salubris, & ceu sanitatis effectrix. A solis namque contrariis contraria tolli, testatur cum Hipp. lib. de flat. & Galenus lib. ad Thrasib. c. 45. Sed cum illud ad quod omne quamprimum remediorum consilium dirigitur morbus sit, vti ἐρμηνεία, ac methodi incitamentum, qui & iuxta Hippocratis axioma suo contrario tollitur, proinde corpori malè affecto, seu præter naturam lacessito, semper huiusmodi sunt adhibenda contraria: vt dilucidè etiam insinuat, ac docet Galenus lib. 5. de tuend. valet. cap. 10. Hæc contraria in specie, & remediorum materies dicuntur, & sanitatis causæ effectrices, tū & summi Dei ex Herophilo auxiliares manus. eorum inuentio per indicationes paratur: nam vti per easdem auxilia inuenimus, sic ex his, vna cum scopis, aduocata methodo rationali & morbos tollimus. Methodus enim expedita via est, ac certa, qua auxilia inuenimus, congruè deliberamus, & scitè vtimur: huic deseruiunt indicationes, tum scopi. In genere itaque quid expediat demonstrat indicatio, vt calida intemperies refrigerationem, fluxio reuulsionem, plenitudo vacuationem: verum qualitas, seu materies auxilij indicati, quantitas eiusdem, vtendi modus, & opportunum tempus, non ab ipsa indicatione expetitur, verum accersita methodo coindicationes exploramus, scopos vniuersales, ac priuatos consulimus, vt opportuna eligatur materies, tum congruus sit eiusdē vsus. Hinc morbus etiā cum sua causa si adsit, auxilij qualitatē in vniuersum indicat: locus affectus vtendi modū: recessus à naturali statu, vnà cum facultate & viribus mēsurā,

indicantium præsentia, cum absentia impedientium tempus opportunum. Quare obseruare indicantia, tum indicata, & ex his vtilia connotare, respuere futilia ac noxia, ad methodum rationalem spectat. Ab hac (secus ab indicatione, quæ ex Galeno lib. 3. meth. cap. 1. semota omni experientia tantum quoddam ratiocinium inchoatum seruat) obseruationes organa Empiricorum, tum analogismi dogmaticorum, haud dubiè ne omnino quidem expunguntur: cum hæc admittant morbi caussas occultas habentes, quorum materies auxilij sola inuenit experientia, veluti difficilium, aut incomprehensibilium solus analogismus; obseruatio verò, ac methodus, eiusdem materiei per experientiã, aut analogismũ inuẽtæ, vsũ perficit, ac absoluit.

Doctrinam hanc inueniendi qualitatẽ remedij Galenus doctissimus lib. de const. Art. Med. c. 14. in duos videtur reduxisse cancellos, in corporum, quibus auxilia adhibentur, cognitionem, & ipsius auxiliorum naturæ notitiam. Illud præsertim consequaris, replicatis tum libris de locis affectis, tum de morbis ac symptomatis: hoc verò, quos de simplicium medicamentorum facultatibus conscripsit. quamuis auxilia quæ chirurgica manu exercentur, aliunde sint petenda, dignotio ex propriis huius instituti libris: veluti composita, ex pharmaceuticis, tum præcipuè ex his, quos perdoctè Galenus construxit de compositione medicamentorum secundum locos, & genera.

Auxiliorum itaque inuenire materiẽ, quibus omnes præter naturam affectus sanantur, haud minima quidem appellanda Artis pars; cum princeps potius sit, plurima, & ardua in se contineat Artis

præ-

præcepta, dicx odicam, nec facilem enarrationem exoptet, multa explorãda cõtendat, obseruationem maximã per lõg s ac serios vsus partã requirat, experiẽtiã, & analogismũ nõ negligat. si enim varij, ac diuersi sunt morbi, iuxta varias morborũ, ac caussarũ naturas, diuersum affectorũ locorũ situ, varias corporis affecti indiuiduas proprietates, & alia: auxilia denique diuersa, facultates plurimæ, ac sæpè occultæ, quid mirum Medico si tot & tanta se offerant ediscenda ad absolutum methodi rationalis vsum? Cęterum pulcherrima hîc consideratio, in qua multa oratione licet vti; sed cũ methodus alibi nos aduocet, nobis modò in hoc Lyceo breuiorib. spatiis ambulandum. Diximus nuper à morbo quàm primum remedium indicari; quem tollere & in curatione requiritur, & omne remediorum consilium ad eum primò dirigitur. Hanc doctrinam Auctor ad Thrasyb. cap. 25. conuellere videtur, dicens, *Non morbos, sed eorum caussas medelam indicare, auxilia*, itidem ait, *non affectis, sed facientibus aduersari.* Vno flatu hæc dissipari possunt, si libri scopum obseruemus. Agit namque aduersus Methodicos, & Empiricos caussas morborum omnino negligentes, quas tantopere æstimandas censet, quod cunctis aliis anteponat indicationib. in morbis præcipuè fiẽtib. in quibus auxilia non morbis, verum caussis tantum immediatè aduersãtur: vti in fictis, efficientem conseruantem vnà habentibus caussam cum huic primũ in ordine occurrendum, quamuis dignitate, & præstantia, ceu methodi carcer, quę à morbo sumitur indicatio reliquis antistet. sin autẽ morbi facti (qui absolutè morbi, cũ nullam in fieri depẽdẽtiã habeãt à caussa) his directò auxilia

aduersantur illis, & ab eisdem propriè indicatur medela, vt perbellè aduersus diatriarios Medicos li. 8. meth. ca. 2. demonstrat Galenus his vltimis capitis verbis, *siquidem sanamus id febris, quod iam inuasit, etiamsi exiguũ est: prospicimus, nequid amplius proueniat, adimentes caussam.* Præterea & superiori capite 1. idem, *Itaque si iam præsens febris est, sed caussa, quæ eã excitauit, iam desijt: huc tantum sanandæ eius consilium dirigetur, vt refrigeretur.* Quare Auctor ad Thrasyb. de fientibus morbis verba facit, quos ceu exemplum proponit, vt illorum detegat errores. Sed ad pensum redeamus.

Exerceamus iam modò curatiuam ac rationalem methodum, per quam Medicus accuratè de qualitate remedij in nostra hypothesi deliberabit, ad morbi acuti ablationem. ordiamur hanc cum Galeno lib. meth. 2. c. 7. ex ipsa morbi natura, cũ ex hac per propriam indicationem, citra analogismum, aut experientiam vniuersalia inueniantur auxilia. Prima autem omnis morbi acuti indicatio non distinguitur à communissima illa ac summa morbi indicatione, ablationem pręscribente, verum secunda, ceu magis specialis, quæ ex tali morbo acuto, non absolutè sublationẽ vt prior sed certã quandã sublationem indicat, per magnum videlicet, & celerrimum indicatum contrarium. descendemus igitur sensim à summo illo genere ad singularia vsque, donec finis compotes facti simus. finis autem est, cuique morbo specificum & adæquatum inuenire auxiliũ. neque singularia indicãtur, vti nec singularis morbus indicans, qua talis inquam, sed sub vniuersi tãtum natura: deliberantur per se methodo, & ex multis

tis propositis conferentiora eliguntur. Sub natura morbi quidquid in nobis præter naturam est amplectimur, morbum primò, eius caussam mox, ac tandem eiusdem morbi germen symptoma, quæ cuncta, quatenus in nobis prętęr naturam oriuntur sui ablationem indicant. Porrò & in his omnibus proprietates quasdam æstimamus, magnitudinem, acutiem, cacoëthiam, turgentiam, vehementiam &c. quarum aliæ peculiares morbo, iam aliæ morbo, & eius caussæ, aliæ caussæ tantum, aliæ symptomati. Verum supponamus modò morbum ex sua natura magnum esse, & acutum, febrem, si lubet, causodem: eius caussam humorum esse abundantiā, in qua sanguis adhuc suam ideam seruat. morbus hic per communem adhuc indicationem sui ablationem indicat per magnum auxilium sibi appositum: eius caussa cum abūdantiam supponamus, vacuationem. & cùm caussa ad se primò conuertat Medici animum, huic prępuidendum quamprimum, qua præsente ne morbum quidem tollere fas est. Positis his igitur communibus indicationibus, & vacuationem magnam præponendam suadeat Methodus, neque vltrò specialioris indicationis sit locus, quærenda nobis talis materies est, quæ iuxta magnitudinem morbi, & eius caussæ par fiat redditio. Methodus itaque ius suum exercens, magni vacuantis auxilij scopos in consilium vocabit, & vnà eiusdem indicati naturam inquiret, copiam, & differentias, nec non & cuiusque priuatos scopos, explorabit. Scopos præsidentes magnitudinem morbi, & robur virium indixit Galenus cum Hippocrate. 4. de rat. vict. sen. 19. Materiei vacuantis auxilij multiplex differentia, venæ sectio, purgatio hic u-

quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod postulat. quousq; videlicet morbi causa antecedēs fuerit ablata, plenitudinē inquā febrē synochā germinātē, & corpus in debita mediocritate iuxta cōterū sanguinē etiā restitutū. q̄ est illud idē, quod eod. lib. 9. c. 15. dixerat, *quā tū oportet.* vti namq; auxiliū requiritur in qualitate contrarium, ita in gradu adęquatum, vt contrarietate vincat & adæquata illa mensura, ac proportione idē exactius pręstare valeat, citra noui morbi introductionem. Exponit istud abundè ll. Artis Medicę c. 89. Occasio rursus eiusdē (scopus Galeni in eo capite,) omnis à tergo calua cum sit & aligera simul, velociter subterfugit, hinc methodo captare seriò studet, quadam obseruatione præmissa. inuenta itaque auxilij qualitate, tū quæ præcedūt, inquit, attendenda, tum & quæ mox excipiunt. quæ præcedunt, differre quidem auxiliū per aliquod tempus valent, vt ventriculi ciborum cruditas. Hæc enim tantopere differt, quantum satisfacit non ad coctionem illorum tātum, verum ad excrementorū è ventriculo descensum, de hac re fusè infra. Quę verò subsequuntur, & venę sectionē pariter excipiūt, occasionē eiusdē auxilij alterāt. nā vti futuri auxilij cōsideratio (scopus tertius, ex quo de occasione in vniuersum deliberamus) alterare, ac mutarē eandē occasionē haud dubiè valet: sic & futura vacuatio per mēses, aut hęmorrhoides, cū sępè rationē auxilij habeāt. & opera naturę sint, similiter & æstimanda, eò præsertim, quia necessariò sequuntur. obseruato itaq; post venę sectionē, statim, ac necessariò (ob instantē typi carcerem) subsequuturū fore mēstruum sanguinem, aut hæmorrhoidum, & occasio tollitur pariter secandi venas

& ſi forte ſecentur, copioſius ſaltem & per eas vacuandi. Illud primum declarat illis verbis, *ſi inſpectus fluentis impetus ſatis fore videbitur, qui ſolus quod requiris vacuet, natura rem omnem permittes.* quaſi tollatur occaſio omnimodè ſecandi venas, ſi tanto cum impetu fluant menſtrua, vt omnem prę ter naturam iam eliminent plethoram. Alterum mox, dum inquit, *ſin minus tantum ipſe detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur, quod poſtulas.* quaſi occaſio in totum non tollatur ſcindendi venas, verum expectandus fluentis impetus, qui ſi imminutus, arte poſtea emendandus. quid quod & quatenus vacuationes illæ typicæ naturæ opera ſunt, & conferenter fiunt, etiam in ſuo ſtatu ſeruandæ, & per conſequens particulare tempus opportunum ad agendum mutant. quod inſinuat perdoctè Galenus dicens, *Si neceſſariò ſequatur vacuatio quapiam, tantum illi de eo quod ſuperfluum eſt relinquendum, quantum eſt per eam vacuandum.* quibus verbis cōmendat quamprimum has vacuationes menſium & hæmorrhoidum, ceu neceſſariò accedentes, ſtatis videlicet temporibus, & naturæ lege, & obſeruatione dignas fore, reſpuit contingenter occurrentes, ac per accidens. deinde has cenſet haudquaquam impediendus: quia cum ſint naturæ opera ſeruandæ potius. ſeruantur autem, dum relinquimus in vaſis humoris eam copiam, quá æſtimamus per eam partem à natura vacuandam fore, ſiue vterus illa ſit, ſiue hæmorrhoicum vas, quod habendum, non vrgente affectu, immo ob mitem ac benignam eius qualitatem inducias dante. in ſynochis itidem licet methodum hanc Galeni ſeruare, quia omnis ſanguinis profuſio ex vſu, cum ex qualibet corporis parte ſuf-

ficiat tollere plenitudinem , morbi causam. Hinc non tollitur occasio, cum operante natura adsit occasio, qua natura gaudet, & ea cessante adsit artis, cum statim liceat venas quascunque supernas vel infernas scindere. Quare futuræ illæ vacuationes, eò interturbant secandi venas occasionem, quia cogunt relinquere materiem ad illud naturæ opus: quod in se, sui conseruationem indicat. Verum cum hæc methodus occasionem captandi venæ sectionis in synochis febribus multis ambagibus circumscribatur, ita vt ne facilè quidem eandem, reliquis coaptare morbis, cuncta hæc proprio capite fusè lustrabimus. In hac sententia tandem Galenus præstantem, & longè artificiosum vtēdi modi scopum neglexit: an videlicet, inspecto impetu fluentis humoris deficiente, curationem perficiamus sectis supernis vasis, an infernis: an rursus quamprimum naturæ defectui menses operantis occurramus, crurū tusis venis, an opere neglecto illo, statim conuertamur ad plenitudinem morbi causam tollendam, scissis potius supernis, aut saltem partem affectam respicientibus. Hæc cuncta tanti momento sunt, difficilia pariter, & ardua, opportunum videlicet tempus inuenire secandi venas, & eiusdem auxilij vtendi modum, in connexu isto acuti morbi cum mensurno aut hæmorrhoidum fluxu, quod suspensos persæpè, ac hærentes Medicorum reddat animos tantę rei contemplatio, & multò itidem magis congruus eius vsus.

Cæterum cum difficile sit de rebus singularibus, in quibus non cadit scientia, canones methodo subiectos in lucem edere, & de priuatis quibusque sub-

occasionibus præcepta condere: artificiosam proinde assignabimus viam, quæ ab hoc inextricabili labyrintho, ceu Thesei filo adiuti politè, ac eleganter nos expediet. Quid quod & ars nulla in summis cósistit generibus, nec ad artificem tantum spectat scire agendam rem esse, & quid sit agendum, verum & multò magis quando, & quomodo, vltimæ quasi, ac pulcherrimæ charites. Idipsum Galenus innuit lib. 6. methodi ca. 2. dicens, *Non enim scire quid fieri oporteat, id magna res est, vt quod omnibus hominibus natura insit, sed quibus rationibus illud efficias, id verò scire artificum est.* Quare cum Medicina, finis respectu, ars sit, & Medici officium circa singularia corpora versetur, non enim Medicus hominem in vniuersum curat ex Galeno lib. 3. meth. c. 7. hinc ad optimum spectabit Medicum omni studio, ac solertia circa particularia se exercere, promptúmque ac industrium se præbere in cunctis, & illa pariter seriò rimari. Hæc omnia cum diu, multúmque cogitassem, ac persæpe, dum actuosam Medicinæ partem exercerem, cùm ardua hæc, ac difficilis huius nostri consilij ratio obuiam fieret, in animum induxi meum, per plurimas vigilias, & assiduos nocti ú in hac palæstra labores (ceu alteræ A. Gellij noctes Atticæ) operam nauare, vt illustriora mihi hæc omnia fierent, perspicaciora pariter, tanta prius offusa caligine: mox reliquis amicis, amico simul animo idem efflagitantibus, impertirer. Nec ad hoc præstandum munus, labori improbo vnquam peperci, etiam in ægris visendis, ac familiari re occupatissimus. Obtestor Ædepol, hoc solum animum concitasse nostrum ad hoc tenue opusculum

condendum, non popularis auræ studium, aut inanis ambitio, quæ tanquam Christiano Philosopho indigna etiam ac Ciuili, ab ineunte ætate, non in me tantum, verum in ciuibus, ceu funestam pestem abhorrui semper, & odio sum prosequutus. Doctrinam hanc difficilem, quantum acutam, hos curatiuos in se complectentem scopos, qualitatem videlicet remedij, quantitatem, occasionem, & vtẽdi modum, diffusè ac seorsum per singula capita, eo ordine, quo in curatiua prosequuntur methodo, exponenda proponimus.

De venæ sectione, ceu qualitatis scopo: huiúsque deliberandi methodo in acutis morbis.

Cap. XXX.

Acutissimus Galenus libro illo synopseo Artis Medicæ cum accurata methodo, & arte perfacili omnes illas tres in genere causas tradidisset, salubres inquam, insalubres, ac neutras: quæ omnes in vsu Medico iuxta vtramque artis partem strictè obseruandæ veniunt: cúmque rursus salubres in conseruatrices, & effectrices eleganter secasset: illarum inuentionem ex corporis natura insinuari cẽset, vti & harum ex morbi essentia. Natura cũ semper suo simili & gaudeat, & exoptet, dissimile respuat, ceu noxium, & oppositum, hinc sui conseruationem per similia indicabit. cognita igitur natura cognoscetur & similis salubris causa, eámque pariter & sanitatis esse conseruatricem, ac tutricem. Morbus porrò res quidem præter naturam, cum à dissimili, seu contrario vincatur, mutuò enim se expellunt

pellunt contraria, hinc sui ablationem per contraria indicabit. quo agnito, opposita causa iugiter cognoscetur salubris, & ceu sanitatis effectrix. A solis namque contrariis contraria tolli, testatur cum Hipp. lib. de flat. & Galenus lib. ad Thrasib. c. 45. Sed cum illud ad quod omne quamprimum remediorum consilium dirigitur morbus sit, vti ὁρμητήριον, ac methodi incitamentum, qui & iuxta Hippocratis axioma suo contrario tollitur, proinde corpori malè affecto, seu præter naturam lacessito, semper huiusmodi sunt adhibenda contraria: vt dilucidè etiam insinuat, ac docet Galenus lib. 5. de tuend. valet. cap. 10. Hæc contraria in specie, & remediorum materies dicuntur, & sanitatis causæ effectrices, tū & summi Dei ex Herophilo auxiliares manus. eorum inuentio per indicationes paratur: nam vti per easdem auxilia inuenimus, sic ex his, vna cum scopis, aduocata methodo rationali & morbos tollimus. Methodus enim expedita via est, ac certa, qua auxilia inuenimus, congruè deliberamus, & setiò vtimur: huic deseruiunt indicationes, tum scopi. In genere itaque quid expediat demonstrat indicatio, vt calida intemperies refrigerationem, fluxio reuulsionem, plenitudo vacuationem: verum qualitas, seu materies auxilij indicati, quantitas eiusdem, vtendi modus, & opportunum tempus, non ab ipsa indicatione experitur, verum accersita methodo coindicationes exploramus, scopos vniuersales, ac priuatos consulimus, vt opportuna eligatur materies, tum congruus sit eiusdē vsus. Hinc morbus etiā cum sua causa si adsit, auxilij qualitatē in vniuersum indicat: locus affectus vtendi modū: recessus à naturali statu, vnà cum facultate & viribus mēsurā,

indicantium præsentia, cum absentia impedientium tempus opportunum. Quare obseruare indicantia, tum indicata, & ex his vtilia connotare, respuere futilia ac noxia, ad methodum rationalem spectat. Ab hac (secus ab indicatione, quæ ex Galeno lib.3. meth. cap. 1. semota omni experientia tantum quoddam ratiocinium inchoatum seruat) obseruationes organa Empiricorum, tum analogismi dogmaticorum, haud dubiè ne omnino quidem expunguntur: cum hęc admittant morbi caussas occultas habentes, quorum materies auxilij sola inuenit experientia, veluti difficilium, aut incomprehensibilium solus analogismus; obseruatio verò, ac methodus, eiusdem materiei per experientiā, aut analogismū inuētæ, vsū perficit, ac absoluit.

Doctrinam hanc inueniendi qualitatē remedij Galenus doctissimus lib. de const. Art. Med. c. 14. in duos videtur reduxisse cancellos, in corporum, quibus auxilia adhibentur, cognitionem, & ipsius auxiliorum naturæ notitiam. Illud præsertim consequaris, replicatis tum libris de locis affectis, tum de morbis ac symptomatis: hoc verò, quos de simplicium medicamentorum facultatibus conscripsit. quamuis auxilia quæ chirurgica manu exercentur, aliunde sint petenda, dignotio ex propriis huius instituti libris: veluti composita, ex pharmaceuticis, tum præcipuè ex his, quos perdoctè Galenus construxit de compositione medicamentorum secundum locos, & genera.

Auxiliorum itaque inuenire materiē, quibus omnes præter naturam affectus sanantur, haud minima quidem appellanda Artis pars; cum princeps potius sit, plurima, & ardua in se contineat Artis præ-

præcepta, diexodicam, nec facilem enarrationem exoptet, multa exploráda cótendat, obseruationem maximá per lóg[illegible]s ac serios vsus partá requirat, experiétiá, & analogismú nó negligat. si enim varij, ac diuersi sunt morbi, iuxta varias morború, ac caussarú naturas, diuersum affectorú locorú situ, varias corporis affecti indiuiduas proprietates, & alia: auxilia denique diuersa, facultates plurimæ, ac sæpè occultæ, quid mirum Medico si tot & tanta se offerant ediscenda ad absolutum methodi rationalis vsum? Cęterum pulcherrima hîc consideratio, in qua multa oratione licet vti; sed cú methodus alibi nos aduocet, nobis modo in hoc Lyceo breuiorib. spatiis ambulandum. Diximus nuper à morbo quàm primum remedium indicari; quem tollere & in curatione requiritur, & omne remediorum consilium ad eum primò dirigitur. Hanc doctrinam Auctor ad Thrasyb. cap. 25. conuellere videtur, dicens, *Non morbos, sed eorum caussas medelam indicare, auxilia*, itidem ait, *non affectis, sed facientibus aduersari.* Vno flatu hæc dissipari possunt, si libri scopum obseruemus. Agit namque aduersus Methodicos, & Empiricos caussas morborum omnino negligentes, quas tantopere æstimandas censet, quod cunctis aliis anteponat indicationib. in morbis præcipuè fietib. in quibus auxilia non morbis, verum caussis tantum immediatè aduersátur: vti in factis, efficientem conseruantem vnà habentibus caussam cum huic primú in ordine occurrendum, quamuis dignitate, & præstantia, ceu methodi carcer, quę à morbo sumitur indicatio reliquis antistet. sin auté morbi facti (qui absoluté morbi, cú nullam in fieri depédétiá habeát à caussa) his directò auxilia

tis propositis conferentiora eliguntur. Sub natura morbi quidquid in nobis præter naturam est amplectimur, morbum primò, eius caussam mox, ac tandem eiusdem morbi germen symptoma, quæ cuncta, quatenus in nobis preter naturam oriuntur sui ablationem indicant. Porrò & in his omnibus proprietates quasdam æstimamus, magnitudinem, acutiem, cacoëthiam, turgentiam, vehementiam &c. quarum aliæ peculiares morbo, iam aliæ morbo, & eius caussæ, aliæ caussæ tantum, aliæ symptomati. Verum supponamus modò morbum ex sua natura magnum esse, & acutum, febrem, si lubet, causodem: eius caussam humorum esse abundantiã, in qua sanguis adhuc suam ideam seruat. morbus hic per communem adhuc indicationem sui ablationem indicat per magnum auxilium sibi appositum: eius caussa cum abũdantiam supponamus, vacuationem. & cùm caussa ad se primò conuertat Medici animum, huic preuidendum quamprimum, qua præsente ne morbum quidem tollere fas est. Positis his igitur communibus indicationibus, & vacuationem magnam præponendam suadeat Methodus, neque vltrò specialioris indicationis sit locus, quærenda nobis talis materies est, quæ iuxta magnitudinem morbi, & eius caussæ par fiat redditio. Methodus itaque ius suum exercens, magni vacuantis auxilij scopos in consilium vocabit, & vnà eiusdem indicati naturam inquiret, copiam, & differentias, nec non & cuiusque priuatos scopos, explorabit. Scopos præsidentes magnitudinem morbi, & robur virium indixit Galenus cum Hippocrate. 4. de rat. vict. sen. 19. Materiei vacuantis auxilij multiplex differentia, venæ sectio, purgatio hir u-

dines, frictio, exercitatio, balneum, clyster, inedia &c. quarum altera differentia magnorum vacuantium est, altera paruorum, prioris differentiæ sunt priores illæ materies, venæ sectio, & purgatio, ex Galeno passim: quia hæ adæquatè, ac pari studio humores morbi magni efficientes caussæ tollere, valent. Cæterum lis, seu iurgium potius coram Iudice existit modò, an eligenda venæ sectio, an purgatio, vna quæque litem in rem suam vertit. Iudex, rationalis inquam methodus vtriusque ius, naturã videlicet seriò examinat, scopos cuiusque priuatos rimatur, vacuandi scilicet vim reuellendi, ac deriuandi, quæ tutius indicãti satisfaciat, ac celerius: rursus concordes indicationes, saltem quæ dignitate præcellunt replicat, caussæ itidem efficientis naturam, cuius ratione proximè de vacuatione deliberamus nihilominus æstimat, & multitudinem humoris inutilis, in quo sanguis adhuc suam seruat ideam inuenit. Cunctis his seriò obseruatis tandem ipsa rationalis methodus ius dicit, & rem disceptat in fauorem sectionis venę. neque purgatio ius habet vllatenus in nostra hypothesi, nisi turgens esset illa materies vacuanda: vti in vacuando humore redundanti sincero, & ab aliis segregato, etiam nec moto. Illius tanti auxilij partes quàm maximè faciunt, ad eius seriam quidem deliberationem, si præter morbi magnitudinem, & caussæ efficientis naturam suppositam etiam ægrotantis natura optimè fuerit temperata, corpus eusarcon, ætas florens, bene nutritum corpus, quia his adstantibus audacter, seu citra discrimen venas tundere fas est: neque his absentibus pedem sistere lubet, dũmodò quæ prius diximus in hoc conuentu præsint; cum nobis mens sit, in toto hoc

hoc opere, de venæ ſectionis vſu in muliebribus morbis pertractare, ceu præſtans auxilium ad curationem acutorum: proinde in ſequenti capite aliqua de eius natura, ac præſtantia libuit præfari, vt tanto noto auxilio, ardentius eius vſum in magnis morbis ſanandis affectemus, exquiramus.

De venæ ſectionis natura, ac præſtantia.

CAP. XXXI.

INeffabilis χειρώνακτος ſapientia, quæ cum Aegyptiorum Harpocrate, ceu cum Græcorum Caſmillo in ſilentio potius colenda, quam intrepidè cum Numenio Philoſopho Eleuſinarum Theſmophoria interpretante vulganda eſt, in homine, tanquam totius orbis coronide, ac mundi theatri periocha ſplẽdet maximè, ac eluceſcit. Seriò exputans iſtud Philoſophiæ parens ter maximus Hermes, magnum hunc Naturæ miraculum, & excedens faſtigium appellandum retur. Medicorum verò Phœnix Galenus, explorator ſedulus operum ſacrorum, de diuina illa mente, & admirabili artificio in ipſa homine, maxima, ac penè diuina effatur. opus illud teſtatur immenſum, quod de hominis ſingularum partium vſu conſtruxit. Hic igitur homo, diuinum animal ex duabus componitur naturis, altera ὀργία, ſummo Conditori ſimillima, Parcis haudquaquam ſubiecta, per quam ἀνάφρωπος ille dicitur: altera mox, quæ ab ipſa priori ſuſtinetur natura, ac mouetur loco, ex quatuor in ſe inuicem miſta alterabilius elementis, & à qua idem κατάφρωπος vocitatur. per hanc,

quatenus sanationi, & ægrotationi subiicitur homo, subiectum itidem dicitur Medicinæ, & omnia huius sacræ & excellentis sciẽtiæ præcepta circa hoc versantur. quamuis prioris illius naturæ doctrinam per se non respuat, ob plurimas, & abditas rationes, quas modò reticendas arbitramur. Apprimè itaque homo à cunctis Philosophis Μικροκοσμὸς appellatur, cum quæ in tota vniuersitate excellunt, eminentiori modo micent in homine. Pars superior, Anima inquam, aura diuina, cœleste quoddam fragmentum, imago summi Dei, & Angelicæ naturæ particeps. Inferior altera cum viuentibus cunctis consentit, cum sentientibus vnà communis. verum corpus tetragonon, seu quatuor elementorũ capax, tanto, ac tam admirabili artificio fabricatur, quod cunctis Naturę operibus antister, quasi sublimis basilica auræ illi diuinę sacra. nihilominus & terrestri globo affabrè eius structura assimilatur, cuius portione maiori ex parte constat: iuxta illud Genes. c. 2. *Formauit igitur dominus Deus hominem de limo terræ.* Hoc itaque elementũ totius orbis cẽtrum, omniparens cum sit, ac frugiferum, sagax Natura, maxima cum prouidentia irriguum fecit, hinc inde plurimi ac dulces scaturiunt fontes. flumina itidem per eius superficiem gradiuntur multa, lata simul, & ampla, per abstrusos denique & reconditos eiusdem meatus plurimi se insinuant aquarum tubi; quibus omnibus attemperata, ac quasi fœta, fœcunda apparet, pulchra, varietate plantarum insignis, flosculorum fragrantia iucunda, stirpium salubritate amabilis, & arborum venustate illustris, quibus dotibus exornata seipsam cunctis animantibus præbet, & maximos præstat vsus. Pari ratione eadem

eadem docta Natura terrestre illud corpus humanum maxima cum harmonia cõglomerauit, capacissimos vinxit riuos, architectata fontes non exiguos secretiores tubos formauit, quorũ omniũ beneficio vniuersa humani corporis structura irrigua fœcundaretur. Per vniuersam corporis superficiẽ, (quam corporis habitum appellãt Medici) venustè apparent canales, tubi etiã nec adstricti, per quos sanitatis tẽpore (dux est enim ipsa non viuẽdi solũ, sed & bene viuẽdi) dulcissimo nectare repletas partes omnes ad alitionẽ fruerẽtur, & per eosdẽ, si fortè à salubri statu laberetur corpus, imperante Medico incisos ab omni pariter morboso affectu vindicaretur. Cũ igitur cũcta prouidè, ac cum solertia quidẽ, sagax operetur Natura: hinc, vt iniurijs plurimis, quibus nos fatali quadã sorte subijcimur, occurreret, ipsa, etiã in corporis habitu organa idonea fabricauit, quibus Medicorũ ministerio reseratis, & omnẽ deponeret inutiliũ humorũ sarcinam, & omnes iugiter alleuaret: & hac arte optimè valerẽt homines, lęta fruerentur sanitate, & morbos cauerè infensos. Ne testimonia congerã in re decantata, quibusdã solũ Physiologicis exẽplis rem lustrabo. Adest quãprimũ fœmina animal mẽstruatũ, in qua apposite canales quosdã cõstruxit, ita secũdũ naturã reseratos, quod typicè per eosdẽ, maximo cũ artificio, placidè, ac tutò sanguinis sarcinã deponit illa. quo mediãte operã, & salubrẽ seruat, & sæpè à grauissimis vindicat morbis. Porrò & in vtroque sexu, etiam in vtraq; valetudine idem præstet natura, dũ apertis nariũ, aut hęmorrhoidum tubis, per eosdẽ inutilem sanguinem eliminat, maximo cum hominum ipsorum commodo. Tandem adest & por-

tentosum de hac re naturæ exemplum, cum Hippopotamum Niliacum animal, citra rationis fastigiũ solo nutu naturæ huius tanti auxilij fecerit magistrum, & inuentorem. Refert quippe diligens Plinius lib. 8. suę naturalis historię ca. 26. quod *Hippopotamus in quadam medẽdi parte etiam magister extitit. Aßidua namque satietate obesus exit in litus, recentes harundinum casuras speculatus: atque vbi acutißimum videt stipitem, imprimens corpus venã quandam in crure* (seu vt alij legunt in cute) *vulnerat, atque ita profluuio sanguinis morbidum aliâs corpus exonerat, & plagam limo rursus obducit.*

Quamobrem cum hoc auxiliare instrumentum venæ sectionis, ab indocta Natura inuẽtũ sit, & indies à grauissimis Medicis longo, & assiduo vsu, maxima cum hominum vtilitate comprobatum: quis amplius amabò totis viribus illud non amplectetur? Naturam, ducem optimam, sedulò imitari non contendet? Nec sunt huius auxilij hæc vtraque encomia reticenda, Naturę inquã inuentio, & à primis sęculis ad hæc vsq; nostra tempora à clarissimis viris, cõtinuata serie eiusdem approbatio, cũ his, ceu maximis, summum assequatur laudis.

Est itaq; venæ sectio auxiliorũ omnium optimũ, efficax, pręsentaneum, & in multiplici rerum vsu fœcundissimũ. Est tandem reliquis auxilijs opportunius, citius, ac sanè tutius. Quare nihil mirum, si maturo cũ cõsilio, eumethodo rationali diuinus artifex Medicus persæpè de hoc insigni remedio, tum ad præcauẽdos deliberet morbos, tũ sanãdos. Eumethodus itaq; per quam istud decernitur auxiliũ, vim suã à diuina illa [illegible], ac mente recipit, itidem architectata, firma, semper, vndequaque constans,

stabilis,

ſtabilis, vera: quę mẽs teſtãte Galeno lib. 1. Aph. ſen. 1. tanquam arbitra ſedet, de ijs quæ gerenda Medico ſunt verè cenſet, ac certò iudicat. cuius potentiæ obiectum veritas, vti actio veritatis inquiſitio.

Præterea fas, & peculiares venæ ſectionis ſcopos receẽſere, quorũ ratione mens accingitur ad eius deliberationem in artis operibus. Eſt igitur duplex in genere ſcopus, aut enim venarum ſurculos tundimus, vt ea quę quãtitate, ac ſarcina inutilia: ac oneri ſunt naturæ ſimpliciter vacuemus, aut vacuando contenta in eiſdẽ venarũ tubis reuellamus à motu, quẽ acceperint præter naturam, concitata: ſiue illud præſtemus ducendo, ac retrahendo ad longinquas partes, quę propriè reuulſio dicitur, ſiue ad vicinas, quæ propriè deriuatio. Reliqui ſcopi, quos Neoterici præſcribunt, noſtri præſertim vlteriores Hiſpani, ventillationẽ, refrigerationem &c. ad ſuperiores illos per ſe reuocandi. quia venæ ſectio, in quantũ minuit materiem calidam, humores videlicet, & ſpiritus, per accidẽs refrigerat, tũ & per eãdẽ minutionem per accidens itidem contingit ventillatio.

Cæterum vt huius tanti remedij nos fœlicem cõſequamur finem, congruum adipiſcamur & vſum, ἀκριβολογία neceſſariò indigemus: notitia nimirũ locorum malè affectorũ, & quibus ineſt morbi cauſæ principium, ex Galen. lib. 13. methodi, & præſertim cap. 21. De locis malè affectis explorandum, an idiopathicè, an ſympathicè potius infligantur. porrò & intereſt valdè venarum ortus diſcamus, ductus, coniugia. quod venuſtè inſignis illa Medicinæ pars Anatomica docet, replicat. hæc enim tota poſita eſt in corporũ

diſſectione,in exacta itidem demonſtratione formationis, & vſus cunctarum totius humani corporis partium.

Rurſus præſtans hoc remedium cum magnum ſit,magnos tantum reſpectat morbos; & in his ius tantum de illo decernere:verum ne ſolos quidem præſentes, ſed & futuros, ſi tales expectentur. Et quamuis primò reſpiciat morbum, cuius ratione curatio per ſe ſuſcipitur, tamen proximè non hunc, ſed eius efficientē,quantitate, aut qualitate, aut vtroque modo inutiles. Quare etiam in humorum corruptela, atque in cacochymia non ſolum vt compeſcamus, verum vt etiam minuamus licet aliquando tūdere venas,dummodo vtrique adſint deliberatiui ſcopi,commodius tamen,ac multò liberalius, ſi ſanguis reliquos in ſe permiſtos vicerit humores, & ſuam ſeruarit ideam,In hac enim vtili operatione (quod maximum eſt)Natura ſagax ac prouida illius viuifici nectaris cupida,& eius indigentia malè ferens, amara fit,vnde & ſeriò vtile ab inutili ſecernit, & illud amplectitur ſedulò, reliquum, ceu moleſtum vnà, & per venarum ſciſſiones libenter expellit, eliminat.

Quare cum tanta ſit huius auxilij vtilitas, tanta in actuoſæ Medicinæ parte excellentia, nec mirum; ſi Natura, vt his frueremur bonis, tubos tot, ac venarum ſurculos per vniuerſum corporis habitum ſparſerit patentes, atque micantes, denique & vſu & exemplo hoc idem ſolerter comprobarit. quibus commoti doctores Medici, eiuſdem æmulatores, & cunctorum hominum pariter vitæ cuſto-

diam

diam mirificè anhelantes, pari studio salutem largirentur.

Quæ ad naturam, & congruum huius auxilij vsum spectant perfunctoriè in hisce libris disputabuntur: diffusè, ac singillatim in appendice, seu in spicilegio infrà de hac re à nobis instituto. Nunc satis sit methodum tradidisse, qua de huius qualitate remedij lubet deliberare, primus methodi medendi scopus. Inuenta itaque qualitate, ad reliquos progrediamur oportet, & quantitatem exploremus, quamprimum in ordine scopus secundus.

De scopo quantitatis auxilij in genere.

CAP. XXXII.

IVdicium difficile, κρίσις χαλεπὴ affirmat Dictator summus in suis Aphoristicis oraculis lib. 1. sen. 1. difficile itidem, siquid aliud maximè, eius paraphrastes insignis interpretatur in commentario. vtrumque liquet, cum semper iudicium ambigat, quasi offusum caligine, ad hæc vsque nostra tempora circa obiecta phantasmata, cum hæc intellectui, aut præpostera, aut confusa, aut falsa specie sese offerant atque ad perniciem multa, atque ad salutem inueniuntur ab ingenio alia. impositum est autem menti iudicium, tanquam prætor quidam, ad inuentorum perpensionem. quare cum versetur circa illa difficilia obiecta, perpendens, & recognoscens illa accuratè etiam & opus istud difficile censendũ: cum reflexio sit mentis, super prioré illã notionem præposterã, confusam, aut falsa specie sese offerenté. Latent igitur hæc in profundissima caligine inscitiæ

humanæ. vnde electio in omni ista actione, atque contemplatione opinionem germinat, in tam riuales, & oppositas sectas dispertitam.

Si itaque difficile iudiciũ, multò magis circa mẽsurã, & quantitatẽ cuiusq; remedij. nã de hac re iudiciũ elicitur ex perpensione, & recognitione lapsus perfectè inuenti, tũ eius causæ, & naturæ pariter lapsæ, quod absolutè assequi, & difficillimũ ex Galeno doctiss. lib. 8. cur. rat. per venæ sect. cap. 14. & ferè impossibile: inde & difficillimũ, proportionatũ inuenire auxilium. curatio autem absoluta, & perfecta erit, si quantus fuerit morbus, seu lapsus à propria cuiusque natura, tantũ exquisitè auxilium fuerit. Indiget igitur Medicus ad hanc mẽsuram, & quãtitatem auxilij inueniendã pręter ea quæ recenset Gal. com. 2. de rat. vict. sen. 36. vires didicisse omnium quæ in arte sunt, & memoriæ eadem mandasse, & diligenter se in artis operibus exercuisse, acri itidem ingenio, quo etiam difficilia cognitu cõprehẽduntur facilè: rursus perspicaci iudicio, & maturo consilio, quod de rebus dubiis, & occultis est, ex Quintil. lib. 6. Inst. orat. vti iudicium mansorum quædam ruminatio, ad coquenda consilia, ex clarissimo Iul. Cæs. Scaligero lib. exercit. de subtilit. aduersus Cardanum, exercit. 256. his itaq; potissimum accuratè inueniet, ingeniosè comprehendet, & cõsultò ac seriò consulet, quę nullatenus sub artis pręceptis contineri queunt. quæ præcepta vniuersalia cum sint, rata, & firma, haudquaquam coniectricia, vt doctè ad Thrasyb. Auctor demonstrat: indiuidua autem & singularia, cum neque sub scientiarũ præceptis cadant, hinc eorum cognitio infirma, lubrica, & difficilis sanè. Cæterum cum ratiocinatio discur-

discursus intellectus sit, quo vniuersalia principia agibilium ad varia singularia, & incerta agibilia applicantur: proinde indiget ingenio acri, vt difficultates comprehendat: consilio atque iudicio perspicaci, vt inuenta æqui bonique consulat. Hæ actiones autem cum intellectus sint, & hic; dum in corpore anima quasi sepulta iacet (vnde corpus σῶμα, sepulchrũ) ne intelligere quidem valet, & suo munere fungi, spiritalis cum sit, nisi reflectatur ad phãtasmata, in ærario phantasiæ, altera quidem potentiæ cogitatiuæ pars recondita, atque seruata. quæ potentia organica etiam cum sit, variè se habet in suis operationibus, iuxta variam cerebri temperaturam, ac substantiæ modum. hinc non omnibus datum est adire Corinthum. exurgunt inde tot, ac tam variæ rerum opiniones, & in nostra consilij ratione, quidam occurrunt metu trepidantes, vt ferè sunt omnes Arabum, fœdam, ac turbidam sectantes doctrinam, qui vti hæmaphobi, minimam in cunctis morbis sanguinis hauriunt quantitatem. alij vti hirudines immodicam, inter quos audax adest, ac temerarius Botallus. alij tandem prudenter medium seruarunt, qui nec flebile ac lugubre sonant, vt Lydij, nec molliter vt Ionici, verum veluti Dorij, inter vtrosque laudantur medij, & hercle in arte beati. Cuius sacræ hæresis tanquam primi, ac celebriores Parentes fuere tum Hippocrates diuinus, tum acutissimus Galenus: hos mox vniuersa ac præstans imitatur Græcorum schola: & in hoc tandem insigni posteritatis Senatu, forsan post illustre illud Parrhisiensium, ac Monspeliensium Medicorum Emporium, alma itidem illa Edetanorum Valentina Academia vehemen-

ter eidem arridet: cuius me semper & fœlicem alumnum, & doctorem prædico, cum tales in ea, ac tam clarissimos consequutus fuerim doctores atque Magistros. Omni igitur metu, omnive timore repulso, celebre istud, & magnum auxilium, ad omnes ferè morbos magnos tollendos, seriò amplectamur: temerè, aut vltrà modum ne vnquam sanè. Quare ingenua audacia clauum hunc medij semper tenentes, in quo & perfectum consistit, & optimum sanguinem nos hauriamus. quod si in cunctis rebus expetendum, ex Galeno comm.1.in lib.de hum.sen.11. quanto magis in hoc deliberando auxilio, & eius seria quantitate, cum fundamus sanguinem vitæ quasi thesaurum?

Cæterum cum cuiusque auxilij quantitas certa lege, ne vlla quidem artis ratione queat præscribi, testante Gal.lib.præsertim 3.meth.cap.3. ac dicente, *Siquidem (vt sæpè diximus) nulla est in arte Medica nec res, nec medela, quæ specie dicibilis non sit. Sed quod neo dici, nec scribi, nec omnino pracipi potest, id quantitas in quoque est.* sola proinde remanet artificiosa coniectura, iudicio ipso prætore: quæ ad veritatem propè accedente, & fas, quantum ius humano ingenio ipsam consequi. Istud nec Galeno abstrusum, si verba eius clara, quantum præclara audiamus, ex lib. de cur.rat.per ven.sect.ca.12. *Nihil æquè artem Medicam coniecturalem efficit, vti cuiusque remedij quãtitas. Etenim cum frequenter compertum habeamus tempus instare exhibendi aut cibi, aut potus, eiusque aut calidi, aut frigidi: quantum tamen dandum sit, certò non nouimus.* In hac igitur sententia appositè Galenus coniectricem Medicinam fieri in agendo struit, iuxta hanc quantitatis auxilij deliberatio-

berationem: quia hæc nequit rata præscribi scientia, cum ex disparibus nos eandem venemur. verũ quamuis coniectrix, cum plurima in ea considerate consulantur, si acre iugiter ingenium nactus fuerit artifex, ad scientificam veritatem quàm maxime accedet. neque proinde omnem coniectricem autumamus artem cum physica ferè omnis sit, & firmis theorematis gaudens, nec paucis demonstrationibus: quid, quod, & eius præcepta, vt Auctor censet ad Thrasib. nec coniectanea. rata enim cuncta, & scientifica. quid quod & medendi methodus, princeps artis pars, nec coniectrix, cum per indicationes scientificas, principiis physicis inhærentes procedat. Sed de hac re Galenum proclamantem audiamus lib. 2. de comp. sec. loc. cap. 1. *Quod enim artis coniecturale est, id maxime in affectionum cognitione consistit. Quæ vbi inuentæ fuerint, curationem non cõiecturaliter, sed scientificè indicant, cum hoc quod & cognoscere datur, quàm ægrè aliquæ affectiones medelis cedant: in quibus rationabiliter iuxta indicationem remedijs vtimur, etiam si nihil efficere in principio appareant. Atque hoc est quod in aphorismo* lib. 2. sen. 52. *dictum est, in quo ait, Omnia secundum rationem facienti, si iuxta rationem non succedat, ad alia transeũdum non est, manente eo quod visum est à principio.* Ex vtroque igitur Medicinæ parente elucescit therapeuticam Medicinæ partem haudquaquam esse cõiectricem, cum Medicus logicè, vel secundũ rationẽ in ea operetur, seu cum Gal. 2. meth. ca. 7. per scientificas indicationes, quibus ad curandum rationalis methodus vtitur. cuius tam stabilis, ac firma ratio, vt fixo quidem pede huic teneatur Medicus semper adhærere, nec ad alia conuolare ius, cum reliquæ o-

mnes viæ inuiæ,lubricæ,insidæ, ac funestæ sæpius. Denique ex hac Galeni sententia confirmatur quod supra iam diximus de coniectrice quantitate auxilij, si enim coniectrix affectionum cognitio,ergo & quantitas auxilij proportionata affectui, coniectrix pariter.

Dicitur Medicina itidem coniectrix scientia, ob finis incertitudinem: nã hæc cõiectrices parit sciẽtias,testãte Auctore ad Thrasyb.c.4.cũ igitur Medicina incertũ, ac instabilẽ cõsequatur finẽ; cum nec semper artifex(etsi omnia ad illũ cõsequendũ disponat optimè) sanitatẽ assequatur: vti nec Imperator in militari disciplina peritus sẽper potitur victoria, quia incerta, & ars similiter cõiectrix. Et quamuis methodus(vt dictũ)rationalis,& sciẽtifica:reductio autẽ vniuersaliũ ad singularia,quæ mentis propria, affectãtis finẽ,eandẽ sciẽtiã cõiecturalẽ reddit.quod nõ solũ ꝓuenit ob iudicij difficultatẽ, verũ ob subiecti,circa quod versatur ars,lubricitatẽ,& quia variis obiicitur indiuiduum corpus alterationibus,ac mutationibus, quare & incerti euẽtus, & incerta simul finis consequutio.

Iudicij difficultatẽ quãplurimũ auget occultatio internorũ affectuũ,& eorũ causæ abditæ, quæ cum sensibus externis,alteræ quasi demõstrationes iudicari nequeãt,in abditis delitescentes,difficile necessariò iudiciũ. sensuum autẽ inspectio, etiam comico Plauto testante,plus valet,quã si mille alia id cõprobassent testimonia. Præterea nec latẽtes affectus demõstratiuis indicãtur signis,verũ homonymis sępè,ac ambiguis,aut cõmunibus coniectamur.testatur hãc rẽ Medicinæ splẽdor Galenus,etiã ꝗ magis est,in seipso deceptus. quia cum colico lãcinaretur dolore

dolore,ob ſignorũ cõmunitatẽ, hunc iudicauit nephriticum, neque pudore ſuffuſus ſilẽtio deceptionem obuoluit,ſed vt attentos redderet Medicorũ animos,hoc idem recenſet,ac fatetur lib.2. de loc.affect.c.1.Quod ſi in tanto doctrinæ ſplendore offendit ipſe,quid noctuæ,quid veſpertiliones?Neque in cunctis morbis hoc æſtimandũ, cum adſint aliqui, nec pauci ſanè, pathognomonicis fruentes ſignis, nec ex his difficilis naturæ illorũ dignotio,ſeriò, ac ſedulò cuncta aſſidentia ſigna obſeruantibus. nec proinde, quia innoteſcit morbi idea, abſoluta paratur dignotio,ac perfecta,cum adhuc & indiuidui morbi ignorentur proprietates, quãtitatis receſſus, mos morbi,&alia,quæ exGaleno lib.5.de tuẽda valetudine c.10. ex ſignis epiphenomenis,& ſynedreuõdis,& aliis repetẽda: hac igitur coniectrici arte, cuncta hæc ęſtimando,ac perpendendo pariter,per quandam mentis ruminationem,vti abſolutã morborum conſequimur notitiam, ita eâdem & remediorum captamus quantitatem, & rurſus hanc morbis artificiosè adaptamus.

Artificioſa itaque hæc coniectura, quæ auxiliorum ſerio quantitatem parat(ſiue auxilia ſint ſumẽda,facienda, educenda, aut foris incidentia) ex quatuor potiſſimum petitur fontibus. Ex natura primũ totius corporis,vel alicuius partis, ſub qua conſuetudo,ætas,& ambiens continetur:vti ſub ambiente cœli ſtatus,tempus,& locus.ad naturam partis rurſus ſpectat ſenſus acrimonia,ſubſtantia, poſitus, ac ſocietas. Porrò ex affectus ſeu morbi natura deſumitur alter, ac præſertim ex eius magnitudine ſeu vehementia,aut paruitate,contumacia.ac facilitate. Tertiò ex affectus cauſſa,de qua eadẽ quę de morbo ſũt dicta obſeruãda,eius præcipuè quãtitas.hæc au-

tè à morbi caussa indicatio, asserente Galeno lib. de Sectis, c.3. quā plurimū valet ad auxiliorū quātitatē indicandā. Tandē remediorum quātitas ex viribus postulatur: nam ex his apposìtè metimur auxiliorū quantitatem, ceu consentientibus. vires namque robustæ magnam admittunt remedij quantitatem, languidæ verò contrà, cum aut absolutè prohibeāt, si valdè exolutæ, aut aliquam minimam consentiunt quantitatem, si adhuc aliqua ratione, seu minimò consistant.

Per remedij quantitatem ex Galeno lib.13. meth. c.22. non solum id quod per se quantum est, & molem ac substantiam dicit intelligendum, verum & id quod vehemens, ac per se quale, per accidens verò quantum. vti morbos magnos vocamus, quos propriè vehementes. hoc argutè docet Galenus lib. 3. de c[o]mp. med. sec. gen. his verbis. *Conuenit igitur Medicum non modò affectus qualitatem, sed etiam ipsius, vt ita dicam, quantitatem coniectasse: nam haud ita propriè quantitas in qualitate dicitur, quamquam dicatur tamen, vt febris magna, & parua. Ac tantus est vsus eorum, quā sic dicuntur, vt iam proprij vim obtineant ipsa, perinde &c.* Quare propriè quantitas non dicitur de qualitate, sed propriè ex Arist. lib. categ. cap. de qualitate *recipiunt etiam intensionem, & remissionem qualia.* quia reuera aliquæ qualitates magis & minus recipiunt, in concreto tamen, haudquaquam in abstracto: videlicet vnum corpus album altero est magis album, non tamen albedo vna magis albedo quam altera. Sicuti igitur coniectamur non solum morbi qualitatem, & eius intensionem & remissionem, seu qualitatis gradus: ita & auxilij inuenta qualitate, e-

Cæte-

iusdem mox quantitatem, seu intensionem, ac remissioné, ad instar morbi ꝓportioné cóiectamur. Cæterum cum auxilium omne dicatur tum de chirurgico instrumento, tum de pharmaceutico, tum tandem de victus ratione, (hæc enim bifrons cum sit, non solum respectat vires, verum & morbos, quorum ratione dicitur auxilium: iuxta illud Hippocratis 1. Aph. sen. 16. *Victus humidus febricitantib. omnibus vtilis.*) cuiusque illius auxilij quantitas pariter & artificiosa coniectura captanda. Victus ratio quam primum & respicit qualitatem, ac quantitatem, etiam sub vtraque Medicinæ parte; cum in salubri, ex virium gradu, quæ sui conseruationem indicant, etiam metiamur victus gradum, seu quantitatem: vti in therapeutica, cum in morbis exactè peracutis victus exactè tenuis imperetur, in acutis tenuis, in cronicis autem plenior, vt in prima Aph. sectione affabrè exponunt vtrique Medicinæ Parentes. Prohibet autem victum morbus ipse, verum cum indicatio à viribus, quę victum per se indicát, dignitate præcellat cunctas, victum cogimur in morbis describere; qualem, vt sit morbo vti auxilium, quantum verò, iuxta ideam morbi quantam; ac minorem quidem virium respectu, propter prohibentem morbum. ex vtriusque igitur comparatione apposité victus quantitatem describimus in morbis, vt vires videlicet seruentur tantum ad morbi vsque statum, tenuius nutriendo quanto citior ille fuerit, ita vt sæpè inediam omnino imperemus, vel solius melicrati sorbitionem, vel ptisanæ cremorem, vt abundè Galenus declarat lib. præsertim 1. Aph. sen. 7. cum vtroq; Hipp. Celsus namque hoc idem testatur & lib. 3. suæ Medicinæ. cap. 2.

De scopo quantitatis venæ sectionis in acutis morbis, vnà adstante mensium, aut hæmorrhoidum fluxu.

Cap. XXXIII.

SEquitur altera de scopo quantitatis doctrina, & hæc peculiaris, de venæ sectionis quantitatis scopo in acutis morbis, quæ quamuis eisdem fruatur fontibus, lubet modò, iuxta nostri cõsilij rationem eosdem explorare. Sed Galenum eos recensentem quam primum audiamus: hic itaque lib. de curandi rat. per venæ sect. c. 9. sic fatur. *Coindicant autem hæc,* quæ plethoricam constituunt syndromen, *detractionis quantitatem, non ipsam sanguinis detractionem. Itaque ex morbo, ætate, & viribus minuendus esse sanguis cognoscitur: at vacuationis quantitas non ex istis modò, sed ex aliis deprehenditur. Ea sunt plethorica vocata syndromes, aëris nos ambientis temperies, in tempus, & locum diuisa: eáque quæ in anteacta acciderunt vita circa comesorum tum quantitatem, tum qualitatem: excretionésque, ac motiones, aut factas aut non factas.* Accuratè hoc loco summa capita demonstrat Galenus, ex quibus coniectrix methodus captatur quantitatis venæ sectionis; horum primũ signat morbum, magnum videlicet, sub quo haud dubiè eius caussam complectitur, quam immediatè respectat venæ sectio: rursus ætatem, florentem inquam, & vtramque collateralem: mox & robur virium. quæ tria, etsi scopi dicantur assidentes ad venæ sectionis (vt qualitas auxilij est) absolutã deliberationem: nihilominus tamen, & ad quantitatem eius auxilij deliberandam prosunt valdè. quod fortè

innuit

innuit Galenus lib. aduersus Erasistratæos c. 4. dum dicat, recensendo quatuor obseruãda in secãda vena, *Tertia item, qua ratione in his intentiones inuestigandæ sint, quas vbi quis exquisitè considerauerit, mẽsuram euacuationis coniectura assequi possit.* Hoc enim loco ex consideratione exquisita intentionum, seu scoporum vacuationis, mensuram coniectari posse arbitratur. Verum præter hæc, præcipua quidem, requiruntur & alia, syndromes videlicet plethorica, temperies aëris, tempus, locus seu regio, cõsuetudo iuxta victus rationem, excretiones pariter, ac motiones. addit citato loco aduersus Erasistratæos, & hominis naturam, ac temperiem, cum ob huius diuersitatem maior, vel minor subtrahatur sanguinis copia. Cuncta igitur hæc coindicantia obseruanda veniũt; quorum si maior pars, aut saltem eorum, quæ dignitate ac excellentia præstant, concordia fuerint, copiosè fundendus sanguis: sin verò discordia, iuxta cuiusque dignitatem atque præstãtiam plus, aut minus detrahendum hunc esse docet methodus. Verũ in ipsa methodo pręter hanc coindicantium considerationem, ius est & sedulò futurum auxilium obseruare, eius videlicet naturam, ac facultatem; vt ita vtrisque pensatis affabrè auxiliũ morbo adaptemus. Neque admirabilis ista methodus fallere quemquam quit, quin exactè coniectetur, ac maximo cum artificio accuratam illius deliberati auxilij quantitatem. Claudicant verò semper altero pede generales illi canones tum ab Hippocrate traditi, tum à Galeno firmati: quorum alter lib. 1. Aph. sẽ. 23. recẽsetur, statuens tum in synochis, & ardẽtissimis febribus, tũ in inflãmationib. magnis, ac dolorib. ingẽtissimis lypothymiã illi⁹ auxilij

vltimum carcerem. Et quanuis in eiusdem sententiæ commentario Galenus eandem metam approbet, damnat tamen eandem appo sitè & lib.9.methodi,c.10.& lib.de curandi rat.per venæ sect. c.12. vti & altero aduersus Erasistratæos,c.4. Alter porrò canon refertur ab eodem Hipp.lib.2.de rat.vict. sen.10. dum terminum huius auxilij constituat coloris sanguinis mutationem. Galenus citato aduersus Erasistratæos libro,ca.4.ex aliorum sententia & alios præter dictos commemorat, collapsionem videlicet pulsus ex debilitate dum sanguis subtrahitur, & sudorum proruptionem, aut labores, aut vomitus vehementiores si appareant,aut exuperantes alui deiectiones: rursus & animi defectionem iam dictam pro vacuationis portione contingentem:haudquaquam ob bilis, aut pituitæ fluxum in ventriculi orificium. Alij definiunt,à coloris in toto corpore permutatione,aut pulsuum alteratione. Alij tandem eiusdem auxilij quandam sibi proponunt statam mensuram,duas videlicet heminas Atticas,paullò plus,minúsue. Cæterum hanc omnem metam respuit quidem ibidem Galenus, & inquit, *quippe cum ex commoderata proportione, adhibitis ad id & ætate hominum,& natura, & tempore anni, & regione,nosipsi maius,minúsue cuique quadrans inuenire poßimus.* Hanc igitur solā methodū arbitramur ex coindicātibus petitā absolutā, & perfectam ad decernendam iustam huius auxilij quantitatem, reliqui autem illi priores canones cum morbum, & eius magnitudinem tantum respectent,vt palam Galenus in illius Aphoristicæ sententiæ cōmentario fatetur ipse,elumbes,ac infidi. Nam cum indicatio à morbo, ne sufficiens quidem sit, vt citato libro

libro de curandi rat. per ven. sect. etiam retur Galenus, nec ad deliberandum de specifico aliquo remedio, multóque minus nec ad eius quantitatem decernendam, meritò & canones illi incerti, ac futiles, methodus verò altera tuta, artificio plena, & omni encomio digna.

Occurrit offensaculum, à grauissimis viris iam expositum, quod nobis modò perfunctoriè pertractare fas, an puerilis ætas, an & senilis simpliciter venæ sectionem prohibeat. Nos & probabiliorem partẽ negantem censemus, & Galeni doctrinæ magis addictam. Hic namque & li. de cur. rat. per venæ sect. c. 9. & lib. itidem 9. methodi c. 16. liquidò istud demonstrare videtur, cum dicat, ætatem coindicare cum aliis huius remedij quantitatem: ergo si hæc cum aliis quantitatem coindicat, necessariò & speciem seu qualitatem eiusdem remedij iam prius admiserat. Idem apertius iterum insinuat, eodem citato libro 9. methodi cap. 17. cum dicat, *itaque etiam huius causa*, videlicet facillimæ dissipationis in pueris, in tempore pariter, ac regione calida, *iis, qui sanguinis detrahendi egent, aut prorsus venam non secabimus, aut parum detrahemus*. Porrò & lib. de cur. rat. per venæ sect. cap. 14. sic loquitur, *Absumitur autem ob laborantis quidem temperiem si calida humidáque sit, cuiusmodi est puerorum: ob ambientem verò si regio sit calida, & tempus æstiuum. Proinde minus detrahimus, quam plenitudo commonet, quod ad ætates quidem attinet in pueris &c.* Ex vtroque itaque loco liquet manifestò ne pueris quidem interdicendam esse venæ sectionem, etsi facillimè ipsi dissipentur, cum istud quantitatem potius minuat. Langor igitur virium vnicum prohibens hoc auxi-

lium vti eorũ idẽ robur idẽ consentiẽs vnicum: quo adilante scopo, postulante altero pariter pueris, ac senibus venam tũdendã esse clarissimus Celsus lege sanxit, li. suo Medicinæ 2. ca. 10. sub qua viriliter militant omnes post eum classici Medici, maximo cum eorundem puerorum ac senum commodo, & artis Medicæ gloria.

Nescio quo suggerente Mercurio à proposito consilio sim dilapsus. interest igitur eò redire vnde discessi, & cœptum iam dudum institutum absoluere. Scopus itaque nobis nunc est methodum tradere, qua exactè valeamus quantitatem venæ sectionis decernere in acutis morbis cum mensurno sanguine connexis, aut hæmorrhoido. Cæterum vt hoc præstemus, aduocanda generalis illa methodus, quam nuper indigitauimus, hæc quamprimum physin obseruat, ad quam reuocandi vterque illi fluxus acutis morbis ex hypothesi implicati: cum & vterque naturę sit opus. hoc innuit Galenus palam, dum libro de cur. rat. per venæ sect. ca. 9. postquam tria illa descripserit, morbũ inquam, eius causam quam plethoricam signat syndromen, ac robur virium, neque hæc sufficere dicat, ambiẽtem, locum, tempus & cõsuetudinẽ vnà obseruanda prędicit, excretiones itidem & motiones factas, aut futuras tandem adiunxit quæ vnà cum ætate sub naturę fonte cõtineri haud dubiè cẽsendũ: quare cum fluxus hi excretiones naturæ sint, qua tales pressè obseruandi: quia necessario ad quantitatẽ venę sectionis decernẽdã conducãt ipsi. iuxta enim impetũ illorũ, quãtitatem vacuãdi sanguinis metiemur, si arte adhuc fas sit amplius vacuare. Lustrat synocharum exẽplo

Galenus

Galenus citato sæpius lib.9. Methodi ca.5. dũ hanc coniectaneam methodum quantitatis venę sectionis, vtrisque illis excretionibus adstãtibus, aut imminentibus, hisce verbis describit, *Itaque si tempore mittendi sanguinem menses moueri contigerit, siue etiam hæmorrhois sit reclusa, si inspectus fluentis impetus satis fore videbitur, qui solus, quod requiris vacuet, naturæ rem omnem permittes: sin minus tãtũ ipse detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod postulas.* Illis verbis, *si tempore mittendi sanguinem*, cuncta illa tria capita adesse modò supponit Galenus morbum videlicet, seu synocham febrem, plethoram eius causam, ac robur virium: rursus excretiones per vterum, aut hemorrhoidas factas, vel futuras obseruat. dum inquit, *menses moueri contigerit, siue etiam hæmorrhois sit reclusa*: tãdem ex cũctis his coindicantibus artificiosa coniectura venatur auxilij quantitaté concludens, *quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod postulas*: seu auferatur omnis illa redũdãtia in plenitudine, quę efficere morbũ valens erat. hic enim alter scopus sectionis venæ qua ablata causa sanatio necessariò consequitur. Perficitur, seu assequitur vltimus iste finis, duplici ratione, aut solius naturæ interuẽtu, integrè omné morbi causam deponendo, vel saltem ferè illud quod multũ erat, neq; amplius valés morbum cõseruare, vel de nouo iterũ gignere: & tunc *rem omnem naturæ permittes*, perficitur, rursus & altero modo, dum natura imminutè operatur aut sui ipsius ratione, lento gradu ob languorem progrediendo, aut multitudinis redundantis respectu, & tunc *inspecto fluentis impetu*, & vnà relicta redundantia æstimata, *tantum ipse detrahes*,

quantum sufficiet ad omnem morbi causæ ablationem, vel saltem quantum sufficiet ad hoc vt natura reliquum vincere, ac superare valeat. cum extremas vacuationes semper metuat diuinus dictator, vt videre est lib.1. Aph. sen.3. & li.2. Aph. sen.51. Hoc idem seriò consulit insignis Galenus lib.1. ad Glauconem. cap.14. cum febris curationem adstante alui deiectione præscribat dicens, *Si febris cum profluuio ventris, non alia est opus vacuatione: verum hæc sola sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione.* quibus verbis vltimis insinuat Galenus inetgrè vacuãdum non esse, ne vires vnà cum morbo finiantur. illud igitur minimum consultò relictum, & à natura vinci ac superari, siue alteratione, siue absoluta coctione, siue quod accidit sæpè etiam commoda facultatis expulsione facillimum apparet. Hinc auxilia, testante eodem Galeno libro Artis Medicę, cum naturam habeant fautricem, quæ totis viribus, quantum in se est ad morbi accingitur ablationem, & eius causæ haudquaquam par est omnem integrè morbi materiem deplere, immò naturę medicatrici optimæ aliquid relinquere: ne pariter & copiosa, ac vehementi vacuatione exoluatur natura, quod peculiare est cunctis vehementer vacuantibus; quæ consequenter, ceu periculosa timenda. Quare qui temerè pro multitudinis ratione corpus extremè vacuant, & inde ægrotantes iam agentes animam contemplantur, in illum tandem insolentię gradum peruenire coguntur, quod assiduo vsu cardiacorum ex margaritis & aliis pretiosis lapillis cõfectorũ, lapsum resarcire futiliter præsumãt: mox & succis castratitiorũ arietũ, iam & stillatitio caponũ pingtium anili quodam chimico artificio extracto,

cto, rursus & liquamine ex arietum corde: denique viscera, cor præsertim liquoribus quibusdam aromaticis, lapillis etiam, vnionibus, ac rebus aliis pretiosis, purpureis imbutis sericis muniunt: palumbos visceribus pariter eisdem immolant, nectarea libãt, vt isto tanto armorum tumultu à calumnia vindicentur: & superstitiosè auram popularem potius, quã ægrotantium vtilitatem anhelant, & animã in suo ergastulo vix detineri nolentem, Medici isti abortiui hac arte cogunt immorari. Sed hos mali feroces relinquamus, ad pensum redeuntes. Tantum itaque Medici indigent manu, & externo artis auxilio, illa, quæ, vt recenserat li.1. de locis affect. Gal. c.1. tum lib. de const. artis Medicæ c.12. ob eius magnitudinem, ne natura quidẽ ipsa superare quit. valẽte namque ipsa morbos, & eius causas vincere, ac expugnare, frustra intromittitur artifex, cum omnia illi, cuncta suaniter, & opportunè operãti, sint committenda. quod vt præstet, ab artifice sedulo sunt remouenda impedimenta, si forsan adsint, & eidem opitulari omni studio, præ morbi magnitudine nequeunti illum superare, ac vincere. Satius igitur erit dum vacuamus aliquid naturæ relinquere, quàm integrè omnem deponere redundãtis humoris molem. Preter iam dicta, lubet & aliis Hippocratis oraculis idem demonstrare, libro videlicet 1. Aph. quo loco victus quantitatem in cunctis morbis describens, his verbis fatur, *Victus tenuis, & exquisitus & in morbis longis semper, & in acutis vbi non conuenit parum tutus. rursumque victus qui ad extremam peruenerit tenuitatem, molestus.* Porrò & in altera sequenti sentẽtia sen.3. adhuc idem dilucidius: *In tenui victu peccant ægroti, quo fit vt magis lædantur. siqui*

dem quoduis peccatum grauius hic, quam in paullo pleniore victu solet esse. Et concludens oraculum inquit, *Quare tenuis exactúsque victus paullò pleniore existit maxima ex parte periculosior.* Liquet palam ex his in cunctorum morborum acutorum victus ratione instituenda, satius multò inclinandum versus paulò pleniorem, quàm tenuem & exactam. quia hęc vti non tuta, etiam & molesta. cúmque tenuis & exacta victus species quædam sit vacuationis, & qua talis molesta, ac non tuta, cum vires ab ea labantur multum, & de omni similiter magna vacuatione idem præstante censendum. Quare in omni vacuatione ius, de extremo aliquid remittere, sicuti in victu exhibendo tenui. nam quoduis peccatum in his grauius, quàm in paulò pleniore victu, & paulo minore vacuatione. *Non tamen*, inquit Hippocrates citato lib. 1. Aphor. sen. 3. *vacuando vsque eo pergi velim, vt vasa in se penitus considant, hoc enim tutum non est: sed quatenus natura feret, eo vsque progredi oportet. sic & extrema vacuationes periculosæ.* Meta igitur quantitatis assignatur euphoria: non omnis redundantis humoris depositio.

Cæterum cum nullam artem nancisci valeamus, vt dicebat Galenus lib. 9. meth. c. 6. quin præter methodum vniuersalia theoremata complectentem, iugiter assiduè in particularibus nos exemplis, & vsu muniamur. hunc particulare exemplum nobis nunc proponere par est, vt & illustrior reddatur methodus, & facilior multò doctrina. Supponamus igitur Agnetem à synocho putrida infligi, in qua plethoricum corpus, vltra naturæ carceres sanguinis pondus ad libras sex cõtinere. quæ sanguinis quan-

quantitas, ceu præter naturam, obstructiones germinans, morbi efficiens causa definitur. denique obseruemus in ipsa Agnete sanguinis mensurni typum, & typi consuetudinem, cum per singulas lunationes, ac per tres etiam soles sanguinis libras sex Cinthiæ libet: idémque impetus fluentis sanguinis ipsa actu laborante insinuet, retribuendum. In ipsa Agnete nihil haud dubiè arte mouere fas, sed omnis curatio morbi Naturæ committenda. Idem censendum etiam & in morbis, in quibus nulla vasorum coniugatio cum vtero. quia iuxta Hippocrat. li. de Aliment. com. 3. *conspiratio vna, & confluxio vna: & omnia sympathia, id est compatibilia sunt.* Quæ enim naturæ possibilia, ac facilia, nobis occulta, & impossibilia plerumque. contemplanda itaque eius opera, quæ si conferant, & facilè ipsa ferat, nullatenus impedienda, aut remoranda: sin contra noceant emendanda. Si rursus mensium illa consuetudo diuersa fuerit, vt ne quidem redundantiæ illi respondeat, cum tantum per singulas periodos tres tantum sanguinis libras retribuat, & fluxus illa ægrotante lento procedat gradu, parcè ac auarè, cum huiusmodi vacuatio sufficiens tunc non sit omnem illam sanguinis copiam redundantem deponere, inspecto motu, ac fluxus impetu, detrahes tunc, quod nequit natura, vt ex coniunctis ambobus, natura videlicet & arte perficiatur quod postulas, præuisionem causæ morbificæ, morbi ablationem, & sanitatis introductionem. Neque in hoc artis opere negligenda alia coindicantia, quæ pariter æstimanda censet Galenus libro 9. meth. cap. 17. à viribus inquam, ambiente, ætate, & aliis quibus iuxta singulorum naturam, dignitatem, atque

prestantiã semper est aliquid condonandum. verum fluxus illi, naturæ opera, iuxta nostri consilij rationem modo explorandi tantum veniunt.

De scopo modi vtendi venæ scißione in genere.

CAP. XXXIV.

SI quicquam est quod in actuosa Medicinæ parte maiori prudentia indigeat, illud quidem remediorum est optimus vtendi modus. Hic, vti amplissimo Rationis subiicitur imperio, sic apposite vtendi rationem appellant Medici. Polyarchicum istud imperium à duobus præsertim excelsæ potestatis Magistratibus gubernatur, ac regitur, Γνώμη ac Συνέσει: istorum regimen lustrat diffusè doctor Angelicus tum 1.p.q.22.art.1. ad 1. tum 1. 2. & q.57. art. 6. exponens, quod alterius iudicium altioris sit ordinis, cùm Γνώμη bene iudicet de agibilibus secũdum altiora principia iuris naturalis: alterius verò iudicium inferioris potius ordinis, cum idem præstet secundum legem communem. Vtrique isti iudices, iuxta sua principia in mentis seu rationis arce morales habitus solertiæ, atque prudentiæ sanxiũt, stabiliunt: per quos, ceu integra iura, ac leges sacræ mens ipsa iudicat, decernítve modum in rebus cunctis. Habitus itaque prudentiæ, vt exemplaria, ac simulachra sunt ad laudabiles actiones, & optimos vsus ipsius mentis: & modus iste optimus, prudentiæ sanè germen, perfectio quædam est moralium actionum mentis, ac cunctarum virtutum stata regula. quid quod & anima potius virtutum omnium. Proinde cum tanti momenti sit, summis encomiis à sapientibus cunctis celebratur, vnicè ab omni-

omnibus commendatur. Cicero namque Eloquentiæ candor lib. de orator. *in omnibus rebus*, inquit, *quatenus videndum est, etsi enim suus cuique modus sit, tamen magis offendit nimium, quam parum.* Iterum lib. 1. de officiis, *His enim rebus, quæ tractantur in vita, modum quendam adhibentes, & ordinem, honestatem, ac decus conseruabimus.* Porrò Iuuenalis satyr. 6. hoc idem laudabile monuit, dicens, *Imponit modum sapiens, & rebus honestis.* Quin addo Plautum in Pœnulo Act. 1. sc. 2. *Verum hoc vnum tamen cogitato, modus omnibus in rebus soror est optimum habitu.* Horatius tandem serm. lib. 1. Satyr. 1. oraculum illud effatus est, *Citra modum consistere nequit rectum.* Quid plura congeram? Quare cum præstans sit huius vis in cunctis pertractandis rebus, cumque plurimis prudentiæ habitibus comparetur ipse Medicus artifex diuinus, tum ob subiecti dignitatem, tum finis excellentiam, quanto studio, quantáve cura, ac diligentia tenetur ipse, ac cogitur quidem in cunctis artis operibus hunc, prudentia maxima, solertia ingenua explorare, perquirere, rimari. Absente modo, quid prosunt, etiã testante Galeno lib. aduersus Erasistratæos, c. 1. & 4. reliqua ritè, aut exactè cõparata? cuius namq; vtilitatis erit auxilij qualitatem inuentam habere, artificiosè coniectari quantitatẽ, repertam rursus volucrem occasionem possidere, hoc insigni vtendi modi destituti scopo? Hinc exclamat noster doctissimus Galenus lib. 6. methodi ca. 1. dicens, quod vulgares cognoscunt in vniuersum quid agendum, in febre refrigerandum, in frigida intemperie calfaciendum: verum qua ratione istud, quóve modo præstandum subterfugit ipsos, ceu noctuas in tenebris sedentes; artifici tantum

peruium, methodum rationalem insequenti. Modus igitur iste artificem à vulgari distinguit, eruditum ab ignaro, rationalem à rudi plebecula. Cum itaq; modus iste in actione practici intellectus cõsistat, plurimis prudentię, & artis habitibus illustrati, quid mirũ si modus seu hæc vtendi ratio, nõ solũ vulgaribus sit interdicta, verũ & barbaris quibusq; artificibus, & abortiuis Medicis: a quorũ cœnosa industria vtilius multò poterant agri coli, quàm ceu alteri Accij, cũ infanda mortaliũ strage, Medicinæ diuinæ sciẽtiæ nauare operã. sed rem prosequamur.

Modus itaq; seu auxiliorũ vtendi ratio intra suos capacissimos cancellos tria potissimum includit capita, formam seu remedij figuram, eiusdẽ præterea substantiæ modũ, & vacuationis randẽ non solum ordinem, & numerum seu vices, verum & locũ per quẽ vacuandum. Illud primũ paratur cõmodè, obseruata partis affectæ figura: & istud externa respectat auxilia. hinc, quia lien figurã linguæ bubulę repræsentat, emplastra, quæ huic parti apponenda veniũt, eandẽ figuram similiter referãt est necesse. porro & auxilij forma ex situ partis affectæ quamprimum consequimur. nã si longinqua ac distans pars, & ab ea redundantẽ humorẽ vacuare intendimus, cathartica formã solidã adipiscantur ius est, vt diutius in ventriculo immorata, potẽtius à longinquis partibus humores attrahant. sin vicinior pars affecta fuerit, liquidam tunc requirit remedij formam, ceu paratior ad expulsionem.

Aliud prętęrea, substãtiæ modũ videlicet, & sensũ partis affectę vnà spectat. hic sẽsus si exquisitissimus fuerit, ne dolorẽ in parte de nouo excitemus, aut obortũ augeamus exquisitissimè læuigãda postulat auxilia,

auxilia, qualia exoptãtur in oculis; hinc collyria supra modũ læuigata, & in tenuissimũ pollinẽ cuncta medicamenta, sicut redacta curamus. Et quamuis hoc caput vti, & alterum videatur potissimum seplasiam respectare, ad quam pertinet parandi medicamentorum modus, & eorundem mox efformandi: nihilominus tamen primum Medico tribuitur, cui maximè competit, obseruata & partis figura, ac sensu, deliberare & de figura, ac forma remedij. ac de eius modo, & ancilla altera mox aduocata, eidem rem proponere. Modus enim Medici, est cunctorum mensura, regula, ac ratio.

Tertium & vltimum caput non solum attingit modum, ac numerum vacuationis, verum & locum per quem vacuandum: vti & alterius cuiusque speciei auxilij, an semel, an bis, an verò amplius admouendi, modum æstimat. Ad priorem illum modum capescendum plurima perpendenda veniunt, pars idiopathicè affecta, in quo loco mox excrementa morbi caussa stabulata seruentur, natura rursus instrumenti affecti, coniugium porrò venarum cum eodem loco affecto, & tandem meatus, seu canales per quos appositè natura reddũdantes humores solet repurgare. Numerum autem vacuationum coniectamur præsertim ex copia excrementorum, virium statu & euphoria particularis naturę circa vacuationes. ætas itidem, & ambiens ne parum quidẽ conducere ad idem valent. Si igitur copia maxima fuerit excrementorum, maximam indicans vacuationem, virium autem status, aut ætas, aut ambientis inclementia eandem non ferat, tunc vacuationem repetemus, ac iteratis vicibus quantum discordes indicationes sustineant copiam minuemus.

quid quod & satius multo est (nisi in vrgentissimis affectibus, in quibus ad lipothymiam vsque eandem vterque consulit Præceptor) sectionẽ iterare, quam vnica vice deplere, cum haudquaquã natura in viribus consistens, subitas, ac magnas ferat vacuationes. Hæc itaque omnia seriò, ac sedulò æstimanda censemus ad perfectum auxiliorum vtendi modum, seu rationem.

Verum iuxta nostram hypothesim hoc vltimum caput rimari tantum modò intendimus: cum nobis mens sit quærere rectum vtendi modum sectionis venæ in morbis acutis, instantibus, vel adstantibus mensurnis fluxibus, aut hæmorrhoidum. In genere itaque hanc rem declarat perbellè Galenus, tum libro de curandi rat. per venę sect. c. 16. tum & lib. 3. de Anat. admi. c. 6. & 4. de tuenda valet. c. 4. hoc verò vltimo loco sic fatur, *Porrò æstimare diligenter oportet qui sanguinem sunt mißuri in thoracéne, dorso, & lumbis tensio, pulsánsque dolor figatur, an in capite potius & collo. His enim affectis humoralem venam diuides, maximè si repletum caput, & calidum sentiunt: illis verò internam. Si verò omninò æqualiter laßitudo corpus occupat ambarum mediam.* O verè Phœbum, longè semper aciem ingenij iaculantem! Copiosè itaque in hac sententia institutum demonstrat, & consilij nostri rationem in primis vtendi modum sectionis venæ declarat petendum ex partis affectæ situ ac positu, quæ pars insinuat humorem redundantem continere, vacuatione indigentem: rursus & coniugium vasorum obseruandum exponit, partis inquã sectæ, cum ea quæ morbo tentatur. illud ostendit cum thoracem, dorsum, aut caput obseruat: hoc vero cum venam humeralem, internam, aut mediam

secan-

ſecandam imperat. humeralis namque cum capite communicat, interna partibus collo inferioribus impertitur, vti media vtramque reſpectat partem. Naturalem meatum modò neglexit, quia rarò, aut nunquam potius in tundenda vena eius requiritur conſideratio,cum hoc auxilium haudquaquam ducat humores per naturales meatus, ſed verſus tantũ partem ſectam,ſecus cathartica, diuretica, ac menſes mouentia,quamuis verum ſit & hos menſes iuuare ſecta aliqua inferna vena: tamen iſtud per accidens,ducendo tantum humores verſus inferna,ad quæ mẽſurnus dirigitur fluxus,per vterum verò ne ducit quidem directò ac per ſe. Coniugium autem, ſeu vaſorum communitatem, vti partius in noſtri corporis ſitum ſola Anatomica hiſtoria declarat. Solum igitur oculata fide, & cadauerum diſſectione dilucidè hæc intelligi poſſunt.quam doctrinam qui negligũt,vti cęci morborum aggrediuntur curationes. fruſtra namque aut ſanitatem tueri, aut morbos exoluere contendimus,citra huius ampliſſimæ Medicinæ partis abſolutam dignotionem. Hæc enim partium omnium ſingularum ſubſtantiam rimatur, magnitudinem demonſtrat, numerum,figuram,ſitum,connexionem, & vſum explorat. Quibus nihil præſtantius Medico,ad munus exequendum.

Cæterum ad perfectam vtendi rationem huius tanti auxilij,duo quàm maximè deſiderantur, alterum auxilium reſpectat iam alterũ ægrotum, Quoad autem remedium,huius ſcopi proprij ſunt æſtimandi:quorum ratione nos de ipſo, de venæ inquã ſectione ſeriò deliberamus: vacuatio videlicet, reuulſio,& deriuatio. prior ſcopus humorem in par-

te affecta obsessum,& impactum respicit, alter fluentem potius versus eandem partem, veluti vltimus contentum iuxta, aut in eodem affecto loco, non impactum tamen. Hinc æstimatis his huius auxilij scopis, vnà & situ affectæ partis, ad vacuandum, eandem affectam partem secamus; ad reuellendum, oppositam,& distantem;ad deriuandum, vicinam. Hæc lustrat passim Galenus, lib.præsertim 4.meth. capit. 6. &lib.5.c.3. & lib. 2. ad Glauconem, cap. 2.tum ex instituto lib. de cur. rat.per venæ sect.c.19

Porrò quod ad ægrotantem spectat illud est, inquirere videlicet totius corporis humani medium. Interest namque valdè hoc inuentum habere ad rectum huius auxilij vsum.nam, cum vt plurimum secētur artus,brachia inquam,vel crura,extremæ ferè:indigemus necessariò & medij notitia, ad quod referuntur extrema, vt distantiam compensemus, oppositionem inueniamus, vicinitatem pariter,& colligantiam expendamus. Vterque Medicinæ parens in hoc signando medio impar videtur,cum ab Hipp.lib.6.Epidem.com.2.sen.14. & à Galeno lib.6. Aph.sen.36.iecur statuatur medium: alibi verò lib. præsertim de cur. rat. per venæ sect.c.18.renes, ceu ancipites, ἐπαμφοτερίζειν in vtramque partem vrgentes,aut in medio ambigentes retur. Sed cum intra has partes maxima sit vicinitas, cum inferna iecoris renum situm attingat, vti & vmbilicus pars externa, hinc appositè cuncta hæc medium statui queunt. neque hoc medium in indiuisibili constituere fas. Et quamuis renes in medio ambigant, consulit tamen, vnà cum Hipp. Galenus,tunc citato lib.7.Aph.& de venæ sect.loco in eorum affectibus potius venas tundere infernas, etsi aliqui illud Hip-

Hippocratis interiores interpretentur, tam brachij, quã cruri, quasi in affectib. renũ liceat scindere & internam brachij, & cruris. verũ istud reluctatur Galeni mẽti, ac veritati. quid quod, nec ceu Hippocratis genuinã amplectendã censet sentẽtiam, quia dixerit interiores, cum etiam & crurum exteriores venas in his affectibus renum secare ius; cum ab vno, eodémque tubo vtraque vena interna, & externa proficiscatur, in poplite trifariam diuisa. vt libro etiam de venarum dissect. exponit Galenus c.8.

Quod si obiiciant, Galenum in ischiade, lib.10. de comp. med. sec. loc. c.2. affectus quidem infra iecur, aut renes, imperasse quàm primum venæ sectionẽ brachij, mox crurum. tum lib. 2. ad Glauc. c.2. dum methodum tradit sanandi phlegmonem in genu, prius venas supernas scindendas iubet. non ergo exempla satisfaciunt preceptis. Hæc obiectio angit valde Ferdinandum Menam, vt ipsemet fatetur, comm. in lib. Galeni, de cur. rat. per venæ sect. ca.18. verum longe aliter ab ipso satisfaciendum censemus. Inprimis communis nõ est responsio vtrique affectui satisfaciens. nam in ischiade, corpore existente pleno, ne venas infernas eiusdem cruris scindere quamprimum ius, quia cum hęc vasa per locũ affectum disseminentur, cursu mox per inferna petentia, sectis his nõ solum à parte affecta, ne reuulsio quidem fieret, verum nec vacuatio: cum à supernis venę cauę partib. versus partem affectam luculẽter fluxio promoueretur. hinc consulit prius tollẽdam multitudinem, quæ materiem præbet fluxioni, deinde hac cessata, ex parte affecta vt deriuemus, venas eiusdem partis inferioris tunder imperat; hæc enim deriuatio viciniam requie

rit,quam seruat inferna crurum vena, nequeunte vllatenus prestare reuulsionem ab ischio:etiam nec absente plenitudine, verum quia hac absente, maxima non sit timenda fluxio, proinde solo deriuationis, & vacuationis vrgente scopo, non supernam,sed tantum infernam cõsulit sectionem. Longè diuersa ratio est in genu phlegmone, in qua, ob reuulsionem, quæ vrget in phlegmonum principiis, requirentem oppositionem, & licet venam brachij eiusdem partis internam secare, quæ seruat contrarietatem sursum ac deorsum, & venam poplitis alterius cruris,quæ alteram dextri ac sinistri. quod si brachij venam nullam habeat cum venis genu communitatem, quam habet alterius cruris vena,fruitur tamen illa κατὰ ἶξιν,seu vasorum ac naturæ rectitudine, optanda maximè in reuulsione. Quare in vtraque sectione est oppositio, in altera κατὰ ἶξιν, in altera verò coniugium. vnde vtraque sectio amplectenda.& proinde Galenus supernam lib. ad Glauc. eligit, ceu optimam, cum simul maximam in toto corpore plenitudinem supponat, quam superna sectio commodè vacuare,cuique sit palam. Neque istud vniuersalem illam doctrinam destruit; cum perpetuò sit verum in vniuersum, in morbis supra iecur scindendas esse supernas venas, in his qui infra existunt potius infernas. valent tamen hanc doctrinam non conuellere, verum partim immutare, variæ occurrentes coindicationes, vt in superioribus exemplis fuit à nobis demonstratum.

Occurrit porrò & altera difficultas,ex Hippocrate desumpta. Dictator enim summus coniugium vasorum in apoplexia sananda æstimandum non censet,

censet, dũ inquit li.4.de rat.vict.sen.23.24. *Quod autẽ quis repentè obmutescat id venarum interceptiones, occlusionésque faciunt, si sano absque occasione, vel forti alia causa id contigerit. Venam igitur brachij dextri internam secare oportet.* Manifesto itaque coniugiũ non seruat Hippocrates, quia affectus iste, altera species apoplexiæ, capur obsidit. intercipiuntur namque & occluduntur vasa, venæ videlicet & arteriç plexum, χοροειδῆ componentes qui plexus in anterioribus cerebri ventriculis reperitur ex iugularium venarum surculis, & arteriarum carotidum ramulis connexus. idiopathicè igitur lascessitur caput: & tamẽ internam cubiti dexteram secare iussit. dicens his verbis, φλεβοτομέειν δὲ χρὴ τὸν βραχίονα τὸν δεξιὸν, τὴν εἴσω φλέβα. Id est, *Mittere sanguinem igitur oportet ex vena interna dextri brachij.* quç vena haud quaquam coniugium habet cum ipso capite, cum potius partes infra collum respectet, cum quibus maximam tantum habet communitatem.

Huic satisfaciemus dicẽdo, legendũ esse ἔξω, pro εἴσω, externa potius, non interna, hócque librariorum culpa factum, quod liquido demonstrabitur, si Galeni verba in commentario perpendamus, inquit nãq;, *Velocißimè, & plurimũ ex ijs, quæ principes sunt, partibus, vena ea corpus vacuat, atque ob id in acutißimis morbis ad eam sese confert.* Si igitur ea vena, quã secandã imperat Hippocrates, velocissimè vacuat principem partem: necessariò nunc per hanc partẽ principem intelligendum caput, quod propter principes facultates, quæ ibi exercẽtur, & princeps est, & inter principes principatũ obtinet, vt Galenus itidem censet, & lib.8.de vsu part. ca.6. &

Q

libr. de different. sympt. cap. 3. & lib. 1. de causis corundem cap. 1. & tandem lib. 3. de loc. affect. cap. 3 quidquod & sola externa, & velocissimè, & plurimū corpus illud vacuat, in quod illa apoplexię species suam habet sedem. Quare autumandum, etiam iuxta Galeni mentem, legendum potius externam. His addo, quod si Galenus legisset internam, cum reluctetur methodo vtendi modi, aliquam parasset conciliationem loci, & mentem Hippocratis aperuisset, cur in affectibus capitis internam venam censisset esse secandam, aut quia fortè sibi cordi fuisset plethoram prius totius corporis deponere, & mox se ad caput conuertere. verum de his mentio nulla. quid quod, nec in morbis peracutis, multóque minus in exactè peracutis, qualis apoplexia, ius est illud pręstare, immo sedulo, ac omni adhibito studio venam aperire, qua aperta aperiatur, ac velocissimè vacuetur vena loci affecti, vt affatim vrgentissimæ causæ morbificæ occurramus. Quamobrem & crassissimè errasse Victorem Trincauellum arbitramur, dum li. 2. de rat. cur. affect. totius corp. hum. cō. 10. inquit, *At verò si repletiora sint viscera, & partes quæ ad inferiorem ventrem, vel etiam thoracem attinent, vt inde plus sit timendum, vena interior, quam basilicam vocant erit secanda: hac enim secta vt tradit Galenus lib. 4. de rat. vict. sen. 24. mēbra præcipua, quæ infra collum, & clauiculam sunt, facilius, & citius maniuntur.* Errat itaque, cum postquam exactè dixerit venam internam secandam esse, dum partes quæ ad inferiorem ventrem, vel thoracem attinent plethora occuparit in vniuersali morborum capitis curatione, mox

istud

iſtud comprobet illa Galeni auctoritate libro 4. de rat. vict. quo loco, iuxta ſententiæ Hippocraticæ mentem, de illa apoplexiæ ſpecie, affectus quidem ſpecificus capitis, loquitur: & malè rurſus refert Galeni verba, aliter multo ſcripta, vt nuper nos recenſuimus eadem ipſiſſima verba. Quis enim mentis compos dicet, ſecta interna vena facilius, & citius inaniri caput, in quo locus affectus? benè quidem membra quæ infra collum, & clauiculam ſunt: in quibus nullus vrgentiſſimus affectus in venarum interceptione & occluſione germinante apoplexiam. Anilis igitur loci interpretatio.

Tandem in illo oraculo adiunxit Hippocrates particulam illam dexteram, quia ceu præſtans pars ab ea inchoanda ſectio, mox ad alteram conuerſi. nam vtraque cephalica æquè vacuat caput. vnde & ſimul vtraſque ſcindere fas, cum vtræque ſimul afficiantur partes. Conſtat igitur ex dictis, quàm maximè ad optimum huius auxilij vtendi modum conferre partis affectæ ſitum, ac poſitum exſertè conſiderare, & pariter vaſorum replicare coniugia: etiam inuito contradictionis magiſtro Argenterio. nec non præſertim in reuulſione æſtimare κατὰ ἴξιν, ſiue rectitudinẽ intelligas fibrarum, quæ in venis ſunt, ſiue naturæ ipſius rectitudinem, vt dextra dextris, ſiniſtra ſiniſtris, vt doctè exponit Galenus libro de curat. rat. per venæ ſect. cap. 14. & alibi. vnde ne laudarem quidem doctiſſimi Præceptoris mei Ludouici Colladi opinionem dum neglecta hac rectitudine, cenſet libro ſuo iſagogico ad faciendam Medicinam in hepatis inflammatione capite 23. æquè fas eſſe vtramque

basilicam scindere, quia, inquit, ęque vtræque iuuāt quod tanti viri pace dixerim, ne recipiēdum quidē. nam, etsi verum sit vtramque basilicā æquè coniugium obtinere cum ipso hepate, verum cum in sinistra absit κατὰ ἴξιν, seu naturæ, ac fibrarum rectitudo, dispar valde vtilitas. videmus namq; hác in suis operibus strenuè, ac vtiliter seruare semper naturā: quæ si fortè non seruetur, symptomaticum potius contingere opus, & infidam pariter vacuationem: Nec iure decantata exempla congero.

De scopo vtendi modi venæ sectionis in acutis morbis, altere fluore mensurno aut hæmorrhoido implicato.

Cap. XXXV.

LVbet modo methodum huius pręstantis scopi, iuxta nostrā hypothesim replicare. Verum occurrit quam primum difficilis nodus, An in hoc connexu vrgentis affectus præter naturam, cum altero affectu toto genere secundum naturam, aut altero Naturæ saltem opere vtili, ius sit leges methodi vtēdi modi ad vnguē seruare, an prospiciēdū tātum fluoribus ne vllatenus remorētur. Hoc vltimū videtur magis rationi cōsonum, quia hi fluxus ceu naturę opera intersunt valdè morborū indicationibus, cū ex his plurimi, hoc medio soluātur, quare ceu decernentia æstimandi, & qua talia, nec nouandum quicquam, ipsis adstantibus, nec mouendum, sed totum naturę relinquēdum. quæ si integrè operetur, pro gratia habendi: sin autem parcè ducere, tunc potius quò ipsa vergit. pręsertim cum & loci

ci isti vtiliter sint à natura destinati ad redundantiam sanguinis deplendam, & molestantis sarcinæ leuamen. Hoc idem videtur innuere dictator summus lib. Aph. 1. sen. 20. his verbis, *Quæ decernuntur, decretáve sunt iustè, nec mouere, nec aliud quicquam nouare, seu medicamentis, seu alijs irritamentis fiat, sed omittere.*

Cæterum ab hoc euripo facilè nos expediemus, distinctione præmissa. fluxus illi aut secundum naturam, periodicè ac statis temporibus commoti: aut rursus præter naturam, ipsa natura irritata, occurrentes citra conferentiam, & euphoriam. si appareant hoc vltimo modo, eisdem omnino neglectis (nisi vires ob immoderantiam labantur) omne consilium ad morbi acuti sanationem sedulò dirigetur: sin verò secundum naturam accidant illi, eisdem consulendum vtiquè. Qui cum multifariam in morbis queant apparere, aut in eorum principiis, incremento, statu, aut declinatione, cocta iam morbi materia: hinc horum diuersa pariter ratio, quia si cocta iam materia accidant, sub vigore, aut declinatione, cum & crisis rationem valeant obtinere, totum naturæ committendum, & ipsam operantem contemplari decet. quidquod & tunc morbi ratione, abest itidem secandi venas occasio: nisi auara fluxio coërceat. tūc enim per partem per quā natura vergit eundem motum concitabimus, & eūdem fluxum omni arte iuuabimus. etiā & infernarū partium sectionibus, si humor peccans, à sanguine separatus non fuerit. Verum, si huiusmodi fluxus in aliis temporibus morbi contingant, in quibus fas, iuxta Hippocratē 2. Aph. sen. 29. mouere, tunc & typus morbi obseruandus, & æstimandus mos, an vi-

 scilicet vehemens ac velox sit, an breui, ob funesta aliqua signa, mortem, nisi citissimè occurratur, denunciet. rursus & consulendus partis affectæ situs, an distans, remotúsve à naturali meatu per quē fluxio fit: cuius distātiæ ratione nulla, aut incerta spes per eam partē vacuandi causam morbificam. quare tunc his concurrentibus par est methodo superiori capite signata ad vnguem seruata, omninò ferè neglectis fluxibus, de vena secanda quàm citò, & opportunè decernere. Sin verò morbus acutus, nec velox ita fuerit ac vehemens, immò & securissimis signis firmetur, nec distet multum locus affectus à naturali illo meatu, hepar cū sit, aut idē ipse vterus, aut altera huic vicinior pars, aut saltem morbus peculiarem non habeat sedem, qualis synochus febris aut si peculiarem, vicinā hepati, vt plurimæ species ex febribus putridis, tunc si copiosè fluant per naturales illi meatus, totum naturæ relinquendum, & mox inspecto fluentis impetu, si parcè ac imminutè reddantur, iuxta corporis habitum, & ægrotātis cōsuetudinem, iuuandi sunt. quod si adhuc perstiterit morbus, amplius venæ sectionem postulans, seruato vasorum coniugio cum affecta parte, mittendus sanguis, vt coniunctis ambabus vacuationibus auferatur quod morbus, & eius causa indicat. Porrò si morbus nullas adhuc, aut quam minimas saltem habuerit partes factas, quasi totus in fieri, & hūc coniectemur à suppressis, aut imminutis fluxibus ortū traxisse, ratio postulat, & vtēdi modus docet, quamprimum tundendas esse infernas venas, vt statim causæ principio præuideamus, vt eleganter testatur Galenus libro aduersus Erasistratæos capite 1. & 3.

Morbi

Morbi ex vtero, seu ab vtero fieri, si menses fluant immodicè, aut non fluant, declarat perbellè Hippocrates libro 5. Aphor. sen. 57. Nam mensibus non prodeuntibus, sanguinem per quandam anadromen superiora petere, graues iugiter, ac varios ibidem concitando morbos, & assiduus commonstrat vsus, & vnà dictator summus lib. 2. Epidem. sect. 3. comite Galeno citato aduersus Erasistratæos libro, cap. 1. quo loco menses restrictos in pectus restagnare, ait. Quare experimur mulieribus, quibus nulli, aut quàm minimi menses, post commotionem, aut imminutam vacuationem, quid quod & adhuc dum commouetur, ac operatur auarè ipsa natura, irritata inquam, ac nequeunte onus deponere, sursum sanguis attolli rubores inducens in facie, cephalgias, colli, ac capitis rursus inflammationes, in pectus raucedines, ac tusses: febre itidem sæpius corripiuntur & illæ, furore aliquando, ac decipientia percitæ. Cum itaque affectus hi permanentiam adhuc non habeant vllam ceu fientes, & eorum causæ principium præuisionem quàprimum indicet, semper ex infernis venis, tunc vt à parte mandante retrahamus, & naturæ motum vnà iuuemus, sanguinem cum Galeno hauriemus. Sin autem morbus firmatus fuerit, plures itidem habens partes factas, & vnà vrgens, cum aliquo vitæ discrimine, obseruata tunc morbi natura, & partis affectæ positu, si fortè supra renes fuerit, etiam fluentibus mensibus superiores venas tundemus.

Menses verò per quandam anadromen supernas partes oppetunt, mox per locum à natura vtiliter aliquando destinatum imminutè ac im-

perfectè vertuntur, propter varias causas à Diuino Hippocrate apprimè conscriptas & lib. de nat. mul. & lib. de genitura, tum & lib. 1. de morb. mul. Hanc rem itidem illustrat Virginum exemplo. quia hic fœminarum status tanquam inexpertus & inordinatus, & plurimis vescuntur noxiis rebus, lautè se explent cibis pariter vitiosis, & nimio præsertim potu, à quibus cunctis vasa obstruuntur, nec valente sanguine per vterum reddi, iam redundante, & per os vertitur, & aliquando per aluum. Quamobrē cum hæ plurimo abundent sanguine, viscido simul, ac crasso, vasa iugiter habeant stricta, & angusta, nec à coitus calore adhuc laxa & ampla, hinc fit, quod irritata à copia natura, nec valente illam per vterū repurgare, alios patentes quærat meatus, vt à sarcina qua premitur leuetur: aut nequeunte eandem foris demittere turgenter per vniuersum corpus moueatur, supernas potissimum petens partes, in quibus illa & grauissimorum morborum fit parens, & multorum malorum iliados. Hoc idem præterea, & ob morbosas aliquas dispositiones aliis à virginibus fœminis accidere frequens. virgines nihilominus præsertim ætatis tempore quo efflorescere incipiunt menses, si difficulter ipsi (quod frequens) erumpunt, à grauissimis illæ, nec non & sæpè funestis, aut immorigeris infliguntur morbis. Euidens istud cuique diuersas Hippocratis historias replicanti, eas præsertim, quæ libro 5. Epidem. comment. 3. sen. 78. & 83. descriptæ leguntur. Nec huiusce rei difficilis ratio: quia in ea ætate cum pullulent, ac germinentur feri illi venerei stimuli, & lasciua quadam turgentia irrequietè commoueantur virgines, earum sanguis

ſanguis vehementer pariter concitatur, ac turget, ferociter & acerbè cordis ac mentis arcem adoriens; vterus vnà, ceu errabundum animal (vt dixerat Plato in Timæo) ſurſum attollitur in hepar irruens, flagrantis cupidinis ſedem, vt teſtatur cū Homero Galenus lib.3.de Plac.Hipp.& Plat.ca.7. rurſus cum ne ipſæ abundè, iuxta redundantis ſanguinis molem repurgari queant, ob nuper aſſignatam cauſarum iliadem, execrandis laſceſſiuntur morbis, ferinis demum & infandis lancinantur ſymptomatis. Dum contemplaretur Naturæ genius Ariſtoteles hoc in virgunculis mentis agon, neglecto corporis certamine, Medicis commiſſo, ſeriò libro de Hiſtoria animal. 7. cap. 1. eas ſedulò, omnive cura cuſtodiendas cenſet. nam eo libidinis furore percitæ iuuenculæ, rabidè viros appetunt, & inordinatè: mox ceu inexpertæ, ac columbis ſimpliciores, à procis, callidis, vulpiniſque hominibus fœdè irretiuntur, vt ne citra maximam infamiæ labem amplius ſe expedire valeant. Hoc, ceu tanti momenti, ſumma, ac ineffabili ſapientia præuidet Spiritus Numen in Canticis eclogis, dum per cantum ἀμοιβαῖον diuina illa concinit verba, cedro digna, cap. 8. *Soror noſtra paruula eſt, & vbera non habet: quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt? ſi murus eſt ædificemus ſuper eum propugnacula argentea: ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis.* Diuina ſapientia in hac ſententia, diuinè etiam ſub tropologico ſenſu parentes omnes adhortatur, & attentos iugiter reddit, conſilio quantum poterunt, labore plus penè quam poterunt excubent, vigilent pro infirmi gregis virguncularum cuſtodia, & cum ſem-

per multæ insidiæ fiant bonis, caueant diligenter parati, ne quid inopinanter subitò eos opprimat. Quod si fortè increbuerit aliqua earum puerilis ætatis negligentia: tolerabile sanè. verum solerter mox morem gerant, diu noctúque animo excubent, quando alloquendę, quando inquam nubiles, dum in illa petulca videlicet pubescenti consistent ætate, libidinis germinatrice, variis artibus eas, variísque conuallent modis, sepiant, custodiant. Lasciuiunt enim ardenter virgines tunc, turgent, efferatéque mouentur, acritudine nuper luxuriantis seminis concitatæ. cúmque alioquin ætas illa incauta sit, imprudens, inexperta, à ferocibus illis naturę igniculis proritata, venereóque vnà ardore perculsa, ignauè & inopinanter mille se exponit periculis. Omni igitur custodia, omni cura, omníque vigilantia seruandæ semper, ne aut sua sponte miserè diffluant, aut iugiter variis dolis insidiosi petulci, ac impudentes proci easdem abducant, aut vi rapiant. Si itaque murus est, ædificandum super eum argenteum propugnaculum. Doctissimus conciuis meus, Abbásque illustris Cosmas Damianus Hortolanus, altérque Patrum sacri Tridentini consilij libro 5. comment. ca. 8. in hæc suprema Solomonis cantica, sic rem interpretatur; Consideranda est cuiusque virginis ingenij indoles, an suo quasi nutu (sunt enim propensiones quædam à natura ad virtutem aut vitium, quæ indiuiduorum sequuntur temperamenta, iuxta illud Galeni, animi mores sequuntur corporis temperamenta) noxia & mala viriliterne respuat, abnuat, an & bona iucundè amplectatur. Quod si hanc à Natura, summíve Dei beneficio εὐφυΐαν, bonam siquidem indolem, animúque

que intrepidùm, quaſi murus validus, ſtrenuè ſe cũctis opponens hoſtib. fuerit conſequuta, nihilominus conſilio & arte, quæ validè naturam perficit, inſtitutione pariter optima, conſiliis itidem integerrimis, atque cæleſtibus, argenteis ſanè propugnaculis, munire, circũdare adhuc iuxta Hagiographi mentem, ius eſt: vt tantis vallata præſidiis terribilis, & inexpugnabilis occurrat ipſa. Verum ſi virguncula hæc ſimplex fuerit, benigna, columbina, quales præſertim æſtimat libro de Nat. hũ. ſe. 3. Galenus. quæ ſanguine pollet, ceu ad parendũ, ac recipiendum, magis quam ad imperandum, & reſiſtendum habilis, & vti porta ad facilem ingreſſum idonea, tunc huiuſmodi tabulis cedrinis, incorruptibilitatis ſymbolum compingenda, ſoláque in penetralibus, quam nemo virorum videat, diligenter ſeruanda, cautè cuſtodienda: inceſſus porrò ſolutos, luxuriantes ſimul choræas vitet. denique optimis, conſiliis, ſanctioribúſque præceptis informetur, vt diſcat perfectè, qui admittendi, quíve fuerint repellendi. Hac inſigni methodo, & arte diuina virgines hæ factæ perfectiores, & ab omni impoſtorum verſutia, & hoſtium fallacia gloriam haud dubiè reportabunt.

Præter hanc quam modo deſcripſimus Oeconomicam curationem, licet & Medico non minimum ſe intromittere, vt medicis auxiliis Virginum attere, vt medicis auxiliis Virginum attemperet ardores, ſanguinem emendet, corpus in optimam reducat temperiem, & ſedulò à grauiſſimis illis morbis huic pubeſcẽtium virguncularum ætati quaſi connatis, liberet, redimat. de qua re diffusè à nobis lib. 4. erit ſermo.

De vsu scopi modi vtendi sectionis venæ, iuxta quatuor Hipp. historias mulierum acuto morbo laborantium, cum mensurno fluxu implicato.

CAP. XXXVI.

SOlerter Claudianus solertiam artes parere inquit, li.3. de rapt. Pros. mox easdem vsum nutrire. Solertia intellectus habitus cum sit, repentè, ac subtiliter quod conuenit inueniens, sua energia artes omnes, cunctas pariter scientias effœtat: vsus easdem nihilominus & perficit absolutè, ac nutrit: & vt seriò loquitur Ouidius li.2. de arte amandi,

Solus & artifices qui facit, vsus adest.

Quare vsus, non solum alit artes, verum ex Galeno libro de consuetud. ca.4. easdem vniuersas roborat, & auget: artifex citra hunc, omnino inutilis. exemplo lib. de vsu Theriacæ ad Pamphil. lustrat idem Galenus, illius, qui lyram possidens, eius vsum ignorat, qui tantumdem sit, ac si eam non haberet: sic habendus artifex deficiente vsu. Ipso prius idem astruit acutissimus Arist. lib.10. Ethic. cap.9. & ceu rem opportunã, ac necessariã, cunctis commendat. Quamobrem cum vsus artificem perficiat, & ad eundem, ex eodem Galeno lib.5. de tuen. valet. c.10. exercitatio per exempla cum vtilis, proinde nos, hunc scopum tanti momenti ad Medicinam faciendam, iuxta nostram hypothesim exemplorum vsu, & Hippocratica exercitatione modò illustrare decernimus. Historiæ desumentur ex perenni exemplorum fonte, ex libris videlicet Epidemion, in quibus Præceptor diuinus summa industria, vsu comite assi-

te assiduo inter cætera quatuor recenset fœminas, quę cum morbis acutis laborassent, harum tres mẽ-sturnos vnà fluxus implicatos habuere. Cæterum cũ has easdem Hieronymus Mercurialis, vir omni sciẽ-tiarum genere refertissimus, in suis Pisanis lectio-nibus in omnes Hippocratis genuinas Epidemicas historias exponere tentarit abundè, ac simul me-thodum quam nos iuxta Galeni mentem, ac verita-tem, de modo vtendi venæ sectionis, nuper tradidi-mus, conuellere: cogimur longè aliter quam ipse Mercurialis & explanare, & methodo vnà mu-nire.

Sit igitur quamprimum & illa, quæ & prima in ordine, Melidia inquam. de hac muliere diuinus Censor lib.1.Epidem.cõ.3.sen.31. Hæc inquit, quod cum febre acuta laborasset, & muliebria exigua in morbi principio fluxerint, comatosa simul fuit, horrida, anxiosa, cum tenuibus deiectionibus, bi-liosis, mordacibus, paucis, nigris, ac fœtidis; cum co-ctionis tamen signis in vrina, perfectè vndecimo iudicata fuit.

Huic, cum suam exerceret curationem Mercuria-lis hist.14. ante sextum sanguinem mittendum esse retur, idque vel ab vtroque pede statim, vel si eui-dens (vt pars erat) totius corporis plenitudo adfuis-set, primum interna cubiti dextri vena secanda, mox vel poplitis, vel tali, iuxta robur virium.

Quæ (pace tanti viri dixerim) & incautè, ac ci-tra methodum deliberantur. Cogit namque me-thodus obseruare quamprimum an febris acuta propriam sedem, latem inquam, in venis supra re-nes habuerit, an fortè in vteri vasis. rursus an hæc febris quam minimas partes factas obtinuerit, tota

ferè in fieri, ab vtero quidem exorta: an verò secus, cum partibus factis plurimis, idiopathicè etiam, citra vterum. Sin in venis superioribus circa iecur *ousiav*, tunc vrgente affectu, qualis acuta febris, statim cubitorum secandæ venæ, etiam neglecto mensium imminuto fluxu, ceu ad curationem inutili, & nihil tunc indicante, sed solum suo munere fungente altera indicatione. quid quod etiam, etsi antecedens febris caussa, accisio sc. huiusmodi mensium, hanc germinasset. Sin autem febris incipiens esset, ab vtero itidem, per quandam anadromen suprà humore retracto exorta; tunc ab innota mandante parte, vt fluxum compescamus ab illa, venas commodè tundemus inferiores, mox statim si aliquæ fuerint partes factæ, ad supernas coniuges conuertemur. vti etiam easdem infernas scindemus, si focum innotescat in vteri vasis, aut infra renes contineri, vt fluentem humorem à parte affecta deriuando reuellamus, & simul confluxum vacuemus. vnde in curatiua reuulsione appositè coniugem venam requirimus, quæ directò parti affectæ respondeat, cum aliqua iugiter distantia, & oppositione. Prętetea & duplici ratione arguendus Mercurialis, & quod illa methodo, amethodo potius accisos menses sanet, præmissa videlicet cubitorum sectione, adstante plenitudine, quod vt lib. 4. ca. 1. nos diffusè cum Galeno demonstrabimus insanum, etiam & iuxta eũdem Mercurialem lib. 4. de morbis mulierum cum oppositũ sentiat, & posito ex hypothesi, quod illa seruanda esset methodus, ne aduocanda quidem, dum febrem intendimus curare acutam, quia huius indicatio vrget, potius, & suo tantum fungitur officio, nec mens est Medico exercenti rationalem methodum

thodum in hoc connexu, quamprimum accisos menses mouere, mox ad ablationem febris conuerti. sed cum ars vrgentiori succurrendum insinuet, scopus methodi erit & à parte affecta humorum impetum retrahere, & caussam vnà coniunctam ab eadem vacuare. quod vtrumque affabrè vena coniunx præstat. Quare cum inspecto fluentis impetu Melidiæ auarè imminutéve muliebria redderentur, iisdem omnino neglectis, ceu nulla esset ab his futura vtilitas, insistendum tantum erat Medico febris acutæ ac mali moris curationi: quem morem epiphenomena illa in fausta liquidò demonstrabant. nec venæ sectionem remorari huiusmodi deiectiones parcæ, adstante robore virium par erat, vrgentissimo, ac immorigero existente pariter morbo.

Occurrit & altera rursus historia ex lib. 3. Epid. cō. 2. sen. 4. excerpta, cuiusdam mulieris apud Aristionem seu Bitonem angina laborantis, lethali, ac funesta. Huic, ait, Hippocrates probabile est deiectionibus suppressis (quæ tertio destiterant sole) quinto mortuam fuisse. verùm in hoc historia ne verbum quidem vllum de mensibus.

Hieronymus Mercurialis comm. in hanc historiam hist. 21. sic rem concludit, *Ergo his in casibus si sanguis menstruus sit interceptus, prima sanguinis missio facienda est à talo, vel à poplite, tum à cephalica, demum à lingua. Sin fluant menstrua, statim oportet deuenire ad sanguinis missionem à brachio &c.*

O monstrosum sanè cōmentum, & demirandum; irridēdū potius. nescio quo fato vir iste doctissimus huic succūbat errori, dū anginosā hāc, quasi mēsib.

implicatam, intendat ipſe curare, extra Hippocratis mentem; cum τὰ διαχωρήματα καὶ οὖρα ἐπέστη, id eſt alui deiectiones, & vrinâ ſuppreſſam dixerit, haudquaquam γυναικεῖα, aut καταμήνια, muliebria, aut menſes, quid quod & cum oraculum finit, inquit, Π.Δ.Ε.Ε. Θ. quaſi dicat Π, πιθανὸν probabile, Δ. διαχωρήματα, Ε. Ἐπέστη, ſuppreſſis deiectionibus alui, Θ θανατόν, mortuam. longè igitur ab hiſtoria, muliebria. Quod ſi hæc rurſus ex hypotheſi admittamus, elumbis eius curandi methodus. nam ſi quæ de alui deiectionibus, de menſibus affirmaſſet Hippocrates, potius altera arte, ac methodo, quam modò exponemus, venæ ſectionis vtendi modus decernendus. Eſt itaque Methodus: Sit angina acutiſſima, menſibus implicata, imminutis primum, mox ſtatim ſuppreſſis. in hoc connexu, ambo hæc ita æſtimanda veniunt. ſi menſes paullò ante exortum anginæ eruperint, aut ſimul exoriantur, & ſtatim circuncidantur. quaſi arbitrandum ſit certo antecedentem illius anginæ cauſſam menſes eſſe, per metadoſim illos ſurſum elatos: tum morbum fientem ſpectemus, quam minimáſque partes factas habentem, venâ adſtante maximo virium robore, huic venæ ſecandæ infernæ, vt à mandante parte reuellamus & cauſſæ principio occurramus, ne mittat amplius: rurſus minima interiecta morula ſedulò inquam, ob morbi vrgentiam, ac ſæuitiem ad cubitorum externas ſecandas venas conuertemur, vt quod factum eſt curemus, & quod fit pariter prohibeamus. Verum ſi angina hæc haudquaquam in fieri, ſed plurimas iam habuerit partes factas, nec vterum ſuſpicemur mali auctorem, aut adhuc confluxu aliquo illam fouere, aut augere: nihilominus tamen

mox imminuti apparuerint méſes,& quam citò acciſi.tunc,tanto,ac tam ſæuo vrgente affectu, omne ſtudium ad hunc ſanandum adhibendum céſemus, idque neglectis omnino menſibus,etſi & huiuſmodi copioſi fuerint,ſi ab ipſis nulla,aut minima ſpectetur conferentia. Affectus namque omnis vrgentiſſimus,ob euidés, ac citum mortis periculum, omnem ad ſe conuertit curationem. quare cogimur in hac hypotheſi quamprimum, ac crebrò venas cubitorum externas ſcindere, vt quàm breuiſſimè ſanguinem & reuellamus, & vacuemus à loco inflammatione obſeſſo. Quid igitur illa diſtantiſſima Mercurialis crurum ſectio proderit, in tanto, tam celeri, ac vrgenti affectu? vtendi itaque huius auxilij modum pars affecta demonſtrat: vti eiuſdem occaſionem velocem, vrgentia morbi.

Eſt & tertia hiſtoria ab Hippocrat. itidé deſcripta li.3. Epi.co.3. ſen. 82. cuiuſdá mulieris moroſę Thaſię. hęc quamprimũ tenui febre fuit correpta, & inter alia ſympto. plurimis vexabatur cõuulſionibus, morbus cauſam habuit mœrorem ex occaſione externa haudquaquã fortè, vt arbitratur Mercurialis, quia melancholica. ſecunda die febris acutior, inſomnis. Tertia, ceſſantibus conuulſionibus, & vná cũ vrinis nigris muliebria deſcenderunt copioſa, & iudicata eſt vnà cum ſudore multo & calido per totum corpus ad noctem eiuſdem diei.

1 Hieronymus Mercurialis hiſt.37. huic mulieri céſet omni arte ſtudẽdũ, ſublatis cauſis omnibus internis & externis, menſes euocentur, cum omnium malorũ cauſam arbitretur, eorũdem ſuppreſſionem & forſan perperam cum Valleſio com. in hãc hiſtor. cõſulit itaque huic quamprimum venas ſecare in-

fernas, poplitis, vel saphenam: idque in multa copia ad instar virium robur, & exemplum Galeni, ex libro 6. Epidem. com. 3. sen. 29. transcriptum.

Neq; hęc modo Mercurialis admittēda ratio, quia supponit leuiter huius morbi causā suppressionem mēstruorū, dictū sanè ad libitum. cum nec expressè istud innuerit Hippocrates, neq; aliqua ratione ex verbis sentētię quit colligi, imò oppositū. typicā videlicet mēsiū periodū opportunè accessisse, & critico more, cū in die tertio critico exiliisset, vnà cū copioso sudore omnē morbū terminasse. nec mirū mēses illos periodicos tot portēdere huic morosę mulieri vtilitates: quia mœroris ratione, ab externa causa vteretur excitati (q̀ sępè accidit) vter⁹ hauddubiè laborat, à quo & sympathicè vniuersū corp⁹, deposita itaq; ad vtero humorū cōcitatorū colluuie p eādē partē affectā, & quieuit vterus, & vniuersa sedata sympt. illius germina. Quare huic, nō mittēdus sanguis ex parte interna, vt euocētur mēses suppressi, cū ne accisi quidē: nec quia instātes, cū mens nō sit eosdē suppressos mouere. verū quia pars affecta vter⁹ idiopathicè, ne; renuo phrenitim, ac febrim & suas p se dispares habere sedes, quę itidē sudor exoluit. cogit autē vrēdi mod⁹ cōiugiū vasorū obseruare, proinde tenemur inferias secare, vt ab vtero deriuēt, ac vacuēt statim causā illā morbificā sequiūmorū illorū sympt. parētē, vti diuinū dictatorē li. 2. Ep. in Stymargi famula eādē legim⁹ seruasse methodū: dū laborāte vtero ex restricto puerperio, & vnà ab ipso vniuersū corp⁹ tremorib⁹ afficeretur, venā tali opportunè secare iussit, cui⁹ rei rationē assignat, vt nō solū causæ, verum & causę principio præuiderem⁹. Quartā historiam rescriptam habemus apud Hippoc. eodē li. 2. Epi. cō. 3. sen. 83. quę illius Larissæę vir-

ginis describit morbũ. hęc igitur cũ ardẽti & acuta febre fuisset correpta post alia plurima sexto sole è narib⁹ largè fluxerat sãguis, & horruit & sudauit, & eodẽ simul die fuit iudicata. cui & ante, & post iudicationẽ muliebria prodierũt, quæ illi primitię fuerant. Huic virgini Mercur. hist. 39. sanguinem mittendũ non esse arbitratur: quia inquit, *ab initio morbi huic purgationes fluxerãt menstruæ. quæ in virgine debebant forsan esse parciores iusto, & maximè si tardiuscula, vt reor, fuerint, quo in casu haud ab re fuisset pertundere venam poplitis, vel tali.*

In plurimis plurimum offendit doctus iste vir. in primis cũ huic virgini dicat menses fuisse plus iusto parciores, & tardiores. q̃ ne lubet quidẽ suspicari ex Hipp. narratione, immo potius cõtra, cũ simpliciter affirmet, *in febribus antẽ, & iã facta indicatione, muliebria prodierunt tunc primum.* quare nec parca, nec tarda: cũ istud recẽsisset diligẽs historiograph⁹. Rursus falso imponit Hippocrati dicẽti ab initio morbi has mẽstruas purgationes exiliisse, cũ nec per sõniũ, sed vt nuper diximus in febribus (quę 6. fuit crisi terminata) & iã facta indicatione muliebria prodiisse, in febribus autẽ ꝓdiere, si 4. aut 5. aut in principio eiusdẽ sexti muliebria ipsa apparuerint. nã si à principio, dixisset potius, vt in altera Melidiæ hist. muliebria à morbi principio fluxere, haudquaquã in febribus. Innuit autẽ his verbis crisis rationẽ non habuisse hæc, cum & ante crisim, & post crisim adhuc percurrerẽt. Sudor autẽ calidus per totũ corpus, crisim hauddubiè cõstituit, cũ dicat *sudauit absque febre*, effect⁹ sudoris, quia criticus: hinc cõcludit mox, *indicata est*. Hęc nec futilia, tũ ad historię dignotionẽ, tũ ad ea quæ nũc dicenda aduersus Mercurialẽ.

amplexo altero leuissimo, ex quo nec vitę discrimẽ, verum ne noxa quidẽ timenda? Quid de teipso doctor insignis? cur modò methodum non consulis, quam supra in Melidiæ historia docuisti seruãdam, dum misso prius sanguine ex cubito, pleno existente corpore, mox ex pede eundem vacuare iusseras? Dices forte, modo istud non consuluisse, quia actu iam fluebant menses, quos nefas compescere secta cubiti vena. Sed neque hoc, si attentè obseruet, methodum inuertit: nam plenitudo, vt arbitratur ille, ceu vasa obstruẽs, vti ne menses concitentur efficit, ita & concitatos, & iam imminutè fluentes reprimit, ne amplius fluant. Ergo qua methodo latentes adhuc concitamus, eâdem parcos & imminutè prosilientes excitamus. neque illa verenda reuulsio, etiã iuxta illorum mentẽ, cum statim dempta prius plenitudine, iterũ versus partes infernas confluxũ reuocemus, tundẽdo videlicet inferna vasa. Quare in hac virgine si copiosi, cõferentes, & vna cũ euphoria procedenẽt menses, eorũ præsertim impetũ contemplari fas, neq; mouere quicquã natura operante: sin imminutè procedant, citra cõferentiã, morbi respectu, neglectis his, etsi fluentibus, ius est ad vrgentiã morbi cõuertamur potius, secãdo venas cõiuges quæ in cubito sunt, cum morbũ supra renes supponamus. Hæc est de hac re vera, & infallibilis sententia, iuxta Phœnicis Galeni rationalẽ methodũ. Neq; piguit nobis hæc aduersus hunc clarissimũ virum Hieronymũ Mercurialẽ recensere, vt & hisce exemplis magis huius diuinæ methodi elucesceret veritas, & tãti auctoris grauitate ne deciperetur quispiã. quẽ aut lædere, aut minimã eius splẽdoris partẽ obscurare neq; mens, neq; valeo, neq; ius. hunc enim

plurimum semper feci, faciámque dum vita fruar. Veritas autem, qua nihil præclarius, aut fortius, impulit animum, ne fraude aliqua hæc tantopere à Galeno nostro commendata ab hominum mente irretita extorris esset.

De Scopo occasionis in genere.

CAP. XXXVII.

OCcasio vltimus medendi scopus, inter cæteros dignitate non ignobilis, & fortè difficultate præcipuus, in morbis tantum acutis exigitur. Testatur istud eleganter diuinus dictator lib. Præceptionum, num. 1. dicens, Χρόνος ἐστὶν, ἐν ᾧ καιρὸς, καὶ καιρὸς, ἐν ᾧ χρόνος οὐ πολύς. Ἄκεσις χρόνῳ, ἔστι δ' ἡνίκα καὶ καιρῷ. Idest; *Tempus est in quo occasio est. occasio verò in qua tempus paucum. Medela tempore, nonnunquam etiam occasione euenit.* quibus verbis insinuat dilucidè, quod quamuis occasio sit tempus, & omnis medela in tempore fiat: tamen cum occasio sit in qua tempus paucum, volucris etenim, & breuissima temporis circumscribitur morula, morbis tantum competit volucribus, & acutis, qui citissimè itidem omnia sua percurrunt tempora. vnde in chronicis medela in tempore fit, in acutis verò in occasione potius. Huius dignitas tanta, quod Veteres, vt refert Ausonius in Epigram. sacros ei honores non vererentur tribuere, cum dicat,

dic rogo quæ sis?
Sum dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.
Sum dea quæ facti, non factique exigo pœnas.
Nempe vt pœniteat, sic Metanœa vocor.

Pindarus in Pythiis rursum hoc disticho insignem eiusdem exponit excellentiam,

Tempus

Tempus pariter in omni re fastigium obtinet.

Huius itaque tanta vis, tanta præstantia, etiam iuxta sapientum Græcorum γνώμαν, quod res pusilla fiat maxima loco data, in debita videlicet occasione. neque illud modò lubet exemplis lustrare, ceu pervium. Difficultatem mox, eâdem prosequuta χρήα, idem demonstrat Ausonius,

Crine tegis faciem? cognosci nolo.

Cæterum hanc eandem liquet conjectari ex difficili vtendi modo. nam vti ille in actione versatur, sic illa in tempore. & vti iste, vt supra ex Plauto diximus, optimum habet, sine quo rectum non consistit, sic illa, ex Hesiodo lib. 2. opera & dies, idem amplectitur optimum,

Obseruato modum. nam rebus in omnibus illud
Optimum erit, si quis tempus spectauerit aptū.

Hæc nos, non vt verbigeremur, & chartas figmentis adimpleamus referre licuit: verum vt nostri Medici tantorum virorum auctoritate æstiment huius scopi præstantiam, difficultatem, eandem, ceu maximi momenti in actuosa præcipuè Medicinæ parte obseruent, colant. Nam cuncta auxilia, vt pulchrè dixerat Herophilus aut nihil sunt, aut manus Dei sunt. nihil sunt, si in vsum flectantur sinistrum, aut præter occasionem: manus Dei sunt, si in tempore, ac dextrè vertantur. Toto igitur aberrant cœlo, qui in pharmacis sanitatem contineri rentur: cum potius illorum vis in vsu recto, in opportuno tempore, in occasione inquam consistat. cum namque artis sint organa, per se non absoluunt opus, vt in Vulcani officina, nisi pariter & nacta fuerint dexterrimum artificem, qui doctè, iuxta medendi tecmarsin in optimum illa flectat vsum.

in optimum iugiter & opportunum tempus. Occasionem eruditè definiens Galenus lib. ad Thrasyb. ca.35. tempus ad agendum opportunum: vti Cicero lib. de inuentione Rhet. (libri & docti ambo, & vtrisq; auctoribus ascripti) temporis partem vocat in se habentem alicuius rei idoneā faciendi, aut non faciendi opportunitatem. Hanc igitur quicunque oblatam arripiunt, quiq; cum tempus maximè postulat aut aliquid dicunt, aut faciunt, rectè proculdubio illi sapere dicuntur. Vnde consultò Lysippus statuarius Sicionius, vt Posidippus refert, occasionem capillitio faciem depinxerat tectam, alatísque pedibus, quia, vt diuinus dixerat Hippocrates lib. 1. Aphor. sen. 1. ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς: volucris enim cùm sit præsens tantum arripi potest. calua autem cum in occipitio, si per imprudentiam abscedit ipsa, nihil nobis præter metanoeam, seu pœnitentiam relinquit. Præstantiam itaque hæc, & captandi pariter difficultatem commonstrant, & quàm ieiunè, inconsultò potius affirmant quidam in actuosa Medicinæ parte, in qua rapidæ, ac velocissimę occasiones occurrunt, *Quod differtur non aufertur*, cum dilatione rapidè transcurrat ipsa. Subruitur opinio lepido Nasonis dicterio li. de remed. amoris,

Principijs obsta, serò Medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

Occasio namque alatis pedibus cum concitatissimo voliter cursu, differendo haud dubiè præterlabitur, omnis aufertur auxiliorū occasio, omnis euertitur morborū curatio, certa in acutis infanda mortaliū strages. Hinc accuratè Seneca Hispanus noster li. de consolat. ad Mart. c. 16. vt in damna, ita ad incremēta rapidum, velóxque tempus est. Et adhuc fortè ac-

curatius

curatius Lucanus, lib. 1.

Tolle moras semper nocuit differre paratis.

Princeps Aristoteles libr. 1. Analyt. cap. 36. occasionem ab opportuno tempore sic distinguit, quia illa in Deo, nequaquam hoc. Deo etenim adferre vtilitatem, aut commodum nihil potest, opportunum tempus potest creaturis. Verum hæc ambo, & apud Medicos, & apud reliquos sapientes inuicem confunduntur. nobis igitur promiscuè sumitur, pro tempore quod & cõmodum, & vtilitatem ad morbos tollendos parat. Hinc ars Medica ab eodem dictatore Hippocrate 1. Aph. sen. 1. vocatur longa, quia vt interpretatur eius paraphrastes Galenus agendorum occasionem volucrem habet maximè, seu angustissimam, & vix per temporis aliquod momentum perdurantem; & ob id & captu nihilominus difficilis. Nemo autem exactè eam internoscit, nisi qui diu, multúmque in eius inuigilauerit fores. Dicitur Medicis occasio volucris, quia materies circa quam versatur ars, fluxilis, inconstans, repentinísve mutationibus subiecta. Hæc mutuatus fuit Galenus ex eodem Hippocrate libro de locis in homine, nu. 50. dum refert, *Medicinam citò discere non est possibile, propterea quod impossibile est statam, ac certã doctrinam in ipsa fieri. veluti verbi gratia, Qui scribere didicit, iuxta vnum modum quem omnes docent, nouit, (semper enim constant sibi alia artes cum non mutentur ab occasionibus.) Medicina verò nunc, & paulò post non idem facit, & ad eundem contraria facit, & hæc etiam contraria sibi ipsis.* Hanc huius Hippocratis loci versionem, ceu reliquis multò dilucidiorem amplectimur à perdocto viro Roderico Fonseca desumptam, ex eius videlicet commentario in

librumHippocratis de Lege. Demonstrat itaq; Hippocrates inter cunctas artes Medicinam subiectam materiem habere variis obnoxiam mutationibus, inconstantem, ac fluxilem. vnde cogitur nunc & paulò post non idem facere; quia volucris occasio cum sit, volucris itidem operatio, cum teneatur insequi occasionis vestigia, iuxta quam opportunus est vsus. Rursus prosequitur hanc eandem doctrinã Hippocrates dicens, *At verò Medicina breuem occasionem, & qui hoc nouit, illa stata, ac certa habet, & scit, quæ consueta sint, & quæ non consueta (ad quæ cognoscenda non est occasio in Medicina) & quod aluum subducentia, non subducentia fiunt, & reliqua quod contraria sunt, & contrarijssima, non contrarijssima.* Oportet igitur nosse occasionem breuem esse, ac volucrem, quam qui nouit, non solum exactè Medicinæ scientiam didicit, verum & exactè fruitur eiusdem optimo vsu. Concludit tandem non semper contrariorum vsu tolli morbos, cum aliquando & similibus auferantur. vtrumque liquet elegãti exemplo lustrare, & vt ne ab Hippocrate recedamus palam fit in diarrhoea, ac dysenteria: quibus vtrisque affectibus consultò subducẽtia propinamus pharmaca, rhabarbarũ inquam, myrobalanos, aut quid simile. his, ceu firmãtibus aluum, morbũ sanamus, alui videlicet laxationẽ, opponuntur enim hęc inter se inuicẽ, mox eisdem, tãquam subducentibus aluum, pariter eundẽ morbum tollimus, hęc autem similia inter se sunt. Verum tamen contraria per se morbos tollunt, similia per accidens. quidquod & hæc eadem similia, quatenus auxiliantur, & sua oppositione fruuntur, cuius ratione etiam per se operantur. nam si vomitus vomitum curat, & deie-
ctio

ctio deiectionem, ambo similia: tamen quatenus retentam redundantiam tollunt, quæ indicat sui vacuationem, ceu inuicem contraria retentio, & expulsio, illa eadem per se iuxta hanc contrarietatem dicentur auxiliari. hæc verò solam morbi causam respectant, qua ablata, facilis morbi sanatio, & symptomatis cessatio, cuius ratione similia fiunt. Semper verò *immotus stat primus ille omnium quæ præter naturam sunt index*, contrario videlicet esse tollendum, ex Galeno lib. 11. Meth. capite 12. Hæc breuiuscula hac paraphrasi illustrare decreuimus, arrepta occasione à difficili illo Hippocratis oraculo de occasione. Cæterum ad scopum reuersi concludemus cum Hippocrate & maximam esse in arte Medica occasionis præstantiam, & maximam itidem difficultatem. quod in actuosa Medicinæ parte persæpe nos experimur, in morbis præcipuè biliosis, & acutis, in quibus rapax occasio. iuxta illud Hippocratis lib. 2. Epidem. sect. 3. qui dum præsagium consulit Medico, addit, *Et in quibus valde biliosis, in febribus potissimum.* his enim verbis, frequentissimum proponit acutorum genus. quod cum in motu sit concitatissimum, huius potissimum medela in occasione requiritur. verum sub biliosarum febrium nomine omnem morbum per se acutum intellexisse Hippocratem autumandum: cum ab humore bilioso tantum hunc exoriri sit certum. bilescit etenim etiam & sanguis in vtraque synocho, dum flagrat ille, aut putrescit. Quare in cunctis acutis sedulò exploranda, & nuper explorata pariter commodè capienda occasio: occipitium namque caluũ cum sit, ne fugiens quidẽ tenetur, & præsẽs tãtũ arripitur, quia eius frõs capillata.

Operandum igitur dum præsens. Cæterum cum omnia artis præcepta ad opus referantur, vti hoc omne ad finis consequutionem, sanitatem inquam vel seruandam, vel consequendam: hinc inuenta operandi occasione, facillimo negocio (si possibile) adipiscitur Medicus, quod sibi propositum est consequi, iuxta illud prædictum Hippocratis oraculum ex lib. de loc. in homine, *Medicina breuem occasionem habet, & qui hoc nouit, illa stata, ac certa habet, & scit.* quasi dicat, etiam vt ipsemet epistola ad Grațuam interpretatur, qui occasionem inuenit haud dubiè cognoscit, & assequitur Medicinæ finem, qui sanitas est: in cuius consequutione omnis ars versatur, & ad illam omnia diriguntur artis præcepta. Proinde clarissimus vates Virgilius li. 12. Æneid. (velint nolint Grammatistæ quidam) hanc sacram artem mutam seriò appellauit, dicens,

Ille vt depositi proferret fata Parentis,
Scire potestates herbarum, vsumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Solerter quidem hanc sacram Medendi artem princeps Poëtarum mutam appellauit, quia *Medico, melior multò dextera, linguâ*, vt alter Naso appositè dixerat. in Metamorph. Hippocrates præceptor veritatis hoc idem innuit eleganti illo libro de elegantia num. 3. dum Medicinæ præstantiam, & vtilitatem commõstrat, dicens, *Pulchra enim ac decora est ex opere, quod quis vsu didicit, manans oratio. Quicquid enim artificiosè actum est, ex ratione profectum est. Quod verò artificiosè dictum est, at non ita factum, methodi ab arte aliena symbolum existit.* Quibus verbis insinuat dilucidè, Medicinam artem esse mutam, consistereque potius in exercitatione

&vsu

& vſu à ratione profectò, haudquaquam in ornatu verborum; qui citra vſum à ratione dimanantem, ſicut æs tinniens æſtimandus. Quare cum omnia theoremata artis opus reſpectent, & artificijs officium ſit operari, exigitur neceſſariò tempus opportunum ad agendum, quod in omni re faſtigium obtinet. Hinc argutè ab eodē Hippocrate lib. de morbo ſacro num. 18. Medicus definitur *occaſionis inuentor.* quia omnis Medici induſtria, ſolertia iugiter in huius occaſionis inuentione conſiſtit. Porrò à Galeno lib. 6. Epidem. com. 5. ſen. 1. eo dicitur nomine Medicus præſtantior auxiliis in vtraque valetudine, quia illa neque tueantur, aut efficiant ſanitatem, niſi in tempore, quod munus artifici competit. *Quis igitur*, inquit, *eſt faciendi auxilij auctor? occaſionis ſcilicet inuentor. Quo nomine autem hunc Græci appellant? Nonne & hoc hominibus patet, Medicum ſcilicet ipſum appellari?* Hanc eandem doctrinam prudenter ſanè Hiſpanorum ſapientiſſimus confirmat lib. de conſolat. ad Albinam ca. 1. dicens, *Nam in morbis quoque nihil eſt magis periculoſum, nec pernicioſum, quam immatura Medicina.* Immaturū namque medicamentum, & extra tempus datum, ne auxilij quidem meretur nomine, quin veneni potius. quaſi vis omnis ex occaſione dependeat.

Cæterum ſciendum eſt modò quid per occaſionem, ſeu opportunum tempus intelligamus. Reuera occaſio idoneum tempus dicitur ad agendum, vt Auctor refert ad Thraſyb. c. 36. nequaquam morbi aliquod peculiare tempus, vt innuere viſus eſt Galenus lib. de totius morbi temporibus. ca. 4. & 8. Ratio eſt, quia morborum tempora nec ſunt ſcopi,

nec quicquam illa indicant, vt perdoctè aduersus Methodicos demonstrat idem Auctor ad Thrasyb. cap. 40. tum accuratè itidem Galenus lib. 4. Methodi cap. 5. Ineptit tamen cum Methodicis Argenterius, sed hos modò in cœno relinquamus. Principium itaque verbi gratia morbi, qua tale tempus, cum sit mensura in anima mensurante, ne indicat quidem quicquam, nec vt scopus æstimandum, cum recedat longè ab scopi natura: indicat tamen morbi dispositio sub principio, & est scopus in mente artificis, quo mouetur ad deliberandum de indicatis auxiliis, iuxta indicantem illam morbi dispositionem. qua ratione hoc tempus à Græcis vocatur καιρὸς, seu occasio mouens animum artificis. τοιῦτον rem lustremus. Febris putridæ principium, qua tempus haudquaquam vacuandum esse indicat, siue per venæ sectionem, aut aliàs: status verò febris, dispositio inquam febris in eo statu, cum fluxum humorum ad putredinis latem ruentium in se contineat, multitudinem iugiter eorumdem, cõpestationem, & vacuationem indicat, vt diuinè Galenus docet lib. meth. 11. cap. 10. Hanc denique confirmat temporis significationem Galenus lib. 9. meth. ca. 14. cum sub temporis nomine intelligat affectus constitutionem, siue morbi potius dispositionem tempori comparatam, haudquaquã temporis interstitium, mensura videlicet durationis morbi, aut cuiusque particularis partis.

Præterea occasio, ex tribus potissimum rebus comparatur ex natura videlicet morbi, seu dispositione quæ caussas, & symptomata amplectitur vnà, virtutis robustæ præsentia, & quorumcumque impedientium absentia. Prior illa pars ex nuper dictis satis

satis supérque patet. altera virtutis, constat ex auctore ad Thrasyb.ca.38.vti & impedientium absentia ex Galeno lib.9. methodi ca.5.

Tandem occasio in morbis duplici via æstimatur, quatenus vniuersalis, maximam in se amplectens latitudinem, & proinde inuentu facilis. rursus & quatenus singularis, & hæc angustissima; exinde etiam ex eodem auctore ad Thrasyb. ca. 37.38. tam Galeno lib.1.ad Glauc. ca.1. & inuentu difficillima,& cognitu.propter quam,vt idem Galenus ex Hippocrate refert,visum est, plurimos non vulgares solum,verum & præexcellentes Medicos hallucinatos fuisse. Neque alia ratio, quàm varia morborum constitutio,symptomata varia, singulorum hominum dispar natura,ineffabiles eorundem proprietates; quæ omnia cum idoneum tempus ad agendum disterminent, ceu in se inuicem dissimilia, captu pariter difficillimum; quid quod & aliquando ferè incomprehensibile, hoc tempus opportunum qui opperiuntur, si serius cœperint, maturius etiam conficiunt. Quare & illud seriò,ac cautè opperiri par est,& aduentante solerter frui ad cunctorum morborum halosim: quod maximũ, & optandum sanè in Medico. nam inuitante præsente occasione,vrgente pariter necessitate inconsiderati Medici est oblatam negligere opportunitatem:vti extremæ ignauiæ forti animo, & prudenti audacia aduersus morbum non dimicare: præsertim cum auxilij vis spem incolumitatis præbeat.

aut hæmorrhoidũ fluores contigerint, remorantes illorum auxiliorum vſum, venæ ſectionis inquam, aut purgationis, & eos pariter dimanantes cõtemplemur, aut omnino illorum remediorum deperdetur occaſio, aut fortè æger ſine remedio peribit. Nam Medicus ſi illorum fluxuum opperietur ceſſationem, aut occulatè fluentis ſanguinis ſpeculetur impetum, vt innuere videtur lib. citato 9. meth. Galenus, ca. 5. hauddubiè aut morbus neglectus incrementum accipiet, & non ablata cauſa tẽpora ſua breui percurrens ingraueſcet durius, aut maximus denique fiet vnà virium lapſus, à ſuperuenienti ſæuiſſimorum ſymptomatum germinatorum ſyndrome. Quamobrem vt à tantis vindicemur malis, opportunúmve tempus ad illorum auxiliorum vſum captemus, & ſeriò amplexari, in manibúſque ſemper habere methodum decet, & aſſiduo vſu eandem ſæpe fouere. Hanc rem, cedro digna ſententia illuſtrat Hippocrates lib. de Lege, num. 2. *Tempus tandem*, inquit, *hæc cuncta firmat*. quaſi dicat vſus & ſtudium, quæ tempore diutino parantur, hæc cuncta, quæ ad perfectionam Medicinæ capeſcendam expectant, firmant, & abſolutum Medicum reddunt.

Porrò Galenus li. citato 9. meth. ca. 5. eo loco, quẽ modò nos illuſtrandũ proponimus, duo præcipua refert occaſionem venę ſectionis impedientia, alimentorum videlicet cruditatem, menſium rurſus, aut hęmorrhoidũ fluxũ. de priori mẽs nobis modò non eſt aliquid pertractare, de altero morbum excipiente diffuſus erit ſermo. Quod autem eo capite Galenus inter reliquos ſcopos quã maximè inſtituat explorare occaſionẽ mittendi ſanguinem

in synochis febribus, subsequẽte iugiter mẽsiũ, aut hęmorrhoidũ fluxu, pręterclarissimũ doctorẽ meũ Ludouicũ Colladũ Valentinorum, & totius Medicæ exedræ decus lib. suo Isagogico ad Medicinam faciendam, ex verborum itidem serie liquet palã.

Postquã etenim duo præstãtissima remedia ad soluendas synochas febres præscripserit ipse, potionẽ videlicet frigidam, tum venæ sectionẽ, scopum in qualitate remedij: mox statim ad demonstrandum accingitur eorũ remediorũ vsum, iuxta cuiusq; opportunum tẽpus. Eius hæc sunt diuina verba, *Verũ illa nullo nõ tẽpore, modo vires sustineãt, hæc cũ in pulsu, & vrinis concoctionis euidentes cernuntur notæ, febris autem est maxima.* Inquit igitur in hac morbi specie tempus opportunum mittendi sanguinem semper adesse, frigidę autem potionis nequaquam, verum adstante coctione.

Nihilominus hinc quãprimum exurgit dubitandi occasio, qua ratione Galenus venę sectionis in hoc morbo latissimum hunc astruxerit campum, amplãq; huius auxilij vtẽdi occasionem, cũ passim idem ipse, & præsertim lib. 11. meth. ca. 15. intra carceres principij eãdem reperiri tetur, *Qui febricitãt,* ait, *si valentes viribus sint, omnibus ab initio sanguinem mittes.* Ex quo Galeni insigni loco duo præstãtia eliciuntur axiomata, alterum, quod venæ sectionis occasio intra carceres tantum inueniatur principij: quia eo tempore postulantia tale remedium vrgent tantum. alterum est, quod in cunctis febribus à putredine ortis, dum modo alter sit scopus, sanguis sit hauriendus: quia in cũctis his aliquod indicans adest, ex quo ex vi methodi cogimur de huiusmodi remedio decernere. quid-

quid

quid cum Augenio garriant, coaxent potius Nouatores quidam, solam insciè respectantes plenitudinem. de qua re suo loco.

Subruitur difficultas, si dixerimus, quod eo capite à nobis ad illustrandum proposito, vti in toto eo libro, mens sit Galenode synochis tantum agere, in quibus cum totum illarum existere ac cōseruari in plethora totius corporis, aut saltem maximorum vasorū consistat, proinde cum in omni tempore adsit necessariò plenitudo, morbi efficiens causa, aderit simul & indicans illud remedium, aderit pariter & occasio eiusdem, cum sit postulans, citra pręsentiam impediētis: nisi istud æstimemus coctionem humorum, quæ indeclinatione, & vigore viget. quidquod, & cum plethorā hāc supponamus in toto corpore etiam ex qualibet corporis parte sanguinē haurire licebit: cum & quęlibet vena ex Gal. li. de venæ sect. aduers. Erasistrateos ca. 4. vniuersum vacuet corpus primariò, vel secundariò vt cū nostris Logicis loquamur. secus se habet res in reliquis putridis, in quibus transacto vniuersali principio abest venæ sectionis postulans particularis scopus alter, cū intermisso fluxu, coctioni tantū intendat natura, cui obstare, nefas obstat omnis cōmotio. hoc voluit insinuare diuinus Præceptor li. 2. Aph. sen. 22. cum tantum circa initia mouere in morbis suadeat, vti in statu (sub quo saltem maior incrementi pars cōtinetur, ceu tēpus iridē coctionis) quiescere potius præcipiat ille, & seriò. verum si fortè, quia serò, extra principium aduocatus fuerit Medicus, aut propter aliquam incuriam, aut ægrotantis potius repugnantiam (quod accidit sæpè) vena secta non fuerit,

licebit tunc quidem, in priori præsertim incrementi parte, & eo magis, si adfuerit aliqua plenitudo eandem exercere, vt maior pars, morbi causa tollatur, & reliquum mox, & facilius natura concoquat, & exactius vincat. quamuis ob multas, & maximas itidem vtilitates satius multò sit, statem initio venas tundere, quàm ignauè in aliud tempus tantum remedium differre. compescenda namque quamprimum est fluxio, ne maior fiat materies putredinis, augeatúrve obstructio fiens, quæ vrgent maximè in principio: rursus etiam coniuncta materies vacuatione minuatur, qua imminuta, quàm citò reliquam materiem aggreditur natura coquendam, & potentius multò vincendam, imminutis maxima ex parte hostibus, cum quibus luctari cogebàtur. Quare valenter opus coctionis aggressa, nec vllatenus interrupta (quod maximum est) per breue temporis interuallum morbus succumbet, & æger victoriam reportabit. Hanc doctrinam replicat abundè Galenus tum lib. 1. de Cris. cap. 9. tum com. in illud diuinum Hipp. oraculum lib. 2. Aph. sen. 12. quod nouatores quidam perperam, & longè ab Hippoc. mente interpretantur. verum de hac re fusius infrà.

Occasio, tertiúsne scopus, à quali, & quanto distinctus? exoluitur apparens Galeni dissidium.

Cap. XXXIX.

MVltis encomiis suprà occasionis præstantiam celebrauimus, & seriò eandem prudentium iudicio

iudicio expendimus: verum adhuc occaſio ſe offert modò dubitandi, an ipſa per ſe, ceu ab aliis diſtincta, ſit ſcopus, etiam in vtraque Medicinę parte. Negantem opinionem obnixè videtur aſtruere clariſſimus Galenus (ſi fortè eius fuerit opus) ſynopſi illa Artis Medicæ cap. 85. oppoſitam autem, ceu vtriuſqua Parentis germanam, ſedulò ſupra defendimus. Nec loquimur modò de occaſione inquantum cauſam externam ſignificat, cauſis internis occaſionem præbentem, vt morbos in corpore excitent, quam πρόφασιν, aut ἀφορμὴν volant Græci: verum de occaſione, quam & ipſi itidem καιρὸν appellant, quatenus ſignificat opportunum agendi tempus, diſtinctum pariter à morborum tempore, ſimiliter & eodem nomine condonato. quæ morborum tempora neque ſcopi, neque indicantia ſunt, vt accuratè tum Auctor ad Thraſyb. ca. 5. tum lib. 4. meth. Galenus inſinuat cap. 6. ſit difficultatis concluſio. occaſionem; ſeu opportunum tempus reapſe, vt multis in locis, etiam ex Hippocratis mente Galenus repetit, ſcopum tertium eſſe, à reliquis tribus diſtinctum. Sed rem auctoritate, ac ratione pro vtraque parte luſtremus.

Negãs quamprimum opinio roboratur teſtimonio Galeni lib. Artis Medicæ ca. 85. quo loco & occaſionem, & vtendi modum apertis verbis à cœtu ſcoporum relegat, ſed eius verba proponamus. *Atq; hæ duæ ſunt circa ſalubre, & inſalubre intẽtiones* (ſeu ſcopi) *rei ſcilicet quæ adhibetur qualitas, & quantitas; neque enim eſt rationi conſentaneum etiã temporis occaſionẽ, quæ in his quæ dicta ſunt, continetur, veluti tertium aliquod ab eiſdem diuerſum introducere. Si enim tali, & tanta re allata egeat corpus, nemini du-*

bium, quin etiam in tempore opportuno afferatur occasio. siquidem occasionis inde est ortus, quoniam fluxile, ac facilè mutabile est mortale corpus, ac pro trāsmutationis modo, alijs alio tēpore eget auxilijs. Quare nō est tertium aliquod præter ea quæ dicta sunt tēpus: sæpius autem eo tanquam tertio quodam, ob eam, quam diximus causam ad docendum vti consueuimus. Hæc sentētia si corticem tantū inspexerimus, ardua quidē, ac difficilis, adeo vt à nemine (quod sciam) huc vsque, iuxta veram, ac legitimā Galeni mentem, ac veritatem appositè sit enodata. imò in grauia interpretes omnes deduxit discrimina: & dū Galenum obseruant sibi ipsi imparem, strenuè alibi occasionem, vti scopum, amplectentē frigidè cōciliare intēdunt, in plurimas distracti opiniones. In primis clarissimus Præceptor meus Ludouicus Colladus libro suo Isagogico ca. 24. arbitratur loquutum fuisse Galenum tantū de occasione, in quantū ad salubrem partem spectat, in qua nulla ipsa est, quia cum præceps tunc non sit, si corpus tali, & tanta re eget, tempus semper adest opportunū, vnde tantum confert illa ad doctrinā. secus autē in therapeutica parte, quia & præceps in ipsa, ac cita, ac strictè amplectenda, vt censet reliquis in libris Galenus, ceū scopus necessarius ad medendi methodū. Hanc eādem tenent sententiā in cōmentariis in hunc Galeni librum, tum Ioannes Baptista Montanus, tum Martinus Akakia, viri illustres.

Ioannes Fernelius lib. 1. Methodi ca. 1. Non solum à salubri parte, verum etiam à therapeutica occasionem itidem repellit, tribus aliis contentus scopis. Michael Gauassetius li. 1. de indicationibus curatiuis ca. 23. 24. & occasionem, & vtendi modum

dum, iuxta galeni mentem, vt ipse sentit, à numero scoporum exulat, nec rationem signat.

Thomas Rodericus à Veiga, & Saluus Sclanus cõmentariis in citatum Galeni librum, cum quadã limitatione rem interpretantur, dicẽtes per se, ac primò tam in cõseruatrice sanitatem, quàm curatrice qualitatem, & quantitatem spectari tantum, occasionem verò frustraneã, nisi per accidens ad eandẽ qualitatem, & quantitatem coniectãdam. quod insinuat Galenus, inquiunt, dum ad doctrinam hanc tantum conducere affirmat. Renuunt itaque hi occasionis scopum, & vtendi itidem modum. Altimarus porrò eandem ferè insequitur viam, parte prima de febribus cap. 37. inquit enim, quia fluxile, & mutabile corpus, hinc aliis alio tempore eget auxiliis. vnde per accidens, & ad doctrinã tantum egemus occasione, vt præsens innotescat corporis status, qualitatẽ, & quantitatẽ per se indicans remedij.

Marcus Oddus, dum Patris vices gerit in supplemẽto commentarij in hoc artis Medicæ opus, aniliter quidem argumentatur, demonstrando occasionem hanc neque scopum, neque indicationem esse: hoc, quia occasio neque consequitur, neque fit à præsentia eorum quæ remedia postulant, & absentia eorum quæ eadem impedire valent: quod quidem de indicationis ratione esse retur. illud autem, quia occasio non est res in corpore existens potestate, quæ cæteras moueat causas ad agendum, vt actu fiat: quod itidem est de ratione scopi.

Ioannes Argenterius tandem vtramque opinionem, ceu probabilem admittit, tum com. in hoc caput, tum libro 1. de offic. Medici ca. 10. probabiliorem tamen censet partem affirmantem, distin-

ctum videlicet re esse scopum occasionis à reliquis.

Nec est quod amplius modo in recensendis aliorum opinionibus immoremur, his præsertim contenti. Cæterum & inter hos lubet nunc & nostram sentẽtiam proponere, auctoritate, & ratione nihilominus, nec leui sanè eandem confirmare. Sed antequam rem aggrediamur, vt methodo prosequatur oratio, difficultatem hanc in triplicem diuidemus partem, omnem ex ambiguitate verborum Galeni partam: deinceps cuique illarum seriò satisfacere mens est. Primum igitur est an occasio, ceu tertius scopus ad vtramque Medicinæ partem spectet. rursus an affirmans opinio rationi sit consona. tandem an ad doctrinam tantum aliquando se nobis offerat occasio, vt videntur innuere Galeni verba.

Cæterorum opinionibus postpositis, scopum hunc occasionis in vtramque Medicinæ partem se intromittere & Galeni doctrina, & ratione itidem nobis demõstrare licet. Quod in Therapeutica Medicinæ parte nõ vtilis tantum, verum & necessarius sit, replicat passim Galenus tum lib. 1. ad Glauc. & libro de puero epileptico, tum assiduè theorematis, & exemplis per vniuersum illud amplissimum, ac penè diuinum methodi medendi opus. in qua parte ob maximam eius celeritatem in morbis præsertim acutis, & ob non leuem eius in arte difficultatem, & corporum lubricitatem, ac mutabilitatem vix, ac ne vix quidem ab exercitatissimis captatur Medicis. Porrò & in salubri parte, in qua haudquaquam volucris, immo latissimus est occasionis cãpus, suum nihilominus principatũ exercet,

& vt

& vt, ne ab eodem Galeno recedamus, testatur & eodem loco citato Artis Medicæ, dum saltem ad doctrinam in vtraque Medicinæ parte eandem admittit: & apertius multò ex instituto, dum omni arte illam procurandam censet in venereo vsu, vt salubris fiat eodem pariter libro cap.86. Et vltrò, citróque eãdem amplectitur, à reliquis itidem scopis distinctam lib.1.de tuẽd.valetud.c.15.dum etiam ex professo eandem doctrinam de opportuno veneris vsu exagitat.quamuis libro 5.c.5.eiusdẽ operis silentio eandem obuoluat:nisi forte per facultatem, quam tertium assignat scopum, illam intellexerit: quasi referatur illud τὸ δύναμιν ad facultatem,seu opportunitatem exercentis Medici, vt Stephanus Athen.com.in lib.1.ad Glauc.nu.4.apposite interpretatur,huic vocabulo tria attribuens significata.

Præterea adest ratio, qua inducimur ad credendum etiam in vtraque artis parte hunc scopum suam necessariò, ac per se habere sedem, quæ huiusmodi est.Materies conseruans sanitatem, aut efficiens, singula seorsum respectans suam peculiarem Medicinæ partem,postquam rationali methodo fuerit inuenta, congruum itidem necessariò requirit vsum: sed claudicat necessariò vsus cuiusque illius materiei,immò nec congruus, occasione repulsa,quæ iuxta vsum præstantior cæteris: quia reuera inde habet materies, vt sit salubris caussa.Ergo hęc suas vicesnecessariò gerit in vtraque artis parte.

Propositio nulla indiget probatione, quia quod inuenit methodus,vsus perficit,vt consequatur hoc medio artis finis.

Assũptio rursus patet ex his quæ superiori capite c.37.diximus de præstantia,atq; necessitate occasio-

nis,in cunctis rebus agendis, in actuosa præsertim Medicinę parte, complectente conseruationem sanitatis, & morbi expulsionem. Hinc Hippocrates, lib. de morbo sacro,à solo hoc scopo,seu præcipuo ad consequutionem finis, Medicum definit inuentorem occasionis,& idem.lib.6. Epidem.comm.5. sen.1.Cófirmat eius illustrator Galenus. Probemus nihilominus modò vsum materici claudicare citra occasionem. Sit inuenta qualitas auxilij , compescendam inquam fluxionem in putrida febri , & si mauis per venæ sectionem:rursus sit inuenta & eiusdem auxilij quantitas,ex quantitate morbi, & eius causæ,tum robore virium metita. Quis mentis compos dicet,inuenta qualitate auxilij , indicata à fluxione,tum quantitate eiusdem,indicata pariter à quantitatemorbi & eius causæ , instantibúsque his indicantibus,congruum semper esse indicati auxilij vsum?nam si semper istud licet , ergo & in principio particularis paroxysmi, dum affligatur sæpè natura variis,ac grauissimis symptomatis : ergo & cruditate existente in ventriculo : ergo & fluentibus copiosè mensibus. ô delirium! ô insania! nam tunc tantum abest, quod citra occasionem indicatum auxilium sit materies,seu causa salubris, quin potius funestæ mortis , occasio igitur per se æstimanda , per se colenda,& ceu tertius scopus à reliquis longè distinctus sedulo à nobis amplectenda. Neque opinandum vllatenus hanc contineri sub qualitate,aut quantitate auxilij , cùm dissideāt valdè.nam si quatenus indicata ęstimemus illa, respuunt quidem,ceu futilem occasionem ipsam: si quatenus scopi ad congruum vsum,sub ratione formali occasionis cótinētur aliqua,quæ omnino negligūt illi,

illi;verbi gratia,ſub ratione formali occaſionis cótinentur, inter cætera impedientia, quæ ſanè nec qualitas auxilij, nec per ſe, nec per accidens reſpectat,nec quantitas: cum illa tantum qualitatem & ideá morbi, hæc verò exceſſum ſeu quantitatem eiuſdem,aut cauſſæ reſpiciat.occaſio autem,ſeu tempus opportunum & præſentiam indicantium obſeruat,& abſentiá impedientium explorat. Sed locum hunc Galeni difficilem interpretemur modo, vt hinc huius doctrinæ magis eluceſcat veritas, & illuſtris reddatur altera pars difficultatis.

Dependet quàm maximè huius difficultatis ſolutio ex diſtinctione cauſſarum efficientium, aut conſeruantium ſanitatem, circa quarum vſum expetitur occaſio.Duplici itaque ratione conſiderantur hæ cauſſæ,aut in vniuerſum,quatenus indicata, haudquaquam primariò ad curationem vel valetudinis conſeruationem conferentes cauſſę:vel rurſus æſtimantur in particulari,quatenus materies iá ſunt indicatorum auxiliorũ, & tunc iá ſub methodi ſcopis explorantur,& primariò vel efficiũt ſanitaté,vel conſeruant. auxilium namque nequit hoc nomine cõdonari, quouſq; nactũ fuerit & qualitaté,& quátitaté,ocaſioné & vtẽdi modũ. Si primo illo modo accipiantur cauſſæ,theoremata vniuerſalia ſub methodo cóprehéſa ſcopos illos reſpuũt,ſoláqualitaté inueniũt,quátitaté cõiectátur.Ratio eſt,quia metho dus,ceu vniuerſalis cognitio vniuerſa intendit,& à primis ac ſupremis generib.ad infirmas vſq; ſpecies pgreditur,expũgit ĩdiuidua,& auxiliorũ materies, q̃ ſub vſu cadũt;vſus auté cõgruus ſcopos illos quatuor æſtimat,& q̃ maximè occaſionem,cuius ratione,vt diximus ſuprà, artifex vtens Medicus appellatur.Quid quod & method⁹ vſu fraudata infima,

in synochis febribus, subsequēte iugiter mēsiū, aut hęmorrhoidū fluxu, pręterclarissimū doctorē meū Ludouicū Colladū Valentinorum, & totius Medicæ exedræ decus lib. suo Isagogico ad Medicinam faciendam, ex verborum itidem serie liquet palā.

Postquā etenim duo præstātissima remedia ad soluendas synochas febres præscripserit ipse, potionē videlicet frigidam, tum venæ sectionē, scopum in qualitate remedij: mox statim ad demonstrandum accingitur eorū remediorū vsum, iuxta cuiusq; opportunum tēpus. Eius hæc sunt diuina verba, *Verū illa nullo nō tēpore, modo vires sustineāt, hæc cū in pulsu, & vrinis concoctionis euidentes cernuntur notæ, febris autem est maxima.* Inquit igitur in hac morbi specie tempus opportunum mittendi sanguinem semper adesse, frigidę autem potionis nequaquam, verum adstante coctione.

Nihilominus hinc quāprimum exurgit dubitādi occasio, qua ratione Galenus venę sectionis in hoc morbo latissimum hunc astruxerit campum, amplāq; huius auxilij vtēdi occasionem, cū passim idem ipse, & præsertim lib. 11. meth. ca. 15. intra carceres principij eādem reperiri retur, *Qui febricitāt,* ait, *si valentes viribus sint, omnibus ab initio sanguinem mittes.* Ex quo Galeni insigni loco duo præstātia eliciuntur axiomata, alterum, quod venæ sectionis occasio intra carceres tantum inueniatur principij: quia eo tempore postulantia tale remedium vrgent tantum. alterum est, quod in cunctis febribus à putredine ortis, dum modo alter sit scopus, sanguis sit hauriendus: quia in cūctis his aliquod indicans adest, ex quo ex vi methodi cogimur de huiusmodi remedio decernere. quid-

quid

quid cum Augenio garriant, coaxent potius Nouatores quidam, solam insciè respectantes plenitudinem de qua re suo loco.

Subruitur difficultas, si dixerimus, quod eo capite à nobis ad illustrandum proposito, vti in toto eo libro, mens sit Galeno de synochis tantum agere, in quibus cum totum illarum existere ac cõseruari in plethora totius corporis, aut saltem maximorum vasorũ consistat, proinde cum in omni tempore adsit necessariò plenitudo, morbi efficiens causa, aderit simul & indicans illud remedium, aderit pariter & occasio eiusdem, cum sit postulans, citra presentiam impedietis: nisi istud æstimemus coctionem humorum, quæ in declinatione, & vigore viget. quidquod, & cum plethorã hãc supponamus in toto corpore etiam ex qualibet corporis parte sanguinẽ haurire licebit: cum & quelibet vena ex Gal. li. de venæ sect. aduers. Erasistrateos ca. 4. vniuersum vacuet corpus primariò, vel secundariò vt cũ nostris Logicis loquamur. secus se habet res in reliquis putridis, in quibus transacto vniuersali principio abest venæ sectionis postulans particularis scopus alter, cũ intermisso fluxu, coctioni tantũ intendat natura, cui obstare, nefas obstat omnis cõmotio. hoc voluit insinuare diuinus Præceptor li. 2. Aph. sen. 22. cum tantum circa initia mouere in morbis suadeat, vti in statu (sub quo saltem maior incrementi pars cõtinetur, ceu tẽpus itidẽ coctionis) quiescere potius præcipiat ille, & seriò. verum si fortè, quia serò, extra principium aduocatus fuerit Medicus, aut propter aliquam incuriam, aut ægrotantis potius repugnantiam (quod accidit sæpè) vena secta non fuerit,

licebit tunc quidem, in priori pręsertim incrementi parte, & eo magis, si adfuerit aliqua plenitudo eandem exercere, vt maior pars, morbi causa tollatur, & reliquum mox, & facilius natura concoquat, & exactius vincat. quamuis ob multas, & maximas itidem vtilitates satius multò sit, statem initio venas tundere, quàm ignauè in aliud tempus tantum remedium differre. compescenda namque quamprimum est fluxio, ne maior fiat materies putredinis, augeatúrve obstructio fiens, quæ vrgent maximè in principio: rursus etiam coniuncta materies vacuatione minuatur, qua imminuta, quàm citò reliquam materiem aggreditur natura coquendam, & potentius multò vincendam, imminutis maxima ex parte hostibus, cum quibus luctari cogebatur. Quare valenter opus coctionis aggressa, nec vllatenus interrupta (quod maximum est) per breue temporis interuallum morbus succumbet, & æger victoriam reportabit. Hanc doctrinam replicat abundè Galenus tum lib. 1. de Cris. cap. 9. tum com. in illud diuinum Hipp. oraculum lib. 2. Aph. sen. 12. quod nouatores quidam perperam, & longè ab Hippoc. mente interpretantur. verum de hac re fusius infrà.

Occasio, tertiúsne scopus, à quali, & quanto distinctus? exoluitur apparens Galeni dißidium.

CAP. XXXIX.

MVltis encomiis suprà occasionis pręstantiam celebrauimus, & seriò eandem prudentium

iudicio

iudicio expendimus: verum adhuc occasio se offert modò dubitandi, an ipsa per se, ceu ab aliis distincta, sit scopus, etiam in vtraque Medicinę parte. Negantem opinionem obnixè videtur astruere clarissimus Galenus (si fortè eius fuerit opus) synopsi illa Artis Medicæ cap. 85. oppositam autem, ceu vtriusque Parentis germanam, sedulò supra defendimus. Nec loquimur modò de occasione inquantum causam externam significat, causis internis occasionem præbentem, vt morbos in corpore excitent, quam πρόφασιν, aut ἀφορμὴν volant Græci: verum de occasione, quam & ipsi itidem καιρὸν appellant, quatenus significat opportunum agendi tempus, distinctum pariter à morborum tempore, similiter & eodem nomine condonato. quæ morborum tempora neque scopi, neque indicantia sunt, vt accuratè tum Auctor ad Thrasyb. ca. 5. tum lib. 4. meth. Galenus insinuat cap. 6. sit difficultatis conclusio. occasionem; seu opportunum tempus reapse, vt multis in locis, etiam ex Hippocratis mente Galenus repetit, scopum tertium esse, à reliquis tribus distinctum. Sed rem auctoritate, ac ratione pro vtraque parte lustremus.

Negās quamprimum opinio roboratur testimonio Galeni lib. Artis Medicæ ca. 85. quo loco & occasionem, & vtendi modum apertis verbis à cœtu scoporum relegat, sed eius verba proponamus. *Atq; hæ duæ sunt circa salubre, & insalubre intētiones* (seu scopi) *rei scilicet quæ adhibetur qualitas, & quantitas, neque enim est rationi consentaneum etiā temporis occasionē, quæ in his quæ dicta sunt, continetur, veluti tertium aliquod ab eisdem diuersum introducere. Si enim tali, & tanta re allata egeat corpus, nemini du-*

bium, quin etiam in tempore opportuno afferatur occasio. siquidem occasionis inde est ortus, quoniam fluxile, ac facilè mutabile est mortale corpus, ac pro trãsmutationis modo, alijs alio tẽpore eget auxiliis. Quare nõ est tertium aliquod præter ea quæ dicta sunt tẽpus: sæpius autem eo tanquam tertio quodam, ob eam, quam diximus causam ad docendum vti consueuimus. Hæc sentẽtia si corticem tantũ inspexerimus, ardua quidẽ, ac difficilis, adeo vt à nemine (quod sciam) huc vsque, iuxta veram, ac legitimã Galeni mentem, ac veritatem appositè sit enodata. immò in grauia interpretes omnes deduxit discrimina: & dũ Galenum obseruant sibi ipsi imparem, strenuè alibi occasionem, vti scopum, amplectentẽ frigidè cõciliare intẽdunt, in plurimas distracti opiniones. In primis clarissimus Præceptor meus Ludouicus Colladus libro suo Isagogico ca. 24. arbitratur loquutum fuisse Galenum tantũ de occasione, in quantũ ad salubrem partem spectat, in qua nulla ipsa est, quia cum præceps tunc non sit, si corpus tali, & tanta re eget, tempus semper adest opportunũ, vnde tantum confert illa ad doctrinã. secus autẽ in therapeutica parte, quia & præceps in ipsa, ac cita, ac strictè amplectenda, vt censet reliquis in libris Gàlenus, ceũ scopus necessarius ad medendi methodũ. Hanc eãdem tenent sententiã in cõmentariis in hunc Galeni librum, tum Ioannes Baptista Montanus, tum Martinus Akakia, viri illustres.

Ioannes Fernelius lib. 1. Methodi ca. 1. Non solum à salubri parte, verum etiam à therapeutica occasionem itidem repellit, tribus aliis contentus scopis. Michael Gauassetius li. 1. de indicationibus curatiuis ca. 23. 24. & occasionem, & vtendi modum

dum, iuxta galeni mentem, vt ipſe ſentit, à numero ſcoporum exulat, nec rationem ſignat.

Thomas Rodericus à Veiga, & Saluus Sclanus cõmentariis in citatum Galeni librum, cum quadã limitatione rem interpretantur, dicẽtes per ſe, ac primò tam in cõſeruatrice ſanitatem, quàm curatrice qualitatem, & quantitatem ſpectari tantum, occaſionem verò fruſtraneã, niſi per accidens ad eandẽ qualitatem, & quantitatem coniectãdam. quod inſinuat Galenus, inquiunt, dum ad doctrinam hanc tantum conducere affirmat. Renuunt itaque hi occaſionis ſcopum, & vtendi itidem modum. Altimarus porrò eandem ferè inſequitur viam, parte prima de febribus cap. 37. inquit enim, quia fluxile, & mutabile corpus, hinc aliis alio tempore eget auxiliis. vnde per accidens, & ad doctrinã tantum egemus occaſione, vt præſens innoteſcat corporis ſtatus, qualitatẽ, & quantitatẽ per ſe indicans remedij.

Marcus Oddus, dum Patris vices gerit in ſupplemẽto commentarij in hoc artis Medicæ opus, aniliter quidem argumentatur, demonſtrandò occaſionem hanc neque ſcopum, neque indicationem eſſe: hoc, quia occaſio neque conſequitur, neque ſit à præſentia eorum quæ remedia poſtulant, & abſentia eorum quæ eadem impedire valent: quod quidem de indicationis ratione eſſe retur. illud autem, quia occaſio non eſt res in corpore exiſtens poteſtate, quæ cæteras moueat cauſas ad agendum, vt actu fiat: quod itidem eſt de ratione ſcopi.

Ioannes Argenterius tandem vtramque opinionem, ceu probabilem admittit, tum com. in hoc caput, tum libro 1. de offic. Medici ca. 10. probabiliorem tamen cenſet partem affirmantem, diſtin-

ctum videlicet re esse scopum occasionis à reliquis.

Nec est quod amplius modo in recensendis aliorum opinionibus immoremur, his præsertim contenti. Cæterum & inter hos lubet nunc & nostram sentẽtiam proponere, auctoritate, & ratione nihilominus, nec leui sanè eandem confirmare. Sed antequam rem aggrediamur, vt methodo prosequatur oratio, difficultatem hanc in triplicem diuidemus partem, omnem ex ambiguitate verborum Galeni partam: deinceps cuique illarum seriò satisfacere mens est. Primum igitur est an occasio, ceu tertius scopus ad vtramque Medicinæ partem spectet. rursus an affirmans opinio rationi sit consona. tandem an ad doctrinam tantum aliquando se nobis offerat occasio, vt videntur innuere Galeni verba.

Cæterorum opinionibus postpositis, scopum hunc occasionis in vtramque Medicinæ partem se intromittere & Galeni doctrina, & ratione itidem nobis demõstrare licet. Quod in Therapeutica Medicinæ parte nõ vtilis tantum, verum & necessarius sit, replicat passim Galenus tum lib. 1. ad Glauc. & libro de puero epileptico, tum assiduè theorematis, & exemplis per vniuersum illud amplissimum, ac penè diuinum methodi medendi opus. in qua parte ob maximam eius celeritatem in morbis præsertim acutis, & ob non leuem eius in arte difficultatem, & corporum lubricitatem, ac mutabilitatem vix, ac ne vix quidem ab exercitatissimis captatur Medicis. Porrò & in salubri parte, in qua haudquaquam volucris, immo latissimus est occasionis cãpus, suum nihilominus principatũ exercet,

& vt

& vt, ne ab eodem Galeno recedamus, testatur & eodem loco citato Artis Medicæ, dum saltem ad doctrinam in vtraque Medicinæ parte eandem admittit: & apertius multò ex instituto, dum omni arte illam procurandam censet in venereo vsu, vt salubris fiat eodem pariter libro cap.86. Et vltrò, citróque eãdem amplectitur, à reliquis itidem scopis distinctam lib.1.de tuẽd.valetud.c.15.dum etiam ex professo eandem doctrinam de opportuno veneris vsu exagitat.quamuis libro 5.c.5.eiusdẽ operis silentio eandem obuoluat:nisi fortè per facultatem, quam tertium assignat scopum, illam intellexerit: quasi referatur illud τὴν δύναμιν ad facultatem,seu opportunitatem exercentis Medici, vt Stephanus Athen.com.in lib.1.ad Glauc.nu.4.appositè interpretatur,huic vocabulo tria attribuens significata.

Præterea adest ratio, qua inducimur ad credendum etiam in vtraque artis parte hunc scopum suam necessariò, ac per se habere sedem, quæ huiusmodi est.Materies conseruans sanitatem, aut efficiens, singula seorsum respectans suam peculiarem Medicinæ partem,postquam rationali methodo fuerit inuenta, congruum itidem necessariò requirit vsum: sed claudicat necessariò vsus cuiusque illius materiei,immò nec congruus, occasione repulsa,quæ iuxta vsum præstantior cæteris: quia reuera inde habet materies, vt sit salubris caussa.Ergò hęc suas vicesnecessariò gerit in vtraque artis parte.

Propositio nulla indiget probatione, quia quod inuenit methodus,vsus perficit,vt consequatur hoc medio artis finis.

Assũptio rursus patet ex his quæ superiori capite c.57.diximus de præstantia,atq; necessitate occasio-

illi;verbi gratia,ſub ratione formali occaſionis cõtinentur, inter cætera impedientia, quæ ſanè nec qualitas auxilij, nec per ſe, nec per accidens reſpe-ctat,nec quantitas: cum illa tantum qualitatem & ideã morbi, hæc verò exceſſum ſeu quantitatem eiuſdem,aut cauſſæ reſpiciat.occaſio autem,ſeu tempus opportunum & præſentiam indicantium obſeruat,& abſentiã impedientium explorat. Sed locum hunc Galeni difficilem interpretemur modo, vt hinc huius doctrinæ magis elucescat veritas, & illuſtris reddatur altera pars difficultatis.

Dependet quàm maximè huius difficultatis ſolutio ex diſtinctione cauſſarum efficientium, aut conſeruantium ſanitatem, circa quarum vſum experitur occaſio.Duplici itaque ratione conſiderantur hæ cauſſæ,aut in vniuerſum,quatenus indicata, haudquaquam primariò ad curationem vel valetudinis conſeruationem conferentes cauſſę:vel rurſus æſtimantur in particulari,quatenus materies iã ſunt indicatorum auxiliorũ, & tunc iã ſub methodi ſcopis explorantur,& primariò vel efficiũt ſanitatẽ,vel conſeruant. auxilium namque nequit hoc nomine cõdonari, quouſq; nactũ fuerit &qualitatẽ,& quãtitatẽ,ocaſionẽ & vtẽdi modũ. Si primo illo modo accipiantur cauſſæ,theoremata vniuerſalia ſub methodo cõprehẽſa ſcopos illos reſpuũt,ſolãqualitatẽ inueniũt,quãtitatẽ cõiectãtur.Ratioeſt,quia methodus,ceu vniuerſalis cognitio vniuerſa intendit,& à primis ac ſupremis generib.ad infimas vſq; ſpecies ꝓgreditur,expũgit indiuidua,&auxiliorũ materies, q̃ ſub vſu cadũt;vſus autẽ cõgruus ſcopos illos quatuor æſtimat,&q̃ maximè occaſionem,cuius ratione,vt diximus ſuprà, artifex vtens Medicus appellatur.Quid quod & method⁹ vſu fraudata infima,

& theoremata pariter sine vsu suspecta. Præstans igitur vsus, nam Vulcani arte Pallas è Iouis cerebro prosiliit. Vtendi igitur modus, & occasio vsum tantum per se materierum auxiliorũ respectãt: vti methodus vniuersalis qualitatis, ac quantitatis caussarum salubrium per se, & inuentionem, & deliberationem speculatur. inuentio per indicationes paratur, vti deliberatio per easdem, & per proprios deliberatiuos scopos. occasio autem, & vtendi modus in hac methodi contemplatione tantum indigitant carcerem, vnde promouetur quantitatis, & qualitatis indicatum. quare continentur sub vtrisque his ad doctrinam tantum. reuera igitur sub his methodi legibus vniuersalibus qualitatis, & quantitatis scopi per se continentur, reliqui verò virtute. In quo sensu doctissimus Galenus eo Artis Medicæ libro occasionem recepit, dum dicit, *alienum à ratione esse hanc à reliquis distinguere.* reddénsque huius rei rationẽ inquit, *siquidem occasio à fluxibilitate & mutabilitate corporis oritur.* hæc autẽ occasio tãtũ docet statum præsentẽ corporis, cuius ratione nos exactè quantitatem, vel qualitatem caussarum salubrium & inuenimus, & metimur. vnde tunc re non distinguitur occasio à quali, & quanto, cum in vnũ concurrant. Nam cum corpora nostra in continuo sint effluuio, dissipentúrque perpetuò à triplici nostrę substantię fluore, mutentur rursus alterentúrve tot, tantísque caussis tam internis, quam externis, proinde hæc assidua corporis nostri alteratio, atque mutatio omni obseruatione digna censenda, quasi nos manu ducat ad absolutam qualitatis, & quantitatis caussæ efficientis in vniuersum sanitatem, inuentionem Adest igitur

in

in vniuersali methodo occasio, quotiescunque adest qualitatis, & quantitatis scopus, iuxta eorundem tantum inuentionem, nec re in se inuicem tunc distinguuntur haud dubiè.

Verum si altero modo caussæ illæ salubres considerentur sub indiuiduo, quatenus materies sunt victus videlicet, aut remediorum; cum hæ, ceu res indiuiduæ ne indicentur quidem, immò ab ipsis primò conseruatio, vel sanatio præstatur: haudquaquam sub vniuersali contemplatione cadunt, verum sub vsu opportuno, ac congruo, vt homini salubres fiant. Particularia namque experientia, & vsu comprobantur, vti vniuersa iudicio & ratione; duo quidem artium organa. Vsus itaque indiuidua intuetur, methodus & ratio vniuersa potius. illa difficile sub doctrina continentur, facilè hæc. vnde in se inuicem hæc adaptantes rarò spe, euentúque frustramur: & ex singularum perpetua historia veritas elucet vniuersalium, cum testante Hippocrate libro de Elegantia, *quàm recta sit scientia ipse finis aperiat*. finis autem vsu consequitur, vti vsus circa singularia versatur. Quare cum materiem caussarũ salubrium exercemus, aduocata prius vniuersalia illa per indicationes inuenta, mox & scopos ad deliberationem inuentorum, accersitis pariter propriis scopis indicantium, & indicatorum, tandem ad cõgruum vsum inuentæ, ac deliberatæ materiei requiruntur quàm maximè, præter qualitatem, & quantitatem eiusdem materiei, & alij bini eiusdem vsus scopi, occasio, inquam, seu opportunum tempus, & modus vtendi. hinc Galenus, vt diximus, ad hunc congruum remediorum vsum, tum lib. I. ad Glauc. & lib. de venæ sect. adu. Erasistratæos c. I.

tum alibi quatuor scopos assignat: vti in arte tuendæ valetudinis, ad vsum opportunum caussarum sanitatem conseruantium, eosdem itidem connumerat, vt videre est lib. 1 de tuenda valetudine, c. 14. Idem doctissimus Stephanus Atheniensis com. in citatum ad Glauc. locum num. 3. censet, cum ad ipsa artis opera nos quatuor istis scopis necessario indigere affirmet. quasi per hos necessariò omnis curatio procedat, & sine ipsis ne vllatenus quidem perfici queat. occasionem autem inter reliquos commendat, quia & reliquis cognitu difficilior, & vnà cum quantitatis scopo, ceu difficillimus Medicis in arte peritis peculiaris, ac proprius, sicuti reliqui doctis, ac idiotis communes. Occasio igitur difficilis cum sit ac volucris, quam si quispiam cum reliquis comitari nequeat, materiem caussarum salubrium inopportune adhibendo, & infortunia, speique frustrationes haud dubiè consequetur tam doctus artifex, quam idiota pariter, ac iners. Est tamen discrimen, quod huic ob eius imperitiam, accident illa: illi verò, tum ob rei incomprehensibilitatem, tum iudicij difficultatem. requirit itaque occasio exercitatissimum artificem, & acerrimi ingenij virum, ad cuius captum congruus consistit materierũ caussarum salubrium vsus: peculiariter autem per hanc in therapeutica omnis absoluitur morborum curatio. quare in vsu huius materiei, tanquam proprius artificis scopus à reliquis longè distinctus, quàm maximè occasionis occurrit obseruatio.

Galenus doctissimus idem confirmat lib. 6. Epidem. com. 7. sen. 1. dum innuat omnem vim curationis morborum attribuendam occasioni, dicens,

Quis

Quis faciendi auxilij auctor? & statim respondens subiungit, *occasionis inuentor.* quasi omnis curatio in congruo auxiliorum vsu consistat, vti hic in opportuna occasione, cuius ratione Artifex perfectus appellatur Medicus.

Rationi igitur consentaneum erit, immò necessarium ad vsum remediorum seu materiei caussarum salubrium occasionis vnà concurrere scopum, & hunc reapse à reliquis distinctissimum. A ratione itidem alienum non est hunc in methodica inuentione per indicationes earundem caussarum nullum haud dubiè habere locum, nisi fortè ad doctrinam, vt exactius videlicet specifica auxilia inueniantur. Ergo caussæ salubres ἐνμεθόδῳ inuentæ, & per suos mox scopos artificiosè deliberatæ sub doctrina vniuersali cadunt: verum dum artis opera exercemus, singularia explorantes, his, vniuersa adaptamus; in qua ratione, vt optima procedamus methodo, quatuor illa, singulis materiebus remediorum, seu caussarum salubrium propria, sibi debet proponere Medicus, vt congruum earundem consequatur vsum. quæ cum inter se, nec minimum sint distincta, ne confundere quidem fas: immò singula per se, ac seorsum itidem, & sibi proponere, & replicare decet.

Tandem & illud exponendum arbitramur modò, qua ratione Galenus, occasione dixerit tantum nos vti ad doctrinam. Ex nuper dictis fit palam. nam occasio (non vt scopus curatiuus, verum vt dependet ac exoritur ex fluxibilitate, ac mutatione varia corporum) doctrix est aliquando tum qualitatis, tum quantitatis specifici auxilij. Status

namque corporis præsens hoc remedium indicat, & tantum. quare in hac inuentione specifici auxilij, re non distinguitur occasio à quali, & quanto. vnde hi ambo scopi requiruntur tantum in methodica inuentione remediorum in specie, seu caussarum tam conseruantium sanitatem, quàm efficientium. Reuera namque occasio insinuat affectionem corporis, siue secundum naturam fuerit, siue præter, illam tali, ac tanta salubri caussa egere, quoad eius videlicet specificam inuentionem, haud quaquam quoad eius materiei caussarum congruũ vsum. Primo itaque illo modo occasionem assumpserat Galenus ibi, in quantum videlicet statum corporis præsentem declarat, ex quo indicatio specificæ qualitatis, aut quantitatis caussę efficiẽtis, vel conseruantis sanitatem elicitur. Scopi quidem methodi inueniendi has caussas specificas. Nec mirandum quod eandem rem indicatum, & scopum vocemus. cùm eadem per diuersos respectus, seu varias rationes formales vtrumque munus præstare valeat. vti qualitas remedij indicatum est, in quantum à suo indicante indicatur: in quantum autem menti est propositum inueniendi, per methodum auxilia, iam tũnc scopus. Hoc idẽ comprobatur in deliberatiua methodo remediorum. Magnitudo namque morbi indicans est magnum auxilium: & tamen hæc eadem morbi magnitudo scopus alter est, quo assidente de magnis remediis deliberamus, venæ sectione, vel purgatione, vt passim testatur cum Hippocrate Galenus. In vsu denique cógruo remediorum hoc idem fit euidens, cum qualitas, & quantitas indicata quidem in hac methodo vltima, scopi pariter dicantur requisiti vna cum

cum aliis duobus ſcopis ad congruum materierum auxiliorum vſum, quatenus videlicet huius methodi propoſita ſunt.

Illuſtratur exemplis ex vtraque Medicina deſumptis occaſionem tertium ſcopum eſſe.

CAP. XL.

QVæ nuper diexodicè expoſuimus, lubet nunc & exẽplis luſtrareet, iam in vtraque Medicinæ parte. In ſalubri itaque Galenus occaſionem cõmendat lib. Artis Medicę ca. 86. dum veneris vſum, ceu cauſam tradit ſeruantem ſanitatem, mox quantitatem declarat, & tandem infert, *Tempus verò ad vtendum opportunum, cum omnium in rerum circumſtantium exquiſita mediocritate corpus fuerit conſtitutum &c.* Conſtat igitur hunc ſcopum reapſe diſtinctum à reliquis: non enim ſufficit inuenire qualitatem, & ideam cauſæ, vtilem videlicet eſſe veneris vſum, tum eius quantitatem, vſquequo homo non ſentiat aliquam virium exolutionem, immo leuior ipſe fiat, & ſpiret melius: verum ad hanc actionem oportet quàm maximè obſeruare alterum ſcopum temporis opportuni, qui nullatenus ſub illis prioribus continetur. non enim venus materies erit cauſæ ſalubris, ſi frigido exiſtente corpore exerceatur, aut nimium calido, pleno rurſus aut vacuo &c. quæ per ſe neque ſpectant ad qualitatem illius cauſæ, aut quantitatem, ſi congruum eius vſum reſpectemus. Quid ad hæc clariſſimus, & longè præſtans Præceptor noſter Ludouicus Colladus? Quid illuſtris Martinus Akakia, & egregius

Iohannes Baptista Montanus? cum respuant ab hac salubri parte ipsam occasionem, in qua viget valdè, ac præstat sanè.

Ad Therapeuticam conuersi demonstremus modò & altero Galeni exemplo, occasionis scopum re à cæteris distingui, & maximi momēti esse ad morborum curationem. Galenus igitur, ne à consilij nostri ratione recedamus, lib. 9. meth. cap. 5. (quem locum nos in hoc libro primo interpretandum suscipimus) postquam qualitatem, & quantitatem materiei remedij, venæ inquam sectionis in sananda synocho febri exposuerit, statim subiungit ipse, *Attendenda verò cum vena secandæ indicationibus sunt, tum quæ eam præcedunt, tum verò quæ omnino excipient* &c. Palam igitur Galenus in hac historia curationis synocharum febrium inquit, postquam fuerit inuenta per suas indicationes salubris causa, tum peculiari altera methodo deliberata materies auxilij, venę inquam sectio, ad vsum huius materiei congruum quàm maximè attendenda pręcedentia, & excipientia. quasi dicat, non sufficit habere inuētam specificam causam salubrem, tum deliberatam auxilij materiem, verum decet & occasionem supra modum eiusdem materiei auxilij ęstimare; hoc fiet, si præter obseruationem postulantium illam auxilij materiem, & impedientia vnà considerauimus. impedientia sunt aliqua quæ præcedūt statum præsentem morbi, & adhuc eorū effectus perseuerant, qualia sunt inter cætera ciborum cruditas in vētriculo: rursus sunt & alia quæ eundem morbi statum excipiunt, qualia sunt fluxus mensium, aut hæmorrhoidum. Occasio igitur adest illius deliberatæ materiei auxilij, si neque cruditas in ventriculo adfuerit, neque

neque aliqua ex dictis fluxio excipiat, quasi absens sit, omne materiem illius auxilij impediens. Captare itaque tempus opportunum in hac morbi historia longè distat ab inuētione, & deliberatione materiei causæ salubris, paratis his, tum variis indicationibus, tum & diuersis scopis, neglecta omnino absentia impedientium: quid quod & occasio ipsa cuncta illa necessariò supponit, & æstimat, haudquaquam qualitas, aut quantitas occasionem in vsu congruo, etsi in inuentione earū non negligat. Quare eo loco Galenus nihil aliud intendit, quam demonstrare in congruo venæ sectionis vsu in febribus synochis occasionem & opportunum tempus, æstimatis præter postulantia, impedientibus, præcedentibus videlicet, & excipientibus.

Constat itaque ex his duabus historiis occasionem rem esse distinctam. reapse à qualitate, & quantitate, siue æstimentur hæc vt indicata, siue vt scopi. Nam quamprimum in ratione indicatorum distinguuntur, quia occasio nullatenus indicatum, cum nihil sit à quo indicetur, sed ex diuersis, & oppositis comparetur. rursus nec in ratione scopi conueniunt, quia quamuis omnes sint scopi, tamen occasio absentiam impedientium includit ad congruum materiei auxilij vsum, methodo prius & inuenti, & deliberati: respuunt autem illam tū qualitas, tum quantitas, quatenus scopi. bene quidē occasionē hæ admittunt, ad docendū statum corporis, quo cognito exactius multò inuenimus causam salubrē, & de materie eiusdē deliberamus. verū tunc occasio curatiuus scopus nō est, sed requisitū quoddā obseruatione dignū ad ἐυμέθοδον, seu ad optimā te-

medij specifici inuentionem per suas indicationes: res quidem distincta à dextero eiusdem remedij, seu materiei potius remedij vsu.

Quare ex prędictis cõstat, quod prędicta Galeni verba Artis Medicę haudquaquã affirmari possint de occasione, vt scopus est ad dexterum vsum materiei auxiliorũ in singulis morborũ curationibus: ratio est, quia sequeretur, quod quotiescunque adessent scopi illi qualitatis, & quantitatis, adesset simul & opportunum tempus materiei remedij, quod nefas. quia vnà cum illis prioribus scopis adesse posset impediens aliquod, reddens sanè inopportunum tempus, ac sinistrum materiei auxlij vsum. Præterea in obseruatione indicationum, non eo tempore statim quo indicans indicat, expletur opus: verũ inuento indicato specifico aduocamus methodum deliberatiuam, & cunctis æstimatis indicationibus, & scopis de materie auxilij deliberamus, & tandem per proprios methodi medendi scopos rem in congruum vsum vertimus. hinc falsitas apparet illius conclusionis, Præsens est indicans, ergo & opportunum tempus agendi. benè quidem contra, Præsens est agendi tempus opportunum, Ergo necessariò & præsens indicans. Quia requiritur necessariò ad agendi tempus opportunum non solum indicantium præsentia, verum & impedientium absentia. Doctrinam hanc accuratè doctissimus Philotheus lustrat com. in libr. 1. Aphor. sen. 1. quo loco, postquã cum Hippocrate præcipitẽ statuerit occasionẽ, ex cuius rapacitate maxima difficultas exoritur captandi eam: mox inquit, *sæpe solet vsu venire, vt cum nutrimento indigeat ægrotus, &*

iam

jam cibandus sit, inuadat eum febris accessio, vel aliquod aliud symptoma, quod impediat quominus cibari possit. Indicantis igitur præsentia qualitatem, aut quantitatem remedij sufficiens non est, ad congruum vsum causarum sanitatem conseruantium, aut eandem efficientium, cum & alia æstimanda veniant, quæ earundem causarum opportunitatem temporis confirment: scopus quidem alter, & re distinctus ad vsum dexterum remediorum, & absolutam medendi methodum, vti & causæ conseruantis sanitatem, in altera methodo de tuenda valetudine.

De methodo occasionem captandi tundendi venas in acutis morbis, non instante tantum, verum & præsente menstruo, aut hæmorrhoido fluxu.

CAP. XLI.

PRopter maximam huius scopi tum præstantiã, tum necessitatam, campus in quo potest vberrimè exultare oratio, licet nobis modò hanc doctrinam fuso adhuc sermone contexere. Diximus hactenus quæ ad absolutam occasionis dignotionem in vniuersum spectabant: eandẽ rem nunc penitius aperire, studiosúsve diffundere lubet. trademus inquam methodũ, qua iuxta huius nostri cõsilij rationem compotes simus, affabrè, ac seriò occasionẽ arripiẽdi in morbis acutis sanandis, tutissimi illius, atque præstantis auxilij : videlicet venæ sectionis, aut instante iam aut adstante mensurno

fluxu, aut hæmorrhoido. diuiniſſimus Galenus hanc methodum lib.9.meth. ca.5. vt fusè ſupra iam diximus, ſub ſynocharum febrium hiſtoria breuiſſimis quibuſdam verbis, ac leui manu pertractat: verum nos, pro eiuſdem rei excellentia, difficultate, ac pariter neceſſitate eandem doctrinam diffuſa oratione replicabimus, haudquaquam tanto neglecto rectore. Verba ex eius ſacrariis ſubſcribimus, cardo quidem totius enarrationis. *Attendenda verò cum venæ ſecandæ indicationibus ſunt, tum quæ eam præcedunt, tum verò quæ omnino excipient. Nam ſi præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre venæ ſectionem iubebis, quantum ſatisfacere tum ad eorum concoctionem, tum vt excrementa deſcendant videbitur. Sin ſequetur neceſſariò euacuatio quæpiam tantum illi de eo quod ſuperfluum eſt relinquendum, quantum eſt per eam vacuandum. Itaque ſi tempore mittendi ſanguinis menſes moueri contigerit, ſiue etiam hæmorrhois ſit recluſa, ſi inſpecto fluentis impetu ipſe ſatis fore videbitur, qui ſolus quod requiris vacuet naturæ rem omnem permittes: ſin minus tantum ipſe detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod poſtulas.* Hanc ſententiam Galeni, eiſdem ferè verbis perdoctus Aëtius in ſuo tetrabibli.2.ſerm.1.capite 71.& refert, & interpretis pariter munere fungitur. Cæterum cum Galeno teſte lib.de venæ ſect. aduerſ. Eraſiſtratæos cap.1. *nec ſit facilè cognitu quibus omnibus huius auxilij vſus conferat: tum vel menſura, vel vena quæ ſecari debet, vel ſectionis tempus; non ſine negocio reperiatur:* proinde in illa inſigni methodi ſententia cuncta hæc luſtranda cenſet, & vnà ſub methodi præceptis

ptis perbellè eadem omnia amplecti. Nos reliquis omissis scopis, solius occasionis modò rationem habebimus.

Occasio itaque, cùm duobus potissimum fruatur attributis, præsentia morbi postulantis auxilium, absentia itidem impedientium idem postulatum auxilium: in Galeni historia adest quidem prius attributum, morbus venæ sectionem postulans, febris inquam synochus: de cuius curatione mens est Galeno eo libro disputare. abest tamen alterum, cum adsint impedientia illud auxilium, instans, vel præsens mensurna purgatio, vel hæmorrhoidum (vtramque eo loco supponit.) Quamlibet igitur ex his vacuationibus, siue instantes fuerint, siue præsentes illius auxilij occasionem tollere, dilucidè ibidem fetur Galenus, instans inprimis, dum scribat, iuxta Aërij clariorem interpretationem, *Si verò suspectam habes post venæ sectionem, aliam fore sanguinis vacuationem, velut muliebrem purgationẽ, aut hæmorrhoidum in sede fluxum, relinquere oportet in venæ sectione tantum sanguinis, quantum per alios locos euacuandum putas.* Quibus verbis insinuat (iuxta Aërij interpretationem) Galenus deperdi quidem tundendi venas occasionem ab instanti fluxu mensium, aut hæmorrhoidum: aut saltem minuendi totam illam sanguinis quantitatem, quam morbus tollendam postulabat, cum sit relinquendum naturæ, mox operanti. Porrò & præsens idem præstat, cum iugiter dicat, *Itaque si menses fuerint commoti, aut reserata hæmorrhois tempore mittendi sanguinem, si inspecto fluentis impetu ipse satis fore videbitur, qui solus quod*

requiris vacuet, natura rem omnem permittes. Quare instante, vel adstante aliqua ex his vacuatione, ex Galeni mente occasio deperditur scindendi venas, etiam reclamante morbo acuto, qualem supponit Galenus, synocham scilicet febrem.

Fortè eandem doctrinam videtur confirmare diuinus dictator lib. Epidem. 6. comment. 2. sen. 26. dum sua laconica breuitate inquit, *Per adiectionem contraria adhibere, & interquiescere.* Quasi insinuet Hippocrates his verbis, adhibenda contraria, præsente morbo ea postulante, nec præsente impediente: interquiescere autem ius præsente impediente, etsi præsentia contraria postulantia. Ergo tantum adest occasio, quantum absunt impedientia: & deperditur rursus, eisdem vnà præsentibus. Quare qui occasionem ignorat abhibendi contraria, reus fit, confundens omnia, & cum semper occasionem operandi adesse arbitretur, interquiescere nescit. cum persæpè interquiescere multò præstet, quàm temerè contraria adhibere. omnia namque cum tempus habeant, etiam & morbi tempus habent vacandi, & tempus operandi. quæ tempora seriò, ac consultò sanè præuidere prudens tenetur Medic. Vnde perniciosior censendus, qui interquiescere nequit, aut nescit, imò per singulas diei horas, ad popularem potius auram singula machinatur, quàm ignorans contraria adhibendi. quia huius defectum Natura emendat sæpè; hæc enim, vt summus Dictator libro de Aliment. numero quarto, scribit, omnino sufficit. alter verò occasionem omnem interturbat remediorum, circa quam vnicam ægrotantium versatur salus, omnia rursus inuertit, molestúsque tandem fit Na-

turæ,

turæ, nullum ei relinquendo operandi locum. Hos eleganter arguit clarissimus Galenus libro 1. de diebus decret. capite 11. his præclaris verbis, *Quadam à Medicis his admirandis committuntur peccata, putantibus, si quis introgressus ad ægrum, deinde succingens se, vel cataplasma imposuerit, vel perfuderit, adusserit, vel clysterem indiderit, vel venam inciderit, vel cucurbitulas adiunxerit, vel confricuerit, vel nutriuerit, aut huiusmodi aliud factitauerit, nihil ab ipso gestum artificiosum: hi enim quoties ad ægrum accedunt, toties peccant.* O pestis adhuc hisce nostris temporibus populariter grassans! O dolenda hominum clades! O Medici abortiui! Prudentes igitur Medici Christiani vtrumque illud Hippocratis amplectantur, & adhibendi occasionem, nihil negligendo eorum, quæ circa opportunam auxiliorum adhibitionem requiruntur, & cessandi rursus illa absente occasione, ne temerè quicquam circa ægrotantes perpetrent. hoc ipso, temerarij aufugient nomine, altero verò prudentis pariter asciscent. Sed ad pensum redeamus.

In synocho itaque febri diuinus Galenus occasionem sectionis venæ abesse arbitratur, si iugiter mensurni adsint, vel instent fluxus, vel hæmorrhoidum: legitima sanè tanti auxilij impedimenta. Verum cum febris hæc synocha & ardentissima sit, & sub genere morborum exactè acutorum comprehensa, & affectus quidem inter reliquos non venæ sectionem simpliciter postulans, sed ad hypothimiam vsque, si Galeno credimus, tum libro 1. Aphorism. sen. 23. tum libro 9. meth. capite 4. hinc facilè inferen-

dum, hanc doctrinam, ex Galeni mente, ita vniuersalem esse, vt cunctis acutis morbis valeat conuenire.

Cæterum si hanc studiosè, ac seriò contemplemur, aliter multò arbitramur censendum: cum dispar longè sit ratio huius febris, & cæterorum acutorum morborum, illa enim causam, & putredinis larem (si putrida) in toto corporis habitu, aut in maximis saltem vasis: horum verò priuata est pars affecta, & caussa morbi particulari circumscribitur termino. vnde synocho quælibet sanguinis vacuatio est ex vsu, ex qualibet videlicet corporis parte fluat: æquè valens omnis, vniuersalem tollere plenitudinem. reliquis verò morbis haudquaquam quælibet incisio adiumento sit, cum loca vtiliter conferentia requirenda sint, qualia quæ coniugium cum loco affecto habent; valente quamprimum auxilio tunc caussam morbi coniunctam deponere, idque citius quantum acutior fuerit morbus. Quare copiosè in synochis per menses, aut hæmorrhoidas operante natura, omnino artificem interquiescere ius, ac fas: cum quælibet vacuatio ex his, sufficiens sit omnem illius morbi caussam aufferre: ceu quælibet locus vtiliter, conferens ac sufficiens ad omnem totius corporis sarcinam deponendam. Secus autem in reliquis morbis, cum nec quælibet æstimetur sufficiens (nisi rarò, & per accidens:) quia distans via, nullum, aut dissitum coniugium cum loco peculiariter laborante. Quod si fortè aliquando sufficiant, tardè id præstant, & maximo cum ægrotantis vitæ discrimine, moras, ob acutiem, renuente morbo acuto.

Quam-

Quamobrem aſſignanda Methodus, qua occaſionem ſeriò captemus tundendi venas in cunctis acutis morbis, inſtante, vel adſtante altero ex his fluxibus. Itaque connexio eſt morbi acuti indicantis ſui ablationem per maximum contrarium, & fluxus, ſecundum naturam res, indicantis itidem ſui conſeruationem per ſimilia. Hæc & diuerſa poſtulant, & ſi ſimul tempore ad ſunt, etiam ſimul tempore diuerſa indicant. cæterum cum hæc diuerſa opponantur inter ſe, vtrique affectui ſimul tempore nequimus ſanè occurrere. vnde quod morbus poſtulat, prohibet fluxus, & contra. Quare in hoc connexu poſtulantis vrgentia æſtimanda, vti & prohibentis dignitas: vrgent autem morbi: naturalia dignitate penſantur.

Decet igitur vtrumque gemina lance libræ ancipitis ſuſpendere, & quod ponderoſum amplius, amplecti. grauius igitur cum ſit, maioriſque momenti illud ex quo maius vitæ pendet diſcrimen, haud dubiè ratio, ædilis fungens munere, morbi vrgentiam grauiorem cenſet, ad quam omne Medici conſilium dirigendum. oblita namque ipſa, breui temporis interſtitio è medio tollet ægrotantem: neglecta verò dignitate fluxus, aut nullum ſubſequetur incommodum, aut fortè chronicum aliquem germinabit affectum. Præſens igitur vrgentia, præſentem pariter offert occaſionem tundendi venas, etiam illo pſeudoimpedimento (ſi ita appellare fas eſt) neglecto. Hæc eſt methodi vis, hæc ratio, hic candor. Nam quis amabò, fluentibus ipſis menſibus (ceu res naturales, ſui cõſeruationẽ indicantes & vnà reſpuentes quidquid

valens fuerit illos remorari) aliqua mox succrescat grauis, ac vrgens angina, celerrimus morbus celerrimam iugiter postulans venæ sectionem, cunctanter non accingetur, arrepta volucri occasione ab vrgentia morbi, etiam neglecto fluxu, ad illius tanti auxilij vsum? Quis quæso idem non consectabitur sæua aliqua adstante apoplexia, aut acutissima pleuritide, aut alio huius farinæ morbo? Verum enim verò cum æstimationem præcedat cognitio; oportet hanc, quam modò æstimamus vrgentiam, & fluxuum dignitate grauiorem, prius itidem cognoscere: qua cognita, iustum de re tanta feramus iudicium.

Vrgentia igitur ex tribus potissimum fontibus elicitur, ex maxima morbi acutie & magnitudine caussæ, ex partis affectæ præstantia nec leuiter læsę, tandem ex symptomatum germinatorum grauitate, atque sæuitie, quæ cacoëthiam haud dubiè morbi declarant. Hæc seorsum, seu per se singula minátur quidem maximum periculum, implicata breui funestam calamitatem. succurrendi igitur quàm citissimè tunc ægrotãtes. Sedulò autem succurrimus, ac citò, cum præsentem ac coniũctam morbi caussam quàm primum, statim inquam omnino tollimus: quam caussam coniugis venæ sectio respicit. vrgentiori itaque morbo sanando, quàm citò nos addicemus venarum coniugum sectioni, quolibet neglecto mensium, aut hęmorrhoidum fluxu. Hanc methodum ab vrgentia petitam in his connexis affectibus, dilucidè noster grauissimus declarat Galenus lib. 7. methodi cap. 12. ex quo fonte nos hanc limpidissimam hausimus doctrinam.

Verum si morbus connexus (quamuis in sua specie

cie acutus) vrgens non fuerit, nec vehemens, nec motus cócitati, ſed mitis, placidus, ac ſignis ſecuritatis firmatus, interquieſcere potius túc lubet, quia abeſt occaſio. Satius namque multò fuerit tunc inſtantem, vel adſtantem fluxum contemplari, an pro multitudinis ratione, an verò ſi imminutus, iuxta cauſſæ poſtulatum, & fluentis impetum, vacuare tunc poſteà decet, vt ex coniunctis ambobus perficiatur quod poſtulat morbus: neque temerè motum naturæ turbare, aut confundere fas, cum alioquin valens ſæpe fuerit morbos connexos ſanare. Quamobrem concludamus oportet, iuxta rationalem methodum ius eſſe coniuges ſecare venas, inſtante, vel præſente menſurno fluxu, aut hæmorrhoido, idque quantum & morbus poſtulauerit, & vires vnà ferent: dummodò pręſens vrgeat affectus, & ex dilatione auxilij auguremur pariter maximũ morbo inſequi incrementum, & ægrotanti vnà ingens vitæ periculum. Hæc intelligenda veniunt de ſtatis, ac periodicis fluoribus, in morborum acutorum principio contingentibus. quia illi tantum æſtimandi, & tempus iſtud venæ ſectioni potiſſimũ locum probet. Symptomatici autem fluxus, & qui extra ſtatam naturæ periodum accedunt, ceu pręter naturam, ſui conſeruationem haudquaquam indicantes, immò & læſam eſſe naturam, ac irritatam pronuntiant, nec occaſionem tollunt remedij, nec obſeruatione digni cenſentur, niſi ſua copia vires fortè proſternant: tunc enim virium dignitate æſtimata firmandos potius iubet methodus, mox ad ſanandum morbum conuolare par eſt. idem ſentiendum & de ſymptomaticis alui deiectionibus.

Obiectiones soluuntur valentes infringere propositam de occasionis scopo doctrinam.

Cap. XLII.

Portum adhuc non attigimus in quo acquiescere possimus, aliò nos impellit occasionis suauis aura. in qua nauigatione & difficiles, & ardui occurrunt nobis scopuli. ille in primis, qui ducto argumento à minori ad maius omnem prædictam methodum succidere tentat. huius hæc est vis. In symptomaticis excretionibus, cum præter naturam sint, sempérque sui ratione ac per se, & vt signũ & vt caussa malæ, ex Galeno lib.1.sen.12.& 4. Aph.sen.22. læsam namque naturam significant, vtile cum inutili simul excernẽtem, nec licet cuique venas scindere, aut easdem excretiones quomodolibet sistere, cum aliquando (etsi per accidens, morbi imminuta materie) prosint, ac iuuent: aliquando tamen & morbum augent, & vires labefactant, & tunc ad se curationem conuertunt. Ergo multò minus licebit in mensurno fluxu, qui ex Galeno lib.de differen.sympt.c.6.& secundum naturam est, ac per se, & semper cum animalis fit commodo.

Antecedens probatur Hippocratis auctoritate, ex lib.4.de rat.vict.sen.116. tum Galeni in eius sententiæ comm.ca.14. tum ex instituto lib.1.ad Glauc. Hippocrates in primis, in hæc ferè scribit verba, *si cuipiam sanguinem auferre confert, ventrem confirmare oportet, & ita auferre.* Rursus Galenus in eiusdem sententiæ comm. hoc idem confirmat dicens, *Fluente aluo sanguinem non detrahes. Nam, si post detra-*

detractionem perseuerat fluor, virtutem prosternit. Diffusè tandem altero ad Glauconem loco, *sed neque si fuerit febris cum profluuio ventris, alia est opus vacuatione: verùm hæc sola sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione: quicunque enim his plus adimere fore necessarium putantes aut sanguinem mittere, aut ventrem mouere tentauerunt, in grauiora pericula duxerunt.* Hactenus clarissima hæc duo totius Medicinæ luminaria. Cæterum quamprimum illud est obseruandum, quod per alui fluorem vterque diarrhœam intellexerit, haudquaquam dysenteriam, cum legamus in Greco codice διάρροιαν: quæ copiosa per aluum excretio est humorum qualitate peccantium. quid quod & in dysenteria licet quidem scindere venas, tum vt præcaueamus in intestinis inflammationem vlcere obsessis, tum humorem reuellamus ad eadem intestina ruẽtem, attemperemus pariter iecur, humorésque tandem in temperatiorem reducantur naturam. in diarrhœa verò ne vnquam eius ratione licet: siue ex ventre, hepates aut toto corpore traxerit originem, cum nullus adsit in ipsa affectus huiusmodi postulans auxilium. immò symptoma istud per se protinus illud prohibet, cum sectio sursum humores illos retrahat, quos, ceu molestos irritata natura expellere foras contendit. Quare cum sæpè (etsi per accidens) iuuent hi alui fluores suppressi nihilominus, & morbos sæpè augent, & nouos aliquando germinant. In his igitur & vires quàm maximè consulendæ: neque tentanda altera vacuatio, ne vtrisque commotis supra modũ vires labantur. quod consulere intendunt viri illi

insignes citatis nuper locis. Si itaque vacuatio hæc præter naturam ac morbosa, per se inutilis, & noxia quidem, ex Galeno lib. 1. Prorhet. com. 2. sen. 58. occasionem mittendi sanguinem omnino respuit, optimâ sequetur ratione, alteram toto genere secundum naturam, maximo cum commodo fœminæ contingentem, idem auxilium omni ex parte aspernari. quæ euidens est consequentis probatio.

Præterea & altera se offert ratio, cuius hoc momentum; Quò natura vergit, diuino testante dictatore & lib. 1. Aph. sen. 21. com. 1. & lib. de humoribus, sen. 2. eò ducere oportet, & præsertim si secundum naturam, ac benè operetur, & per vias itidem vtiliter conferentes. Hæc cuncta sanguis mensurnus adimplet, hæc & hæmorrhoidum fluxus, cum vterque fiat & benè op rante natura, & cum animalis commodo, & per loca simul conferentia, à natura destinata ad has expulsiones vtiles. Ergo insequendus huiusmodi naturæ motus, & tantum ducere, quo illa vtiliter vergit, haudquaquam retrahere expediet vnquam. quare dum bene ipsa operatur nec impedienda, nec alibi reuocanda, sed contemplari potius, & eius insequi vestigia. quod si fortè ante statutum tempus pedem sistat, emendanda, & simul per eandem regionem, quantum fas, ducere. Nulla igitur adest occasio scindendi venas, saltem supernas, quæ motum naturæ, siue instans sit, siue præsens, exagitant, interturbant.

Videntur haud dubiè hoc ratiocinium confirmare Galeni illa verba eiusdem lib. 9. meth. cap. 5. *Tantum est illi de eo quod superfluum est relinquendum, quantum est per eam vacuandum.* Quibus verbis abesse opportunũ tempus illius auxilij seriò innuit,

innuit,instante videlicet fluxu aliquo ex dictis, valente vnà cum præcedentibus venæ sectionibus, omnem amplius morbi causam deponere. Vacuandum igitur instãte & relinquendum naturę expulsioni, materiem sufficientem.

Nec pręsente porrò occasio adest, sed obseruanda natura, quę si parcè & auarè reddat, per eãdem partem, per quam ipsa vergit, motus iuuãdus: tẽpus verò opportunum, quando ab opere iam cessant ipsa. quia si fortè motus sufficiẽs, occasio aufugit Medico: lubet igitur adhuc operantem contemplari. Si verò absoluta operatione adhuc remanserit aliqua redundantis humoris copia, adest iam occasio, & defectũ naturæ emendare ius, ducendo si licet etiã per loca, per quæ illa iustè solet excernere. hoc insinuat & subsequentibus verbis Galenus dicens, *Si inspecto fluentis impetu satis fore videbitur, rem omnem naturæ permittes, sin minus, detrahes quod morbus postulauerit.* Nihil itaque præstare debet Medicus, quin prius vltimum naturæ operantis carcerem prospexerit, an satis ille ad morbi sublationẽ, an secus. Spectat nãque ad Medicũ meditari, & ęmulari naturã, defectus eius emendare, impedimenta quæ ipsi obuiam fiunt, radicitus euellere.

Hisce obiectiũculis facillimo negotio satisfaciemus. Priori antecedẽs simpliciter negãdo. Subruitur autẽ, quia præsente symptom. vacuatione. (dũmodo adsint scopi) si morb⁹ vrgeat, tutò nos scindemus venas. Neq; his Hippoc. reluctatur, aut Galenus. nã hi in citatis suprà locis, symptomati potissimũ prospiciũt, valẽti vires deiicere, haudquaquã morbi vrgẽtię. supponit nãq; Hipp. morbũ, propter eius lenitatẽ, dilationem auxilij sustinere posse. hinc sit,

ventrē firmax prius expedit. hanc autem dilationē, ne patitur quidē vrgentissimus affectus. Galenū etiā vtrobiq; idē cōsuluisse credimus, cùm vtraque vacuatione simultanea vires supra modū labefactari autumet. constat, quia li. de rat. vict. subiungit, *virtutem prosternit*, altero ad Glauc. *in grauiora pericula duxerunt*, ob virium videlicet nimiam exolutionē à simultaneavacuatione partam. Verum cum satius multò sit aliquod quàm nullum experiri auxilium: meliórque multo cum sit spes dubia, quàm desperata salus, proinde vrgente morbo funestū minãte exitiū, venas scindemus, si huiusmodi auxiliū postulauit ille: etsi id fiat cū aliqua effatu digna viriū iactura. Testãte namque clarissimo Gal. li. 12. meth. ca. 1. *læsio potius quam mors sit optanda: nam si hæc admodum magna non sit, saltem postea spacio longiore eā sarcire licebit.* Ab inferis autem quempiam reuocare nequit ars. Quare satius multò erit ægrotantem partim lędere, quàm breui viriliter mori, fortunæ commissum.

Cæterum copiosissimo adstante fluxu, morbo pariter aut non vrgente, aut viribus imbecillimis existentibus alteram vacuationē tētare ne ius quidem. verum illi fluxui (etsi præter naturam) seduiò attendemus, an sufficiens morbi causam euellere, & morbum vnà tollere. nam tunc interquiescere fas, sin aliter emendare. Quod si alui ille fluxus nec copiosius adsit, morbus autem magnus fuerit, & acutus (haudquaquam vrgentissimus) vires iugiter robustæ, tunc venas certè scindemus: aut si fortè mauis, nullo ex dilatatione auxilij incommodo expectato, ventrem cum Hippocrate firmabimus. Quæ de alui fluore diximus

mus modò, idem de vteri, & hæmorrhoidum fluxu censendum arbitramur. quia quamuis ipsi naturæ sint opera, vti alter symptoma: tamen cum sæpè, etiam ex ipsis symptomaticis dictionibus maximam capiemus vtilitatem, per accidens quidem, quatenus nobis morbi causam minuunt: proinde & illud consulendum. hoc solo intercedēte discrimine, quod nusquã liceat flux⁹ mēsium (secundum naturam supponimus) firmare prius: vti alui fluorem aliquãdo cum Hippocrate firmãdum diximus, & fortè idē de hæmorrhoido fluxu cēsendum, si immodicus & præter naturam.

Porrò de cunctis fluoribus in morborum principiis contingentibus illud vnū æstimandū, quod vt plurimū difficiles reddãt morbos, longos inquã, aut malæ terminationis, tantum abest vt fiãt vtiles; Ratio est, quia Naturã, & eius ministrū Medicum à suo scopo aberrare, & auertere faciunt. vtriq; nãq; prius humores morbi causam concoquunt, secernunt mox vtile ab inutili, tandem foras expellunt. quod intra carceres principij accidere impossibile, Rursus mēsiū, & hæmorrhoidū fluxus rarò morbi causã deponūt, cū per hos canales ne ducatur quidē humor, causa morbi in aliqua peculiari parte affecta obsessa: tū nullū, aut minimū cōiugiū, tū fortè magnã partiū distãtiã. Alui deinceps fluores nihil in principio cōmodi prestãt, cum nihil ex peculiari affecta parte detrahãt sæpè, vniuersos itidē cōmouent humores, & inde maiores fluxiones ad partē affectã cōcitant: aut quod cunctis vacuationibus in morborū principio obortis cōmune fit, quia cruda materies, etiam cum inutili materie, vtilem alteram maxima cum virium & ęgrotantiū iactura,

deponunt. Prosunt autem aliquando, idque per accidens, & rarò. anceps quidem, & periculi plena curatio. quæ nec imitanda, nec optanda: cum longè recedat ab artificiosa methodo, per se intendens sẽper suos consequi fines. Absint proinde temerarij Medici, abortiui potius, qui cathartica minorantia (vt ipsi vocant) in morborum principiis, aut corũ incremẽtis, quod adhuc detestabilius impudicè largiuntur. Rationalis itaq; Medicus artificiosa methodo ductus, hac eãdẽ, auxilia inuenit, deliberat, eisdem vtitur. & cũ hæc via certa, ac indubitata sit (haudquaquã anceps, & ambigua) hac ipsa fretus Medicus auxiliis vtitur certis, ac indubitatis, ratione tantum, aut experientia rationi innixa inuentis, quorum effectus pariter & ratione confirmantur, & vsu, respuit itaque methodus effectus, scopi ratione per accidens contingentes, quales purgantium in morborum tum principio, tũ incremento.

Quamobrẽ in hoc affectuũ cõnexu. morbi vrgẽtis respectu venæ sectionẽ postulantis, istud pręstabimus: haudquaquã curãtes prius fluxuũ illorũ accisionẽ, quod cõtingẽter accidit Medico, ex vi methodi aliud intendẽti. quid quod & rarò illud accidit, cũ sępe exonerata natura sarcina qua premitur, agilior fiat, ac robustior, inde valentius accingatur ad reliqui tũ coctionẽ, tũ & expulsionem. Vnde experimur, nec rarò, in vsu Medico, post venarum superiorũ scissiones, statim prosilire menses, ac quibusdam pro iusta multitudinis copia, aliis aliquanto parcius. cuius quidem effectus ratio, præter cõmotionem sanguinis à secta vena concitatã, nulla alia pręter assignatam dilucidior describi quit. Neq; fas propter hoc contingẽs in suppressione mensium ex

sium ex supernis vasis hauriri sanguinem: cum & effectus iste per accidens, ac rarus. vtrumque respuunt seriò artis canones.

Ad alteram & vltimam mox argumentationem exoluendam dicemus, libenter nos omnem illam concedere, dummodo de criticis tantum vacuationibus sit mentio: veluti Hippocrati cordi fuit, in eo oraculo. Nam siue per aluum, siue per vterum, siue per aliam quamcunque partem critice moueatur natura insequenda, nec vllatenus impedienda. Sin vacuationes hæ in morborum principis occurrant (etiam & illa quæ per vterum, toto genere secundum naturã cum sit) omnes inquam, morbi respectu, per dispositionem quã habet in principio, symptomatis habent rationem, quia irritata natura accidunt: vnde mistum imperium, & oppositorum, naturæ videlicet, & morbi. quare actio per se mala, funesta sæpè. sin autem per se operetur natura, vt in typicis mẽsibus, etiam vt plurimum citra cõmodũ, cum dependentiã non habeant, aut colligantiã cum causa morbi (synochos semper excipio) hinc quasi symptomata æstimandi. Quare adstante vrgenti affectu, mensibus implicato, postulante vnà venæ sectionem, animus sedulò ad hunc tollendum cõuertetur. quia in his mensiũ fluxibus, cũ non spectemus naturæ actionẽ, & morbi causę simul expulsionem, vti in criticis vacuationibus par est, neglecta partim natura, vrgentiæ morbi occurrimus. Nõ concurrũt autẽ natura & morbus spectãdi, quia quod morbus indicat, causæ videlicet coniunctæ expulsionẽ, istud efficit sectio venarum coniugum, κατ᾽ ἴξιν, ne præstat quidem natura: immò irritata, aut læsa per loca non conferentia mittit: quod si per se agit, vt in

typicis mensibus, tardè tamen & obliquè operatur, maxima cum noxa in vrgenti morbo. In criticis autem vacuationibus secus se res habet, nam tunc & per se agit natura, à nullo commota spiculo, & humores, de quibus victoriam reportat, ceu truculentos hostes sua vi, ac facultate viriliter foras expellit. Et cum sit vndequaque humores hos, morbi causam vincens, per loca conferentia, & ab eadem natura commodè destinata, maximo cum ægrotantis commodo, conferenter inquam, & cum euphoria, foras impetu detrudit, depellit. Quod discrimē, nec leue intercedit inter symptomaticas vacuationes, quæ in morborum initiis, ac incremento accidunt, & quę critico more, in vltima saltem vigoris parte, aut declinationis principio, cocta iam materie, & absolutè victa contingunt: nam priores illæ, noxiæ, infidæ, incertæ, difficiles, & aliquando funestæ, ferè semper occurrunt: hæ verò salubres, fidæ, certæ, optimæ, & omni encomio celebrandæ censentur. Interest itaque multum causam morbi coniunctam non solum per loca conferentia, & à natura destinata, iuxta loci affecti vicinitatem depelli, verum etiam & cum naturę victoria, cocta iam ipsa materie. vnde ad causæ pleuritidis expulsionem locus conferens, aut tutus nec vterus est, nec hæmorrhois, quia per hæc loca & tardè, & obliquè illa deponitur. quamuis aliquando, ac rarissimè sanè fœliciter istud accidat, vti & per vesicam lotij. hanc vasorum rectitudinem, ac directionem, ceu tertiam optimę crisis conditionem commendat Galenus li. 1. Aph. sen. 20. tum lib. 3. de Crisibus. cap. 3.

Confirmatio præterea, ex illo sæpè repetito Galeni loco 9. meth. cap. 5. desumpta nullius sanè momenti:

menti: cum doctrina illa primò synochas febres respectet, quæ locum patientem destinatum, ac peculiaré non habent. potest tamen secundariò accommodari hæc doctrina morbis, quibus etsi locus passus sit priuatus, leui tamē cursu, ac citra vrgentiam sua omnia percurrunt tempora. nam in his, & motum naturæ contemplari, & eius vltimum carcerē expectare periculo quidem vacat. vti in synochis etiam optima fit crisis, iuxta hanc conditionem, per quancunque partem exerceatur plethoræ vacuatio, dummodo sit effatu digna: hinc optima, quæ per vterum, aut hæmorrhoidas fit. Neq; assentior modo perdocto viro Oddo de Oddis, qui lib. 1. Aph. sen. 20. dum interpreratur locum illum lib. 9. meth. ca, 5. scribit, Galenum eo loco fuisse loquutum de fluxu mensium aut hæmorrhoidum critico. Verum quātum fuerit allucinatus Oddus, palam fiet cuiq; accuratè verborum Galeni seriem exploranti. nam eo loco Galenus impedimenta proponit quæ possunt anteuertere venæ sectionem, auxilium à morbi causa deliberatum, qualia recenset ciborum cruditatem in ventriculo, tum mensurnos, aut hęmorrhoidos fluxus. Criticè autem dum operatur natura, aut iam iam ad hoc opus accingitur, occasio nulla adest tundendi venas. nec ita de Galeno viro diuino sentiendum, proposuisse auxilium, in consultationem non cadens, occasione videlicet absente; abest autem tempore crisis, cocta iam materie morbi causa. In alium mox, ac penè similem errorem deformiter incidit doctor Altimarus, vir qui in Medicina familiam ducit; hic namque libr. 1. de medendi morbis cap. 73. cum explanasset illam supra à nobis citatam Galeni sententiam libro primo ad

Glauc. de ventris profluuio in febribus, quod eo existente alia non sit opus vacuatione, perperam itidem sentit de critico intelligendum. Nam alienum istud à Galeni instituto, vt pariter interpretatur Stephanus. Instituit namque eo capite agere Galenus de febrium curatione, cum variis symptomatis implicatatum, valentibus ægrum per se affligere, obseruatione itidem dignis: crisima verò nec per se ęgrum affligunt, cum potius leuantia sint, & conferant, neque ad curationem artis æstimanda. Denique & futilis esset sententia, & tanto ingenio digna, quis enim fluente aluo criticè, alteram consuleret vacuationem, aut in dubium verterit? Cæterum nec admiremur hos insignes viros tam leui de causa errasse, quia dum ad cæspitem offendere hos prospiciamus, palàm humani generis leuitas, mensísque fragilitas insinuatur.

Dicet fortè quispiam consultò hos viros illas Galeni sententias interpretasse de vacuationibus criticis, nam & in his, si morbus plethoram habuerit causam, potest etiam adesse occasio scindendi venas, si auarè ac parcè crisis ratione hæmorrhagiam tentarit natura, iuxta illud Galeni lib. 1. Aph. sen. 20. *Quod si aliquid ad perfectam crisim deesse videbitur, id addendum erit, nostráque opera supplendum.* Quare cum morbi causa sit plethora, sanguinis videlicet multitudo, tum vacuationem criticam supponamus eiusdem farinæ, qualem mensium, aut hæmorrhoidum: necessariò quod addendum, & supplendum, idem præstare par est. Liquet igitur post crisim sanguinem aliquando haurire. nec licet fluente aluo criticè eam moliri, cum cacochymia non sit deponenda eo auxilio, ceu non adæquato.

Sub

Subruitur obiectio, dicendo & verum esse aliquando licere tundere venas post crisim, illa existente imperfecta, si sanguinis excretionem tentarit natura, quia testante diuino dictatore lib.1. Aph. sen. 21. quando nostra opera supplemus defectum naturæ educere nobis fas est quæ oportet, videlicet morbi causam, & peccantem humorem, idque quò vergit natura, insequendo conferentes eius vias. rursus & itidem verum, & adstante alui fluxu critico nec fas scindere venas, non solum vt non exoluantur vires, verum & per nuper dictam rationem, quia & oportet educere peccantem humorem, & per conferentem viam, quæ non consequitur tunc venæ sectio. Cæterum negandum est de his criticis vacuationibus illis in locis loquutum fuisse Galenum; quia vtrobique eas considerat, vt symptomata anteuertentia venæ sectionem, vt dilucidè constat ex Galeni verborum serie, & peculiari singularis loci instituto. lib. enim 9. methodi cap. 5. inquit, *Attendenda verò cum vena secanda indicationibus sunt* &c. quasi dicat, obseruandæ sunt non solum indicationes quæ possunt nos mouere ad deliberationem venæ sectionis, cum ad occasionem auxilij non sufficiat præsentia postulantium, verum & necessaria absentia impedientium, qualia inter cætera sunt tum cruditas ventriculi, tum mensium aut hæmorrhoidum fluxus. Sed quid hæc ad crisim? cum tunc nec obseruanda veniant hæc, quia nequit tunc adesse cruditas, nec eam excipere menses, cum hi crisis potius rationem obtinerent, quàm mox subsequi, nec cruditas adest exoluto potius in ægrotante appetitu. intelligit itaque de his quæ superueniunt in morborum principiis, dum adest occasio secandi

venas. Porro inquit Galenus paulò infrà, *Itaque si tempore mittendi sanguinem menses moueri contigerit* &c. Ergo prius adsunt, quę cogunt Medicum de venæ sectione deliberare, quàm appareant menses; ergo menses non sunt critici, qui suadeant ob eius paruitatem sectiones venarum. Sed cur amplius in re trita moror? Præterea Galenum replicemus libr. 1. ad Glauc. cap. 14. dicentem, *Sed neque si fuerit febris cum profluuio ventris, alia est opus vacuatione.* Hoc loco non scribit, si fuerit in febri crisis cum profluuio ventris, alia est opus vacuatione. Sed si fortè accidat hoc symptoma fluoris ventris in febri ex sua natura postulante venæ sectionem, hanc non præstandam censet, quia impedita occasio ab illo symptomate, copiosa videlicet alui fluxione. Sed de his satis.

De fluxu mensium critico.

Cap. XLIII.

NOn ardua tantum, verum & periculo plena res est, nudè in morbis acutis cum mensurno aut hæmorrhoido fluxu implicatis affirmare superiores scindendas esse venas, si istud affectus indicarint, etiam vndequaque illis neglectis fluoribus. Nam hoc & vepribus septum, & dumetis vestitum. Quamuis etenim ex cõstanti Galeni methodo li. 7. c. 12. fatali quadam necessitate constet, in cóplexis affectibus, indicantibúsq; discordibus, vrgentius ad se trahere curationẽ, & ceu reliqua vincens, magis itidẽ æstimandum: tamen cum fluxus illi secun-

dum

dum naturã,quæ omnia dignitate præcellunt, operepretium cuncta replicare ius , & quæ ad dignotionem,& quæ ad deliberationem vnà spectāt. Dignotio præcedat oportet. Est itaque menstrua purgatio duplex,prẹter naturam altera,deprauata videlicet vteri fluxio quantitate,qualitate , aut tempore deuia.quod symptoma lib. 3. de causs. sympt.cap.4. Galenus muliebrem fluxum potius nũcupat:in quo quod excernitur,semper ideam refert redundantis humoris.alteram præterea secundum naturam est, per singulos contingens menses periodicè, ac stato tempore,quæ cum nullum præter naturã sequatur affectum,immodica nunquam, sempérque sanguinis reprẹsentat speciẽ. De illa præter naturam modò mẽs non est verba facere, quia vti res præter naturam nec seruanda , nec valens remorari venæ sectionem,nisi per accidens,quando immodica & vires labascens. Altera igitur dignitate præcellẽs cum sit,aut accidit cruda existente materia , in morborũ principiis , aut iam cocta , habens crisis rationẽ. si fortè primo illo modo , vrgente affectu (vt supra iam dictum) nec scindendi venas tollit occasionem:sin verò altero,& naturæ leges seruauerit circa quantitatem , qualitatem , ac tempus naturæ eidem rem omnẽ permittemus , neq; tunc quidpiam mouere decet; iuxta illud Hippocratis oraculũ lib. 1. Aph.sen.20.cum & naturæ familiaris vacuatio,& per locum conferentem à natura pariter destinatum ducta,etiam ex Galeno lib.2. de loc. affect.cap. 1.potens omnem sarcinam morbi deponere , maximo cum animalis cõmodo,&euphoria.quid quod, & valet omnẽ mulierem ab omni ferè morbo acuto absolutè liberare , vt apud Hippocratem videre

est lib.3. Epidem. comm. 3. sen.82. & 83. in virgine Larissea, & altera muliere Thasia. Hæ vtræque morbo acuto cum laborassent, alteri cum labores in paribus sexto sole, alteri cum tertio per copiosos menses fuere absolutè iudicatæ. qua vacuatione ceu critica & à grauissimis morbis, & serinis symptomatis omnino extitêre saluæ. de virgine aduertit Galenus in commentario quòd fuit sexto sole tyrannide absolutè iudicata, quia (etsi fideliter nusquã decernat sextus, vt idem censet Galenus lib. 1. de dieb.decret. ca. 7.) vacuationis per menses perseueratio satis fuit, vt firmum seruaretur iudicium. vnde morbus illi nullatenus rediit, vt perbellè, ceu admirandum in ea historia diuinus obseruat Hippocrates. Lubet modò & hoc idem testari, dum nobilis fœmina, quã à primo morbi insultu inuisimus, sexto itidem sole per copiosissimum sudorem fuit iudicata, qui cum per totum septimum perseuerasset, rato seruato iudicio, omnino ab acuta febre, citra metum recidiuæ liberatur. idem testamur de altero nobili religioso Benedictino, cui cũ die quarto sudor etiam copiosus contigisset, immunis fuit à febre quadam ardenti seruatus. Sed hæc missa faciamus. Deinceps de altera muliere Thasia Galenus retur, quod mensium critica multitudo decessionẽ morbi etiam confirmarit, dum tertio die, criticorũ primo illi apparerent. Hanc eandem doctrinam cõfirmat itidem Auctor libri septimi Epidem. num. 57. Hippocrati ascripti, duabus etiam aliis lustrans historiis, Philistidis videlicet Heraclidæ vxoris, & alterius Cleomenis vxoris. quarum prior, cùm febre laborasset acuta, & conuelleretur, typicis, ac copiosis mensibus apparentibus quarto, ac quinto sole,

le, luce ſeptima abſolutè iudicatur. Altera mox laceſſita pleuritide, quarta luce, cum menſes abundè proſiliiſſent, à morbo vndequaque fuit ſoluta.

Tandem dictator diuinus lib. 1. Epidem. comm. 2. dum tertium peſtilentem ſtatum, qui apud Thaſios vagabatur, eleganter deſcribit, plurimis ac aſſiduis compulſus experimentis, eandem ſanxit doctrinam, dum in hæc prorumpit verba, *Mulieres mox multæ ægrotarunt, pauciores autem quàm viri, & pauciores etiam mortuæ ſunt. Plurimæ verò ex partu grauiter laborarunt, & poſt partus inſuper ægrotarunt, & hæ maximè perierunt, veluti Telebuli filia, quæ ſexta à partu die mortua eſt. Plurimis itaque in febribus menſes apparebant. quibuſdam verò ex naribus ſanguis erupit: & virginibus multis id primum factum eſt. quibuſdam & ex naribus ſanguis & menſes proruperunt. veluti Detharſei filiæ virgini apparuerunt tunc primum, & ſanguis largus è naribus fluxit. Neque vllam mortuam noui ex his, quibus aliquid probè factum eſſet.* Hactenus Hippocrates ſummus. Inſurgimus itaque concludendo, quod ſi probè, ex præſcripto videlicet Naturæ, typicè inquam & ſtato tempore, abundè itidem fiant menſes, à grauiſſimis haud dubiè morbis, ac penè funeſtis fœminas liberare. Quæ cum animo concepiſſet verax Præceptor, tot, tantiſque experimentis factus certior, libro illo Patriæ inſcripto, num. 1. hoc idem immoto, ac æterno ſanciuit oraculo, dicens, *Septimo die, aut nono, aut decimo quarto fluxiones ſanguinis è naribus contingentes, plerunque febres ſoluunt, ſimiliter & alui fluxio bilioſa, & qualis in dyſenteria fieri ſolet: & genuum, & coxendicum dolor, & vrina concocta ad iudicationem. in muliere etiã*

menstrua purgationis fluxus. Fluxus inquam copiosus, ac multus, altera quidem conditio optimæ crisis. hinc idem dictator lib. 2. Epidem. sect. 1. ait, *hæmorrhagia multa difficilia multa dissoluunt.* Quare in illa coaca sententia appositè Hippocrates nostram lustrat doctrinam, cum demonstret menses criseos ratione apparentes, præcedentibus videlicet coctionis signis in vrina, vti in die critico septimo, nono, aut decimoquarto, (quæ accuratè innuit illis verbis, *si probè factum est*, in priori altera Epidemica sententia repetitis) morbum omnino exsoluere. Nam hæc muliebrium per vterum vacuatio; priuilegio quodam Naturæ, seu ex Dei potius edicto salutaris, etiam in vtraq; valetudine. & ita sanè quod quæ in viris non rarò insanabilia sunt, mensium ille fluxus absolutè persanet. vti conuulsionis finē, ex eisdē Coacis oraculis muliebria adferūt, quæ quam primū apparēt. Nulla igitur arte impedienda Natura, sed cōsulenda si probè facit, probè autē si criticè.

Verum si parcè, si imminutè aut sui ipsius respectu, aut morbi caussæ, tunc cum Galeno lib. 1. Aph. sen. 20. quod reliquum fuerit vacuabimus, eundem naturæ motum iuuantes; cum secundum naturam sit, & per locum conferentem exerceatur. quod & Hippocrates consulit, & vnà Galenus, tum lib. 2. Epidem. sect. 1. & lib. 1. Aphor. sen. 21. tum lib. de humoribus commen. 1. sen. 2. idque variis artibus atque modis, tum pharmacis menses ducentibus, sectis crurum venis, malleolis scarificatis, frictionibus vnà, ligaturis itidem in eisdem infernis partibus factis, tum tandem & pestis per vteri stomachū iniectis, dummodò virgines non fuerint, quibus ob hymenæon, si fortè concedendum, nefas quidem.

His

His itaque iunctis, naturæ inquam, & arte vacuatio perficitur, & morbificæ caussæ omnimoda fiet expulsio. aliter namq; si ex caussa morbi, post imperfectam crisim quidpiam relinqueretur, haud dubiè, testante Hippocrate lib. 2. Aph. sen. 12. recidiuam excitaret, nouos germinans morbos. Neque interest omnem redundātem, ac vitiosum humorem deponere, siue arte, siue à natura fiat, immo persæpe illud tantum vacuare sufficiet quod & multum, & simul valens nouos producere affectus. reliquum autem Medici auxilio ne eget, cum valens sit natura per se ipsa illud vincere, ac superare. Nam ex Galeno lib. 1. de loc. affect. cap. 2. *ea tantum, quæ ob magnitudinem impedimento sunt naturæ ad victoriam, externo auxilio indigent Medici.* quod itidem proculdubiò insinuat lib. 1. ad Glauc. c. 14. dum de diarrhœa in febribus disputans, hæc refert, *verum hæc sola sufficit, nec alia est opus vacuatione, quamuis non sit pro multitudinis ratione.* Quibus vltimis verbis consilij nostri rationē pandit, non esse videlicet omni ex parte vacuandum noxium humorem, sed relinquendū vincenti naturæ illud minimū in vasis relictum, quod proculdudio sufficiens, illa erit vndequaque superare, regere, ac fortè vnà foras propellere. In hoc autē naturæ satisfactorio opere illud obseruandum arbitramur, quod si vnà cum plethora, aut citra illam aliqua adfuerit in corpore cacochymia, illo menstruo fluxu prius sedato, ad cacochymiam tollendam conuertatur Medicus, haudquaquam venæ sectione, verum adæquato altero auxilio purgationis, iuxta redundantis humoris ideam. Concludamus itaque, in breui quadam synopsi cuncta ratione colligentes, quod quotiescunq; mēses criseos apparuerint, concocta videlicet morbi materie, in

die pariter critico, iam prius indicato, ablata iam omnino secandi venas occasione, adstantibus vnà mensibus copiosis, valentibus iugiter omnem multitudinem morbi caussam deponere, citra aliquam reincidendi suspicionem ob adæquatam pro multitudinis ratione vacuationem; ne tunc quidem Medico fas, aut mouere quicquam, aut tentare, sed tantum negocium Naturæ relinquere. Sin autem accisi illi fuerint, & imperfecti, tunc artificiosa methodo per eandem regionem, perquam vergit ipsa natura, vergemus & nos, & arte naturæ defectum compensabimus, iuxta redundantis humoris copiam.

De fluxu hæmorrhoidum critico.

Cap. XLIV.

Qvamuis, quæ nuper de critico sanguinis mẽstrui fluxu æstimanda consulimus, ferè inquam omnia, & hæmorrhoidibus, ac reliquis pariter criticis hæmorrhagiis conuenire appareant: tamen libuit modò peculiarem de hæmorrhoidibus contexere orationem, cum & hæ peculiare quidpiam includant omni iugiter animaduersione dignum. Ansam quamprimum nobis præbuit Galenus, dum citato sæpius lib. meth. 9. cap. 5. cardine totius huius nostri libri primi, inter remorantia venę sectionem in synochis post mensium fluxus, hęmorrhoidum vnà connumeret: illi toto genere secundum naturam, hi verò, etsi opera naturæ, toto genere tamen præter naturam, quia sanguinem, viuificum nectar, aliquo pręter naturam intercedente

te affectu (etsi leuissimo) podicis venulæ prosiliunt.

Tres sagax natura fabricauit canales, per quos ipsa sobrie, & maximo cum hominis commodo, & ad tuendam sanitatem, & ad eandem redintegrandam illud nectar demittit. λυτήειαν, hanc vacuationem Græci vocant, quasi expiatoriam, seu soluendi morbos vim habentem. Meatus illi tres, sunt vterus, anum, & nares: in quibus organis capaces fabricatæ sunt venæ, per quas sanguis dimanare potis sit; ita, vt quod vterus in fœminis præstat, illud idem in vtroque sexu, hæmorrhoides, & nares; idq; quasi per auxiliares manus, natura exercet, demolitur. Porrò, quod hæmorrhoides, (si secundum naturæ rationem, criticè inquam fluant) grauissima quęque sanent mala, ac arceant, diuinus dictator scriptis reliquit, tum in libro de Coacis prædict. libr. 6. Epidem. tum & in Aphoristicis oraculis, & libro de humoribus, num. 3. Coaca oracula lubet modò referre, *Apoplecticis hæmorrhoides supernata vtiles.* rursus, *In tabidis suppressio sputi mentem in nugacem insaniam emouet: spes est vt hæmorrhois iis appareat.* Horum quorumcumq; affectuum exolutionis caussam accuratè Galenus exponit commentariis in 11. & 21. sententiam libr. 6. Aphor. quia inquit, per hæmorrhoidas melancholia, insaniæ melancholicæ caussa vacuatur; veluti humor apoplexiam germinans, & per μετάπλωσιν ortam, aptè per easdem ani venas repurgatur. Reuera namque & repletio depletur hoc medio, tum venarum impuritas, ac cacochymia similiter expurgatur. vnde hæmoptoicis, pleuriticis, perineumonicis, melancholicis, insanis, nephriticis, varicosis, lienosis, & variis cutis mor-

bis infectis, quàm maximam propugnationem adferunt, siue sua sponte se prodant per μετάστασιν, siue Medici artificio. Arcent namque & abigunt mala, quorum fœtura esse solet, quando humores in abundãtiæ vitio sunt, vel impuritatis. Hęmorrhoides autem quę per ὀργασμόν & sympathiam ferũtũr, tantum abest, vt aliquid opis adferant, vt grauioribus, ac calamitosis aliquando augeant malis. Cum æstimasset commoda salutaria Parens Hippocrates lib. 6. Aphor. sen. 12. lege sanxit, *Diuturnas curãti hæmorrhoidas, nisi vna quæpiam seruetur, periculum aquæ intercutem, vel tabis impendet*; quasi insinuet Hippocrates accisione hæmorrhoidum non solum noui fœtantur morbi, verum & plurimi iam oborti, immedicabiles fiunt. declarat istud illa Alcippi historia lib. 4. Epidem. num. 30. tum idem replicat Galenus lib. 6. Epidem. com. 5. sen. 25. Quę de hæmorrhoidum vtilitate recenset Galenus lib. aduersus Erasistratum ca. 5. expendenda pariter modò, cum enim eo loco maxima lustrasset commoda, quæ fœminis ex tempestiuo mensurno fluxu accidũt, mox & de hæmorrhoidum commodis sic fatur. *Quibuscunque pro consuetudine, superflua per hæmorrhoidas euacuantur, hi omnes vitam morbis minimè impeditam agũt: quibus item inanitiones supprimuntur, hi in perniciosissima quæque labuntur.* cuius quidem rei acutissimam signat rationem idem Galenus lib. 2. de loc. affect. ca. 1. quia per hæmorrhoidas, vti & per menstruam purgationem vniuersum plerumque vacuatur corpus, & perquam sincerus, multúsque sanguis excernitur, veluti plerumque limosus, ac cacochymus. Quare sicuti in tempore, ac opportunè fluentes hęmorrhoides

des innumera arcent mala:sic ipsæ inconsideratè restrictæ grauiora hauddubiè inferunt damna, quàmque arcere solebant.

Hæmorrhoidum omnis vacuatio duplici ratione accidit, vel vtiliter natura victrice expellente plenitudinem, vel aliquam sanguinis copiam; quantitate vel qualitate inutilem:& istud apparet in crisibus. rursus, vel contingit vasis reseratis, siue per anastomosin, aut erosionem, consequente iugiter, non secundum naturam, verum violento aliquo sanguinis fluxu, opus sanè extra naturæ scopum, quod tantum abest aliquid auxilij adferat, quin grauioribus potius damnis augeat plures videlicet, nec leues germinando affectus. vacuato autem prius fœculento humore, iam mox sanguinis vtilis consequitur immodica profusio, diutius permanente aperto vase ob morborum contractum affectum, ex qua vacuatione immodica, hœmatoseo refrigerato, haud dubiè, illud idem quod reclusis hæmorrhoidibus accidit, hydrops consequitur. Prioris vacuationis secundum naturam vtilitates diffusè clarissimus recenset Galenus, illo præsertim doctissimo commentario in 26. sententiã sect. tertiæ libr. Hippoc. de humoribus. Thoracis itaque iam facti morbi huius beneficio exoluuntur, futuri prohibẽtur. porrò & ab humore melancholico exorti morbi, funesti vt plurimum cùm sint aut difficiles sanè exitum cito liberalem habent ac liberũ. Hanc insignẽ doctrinam illustri quadam sententia confirmat summus dictator, ob eius grauitatem bis eãdẽ repetẽdo tum li. 6. Epid. com. 3. sen. 37. tum li. de humoribus, cõ. 3. sẽ. 26. verborũ hęc est series, *Hæmorrhoidibus, seu mariscis laborãtes, neq; morbo laterali*

neque pulmonario, neque phagadena, neque furunculis, neque terminthis, fortasse verò neque lepris, fortasse neque aliis corripiuntur. Elucet ex hoc diuino oraculo vtilitas maxima fluxuum hæmorrhoidarum non ad soluendos morbos tantum, verùm & ad eos præcauendos, illos præsertim, qui à succo melancholico, vel atra bile, vel à sanguine fæculento traxerint ortum, quomodocunque illi se prodant, vel sponte naturæ, vel Medici artificio, opportunè tamen si occurrant. Tutius itaque præcauentur, ac exoluuntur morbi hoc salutari medio, quam si arte, sectione videlicet venæ, vel cathartico illos arcere contēderemus. quia natura sagacissima cum sit, si ex præscripto, & secundum legem operetur ipsa, longè quidem artis excedit ministeria. Quare omni arte sunt procuranda hæc naturæ opera, his præcipuè, qui ab huiusmodi morbis infliguntur, aut quibus etiam nigra per aluum excernuntur, naturis videlicet, quibus huius humoris nigri maxima accumulatur copia. aliis haudquaquam, cum & vtrumque extremum periculosum habeat, neque fas est cuique, citra vrgentiam aliquam huiusmodi imponere molesta tributa. Multa igitur & admiranda ex hoc fluxu corporibus suppetunt commoda, quæ si seorsum cuncta recensere libuisset, diexodica sanè vti compelleremur oratione, vt fusè Galenus citato de humoribus commentario replicat.

Cum igitur criticè se habeant hi hęmorrhoidum fluores, varios opportunè exoluentes morbos, & priuatæ crises sua quæque peculiaria habeant indicia, quibus indigitentur, inquirendum modò an sint huiusmodi signa indicantia hunc fluxum per hæmorrhoidas, vti quæ per nares, & vomitum hæmor-

morrhagiæ fiunt, plurimis atque manifestis fruuntur. Sed de hac re insignem nostrum audiamus illustratorem Galenum li. 3. de crisibus ca. 11. sic fantem, *Sanguinis igitur fluxus* (videlicet per nares) *& vomitus propria, & manifesta sunt signa: post hæc verò sudorum. Si verò per excretionem alui crisis sit subsequutura, manifestum quidem nullum est signum, nec proprium: sed ex eo, quod adsunt quidem crisis signa, desunt autem vomituum, & fluxus sanguinis, & sudorum, colligere licet. Quamquam etiamsi nullum horum signorum adsit, nondum hoc tantum, sed etiam per hæmorrhoidas crises fieri contingit, & mulieribus per menstrua. Non tamen est impoßibile omnino distinguere. Grauitas enim lumborum effatu digna, & dolor, & tensio, hic menstrua antecedit: hæmorrhoides verò non omnibus consueta sunt, quibus autem sunt consueta, in his solis non facilè quis distinguet. Aliis autem omnibus, quando affuerint signa coctionis, & crisis, vomitus verò signa non affuerint, vel fluxuum sanguinis, vel sudorum, omnino venter perturbabitur. Ita quidem distinguere oportet tum propria, tum communia modorum crisium indicia, in hisce scilicet morbis, qui per excretiones iudicandi sunt.* Ex his Galeni verbis sole illustrioribus, seriò colligimus huius nostri capitis consilij rationem, & crises fieri opportunè, ac commodè per hæmorrhoidum vacuationem: hancque nec propria habere signa, nec manifesta, sed per negationem eandem obseruari, ex signis videlicet præsentibus coctionis, tum crisimis ac tecmeriis, ex absentibus vnà propriis, & manifestis hæmorrhagiæ per nares, vomitus, & sudorum. Porrò cum vacuatio hæc per hæmorrhoidas duplex sit, aut assueta, aut

insolita: si vltimo isto accidat modo, & cum reliquis iugiter signis prædictis appareat, critica existimanda: sin verò assueta, tunc nec facilè discernere an criticè, an typicè, vel alio quouis modo contingat, cum sola periodi ratione accidere illa queat, haudquaquã decernẽte natura, etsi coctionis adsint indicia, & dies vnà criticus fuerit. Verũ tunc à posteriori res innotescet, & euphoria æstimata, & cõferentia, vt de symptomaticis vacuationibus iudicium fecimus, ex eadem conferentia, aut tollerantia, an prauæ illæ, an verò optimæ.

Quare cum huiusmodi hæmorrhoidum vacuatio critica esse possit, vti & altera quæ per vterũ fit: cúmque in criticis vacuationibus iustè operãte natura, nihil mouendum sit, etiam testante dictatore lib.1. Aph. sen.20. cum potius fas bene operantẽ naturam contemplari: idem & nos præstare ius adstãtibus illis fluoribus mensurnis, aut hæmorrhoicis. quod si imminutè, auarè, imperfectè tã causę morbi respectu, quàm ægrotantis consuetudinis, natura excernat, tunc motus iste omni arte, omniq; studio iuuandus, aut reseratis ani vasis variis pharmacis, hirudinibus, foliis ficus, aut taurino felle, vt perbellè Galenus scribit lib.10. de simp. med. fac. ca.10. & 19. aut chirurgico instrumento, vt li. de cur. rat. per venæ sect. idem Galenus testatur, misso videlicet sanguine ex cruribus, vti ex cubito quando immodicam compescere mens est, vt idem etiam Galenus lib. de hirudin. reuul. &c. cap.4. dicebat, tum Oribasius ex Antyllo lib.7. collect. quæ ex Galeno potius mutuata censemus, cum eisdemmet verbis Galeni vtatur. Aëtius itidem idem confirmat tetrabibli 2. ser.1. cap.49. quo loco cum Oribasio eadem Galeni

verba

verba replicat, quæ nuper ex lib. 3. de crisibus retulimus.

Illustratur Hippocratis locus de quibusdam morbis, qui per hæmorrhoidas sanantur.

CAP. XLV.

ΠΑρεκβάσει vtendum, intricata plurima, & alta, quæ in sacro illo dictatoris oraculo bis repetito, & li. 6. Epid. com. 3. sen. 37. & lib. de humor. com. 3. sen. 26. nos commouent. Oraculi argumentum superiori capite lustrauimus, & Hippocratis mentem in eo: verum adhuc difficilia quædam occurrunt, & ardua, quæ diexodicè exponenda ius esse arbitramur. In primis vltima oraculi pars quandam retinet homonymiam, illa inquã verba ἴσως δ' οὐδ' ἄλλησιν, *fortasse neque aliis*. nam Galenus etiã ex aliorum sententia inuersam lectionem censet, & potius legendum ἴσως δ' οὐδ' ἀλφοῖσι, *fortasse neque alphis*. qui morbus à duplici exoritur causa, albus à pituita, & niger ab atra bile, quæ vltima species accuratè hæmorrhoica exoluitur vacuatione. Hæc lectio acuta, & à viris grauissimis pariter amplexa, Marinello Hippocratis peritissimo interprete, & Hollerio doctissimo, com. in sen. 11. lib. 6. Aph. & Mercuriali vtrobique in sua versione accurata. Cæterum, pace tantorum virorum dixerim, seruandã potius alterã, cum Ioanne Baptista Rasario diligẽtissimo iugiter, & docto Hippocratis interprete, quam nec respuit quidem Gal. in comm. in citatam sententiam lib. de humoribus. com. 3. sen. 26. nã hæc vniuersalis cũ sit, non solũ alphos amplectetur, verũ & plurimos alios

morbos, tum à melancholia, sanguine fœculento, ac atra bile, etiam & alios ex sanguinis copia enatos, cum maximus ex hac vacuatione, in plurimis præcauēdis, sanandis morbis, ac vberrimus fructus existat, etiā citato nuper cōmentario testāte Galeno. dixit autem Hippocrates *fortasse neque alius*, iuxta eius morem, cum eius Laconismus renuat multiplicare verba, quidquod & artificio pleniorē sentētiā reddit.

Præterea diuinus Hippocrates peculiares aliquos morbos recenset, quibus auxilio præsto sunt Hæmorrhoici fluxus, inter reliquos autem inquit, οὔτε τερμίνθοισιν ἁλίσκονται, *nec terminthis corripiuntur*, videlicet qui hæmorrhoidas habent prosilientes. Sed quid terminthus, tum ob apparentem cōtradictionem in Galeni verbis, tum ob diuersas à diuersis interpretationes, maximus nobis iniectus scrupulus, quem euellere, si fas, modò contendimus. Galenus itaque, seu quiuis alius introductorij auctor terminthum definit affectum toti corpori, cōmunem. In exegesi verò amplius rem declarat, dicens, τέρμινθοι, *Terminthi arboris fructui similes in cute præter naturam consistentes tumores.* quo loco vacillant interpretes tum Marius Nisolius, tū Hieronymus Mercurialis, cum morbum hunc similem dicant fructui terminthi arboris, cum nulla sit arbor in tota lingua latina Terminthus vocata, benè quidē terebinthus. hinc Erotianus in proœmio onomastico, iuxta accuratā Barthol. Eustachij versionem τοὺς τερμίνθους, vertit tubercula terebinthi fructui non absimilia. & in annotationibus censet idem Eustachius, similiter vertendum esse Galeni locū in exegesi. Porrò Galenus in com. 3. in lib. de humoribus sen. 26. eundem morbū sic definit, iuxta Rasarij versionē, *Thermin-*

thi

ibi verò sunt eminentiæ in cute consistentes rotundæ, colore ex nigro & viridi, similes ciceris fructui. Verum Galenus sibi ipsi dispar videtur, cum com. in lib. 6. Epid. com. 3. sen. 37. in sententiā suprà citatam, terminthum non morbum toti corpori communem, sed postulas nigras tibiis tantum peculiares esse affirmet, quales exoriri retur Hippocrates lib. 2. Epidem. sect. 2. sen. 7. fratri vxoris Aristæi. Sed horum locorū facilis concordia, cum vtrūque verum. nam morbus reapse toti corpori communis, cum per vniuersam cutem hæ pustulæ efflorescere valeant, vt plurimum autem in tibiis oboriuntur, ob humoris crassi & melancholici pondus, qui suo quasi nutu infernas partes petit; vti varices etiam, eiusdem humoris fœtura, tibias potissimum fœdant.

Est & altera mox exponenda non leuis difficultas, quid pro termintho semine intelligēdum, cum circa hanc rem varia sit interpretum censura. quidam enim tuberculum hoc terebinthi semini assimilari, alij verò nigris potius ciceribus arbitrantur. Hippocrates verò, vt patet in codice Græco vtrobique, τερμίνθοισιν ἁλίσκονται, id est, *terminthis corripiuntur.* refert tantum, vti & lib. 2. Epidem. nec semini alicui assimilari tuberculum retur, hoc enim liberè dictum ab interpretibus, ab aliquibus æstimata vi nominis, ab aliis morbi idea, par est. Hinc Iunius Paullus Crassus interpres librorum Epidemiωn terminthum referre cicerem sentit, idem Ioannes Baptista Rasarius interpres libri de humoribus. quasi innuant ipsi hunc affectum non in figura tantum, ac magnitudine, verum & in colore nigros ciceres repræsentare, quamuis hic fructus apud Græcos, vt videre est apud Galenum, Theo-

phrastum,& Dioscoridē ἐρέβινθος appelletur: re quidē,& nomine lōgè recedens à τερμίνθῳ.hos interpretes pariter insequitur Desiderius Iacotius suis commentariis omni laude dignis in Hippoc.coaca præsagia.com.6.sect.2.sentent.12.Alij,nec ignobiles sanè viri,aliter multò sentiunt,cum potius hunc affectum referre terebinthi semen seriò iudicent, inter quos quāprimū occurrit Princeps Galenus in exegi.Erotianus itidē antiquus Auctor in procemio onomast.vna cū eius interprete,ac paraphraste Eustachio.hic itaq; Crassum,& Rasarium, interpretes librorū Epid. & de hum. deceptos fuisse cēset. cū pro τερμίνθου terebinthi fructu, ἐρεβίνθου,ciceris legāt.Mox & Galenū sumpsisse interpretationē scribit, à Dioscoride Alexandrino, vt constat ex iis, quæ Paulus Ægineta refert lib.4.ca.24.quod certè est diuinare, quasi Phœbus astri alicuius indigeat luce. Porrò & Ioannes Marinellus Hippocratææ doctrinæ assecla strenuus,&omnium eius operū fidelis interpres,vti & alter Hieronymus Mercurialis huius nostri æui splendor vtrobique,& li.6.Epid.& li.de humoribus terebinthi fructum vertunt, veluti etiam & interpres vetustus operum Galeni. Franciscus Vallesius itidem idem aggreditur iter, commentariis suis in hos Hippocratis Epidemicos libros. adhuc & ipso Vallesio prius, Caluo relicto, clarissimus Petrus Iacobus Esteue commentariis illis amplissimis in librum 2.Epidem.Nósque hanc, ceu probabiliorem, dum incorruptum seruetur Græcum nomen, amplectendam sententiam iudicamus. τέρμινθος enim apud Græcos idem esse ac τερέβινθος ita notum, vt cuique etiam mediocriter in lingua Græca versato peruium.

Cæte-

Cęterum cum huius arboris diuersæ sint species, diuersas itidem fructuum ideas germinantes, explorandum, cui ex his terminthus affectus fiat similis. Terebinthus itaque ex Theophrasto lib.3.de plant.hist.ca.15. & Plinio lib.13.Nat.hist.cap.16.duplici constat sexu, mari sterili, ac fœmina fœcunda. Rursus & hæc duplex, & vtraque ferax: altera semen habet rufi coloris, & lentis magnitudinis, altera viridis potius, & rufum postmodum tingit, & cum vua maturescentem nigrum nouissimè facit, in magnitudine autem fabam repręsentat. Iulius Cæsar Scaliger vir acerrimi ingenij, & Naturæ quasi miraculum in suis annotat. in has Theophrasti historias, illud nomen ἐρυθρὸν, quo vsus est Theophrastus, ad illam speciem fœminæ declarandam non rufus cum Theodoro Gaza interpretatur, πυῤῥὸν potius, à Græcis à flammæ ignis colore dictus, verum rubrum cum Plinio accuratè vocat. quæ Gazæ versio haud dubiè decepit peritissimum Iacobum Dalechampium, cum in suis itidem annotat. in citatum Plinij locum, illud rubrum emendet rufum, colores in se nec parum distantes. Præterea quo loco Gaza scribit rufum postmodum tingit, legit Scaliger viridem rubore tingit. non enim, inquit, rufum permaneret, si rufum tingeret. Hæc colorum distinctio maximè itidem aduertenda in vrinarum iudiciis: cum interpretes aliquando confundant ἐρυθρὸν, & πυῤῥὸν, cum hic ex bile dimanet, alter vero ex sanguine. aut eius sero. quod serum ignauè aliqui bilem rubram appellant. Nicander post modum vir & doctrina, & antiquitate celebris libello de Theriaca, dum alexi-

pharmaca aduersus veneratorum animalium morsus recenset, inter reliqua illud meminit τερμίνθου καρπὸν, quod perdoctus Pet. Iacobus Esteue eius libri interpres, ac simul elegans paraphrastes non mutata dialecto interpretatur, & trimithi fructum. in paraphrasi autem rem declarat, dicens, *trimithum terebinthum vocat Nicander, cuius rei Scholiastes nos fecit certiores, nullibi enim id nomen apud probatum aliquem auctorem comperimus.* Tandem Petrus Ioannes Nunnesius huius nostræ Scholæ Barcinonensis peritissimus oratoriæ facultatis professor, bonarum literarum doctor insignis, & de lingua Græca benè meritus, vt ex eius ore accepimus, arbitratur terminthum apud Hippocratem, & Galenum significare illam terebinthi speciem, quæ à nostris Catalanis *garrofert bort*, appellatur, notha videlicet species ceratoniæ, siliquas iugiter effœtans, in quarum visceribus reconduntur etiam semina quædam lupinorum ferè magnitudinis, coloris rubri paullulum ad nigredinem tendentis. quæ mutatio fit maturescente fructu, vt lib. de coloribus Theophrastus in plurimis accidere fructibus demonstrat. Hæc opinio quantum par est coniectari, reliquis fortè probabiliter, cum dialectum seruet Grecam terminthum, terebinthi sanè altera species. rursus cum nec aliqua ex terebinthi fœminæ speciebus, nuper à Theophrasto, ac Plinio descriptis semen proferat, affectui simile, iuxta doctorum descriptionem. nam tuberculum istud & maior lente est, & minor multo faba: nec figura eadem, cum non depressum vt lens, nec longum vt faba. reuera namque in magnitudine, figura & ferè in colore nigrũ cicerem repræsentat. quod forsan animum Paulli

Crassi

Crassi induxit, tum Rasarij, & Iacotij, vt cicerem interpretarentur, magis acutè, quàm verè. Magnitudo igitur semini siliquarum huius nothæ ceratoniç quam similis, vti color, & figura; quamuis hoc sit cicere depressius.

Lubet modò hanc doctrinam duabus historiis comprobare. Accessere ad nos, sub diuersis tamen temporibus, viri duo religiosi, sub diuersis pariter regulis militantes: vtriusque temperamentum calidum & siccum, cum maxima sanguinis atrabiliarij redundantia. his, cum quinquagesimum attingerent annum, populæ, seu tubercula per vniuersum corporis habitum, & alteri etiam per totam faciem eruperant, ciceris magnitudine, atque figura, colore autem ex viridi nigro, parum itidem in gyrum rubescentia: quæ, dum scalpello diuidebantur, pus inueniebatur, quo absterso, nigra subiacebat caro: quasi albedo puris supra carnis subiectæ nigredinem, colorem illum ex viridi nigrum, phantasticum quidem germinasset. Hos ægrotantes, cum doctores aliquot huius nostri Cataloniæ principatus, nec inferioris sanè notæ, sparsim sub diuerso regni tractu inuisissent (quos illi sedulò explorabant) aut propter affectus raritatem, aut eorum in curiam, vnanimiter omnes, (terminthorum nenlecta idea) elephanticos, me viriliter discrepante, iudicarunt. Verum enim verò longè hic affectus distabat à vero satyriasmo: si attentè cuiusque pathognomonica ęstimassent signa. quid quod & exitus acta probauit, cum tempus veritatem proderet. vixerunt enim per aliquot annorum decadas (immò & alter adhuc viuit) citra elephantiasis suspicionem aliquam: quamuis vtriusque affectus

antecedens caussa eadem, humor videlicet atrabiliarius, qui non vnicum specie parit morbum, verum eius iliados maxima, cum distantes, feroces itidem, atque funestos sæpè morbos germinet, fatendum, metamorphosim facilem. Apparebant igitur horum tubercula quamprimum rubra, ob sanguinis in vtroque redundantiam, cum & faciem etiam pluris antè rubentem haberent: mox ex nigro virisdia facta in pus vertebantur, quamuis tardè, quia ex atrabiliario sanguine disrupta, & à pure abstersa (vt diximus) cauitas nigrescebat valdè: cum plena pure potius ad vnguem repræsentassent colorem illum, quem Galenus affabrè iudicauerat com. in lib. de hum. ex nigro viridem. quæ Oribasius inter Græcos doctissimus lib. 7. Synopseos cap. 36. confirmat: tum ex eiusdem Oribasij sententia Paullus lib. 4. ca. 24. vtrisque Aëtius subscribit tetrabibli 4. serm. 2. c. 62. tum cunctis his prius Alexandreus Dioscorides, iuxta eiusdem Paulli mentem, describentes excrescentias has rotundas, nigro virides, fructum denique terebinthi referētes. vti alter Anazarbeus Dioscorides lib. 5. ca. 180. Iaspidis quandam speciem terebinthizusam, à similitudine coloris terebinthi resinæ appellauit. Sed de his satis.

De prognostico mensium, aut hæmorrhoidum, in morborum acutorum principiis exortorum.

Cap. XLVI.

Diuinum quidpiam includit in sacræ Medicinæ claustro Prædicendi scientia. Nam futura præ-

præſagire, munus ſanè Dei; quod & Medicum ſummis, ac diuinis ſanè honoribus afficit, vulgi mentem in ſui admirationem rapit, animum vniuerſæ plebeculę ſuſpendit, & cunctos homines ſibi reddit beneuolos. In hac præcellenti ſcientia ſummus dictator familiam duxit: cuius diuina oracula, ceu abſoluta, ac quaſi ineffabilia, ne Ligurini Momi vſquã tentare fuere auſi. immò ne calumnia quidem in tanta vetuſtate dentem in hæc figere potuit aliquãdo. Curationes eiuſdem, partim ipſo recentiores mutarunt quidem, vt Celſus teſtatur lib. 2. ca. 1. præſagia verò firma, immutabilia ſeruarunt ſemper cum vno ore omnes hunc optimè præſagiſſe palàm faterentur. quid quod & tam fallere hunc quàm falli neſcire, inter reliquos, ſcriptis mandauit Macrobius libro 1. in ſomnium Scipionis, cap. 6.

Cęterum prognoſtica doctrina ex iudiciis, aut ſignis ſuos facit progreſſus, vnde eliciuntur ſingularum rerum prognoſtica. Iudicia verò, vel ſigna triplici elucent idea, coctionis videlicet, aut cruditatis, ſalutis aut mortis, & denique criſimis. Ex his quædam morbi declarant ſpeciem, & magnitudinẽ, qualia pathognomonica: alia morem potius, qualia epigenomena, & ſicuti priora inſeparabilia à morbo ſunt, ſic iſta ſeparabilia, nec perpetuò illi iuncta: alia tandem motum ſignant morbi, qualia epiphænomena. & hæc ad ſalutem, vel mortem demonſtrandam apparent, ad tempus etiam, & criſis ideam, qualia ſigna coctionis, & cruditatis, bonitatis, & prauitatis excremẽtorũ omnium tam communium, quã peculiaris partis affectę propriorum. Horũ omniũ ſignorũ aliqua ardua ſunt, difficillima

obſcura,quibus ob rei grauitatē maximā comparatur dignitas:alia rurſus manifeſta, & cognitu facillima, quæ minori, ac vulgari indigent tantum ingenio.

Signa præterea hæc ex triplici itidem fonte petuntur,ex morbi eſſentia,tum corporis malè affecti natura,ex morbificis cauſſis cum ſuis effectibus,& denique ex vtriſque complicatis. Ad corporis eſſentiam excrementa reuocantur, & eorum vnà vacuatio;lachima igitur,alui deiectio,ſputum, vrina, ſudor, vomitus, flatus, & omnis hæmorrhagia, ſiue per nares, ſiue per menſes, ſiue per hæmorrhoidas excernatur ſanguis. Hæc cuncta,etiam teſtante Galeno in comment.in lib.1. Epidem. com.3.ſen.1.innuere videtur Senex optimus. Cum itaque (vt ad noſtram hypotheſin deſcendamus) & menſium, & hæmorrhoidum fluxus vacuationes ſint, ex quibus ſigna eliciuntur prognoſtica, vel ad ſalutem vel ad mortem, vel ad melius, vel ad deterius prædicendum: proinde, ceu epiphænomena obſeruanda. & cum hæc in quocunque morbi acuti tempore queant accidere, conſociari quidem poſſunt,aut cum ſignis cruditatis, aut coctionis, item aut cum ſalutis,aut mortis ſignis,aut criſimis. Si igitur cum prauis ſignis implicentur, malum quidpiam haud dubiè annuntiant:ſin cum optimis, bonum. Quare cum in morborum principiis ſemper ſigna adſint cruditatis, abſint verò neceſſariò criſima,haudquaquam ex his, ſi in morborum contingant principiis, quidpiam bonum prædicemus. Quæ enim criſima ſtatim apparent peſſimorum affectuum ſunt indicia: qualia vacuationes omnes quæ accidunt in morbis præſertim, quorum cauſſa

morbi

morbifica ad vnicam seruatur expulsionem. Mēsiū igitur & hæmorrhoidum fluores, cum, ceu crisima sint æstimanda, ad optimum de illis ferendum iudicium, morbi respectu, necessariò & pręcedere illos debent coctionis signa, qualia in morborum principiis contingere nec possibile quidem. vnde & impossibile in morborum principiis per se vtiles, in declinatione autem, cocta iam materia, & apparentibus crisimis signis, & commodę, & in totum morbum exoluere queunt.

Cæterū cū vtriq; fluores duplici ratione accidere valeāt, aut stata lege, periodicè inquā mota natura, aut inordinatè, inopportunè, & irritata potius eadem natura: sin hoc modo, ceu res pręter naturam, & symptoma, difficiles morbos acutos, quibus associabitur, haud dubiè reddet. difficile autem, quod Græcis δύσκολον, iuxta Galenum lib. 1. Prorrh. sen. 14. illud vocamus, quod inter dubiam spem, & certum interest metum. Infida igitur vtraque hęc vacuatio, cum dubia spes sit, propter earū consortiū an æger, vel pereat, vel in chronicum aliquem incidat morbum. Nec omnino commendandi, qui statis temporibus etiam dimanant: cum aut causam morbificam nullatenus, aut nec commodè, ob morbi causæ cruditatem vacuent, aut cōmodum aliorum auxiliorum postulatorum impediant vsum, ac remorentur. Quare hi fluores typici non boni, priores per se mali.

Hanc doctrinam potissimum quibusdam Hippocratis historiis confirmare, tum ex li. 1. Epid. com. 3. sen. 31. desumptis, tum & ex lib. 3. com. 3. sen. 78. Ibi Melidiam commemorat apud Iunonis templum commorantem, & fortè illius sacerdotissam (cum

fas esset Græcis, secus quàm Ægyptiis, vt Herodotus refert lib. 2. fœminas Deorum fieri sacerdotissas, hîc verò virginem quandam Abderam. hæ vtræque cùm morbis afficerentur acutis, & in eorum principiis mensurnus sanguis stillasset, & difficulter & periculosè laborarunt ambæ. De hac virgine Galenus scribit in commentario quod illi mors fuisset timenda, nisi bonus vrinarũ color, maximum esset signum, & cum maximo itidem simul esset virium robore. obseruat in eadem statum virginitatis: neque enim parum interest, ad affectus, & causæ cognitionem mulieris explorare statum, iuxta illud Hippocratis tum libr. de morb. virginum, numer. 1. & 3. tum lib. de morb. mulie. num. 1. quod diuersis morbis tententur virgines, seu quæ viros ingressæ non fuerint, à defloratis, & quæ hymæneum iam celebrarunt. Tandem, ceu obseruatione dignum refert Hipp. quod itidem huic virgini nõ solum in morbi principio apparuerit mẽsurnus iste sanguis, verum & quod hic primitię fuerint, & prima Cinthiæ libamina. quod vtrumq; non minimam ægrotanti concepit difficultatem. nam prima illa tributa difficiles, contumaces etiam, ac perniciosos, vt plurimum, si malè respondeant, concitant morbos, vti & in morbi principio reddita, idem præstare experimur. Et quamuis Hippocrates id nõ significarit, an certa ac stata naturæ lege mẽses accidissent, an secus: à posteriori tamen nos artificiosè conectari quimus, ex morborum videlicet difficultate, ab aliqua præter naturam causa potius commota natura, stillasse. Quamprimũ, in primis morbi diebus, seu in vniuersali eorum principio contigisse, clarè Hippocratis verba testantur: quamuis

Mer-

Mercurialis de Melidia illud in suis Pisanis lectionibus verterit in dubium, cum sentiat præcessisse potius mensium stillicidia morbum. Sed hallucinatur hauddubiè, si Hippocratis attentè series verborum perpendatur, inquit enim, *Incipit capitis, & colli, & pectoris dolor fortis: statim autem febris acuta corripuit: muliebria verò exigua apparebant.* Accuratè Dictator summus ordinem disponit rerũ succedentium. in primis symptomata describit, quæ futuri morbi quasi certa erant indicia: mox morbum signat, febrem videlicet acutam: tertiò & symptomata epigenomena, quale inter cætera mensurnus iste sanguis stillans, symptoma quidem in excretis facultatis expultricis læsæ. nec negligit & alia symptomata epiphænomena, morborum illorum germina. Verum hoc idem in assiduo actuosæ Medicinæ vsu valemus comprobare, dum fœminas malè & auarè purgantes curare intendimus: in his namque ex humorum omnium concitatione, accincta natura ad expulsionem, haudquaquam valẽte, sursum à commotis humoribus vapores quidam transmittuntur acres, hos cõsequitur suo quasi nutu, ignea, seu tenuis aliqua sanguinis pars, caput autem vnà repentes, ibi, & in aliis fortè subiectis partibus, nec leues excitant dolores, valentes pariter febrem aliquam symptomaticam, citra putredinem aliquam effœtare; solum ex concitatione humorum accensis spiritibus. Quod si fortè aliquis adfuerit in corpore morbosus apparatus, etiam & putrida mox consequetur. Porrò si adhuc commota ipsa natura in hac operis absolutione finem non attingat, cum accidant menses imminuti, irritata, nec valente iustè decernere, partim per quandã

anadromen expellit ipsa, partim suo quasi nutu sursum humores feruntur, inflammationésque systrophicas germinant, aut in capite, collo, faucibus, aut in pectore etiam, ibi restagnato sanguine. rubescunt partes hæ, maxillæ simul, ac genæ, à feruenti illo sanguine sursum elato. Quæ quidem omnia, si Hippocratis verba consultò rimentur, eâdem serie Melidiæ huic contigisse fiet palam. Quare cũ ambabus fœminis, & in quantitate minima, & intra carceres principij actu apparuissent menses, hos à causa potius præter naturam, quàm typicè, accidisse arbitramur, & difficiles his facti sunt morbi.

Præterea & difficiles illis facti sunt morbi, quia statim mensurnus sanguis apparuit. nam ex Hippocrate li.2.Epi.sect.1.sen.15. *Quæ in melius iudicant non statim apparere oportet. quæ enim statim apparent pessimorum affectuum sunt indicia.* Nec difficilis ratio, quia ex eodem Hippoc. codẽ itidem li. sen.17. & 1. prorhet. cõ. 2. sen.17. quę ἀσήμως segregãtur, seu sine signo, infida sunt, recidiuã, vel mortẽ minãtia potissimũ σημεῖον coctio est: φ in morborũ prıncipiis emittere, inauditũ ac impossibile quidem. testatur istud passim Galenus lib præsertim 1. Aph. sen. 12. & libr. 4. sen. 21. & 22. quibus locis eleganter demonstrat, omnes vacuationes in principiis obortas morborũ, & vt signũ, & vt causæ, malas semper. quid quod & exitiosa symptomata, quæcunque citra coctionis signa excernuntur. Hinc animaduertant temerarij Medici, qui, ceu à Galeni methodo, ac ratione abhorrentes, in morborum principiis, aut rudi tantum coctionis apparente σημείῳ aggrediente fortè natura coctionem, & inchoante morbi

morbi incremento, aut quod ignauius est lustrante in vrina crassa, ac iumentorum simili, contento aliquo rudi, indigesto, quod longè abest, naturam aggressam esse coctionem indigitet, cum ipsa potius à fusura incipiat, mox colorem perficit, & tandem contentum, cathartica, maxima cum ægrotantium clade largiuntur.

Hos adumbrata quadam ratione fulciri conspicio, in principio affirmantes minoranda materia, in augméti ingressu quod coctum, ne iterum recrudescat tollendum, vt in vtroque tempore exonerata natura, facilius quod reliquũ est vincat. O vesania! ô cordis durities! Attendite amabò vtrosque Medicinæ parétes, consulentes semper cocta materia, nõ cruda, nec dum coquitur catharticorum vsum. coctionem respuit vtrumq; illud tempus. Videte rursus Hippocraté, iuxta accuratissimã Galeni explanationé in com. li. inquam 4. de rat. vict. sen. 43 sic fanté, *conferre purgationem, quibus vrina cocta, mediocres inquam in substantia, & vnà cum nebulis albis, ac perfectè elaboratis.* sic enim περιλοιπα interpretatur Galenus. *Secus auté tenuibus existentibus vrinis, ac crudis, quales in morborũ initiis apparere solent*; quibus temporibus, vt exponit Galen. in cõmétario, sanguinis missione potius est opus, aut clystere etiá, vt in sequenti sententia ait idé Hippocrates: nequaquam auté licet (vt temerarij illi amethodi affirmant) vétrem aliter mouere, quia, inquit, vrina nõ maturabitur, tantum abest, vt exonerata natura, vt illi insciè senserant, melius, quod reliquũ est, cõcoquat. Minorãda igitur, vt barbarè cum ipsis loquamur, tũ clysteribus, tum venæ sectione potius. haudquaquam catharticis, siue clementibus, siue fortibus, cum o-

omnia æquè respuat rationalis methodus, vt fusè alibi enucleabimus proprio de hac re à nobis conscripto libro.

Si itaque (ad pensum reuersi) mensium, aut hæmorrhoidum fluxus in morborum principiis, sub tempore inquam cruditatis per se mali, insidi: quãto magis imminuti, incontinentes, stillantes, στάξις Græcis, detestandi? Ancipites typici, etsi vnà copiosi. De prædictione stillicidij sanguinis, abundè tum Hippocrates, tum Galenus & lib. 4. de rat. vict. sen. 67. 68. lib. 3. Epidem. lib. 1. Prorrhet. com. 3. sen. 35. & diffusius adhuc passim in Coac. prædict. com. 1. sen. 1. Hoc symptoma proprium quidem censet Galenus febribus ardentibus malignis. Quare cum stillantes isti menses in morborum principiis contingentes, cacoëthiam annuntient, & facultatis langorem, & discreti erunt morbi, cum laboriosas ac difficiles promittant morborum terminationes. Satiúsque multò fuisset, auarè ita non se gessisse naturam, nequeuntem hoc medio soluere morbum, & coctioni tranquillè intendere, quam ab incœpto opere, cum maximo ægrotantis periculo desistere. Sed Hippocratem audiamus, quamuis de nariũ stillicidio, verũ cuicunq; tribuere istud par est. hic igitur in Coacis prænot. n. 2. sic fatur, *In febre ardente fluxio sanguinis ex naribus quarto die mala est. verũ quinta minus periculosa.* Hæmorrhagia princeps crisis ardẽtis febris. ad hoc autem vt sit illa critica ad ægri salutẽ, requiruntur præcipuè duo, opportunum tempus quale dies quarta non est, cum optimè ipsa dies nõ iudicet; requiritur & conueniens modus, qualis nõ est si stillatim, & parca manu sanguis prosiliat. hinc alibi inquit, sanguinis stillæ pusillę malæ. quia quã-

to

to minor vacuatio, tanto minor conueniens, & ne ad salutem quidem habilis; quid quod & index langoris facultatis, & morbi cacoëthiæ. Porrò & Auctor libri Prorhet.com.3.sen.49. sic scribit, *Quæ ex naribus cum surditate, & ignauitate parua est stillatio sanguinis, difficile quidpiã habet.* Galenus accurate in cõmentario demiratur, quare auctor paruũ malum, seu difficile quidpiã habere stillicidiũ scribat, cum hoc de rebus paruis dicatur: nõ enim paruum istud, si cum surditate, & ignauitate consociatum fuerit. nam sanguinis è naribus fluor, stillicidij instar, vnà cũ his, quę cerebrum affectũ esse indicãt lethale potius signum, ex eodẽ Prorhet. Auctore, lib.1.com.1. sen.1. Pestifera namq; omnis quæ nõ iuuat hæmorrhagia. nam vnde natura commeatum parat, quo se tueatur, & à morbo vindicet, inde eo defraudata labascit potius. & adeo illa funestior, quæ causã post se relinquit mortiferam, maior videlicet & acutior febris, tum aliqua systrophica inflammatio, in parte aliqua interna. Deinceps & idem Auctor Prorhet. etiam & in eadem stat sententia, dum eodẽ lib. 1.com.3.sen.56. dicat. *Vndecimo die sanguinis, stillicidij instar, fluores difficiles.* Galenus ibidem in eiusdẽ sententiæ com. omnes è naribus stillationes difficiles esse affirmat vnicum Hipp. li. Coac. nu.3. propter nuper iam assignatas rationes, perniciosas verò, & crassas, & nigras: etiamsi in die fiant iudicatorio. nam inquit, quę de indicibus diebus, qualis vndecimus, idem de iudicatoriis dixisse par erat. confirmatur ex eodem dictatore lib.4. de rat. vict. sen. 68. dicente, *In iudicatione sanguinis destillatio perniciosa, nisi multus abundè effusus sanguis viam redundantia fecerit, vel per nares, vel per sedem &c.*

Quo loco per illud in iudicatione non intellexisse Hippocratem diem tantùm decrétorium, in quo natura morbos exoluere solet, arbitramur, sed totum iudicij actum, qui vnà & indicem diem, & decretorium pariter includit: vti crisis, ac decretorius dies coctionem ambigunt. Nam ex Galeno lib. 1. de Cris. cap. 7. dies criticus tempus opportunum est: hinc hæmorrhagiæ inquit, si in tempore opportuno fiant prodesse possunt, si inquam, simul copiosa: in intempestiuo autem nihil iuuant, nocent potius. quare cum tempus opportunum iudicij præter dierum numerum, septenariorum præsertim, includat iugiter quàm maximè coctionem absolutam, & perfectam, quæ tantum in vltima vigoris parte, ac declinatione existit, proinde tantum in hisce morbi temporibus opportunæ crises, prauæ, ac pessimæ quidem in reliquis, eò præsertim, quò magis ad principium accedent, in quo viget summa cruditas. Et vt vltimam operi imponamus manum, lubet modò altero Hippocratis testimonio, & exemplis denuo confirmare. Testimonium desumptum est ex lib. 4. de rat. vict. sen. 63. quod est huiusmodi, *Sanguis è naribus si multus fluxerit, morbi solutionem portendit: si non multus morbi prolixitatem. quo minus verò profluxerit eo deterius, & prolixius erit malum.* Tres statuit in hac sententia hæmorrhogiæ ideas Dictator summus, quas omnes in morbi principio accidere posse arbitramur. Prima, copiosa inquam, quæ omni tempore contingere valet: in vigore autem si accidat, supremum attingit perfectionis gradum, cum tuto, ac citra recidiuæ metum sit nata morbum omnino exoluere. Altera, mediocris videlicet, respectu prioris, cum & malum morbi morem,

rem,& naturæ aliquem langorem significet,& hæc diuturnitatem morbi indicat:quia longiori tempore indiget natura ad eius causæ victoriam.quæ idea accidit quàm maximè aut in morbi principio, aut incremento. vti & tertia in principio potissimum, cruda existente materia, & maligna, vnà cum maximo virium langore: quia cum sit imminuta valdè,& stillans,deterius, ac prolixius malum portendit & ipsa.

Porrò & historias licet ex eodem Hippocrate depromere ex libro videlicet 1. Epidemiωn comm.3. sen.19. Altera vxoris est Dromeadæ,enixæ; huic cũ pauca è naribus destillassent die quarta,omnibus aliis secundum rationem factis,cùm vna febri corriperetur acuta,sexta die animam reddidit. Est & altera Philisci historia acutè laborantis,cui die quinta circa meridiem parum è naribus stillari sincerum contigit, & die itidem sexta suum diem obiit. Concludamus itaque ex his, quod omnis vacuatio spontè orta in principiis morborum, diuturnitatis eorundem,laborum,ac interitus sæpè,sit indicium, quia cum à proritata fiat natura, frustranea; quid quod & in malos sæpè abscessus vertitur, plurima secum adferens incommoda.

Quare cum vtraque fluxio mensium, ac hæmorrhoidum valeat illud referre,necessariò & hinc huiusmodi mala effœtare quit, & ex eisdem malum prædicere, ac aliquando exitium fas.Excipio modò periodicas vacuationes, quæ opera sunt naturæ, & excretum quantitate, & qualitate secundum naturam,namque hæ, vt plurimum salubres,& morbos exoluentes. etsi in valdè acutis hoc vnum habeant noxium,quod quia lentè percurrunt, tardè opitu-

lentur, morbi illius idea, citissimum proclamans auxilium. Cæterum vacuationes illæ, si præter naturam, ratio diuersa, cum pessimæ sint signo, & caussa, cum è malis oriantur: quorum malorum hæc est series.

Mensurnus, aut hæmorrhoidum sanguis si immodicus, tam virium, quàm morbi ratione, pessimum. pessimum itidem, ac aliquando funestum, si stillet, & paucę appareant stillæ. sin verò medio modo se habeat, moderatúsve fuerit, per accidens bonum, cum aliquando iuuet. Minus malum si non multus fluxerit, medium seruans inter copiosum, & stillans: etsi morbi diuturnitatem, labores, ac difficultatem annunciet.

Rursus si præter excreti sanguinis quantitatem, eius qualitatem obseruauerimus, varia, ex eius qualitatis varietate, elicere prognostica lubet. nam si sincerus, malũ prædicit, vt Philisco contigit: cum sanguis suo sero dilui debeat. pessimum autem si crassus ille, ac niger, & eo peius, quo magis à sua naturali recesserit idea, vt supra iã ex Galeno diximus.

Quæ de inordinatis fluxibus diximus, hoc idem & de typicis censendum, de his inquam, qui non solũ stato temporis interstitio prosiliunt, sed in quantitate itidem imminuti, aut stillantes fuerint. nam & hi quãto minores, tanto deteriores, iuxta illud Hippocratis oraculum libro de Virginum morbis, n. 1. *Cum sanguis nõ exierit, præ multitudine resilit ad cor, & ad septum transuersum, vnde cor fatuum fit, ac delirium apprehendit.* Reapse nãq; paucitas mẽsiũ, etiã typicorũ, signo, & causa malũ, signo, quia aliquem præter naturã affectũ certò prędicit, illos circũcidẽtem. vt signat idem Hippocrates lib. 1. de morb. mul. nu. 15.

n.15. *Pauci*, dicẽs, *menses morbosi sunt: nisi natura ipsa morbosa, & sterilis fuerit*. Quasi dicat, certò declarant mẽses pauci, aut vitiũ connatũ, aut morbũ. Pręterea & vt caussa malum, quia sanguis commotus, nec repulsus, per quãdam anadronem ad partem aliquam principem ruit, affectus aliquos, nec minimos efficiens. sin ad cor, vel diaphragma, delirium; quod symptoma, sympathicum sanè, ab inflammatione illarum partium idiophaticè laborantium haud dubiè gignitur. Neque credendum diuinum dictatorem cor, aut diaphragma mentis arcem constituisse. In quo errore versatur Naturæ genius Aristoteles lib. 3. de part. animal. ca. 4. deceptus fortè ab ipso Hippocratico oraculo, à quo mutuatus est plurima, quæ physicos eius libros reddidere longè illustriores. Doctissimus Iacobus Carpentarius insigni illo opere de Platonis cum Aristotele comparatione digress. 6. innuit, & ignauè sanè, ex hoc Hippocratis de Virginum libro, dictatorem summum cor animæ, ac mentis arcem arbitrasse, & in eo Principes facultates exerceri. Verum si alterum replicasset librum, ac ipsi genuinum, illum, inquam, de morbo sacro, istud de tanto viro perperam non affirmasset, cum cerebrum potius ex instituto demonstet mentis sedem, quo sapimus, intelligimus, insanimus, cor haudquaquam. conuellitur tamen illud viscus, per quandam sympathiam, nec minimã arteriarum cõmunionẽ, vti & neruorũ cum ipso diaphragmate, φρένες proinde ab Antiquis appellatum, quia eo inflammato delirium consequitur continuum, aut parum à continuo recedens. vt perdoctè Galenus refert lib. 5. de loc. affect. capite 3. Cum igitur maximus sit inter has partes

consensus,affecto cerebro, vt in animi pathematibus videre est,potentiis illis principibus circa aliquod phantasma operantibus, statim & cor afficitur,& vnà patitur.si lubet exemplis lustrare, apparet quamprimum istud in ira.nam viso, & cognito inimico,æstimante pariter voluntate hunc odio esse prosequendum,statim cor compatitur, feruet in eo sanguis,ac excandescit.accensis itaque spiritibus,vnà & sanguine intrà arterias contentis, iterum ad cerebrum resiliunt, & statim παράξει afficitur mens:& exurgit inde appetitus vindictæ.Simili ratione inflammato septo transuerso, membro quidem cordi vicino, præcipuo itidem respirationis organo,quo & refrigeratur cor, & calidissimæ eius fuligines expirantur, necessariò & cor exardescit, & quanto ipsa deprauata respiratio perdurauerit, nequeunte ipso ægro liberè ac ne audente saltim, ob intensissimum dolorem respirare, tanto in corde accensio illa continuabitur, ac peragetur, non attracto de nouo aëre frigido,nec fuliginibus vnà expulsis. à quibus vtrisque caussis accēdentur,quasi in flammam versi spiritus, & arterialis sanguis,quæ ad cerebrum delata sympathicum delirium germinabunt, & propter stabile harum partium principum connubium, continuum apparebit illud. Quare accuratè dixerat diuinus Præceptor,resiliente humore ad cor, vel diaphragma delirium fieri:sympathicum tamen. Neque vnquam cordi ipsi fuit, affirmare arcem animæ cor esse.neque de tanto viro ita sentiendum.

Concludamus itaque vniuersum hoc caput,quod stillantes menses, aut hæmorrhoides, sint pessimi, difficiles, laboriosi, ac funesti aliquando, hócque

omni

omni in tempore:copiosi verò,crisis ratione,& adstante coctionis signo,optandi,laudandi. In morborum principiis hi copiosi,etiam vt plurimum optimi: quia maior vtilitas ex imminutione morbificæ caussæ, quàm noxa, ex aliqua vtilis materiei anagoge. Nam si ars istud commodè præstat, venæ sectione in morborum principiis tollendo copiam, quanto magis natura, medicatrix optima, id præstare valebit?vnde assiduo vsu experimur, fœminas à plurimis,& grauissimis liberari morbis, solo intercedente mensurno fluxu, etiam in morborum principiis occurrente.

De methodo deliberandi sectionem venæ in acutis morbis,dum mensium instat periodus, aut hæmorrhoidum.

Cap. XLVII.

Plurima de hac re suprà iam diximus, quamuis implicitè:verum propter rei grauitatem, & vt nostræ satisfaciamus consilij rationi, amplius hoc idem prosequemur. Quod autem non præsentes tantum, verum & instantes periodici fluxus æstimandi,præter Galenum citato sæpius lib.9.Methodi,ca.5.quo loco apertis verbis istud declarat,ipse idem manifestissimus astipulator est,etiam libro de curandi rat.per ven.sect.c.9. dum dicat, *Anteuertit Hippocratis doctrina,quæ nos docet, quæcunque morbis iam præsentibus rectè perageremus, melius esse vt ipsa morbis incipientibus, aut imminentibus anteuertendo faciamus.* Quæ, etsi ad literam dicantur de præuisione caussarum tam in morbis futuris,quàm

præſentibus: accuratè tamen queunt adaptari & fluoribus cum morbis acutis conſociatis, ſiue inſtâtes illi ſint, ſiue preſentes, cum & hi fluores perſæpè etiam cauſſæ rationem habeant, præſertim ſi diſtrahantur, recurrendo mox ad affectum locum, ſeu ad putredinis larem; tanquam robuſtum mittens, ad debile recipiens, vnde quod rectè perageremus iſtis præſentibus, videlicet naturæ benè operantis impetum obſeruare, & imminutum omni arte corrigere: ſic inſtantibus ipſis naturam aliò auertere, & iam iam operi quaſi accinctam impedire, nefas. hinc lib. de præcognitione ad Poſthumum doctiſſimus noſter Galenus cap. 13. inſtante hæmorrhagia, & morbo vnà venæ ſectionem conſulente, ab ea ſe abſtinuit, ne ius exiſtimans, illud opus naturæ (etſi grauatæ) remorari.

Cæterum methodum iam exerceamus, iuxta quatuor medendi ſcopos. Adſit itaque, ex hypotheſi, morbus acutus venæ ſectionem ex ſua natura poſtulans, qualitate remedij ſuppoſita, quantitatem eiuſdem exploremus. hæc ex quantitate cauſſæ æſtimatur. verum cum neceſſariò iam inſtet typica excretio, actio naturæ benè operantis, & actio ita dignitate præſtans, quod cunctas artis præcellat: hinc ex vi methodi cogimur relinquere materiem naturæ ad hoc munus præſtandum: vt coniunctis ambabus vacuationibus, artis, & naturæ, quod intendimus perficiatur, deponere videlicet omnem morboſam plenitudinem. nam ſi arte hanc omnem tolleremus, ſubſequuta naturæ periodica vacuatione, ſymmetron naturæ haud dubiè deſtrueretur. Hanc methodum abundè exponit Galenus citato

lib.

lib.9.methodi,ca.5.his verbis, *Sin sequetur necessariò vacuatio quæpiam, tantum illi de eo quod superfluum est relinquendum, quãtum est per eam vacuandum, &c.* Hæc singula verba, quauis ambrosia dulciora sensim, ac serio replicanda censemus. in primis illud *sin sequetur necessariò*: sequuntur namque necessariò periodicæ vacuationes, à natura typicè per suos circuitus repetitæ, nisi ab aliqua præter naturam caussa accidantur. hæ sunt, quæ cunctis fœminis, sexus ratione natiuæ, & consuetæ sunt, menses inquam; tum, & quæ viris, ac aliquibus pariter fœminis peculiares, ob indiuidui proprietatem, hæmorrhoides videlicet. his itaque vtrisque, adueniente iam periodi altero carcere, necessariò insequi illas, affirmandum, & certò expectandæ sunt, typi ratione æstimatæ. Ad absolutam autem quantitatis remedij deliberationem, iuxta id quod morbus postulat, & natura consulit, præter dictam typicam periodum, obseruanda & consuetæ quantitatis fluxuum proprietas. hac enim habita, & vnà vitiosi humoris redundantia facilè nos aucupabimur sufficientem quantitatem detrahendam, & relinquendam, vt idonea sit arti materies, & naturæ, quibus consequamur & finem. Hoc eleganter Galenus consulit lib. de cur. rat. per venæ sect. cap. 11. dum inquit, *Expedit enim, non eo vsque sanguinem educere, dum ad extremum vires ducantur, sed quoad quod symmetrum, moderatúmque sit eductum videatur.* Quæ noxa, & calamitas contingeret haud dubiè, si intrepidè, ante periodicam vacuationem, nos per venæ sectionem omne illud plethoræ superfluum emiserimus: subsequente namque mox

necessaria altera vacuatione, symmetron, moderatúmque, certò periret. vnde corpus etiam necessariò in prauum duceretur statum, ac fortè priori peiorem. Ex immodica namque nectaris viuifici vacuatione, etiam calor natiuus, omnium totius corporis actionum architectrix, supplantatur, spiritus vtrique vltrò iugiter exoluuntur, principes omnes partes labascunt, iecur hæmatoseon frigidam contrahit intemperiem: hinc cachexia exoritur, deprauata ὁμοίωσις tandem & aqua intercus, vt testatur etiã Galenus eodem libro de cur. rat. per venæ sect. cap. 19. & lib. 9. meth cap. 10. tum & lib. Aphor. 2. sen. 51. dum interpretaretur illud Aphor. oraculum, *Omne nimium naturæ inimicum*, inquit enim, *Naturæ siquidem substantia in symmetria, idest certa, & commoda elementorum proportione consistit. quam quidem symmetriam, cum omne nimium corrumpat, & labefactet, mirum videri non debet si idem quoque animãtis constitutionem resoluat.* Hoc idem præterea etiam ex instituto repetit Galenus ex Hippocrate lib. de Natura humana, sen. 19. *Sanum* (cum dicat) *est potißimum cum hæc* (quatuor videlicet elementa & humores, hominis quidem natura) *virtute & copia inter se mediocriter habent.* Neque his videtur reluctari Galenus, dum dicat libro Artis Medicæ, cap. 94. *Immoderatam repletionem* (qualem in synochis obseruamus) *immodica vacuatione curari.* Nam vt apprimè perdoctus Martinus Akakia itidem interpretatur, per immodicum, non id quod simpliciter præter modum est, sed quod aliquam medio critatem superat, intelligendum. Cum igitur sanguis abundat immodicè, tantus vacuandus, quantus mediocritatem excedit: non tamen tantus, quod vires ab immodico

modico labantur, & symmetron vnà corrumpatur. quid quod & ægrotátem tenemur in cũ statum reducere, in quo ante quã ægrotasset, seu dũ ægrotare incepit, seruabatur. hoc astipulãte Galeno li. 8. meth. ca. 9. neque morbi tempore perficiendus status, etsi vitiosus: sed reducendus æger in hũc priorem, & reductus, sensim, si emendatione indigeat, in optimum statem reuocandus. distincta quidem pars, cum istud, opus sit artis tuendæ valetudinis, vti & illud ad therapeuticam spectet. Galenus lib. 5. de tuenda valet ca. 10. & 11. huius rei hãc signat rationem, quia facilius multò quidquid intemperatum est ad propriam redit naturam, quàm ad optimum, & perfectum perueniat temperamentũ. Prȩterea & alia ratione illustratur illud, immodica vacuatione curatur immoderata repletio. nam cum morbus omnis immoderata res sit, nequit redigi in moderatum statum, in quo sanitas consistit, nisi à contrario proportionato illi immoderato, hoc autem nequit quidpiam immoderatum, quia ab eo nouus potius in corpore concitaretur morbus, etiam ex Galeno libr. 9. meth. cap. 15. Quare oppositum illud debet vim obtinere vincendi immoderatum, istud præstabit, si tot gradus habuerit, quot immoderatum, in quantum videlicet à mediocri recedit, testante accuratè & eodem Galeno libro Artis Medicæ ca. 89.

Porrò & aliam particulam lustremus par est. inquit igitur iam rursus Galenus, *tantũ illi de eo quod superfluũ est relinquendũ*. consulit quidem his verbis Galen. licere nobis (postulante morbo venȩ sectionem) ex causæ morbificæ mole, totũ illud superfluũ demere, donec ex illo immoderato sufficiens. por-

tio seruetur naturæ ad vacuandũ, quantã assueta periodica vacuatio demonstrabit esse futurã. Hæc methodus simpliciter in synochis febribus locũ habet quia in his, dummodo tollatur morbi plenitudo morbi causa, nihil interest: potis quidẽ venę sectio, potis itidẽ & æquè mensurnus fluxus, & hæmorrhoidum illud præstare. Amplectuntur & eandem pariter methodum lenti morbi ac mites, etsi in sua specie acuti, si signis firmentur securissimis. quia in his, etiam & fas motum naturæ, iam iam imminentem expectare, & eidem sufficientem relinquere materiem, vt vtrisque commodè omnis morbi causa deponatur. vti & Galenus postulante affectu venæ sectionem, & imminente iugiter infida illa crisi, libro de præcognitione ad Posthum. ca. 13. ab huiusmodi abhorruit auxilio, quid quod & naturę operi, etsi irritatæ, insistit, vnà & morbo acuto existente. quare multò magis debita opera insistendum operibus naturæ vtiliter consuetis, & toto genere secundũ naturã. Nã Galenus lib. 4. meth. ca. 6. etiã ex Hipp. li. de vlceribus num. 1 inquit, *debere scilicet imitatorem esse Medicũ non tãtum naturæ, sed etiam eorum, quæ, cum sua sponte veniunt, conferunt.* Verum enim verò si vrgens fuerit morbus, vel ex aduentus typici fluxus morula aliquod incurrat periculũ, vel propter distantiã partiũ aut nullã earũdẽ colligantiã nulla expectetur ex eo vtilitas, tunc tẽporis neglecto fluxu, ad morbi vrgẽtiã sedulò nos accingemus, arte tollendo omnẽ redundantis humoris inutilem ac immoderatã quãtitatẽ. sub qua methodo occasio auxilij, & vnà vtẽdi eius modus comprehenditur. supposita namque vrgentia ad se curationem conuertente, & iugiter
absentia

absentia läguoris virium, occasio adest quidem in genere & vtendi modus: cum vrgens morbus quâ primum indicet esse sanandum, quod si per venæ sectionem, & locus passus indicat per coniuges venas statim sanguinem esse fundendum, non solum obseruaudum istud, instantibus ipsis typicis fluoribus, verum & eisdem præsentibus.

Tandem & absolutam huius methodi dignotionem, obseruanda veniunt aliqua, cognitu necessaria, in primis, an existente synocho, vel alio quopiã morbo acuto, etiã & securissimis signis firmato, instãs peiodicus fluxus, si ex cõsuetudinis proprietate expectetur parcus, & imminutus, liceat hunc tusis infernis venis iuuare, an contra potius ius sit plenitudinem tollere, brachiorum sectis vasis. Nam imminutos menses, vti & restrictos iuuandos esse Galenus li. de cur. rat. per venæ sect. ca. 18. consulit, præmissa sectione crurum, per tres aut quatuor dies ante typicam periodum.

Dicemus in synocho simpliciter licere, ob nuper assignatã rationem, cum vndecũque fas sit vniuersalem plethoram tollere, vti fortè & aliis morbis paruis, ac lenibus. verum im morbis magnis cũ aliqua vrgentia, seu cum aliquo vitæ periculo ne fas quidem, cũ satius multò sit coniuges venas secare, & quãtitatẽ minuere peccantẽ, dũmodò illud minimũ, naturę assuetum periodicè vacuare, relinquatur, quo morbo exoluto, suppressos denique menses sanabimus. Est & aliud nota dignũ, An morbus implicatus, ab vtero fortè traxerit ortum, an ab hæmorrhoidibus: ita vt, quod per has partes emissura erat natura, iam per metadosin ad aliquam priua-

tam sedem transferatur, morbum ibi germinans magnum, eo videlicet tempore, quo accingebatur ad illud opus excretionis, seu dum instabat typica periodus.

Huius difficultatis portum attingemus, si prius morbum distinxerimus in suas partes, in simpliciter fientem, & alium, qui etsi fiens, plurimas tamen habet partes factas. Si itaque primo contingat modo, cum & mandans pars innotescat, cui propriè debetur preuisio, ceu causæ principio, ex mandante parte, vtero videlicet, ex hypothesi, humoris impetum compescemus, hócque venas infernas, ceu vtero coniuges secando. quid quod & vnico lapidis iactu binos capiemus passeres, nam & preuidebimus fienti morbo, & mensurnos fluxus promouebimus, iuxta Galeni doctrinam lib. de cur. rat. per venæ sect. ca. 18. docêrem, in suppressione mensium sananda oportere nos per tres vel quatuor dies venę poplitis sectionem anteuertere, periodũ mulieri consuetã. cuius auxilij vsum copiosè nos disputabim⁹ infra li. 4. Verũ si affectus in parte firmetur, plurimis constãs partibus factis: tũc mãdãte neglecto, etiã, & instãte typica periodo, ex parte ad quã fluit humor, & fluxus stabulatur, reuellemus, & vacuabimus obseruata quamprimũ possibili oppositione, coniugio itidem, cũ naturę rectitudine. dummodo factus morbus, & vrgens, & cũ periculo, & typica periodus instãs, ob assuetã proprietatẽ nõ expectetur copiosa, hæc nãq; valens aliquando opportunè exoluere morbũ. huic itaq; aliquid cõdonandum, ad instar vrgentię morbi. Quæ methodus etiam seruanda in morbis citra dependentiam ab vtero, vt suprà docuimus.

An

An omnis ciborum cruditas in ventriculo, venæ sectionem differat.

CAP. XLVIII.

OCcasionem nobis à clarissimo nostro Galeno oblatam gaudemus, vt promamus animi nostri sententiam de mittẽdo sanguine, crudis in ventriculo existentibus alimentis. Occasio præripitur ex toties repetita insigni Galeni methodo, à nobis iugiter in toto hoc libro copiosè lustrata, de ratione mittendi sanguinem instantibus, vel adstantibus mensurnis fluxibus, aut hæmorrhoidum, in acutis præsertim morbis. quo loco, cum nobis ante oculos ponat duo, quę per aliquot tempus remorari valent auxilium venæ sectionis, alterum hoc præcedens, alterum verò cõsequens: explicato vltimo, ceu nostri consilij cardine, alterum intactum relinquere ne ius quidem arbitramur. sed Galenũ prius aduocemus, sic lib. 9. methodi ca. 5. alloquentem, *Attẽdenda verò, cum venæ secandæ indicationibus sunt, tũ quæ eam præcedunt, tum verò quæ omnino excipient. Nam si præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre venæ sectionem iubebis, quantum satisfacere, tum ad eorum concoctionem, tum vt excremẽta descendãt, videbitur.* Idem videtur sentire & de alimenti cocti in ventriculo facta corruptela com. 1. in li. de hum. sen. 11. Ex illa igitur Galeni sententia nudè elicitur, crudis existẽtibus in ventriculo cibis, nec adhuc ad intestina descensis eorum excrementis, cuipiam ius nõ esse venas tundere, etiam cum morbo acuto huiusmodi cruditate consociata, qualis haud dubiè synochus, circa quam versatur apud Galenum disce-

ptatio,& methodi ratio.Hanc igitur doctrinam rationali methodo cõprobat ex indicationibus parta, dum dicat,*si venæ secandæ indicationibus sunt*, idest, si ex vi methodi per suas indicationes decreuerimus hauriẽdum esse sanguinem, & simul ac eodem tempore ciborum cruditatem in ventriculo adesse attenderimus, quæ hauddubiè cruditas coctionem indicat, & hæc præstatur roborato natiuo calore, præstanti coctionis organo, quod rursus exoluitur (etsi per accidens)venæ sectione,ne hæc imperanda sanè.quare cum hęc naturæ actio præstans sit,& toti corpori vtilis,ceu necessaria potius: qua vitiata, irreparabilis,aut maxima saltem consequitur noxa, iuuanda proinde omni studio,procuranda omni arte.vnde toto illo tempore, quo sagax natura proindè huic operi incumbit,ne distrahenda quidem,aut exoluendo calorem venæ sectione, aut corpus mouendo simili,aut alio irritamento: quousque non solum fuerit facta coctio,verum & segregata excrementa,& ad intestina descensa.quasi tunc pro certo habendum & absolutam esse coctionem,&inutilis substantia ab vtili separata, neq; amplius iam valebit natura vtrasque has consociatas, præmissa venæ sectione sugere, & vnà rapere ad vacui repletionẽ: immò vtilem chilum ad se tantum attrahet, & in hæmatoseo,in sanguinem optimum quamprimum conuertet.Hæc est Galeni mens,hic sensus.

Cæterum doctores quidam nouatores, nodum in scirpo quęrentes circa hanc rem,diuersas, ac varias suscitant difficultates,nænias potius. in primis illa, an saciatis cibis,vti an famelicis venę tundẽdæ.rursus,an aliquis propinandus quibusdam cibus ante venæ sectionem.Et tandem, an expectandus excremen-

mentorum ad intestina descensus, ante sanguinis missionem; an potius clystere vtendum ad eorundem foras expulsionem.

Primam enodabimus, morbi cõsociati præmisso discrimine. nam si hic vrgentissimus, vt breui temporis interstitio mortem quidem minetur, adstante pariter altero virium scopo, tunc quamprimum venas tundemus, quia preponderat indicatio vrgẽtiæ; nisi fortè aliqua breuis fuerit interiecta occasio, saltem prius infundendi clysterem, aut vomitum concitandi. huius farinæ apoplexia præsertim est, tum & exquisita angina. Verum si vrgentia absit, tunc iuxta saturitatem, seu crudorum ciborum copiam, tempus expectabis, antequam venas scindas li.3. Epidem. com.3. sen.2. & lib.11. meth. ca.14. Galeno teste: quousque videlicet & coctio ventriculi sit absoluta, & descensa excremẽta ad crassa saltem intestina. hoc tempus inæquale est iuxta caloris natiui robur, & alimentorũ tum copiã, tum qualitatẽ, cum alicui sufficiant sex horę robusto præsertim existente calore, moderatæ copiæ, & facilis coctionis alimento. alteri, ne singularis ac integer naturalis dies, ob rationes contrarias. Porrò & circa hãc methodum est & illud discrimen obseruãdum, quod si morbus iste, ex hypothesi, mitis, ac lenis, tolleret quidem citra vllam noxam totum illud tempus sufficiens ad alimentorum coctionem, tunc & relinquamus istud naturæ, & inedia imperanda, neq; arte quicquam mouẽdum. sin autem velox ille, & ob acutiem aliquod intra se contineat periculum, aut fortè ob remedij dilationem sperandum illud sanè: tunc, iuxta Aëtij consilium tetrabibli 3. se. 4. ca.23. cruditas statim per vomitum deponẽda, mox

& clystere. quod si æger iners ad vomitum, pharmaco eccoprotico, hiera videlicet, cassia, aut rosarum infusione illud deponere quàm primum ius, aut mercurialis decocto.

Horum eccoproticorum vsus laudabilis, ac necessarius quidem, quotiescunque vrgentissimo non adstante morbo, ad epulones accessurimus sanandos, plurimis, crudis, vel iam corruptis, & in alienam naturam translatis cibis, in ventriculo redundantibus. quamuis quæ cruda, satius multò sit illorum coctionem expectare, ac iuuare, quàm foras demittere. haudquaquam quando corrupta, & in alienam naturam mutata, vt ne quidem spes sit redigenda amplius vtilia per laudabilem coctionē, cum potius vomitu tunc, aut prædictis eccoproticis vacuanda, ex Gal. lib. 4. de tuend. valet. ca. 3. quid quod & sæpissimè sufficit eadem clystere acri deponere, cum citissimè istud præstet, & exactè, iuxta Galeni mentem lib. 2. de comp. med. secund. loc. ca. 1. *Atq; ob id probè in his quæ scripsit Archigenes non simpliciter dixit, Euacuatio alui per clysterem, sed addidit validum: multū enim in huiusmodi clysteri situm est, quātum ad reuulsionem attinet, vltra hoc quod non solum ea quæ circa ventrem, & mesaræum sunt, euacuat, sed etiam quæ circa hepatis sima hærent.* vti in cauæ iocinoris inflammatione, quod exsudat per clysterem vacuare iubet, mulsæ immisto sale, nitro, vel aphronitro, lib. meth. 13. ca. 15. Quare opportunè, ac affabrè clysteres ipsi fortes, non solum intestina vacuāt, verū primas ipsas venas, quę in mesenterio textę sunt, adhuc & cauā iecoris, & circa eiusdē simā ab excrementis repurgāt, multóq; magis & ventriculū, ceu vicinius, & ob amplā, ac continuā cauitatē ad hoc

præstandum munus faciliùs,& aptius.nam testante Gal.lib.3.de causis sympt.cap.2.visum est aliquando hunc in ventrem vsq; subire, ita vt vomeretur. Imprudenter itaque amethodi quidã Medici in morborum acutorum curatione,etiam citra discrimen, cunctis ferè ægrotantibus præmittunt cathartica, vt vtrumque vẽtrem repurgent,& mesaræum; quæ omnia perbellè,citò, ac tutò præstare posset iniecto valido,seu acri quodam clystere,mox quamprimũ, etiam & eodem die venas tundere,morbo istud postulante,& fortè vrgente. Nec moror,istud iam in consuetudinem sit redactum,apud plurimos vulgares Medicos per diuersos orbis tractus : cum sit omnino à rationali methodo alienum,& ceu piaculum detestandum : tum quia differtur longè remedium inter cuncta præstantius , sanguinis videlicet missio,etiam per aliquot dies, tum quia aliquando, nec rarò irritatur ad expulsionem natura,non lenis medicamenti ratione,verum ab acri, & immorigera humorum qualitate;quæ omnia detestanda sunt, cum perniciem certò minentur. Satius igitur fuerit acri clystere deponere; quod ex Galeni doctrina lib.4 de com.med.sec.loc.ca.8 ęquiparatur cathartico: inquit enim , dum affectus oculorum sanare intendit , *Conuenit solutio ventris valida, siue per purgatorium conueniens medicamentum , siue per clysteres robustos.* quasi innuat clysterem robustum idem præstare posse in ipsis sanandis oculorum affectibus, quod purgatorium medicamentum. nam bis eode li.6.de cõp.med.sec.loc.c.1.& c.3.clysterem totum corpus,aut humorũ multitudine refertũ, aut eorundẽ malitia vitiatum,vacuare contendit.cõuolandum igitur ad clysteris vsum, ceu tutiorẽ , velo-

ciorem, ac omni ex parte opportuniorem, quod Hippocratis,& Galeni acclamat methodus,& proclamat sæpè morbi vrgentia. Hanc eandem rem seriò tuetur & doctus Plutarchus lib. de tuend. bon. valet.cum longè præferat clysterem cathartico.

Porrò dubitandi se offert occasio, an hæc methodus,quam docuimus seruandam in sectione venarum adstante in ventriculo ciborum cruditate, sit vtique amplectenda, adstante copia excrementorũ crudorum in ventre, ac mesaræo. Verum ad huius dilucidationem distinctione pariter indigemus, nã si hęc cruditas succorũ adsit in corpore, adhuc sub latitudine sanitatis contento,etsi venæ sectione indigente,ob plethoram in vasis, aut aliâs, prius, docente Galeno accuratissimè lib.de tuenda valetudine 4.c.5.ante horum eductionem,quiete,cibis,potu, medicamentis incidentibus, & attenuantibus citra calorem,illa sunt disponenda:mox,iuxta illud Hippocratis oraculum lib.1.Aph.sen.22.cum concocta tantum medicamento tẽtanda,pharmaco deiicienda. Nam ante coctionem inquit Galenus illorum deiectio tormina,rosiones creat,& animi deliquia, nec notatu digna fit eductio,quia inepti ad motum, & obstructiones parant, cum ferantur per vias angustas,& aliis tenuioribus succis fiunt impedimento ad expulsioné.his itaq; venę sectio futilis,quousque fuerint cocta excrementa illa cruda,nec purgatio locũ habet,donec prius victa. Verum si morbus præsens,iterum distinguendum, si enim chronicus, & mitis,vt ne ex dilatione venæ sectionis sit aliqua sperãda noxa, sensim ea arte, quã Gal.tum citato li. 4.de tuẽd.valet.tum li.12.meth.ca.3.docet, cruditatem succorum emendabimus: deinceps si adhuc præ-

persstiterint postulantia venæ sectionem, hoc idem prestabimus. sin autē morbus acutus sit, aut magnus iuxta eiusdem Galeni consilium lib. de cur. rat. per venæ sect. ca. 9. & ca. 13. ad instar eius acutiē, aut magnitudinem, adstante pariter virium robore venas tundemus. Galenus autem sic fatur, *Quibus ambobus scopis præsentibus*, morbi videlicet magnitudinis, & roboris virium, *constat, vt ante diximus*, ca. scilicet 9. *nullam esse crudorum humorum tantam, talémque plenitudinem, quæ hoc inhibere auxilium possit*. Quasi insinuat Galenus, si vires robustæ sint, tanta ac talis crudorum humorum copia nequit adesse, quæ valeat auxilium venæ sectionis impedire. Quare non propter succorum crudorum copiam anteuertitur curatio, & impeditur venæ sectio, verum ob virium langorem, qui adest necessariò, maxima existente crudorum humorum copia, vt citato lib. de cur. rat. per venæ sect. ca. 9. dixerat Galenus. Et hęc cruditas succorum non solum spectanda in vasis, verum etiā & quæ in ventriculo, & intestinis: cui cruditati aliquid est condonandum, nec ita liberè & audacter sanguis mittēdus, ac si cuncta coindicarēt illud auxilium. Quid quod etsi adsit plethorica affectio cū febre postulante venæ sectionē, hæc præstāda iuxta Galeni mentem lib. 1. ad Glauc. ca. 14. si pariter cum recenti cruditate, ab hac eadem cōprimatur ac mordeatur os vētriculi, quin prius occurratur huic sym promati, cardialgiæ videlicet, efficiēti aut hypothymiā aut syncopem. Qui Galeni locus affirmatiuè legendus, cū grauissimo Stephano nu. 156. *& adsit plethorica affectio*, secus quā cuncti interpretes vertunt, *citra plethoram, aut humorum plenitudinem.* nam hæc affectio maximè commendat venæ sectionem, qua præsente nec hauriendus quidem sanguis,

adstante vnà cardiogmo à crudis succis, quin prius huic succurratur, iuxta accuratissimam Galeni methodum, libro 12. methodi traditam cap. 3. Et quod magis est, nec purgatione vtendum, consulente eodem Galeno nuper citato 12. meth. libro propter syncopen, qua citra vacuationem etiam prehenduntur, sed & fricationibus, & aliis prius cruditatibus medendum.

De famelicis idem sentiendum arbitror. Nam si vrgentissimus connexus fuerit affectus, & adhuc robur adsit virium, vena quidem secanda, si huiusmodi auxilium morbus postulauerit. verũ si morbus moras aliquas inducat, nutriēdum sanè prius, mox tundēda vena. quod præstitit clarissimus Gal. dum illustrem Romanã sputo sanguinis laborantem sanaret, libro methodi 5. & idem lege sanciuit lib. 2. Aph. ca. 13. dum oraculum illud Hippocratis sen. 16. lustraret, *vbi fame laborandum non est.* Quare perbellè Galenus his locis, aduersus abortiuos quosdam Medicos, oppositum sentientes, rem demonstrat, ac lustrat. Sed de his satis.

An expediat quibusdam ante venæ scißionem cibum offerre, an & clysterem inicere perpetuò.

Cap. XLIX.

Sed nos opportunè gradum promoueamus ad vlteriora: an liceat quibusdam, his videlicet, qui facilè animo linquant, cibum offerre ante venæ sectionem. Vlteriorem Hispaniam colentes affirmantem partem tuentur, & assiduè in actuosa

actuosa Medicina in vsum illud redigũt, conuincti aliquib. rationib. tũ auctoritatib. Interest inter reliquos Petrus de Peramato vir doctus, libro de vacuãdi ratione, cap. 19. hi opinionem hanc stabilire conantur auctoritate ab vtroque Arabum principe petita. Auicenna, & Auerrhoë: cum hic lib. Colliget. 7. cap. 17. ille lib. 4. fen. 1. tract. 2. ca. 31. consulant, iis qui sensile admodum ventriculi orificium habeant, & amarum, cibis adstringentibus eam stomachi partem roborandã, ne à vellicatione in syncopem incidant. hinc inferunt, cũ per venæ sectionem humores agitentur, ichôres itidem eorundem præcipuè biliosi perfacilè ad orificium ventriculi recurrant, iis præsertim, qui hanc partem habent imbecillem, necessariò hæc eadem pars fulcienda, roboranda. & tandem concludunt ad hoc munus præstandum debere Medicum ante sectiones venarum cibo, eandem partem munire. perfectior sanè roboratio, vt ipsi sentiunt, quàm quæ medicamentis paratur. deinceps post aliquam morulam, breuem sanè, post semisis videlicet horæ saltem interuallum sanguinem imperant esse fundẽdum. Quid quod & idem Peramatus affirmat, quibusdam ita esse corporis cõstitutionem resolutioni subiectam, aut ob carnium laxam texturam, aut ob tenuitatem humorum, ceu syncope facilè obnoxiis, quod iis ne sufficiat quidem per aliquot horas cibum præcedat, verum & ius sit, iterum paullò ante sectionem, aut gallinæ iecore, aut aliqua carne parca, & assa, corpora reficiantur, vt prædicta vitentur incommoda.

Verum enim verò, vt expertus sum apud Aulicos Medicos, & alios, ita in promptum iidem habent

passim

paſſim huiuſmodi reſolutioni, & ſyncope obnoxios ægrotantes, vti & alij aſſiduè turgentiam exploratam inueniunt, quam cum Hippocrate Galenus perrarò hanc reperiri inuiolabili ſanxere lege. Quiſquilias igitur nobis obtrudunt.

Cæterum, vt omnem hanc difficultatem exoluamus, illud quàm primum ſupponendum, & explodenda epicraſis, & aduocandi venæ ſectionis ſcopi. Opinio itaque illa abſolutè Galeno reluctarur, dicenti lib. 9. meth. ca. 5. *Si præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre venæ ſectionem iubebis, quantum ſatisfacere tum ad eorum concoctionem, tum vt excrementa deſcendant, videbitur.* Porrò & lib. 11. methodi ca. 14. in hæc ſubſcribit verba, *Quippe & ſi vires eius, qui ex putredine humorum, vt poſitum eſt, febricitat, valentes ſint, mittendus ſanguis ſtatim eſt, ſi cruditas ventris non ſit, ſtatim morbo incipiente.* Reſpuit igitur, ac remoratur venæ ſectionem cruditas alimentorum in ventriculo: etſi adſint ſcopi eiuſdem auxilij, & præcipuum indicans à quo decernitur: prohibet namque illud in totum, vt nunc cruditatis alimentorum præſentia: immo nec iſtud ſolum, verum & indigent excrementa ſeparata iam ſint, & in inteſtinis deſcenſa. & quod magis eſt, etiã eodem teſtante Galeno libr. de cur. rat. per venæ ſect. ca. 20. indiget chilus iã ſemicoctus ſit in primis venis, & ab hepatis facultate ferè in ſanguinem mutatus, ad captandum opportunum tempus venæ ſectionis. Hinc lib. 9. meth. cap. 3. Iuueni ſynocho laboranti per tres ſoles illud auxilium diſtulit, & quia aſſumptus cibus (pòſt quem febris ſtatim corripuit) ægrè fuerat coctus, & tardè: tum quia etiam & primis diebus, nec idea febris adhuc ipſi abſolutè fuerat

rat

rat perſpecta. Si igitur Galenus, vt luce meridiana patet, ventriculum etiam à chilo, tum ab eius excrementis exoptat liberum, & iam ferè in ſanguinem mutatum expectat; & per tres dies, etiam vrgente ſynocho auxilium diſtulit; qua ratione licere putandum, poſt quartum horæ punctum, aut ad ſummum eiuſdem horæ ſemiſſem, vt illi inconſultò arbitrantur, deuorato nequidem liquido, verum ſolido, iecore inquam, aut ventriculo gallinæ, etiam & fruſtulo carnis aſſæ, permiſto ſimul panis fragmento, ientaculi more, ſanguinem haurire? ô delicati viri! ô myſteriorum anilium characteriſtici! certè magis hi cubantium delicias, & popularem auram perquirunt, quàm rei veritatem, & eumethodum, quid quod & iniuriam faciunt belligeræ huic noſtræ Hiſpaniæ genti, cum ad bellum fortes, ſtrenui, ad labores pariter patientes, conſtantes.

Quare ex prædicta Galeni doctrina elucet palàm, ſectionis venæ tempore ventriculum ab omni alimento debere eſſe mundum, vt ne calore deſtitutus, cruditas illius conſequeretur, & vnà ſurſum fuga vacui ad hepar raperetur, maximo cum ægrotantium diſcrimine. raptus namque crudus, & venas obſtruit, & putredinem concitat: aut ſi corruptus, aliquos effœtat præter naturam morbos. hoc idem etiam ex Antyllo Oribaſius ſcribit lib. 7. Collect. cap. 16. & non in venæ ſectione tantum præſtandum, coctionem videlicet alimentorum, & eorundem excrementorum deſcēſum, verum & quod magis eſt, etiam in ſcarificatis cucurbitis.

Dicent forte, ob minimam cibi portiunculam, ne iſthæc incommoda conſequi: quid quod & ſymptomata illa, à quibus vires quàm maximè labaſcũt,

cardiogmon,ac syncopem aufugere multò præstat. Assentimur planè, iis præsertim, quibus, aut ob biliosam temperiem, texturæ corporis laxitatem, & orificij ventriculi exquisitissimum sensum, aut aliâs lipothymia, aut syncope facilè prehenduntur, & roborandum esse eiusdem ventriculi os, & noxę futurę prẹuidendum. verum istud ne alimentis quidem fas, ob nuper assignatas rationes, sed medicamentis potius tum exterius appositis, tum interius assumptis. nam vti hæc nullam in se includunt noxã: ita cibi, semper quidpiã damni, ad proportionẽ, minimum parci, multum multi. Satius itaq; multo est concoctis alimentis, ac ferè distributis, tum excremẽtis descensis ad intestina venas cunctis ægrotantibus scindere. nã etiã & in his, qui per epicratim sanãtur, expectamus hanc coctionem: sed cum vires obseruemus lãguidas, promiscuè easdem reficimus. Quamobrem iuxta rationalẽ methodum consulerẽ, quibus scindenda vena, & vires iugiter languidæ, aut fortè timeatur lipothymia, per aliquod adæquatũ tẽpus iusculũ pullæ porrigere, mox simul ea arte qua diximus os ventriculi roborare, quia illud alimentum iuris citissimè concoquitur, velociter aufugit, nullũ crassum in intestinis relinquit excremẽtum, vt ne horã quidẽ sustineat: quo tẽpore expectato, aut si mauis duplicato seriò vena tundẽda venit. elimino crassa illa alimẽta: & quia diutius morãtur in ventriculo, cum tardè concoquantur, & lentè distribuantur, & quia excrementis pollent crassis, quę omnia & longum desiderant tempus, & necessariò consulenda, & expectanda illa.

Tandem ignauè doctus Peramatus suam fulcitur opinionem auctoritate Auicennæ, & Auerrhois

rhois, cum vtrique ne istud quidem somniarint. hi etenim ambo in vniuersum, methodũ tradũt curãdi syncopem, siue ab orificio ventriculi ortam, aut aliâs: immò & vtriusque hæc est capitis peculiaris inscriptio, hoc institutum: neque vllibi affirmãt ante venæ sectionem cibis esse roborandum os ventriculi. quod si fortè dixissent, id flocci penderemus, cũ tutelares habeamus & rationẽ, & diuinissimũ Galenũ. à quo nec ipse Auicẽna eo loco recedit, cũ dicat, & accuratè, *quando aggregatur syncopis & febris, tunc syncopis dignior est curatione: & si indiget pauco vino detur permissũ cũ drachmis trib⁹ vini antiqui, aut si nõ, syrupi malorum antiqui, cuius resoluta est superfluitas, & phlebotomia quidem multoties addit in syncopi.* quasi dicat, venæ sectio sæpenumero excitat syncopem, verum hanc ne aliter sanandam præcipit, quam nuper assignata methodo: vti & idem Auerrhoes, roborando ventriculum mastiche, nardi spica, succo cytoneorum, foliorum vitis, si caussam habuerit calidam, sin frigidam diatrion pipereon. verum nec de cibis fit mentio, veluti neque de venę sectione. Hoc idem consulere videtur Galenus, à quo ipsi potarunt doctrinam, li. ad Glauc. cap. 14. *Prius ori ventriculi,* inquit, *prouidebimus, prædictis videlicet auxiliis, atque ità deinceps, vbi ipsum bene nobis sese habuerit, conuenientem totius corporis vacuationem faciemus.* Quare ante venæ sectionem, prædictis auxiliis est roborandus ventriculus, si timeatur ab illa syncopes, vel præcesserit aliquis affectus illorum, quos connumerat citato ad Glauc. loco, incoctio recens, morsus, & compressio eiusdem oris, vomitus praui alicuius succi, à cuius transitu molestia, & anxietas excitetur in eo. Quod si

istud fortè non præcaueant Medici, aut perire ægrotantes à venę sectione, aut in extremum periculum perduci, pro certo habet Galenus. Videant igitur quantum à Galeni mente recedant, ac veritate, nostri hi vlteriores Hispani.

Interest modò alteram replicemus difficultatem, cum Galenus consulat ante venæ sectionem esse excrementorum descensum, inquirẽdum; an sufficiat ista secretio, & expulsio ad intestina an potius illa, si sponte non mittantur ius sit foras extrahere. Hæc anilis quidem difficultas, ita copiosè exagitatur ab Horatio Augenio, viro huius nostræ ætatis docto li. 8. de sãg. miss. ca. 22. quod ne cęteris fiat in scandalum, quasi coacti, lustrare eam decreuimus. Hic itaque à quibusdam Galeni locis, à se haudquaquam intellectis, concludit alienum à ratione non esse prius aliquando venas tundere, mox clysterem inijcere.

Cæterum illud quamprimũ obseruandum est, nos modò non explorare an liceat clysterem infundere per reliqua omnia morborum tempora, post factas in eorum principio sanguinis vacuationes. hoc enim perquirere non puerile tãtum, verũ fatuũ. liquidò enim constat, vt comprobant vtriusque Parentis auctoritates, ab ipso Augenio recensitas, præstandum hoc quidem esse, & huius auxilij pariter necessitatem assiduus nobis approbat vsus. verũ an liceat aliquando, solo descensu excrementorum ad intestina contenti venam scindere, an perpetuò prius per infusum clysterem, aut glandẽ eadem foras emittere.

Hæc difficultas vertitur in vtrãque partẽ à variis Medicis, vt testatur inter reliquos Frãciscus Vallesius

ſius com. in libr. 4. de rat. vict. Horatius Augenius accuratè rem definit, ſed perperam Hippocratis, & Galeni locos ex libro 4. de rat. vict. ſen. 20. & 21. deſumptos in ſui defêſione m refert. nam omnes quidem eò tendunt, vt demonſtrent poſt ſectas venas, ſi amplius ob virium languorem occaſio abſit eiuſdem remedij vſus, cũ cauſam tunc morbificam, nequidem fas, quin prius cocta, cathartico vacuare, accedat iam vtriuſque auxilij loco, & venæ ſectionis, & cathartici, clyſterum vſus, quo tuto, citra diſcrimen aliquod expurgetur aliqua eiuſdem cauſæ morbificę portio. hoc idẽ & li. 4. met. ca. 4. & li. 1. de humoribus ſen. 12. appoſitè cõmẽdat Gal. non ſufficientibus viribus plures venarũ ſectiones leuioribus auxiliis ſenſim molẽ vitioſi humoris ſuſtinere, deponere, inter quę clyſteres iugiter replicat. vti & Hippocrates conſulit lib. de purgan. medicament.

Sit itaque totius difficultatis concluſio, ſufficere quidem vrgentiſſimo præſertim exiſtente morbo, inducias nullas præbente, deſcenſis iam excrementis ad inferiora inteſtina venam tundere. quid quod & non deſcenſis, quamuis rarò, vt ſuprà diximus, & idem præſtare liceat. verum exactius multò erit non ſolum expectare illorum deſcenſum, ſed ſi aluus non reſpondeat, ante venæ ſectionem aut iniecto clyſtere, aut impoſita glande foras illa demittere, ne fuga (vacui quod paratur venarum ſciſſione) ſugantur excrementa illa inutilia, ac ſæpè deterrima, quæ ceu talia natura ipſa foras intendit expellere. tum, cum in dies inteſtinis vti totius corporis cloaca plurima coaceruetur diuerſorum excrementorum colluuies, tum à iecore ac venis, tum ab ipſo ventriculo traiecta, &

expulsa, maxima hinc consequetur vtilitas ex clysterum vsu, abstersa omnino, & repurgata omni illa excrementorum colluuie ab intestinorum cauitate, ne suctionis ope iterum rursum reperetur, maximum inde corpori inducens detrimentum. Quare cum nulla offeratur tam breuis morula, etiam vrgentissimo existente affectu, quæ aliquem non præbeat locum infusioni clysteris: hic, venę sectionem totis viribus præcedat oportet. Hæc doctrina videtur deprompta ex ipsomet Galeno, etiá ex Archigene libro 3. de comp. med. sec. loc. cap. 1. dicens, *At verò vbi vehemens sit dolor*, auris videlicet, *aluus per clysterem validè subducatur, & sanguis à cubito detrahatur.* quo loco præmittit quidem clysterem venæ sectioni. rursus & libro 6. eiusdem de comp. med. sim. loc. cap. 3. *Si verò nihil tale apparuerit, augescat tamen malum, ita vt agrè transglutire possint ægri, & suffocationis principium sit nobis suspectum, aluus forti clystere, aut glande subducenda est, & vena cubiti secanda, cucurbitaque cum scarificatione collo ac mento affligenda. quod si ad nullum horum præsidiorum cedat, sed augeatur, vena sub lingua secentur &c.* Ex his libris, in quibus axiomata in vsum redegit Galenus, & methodum exercet remediorum, iuxta singulas morborum ideas, appositè rem aperit, & horum auxiliorum accuratè prosequitur ordinem, clysterem præmittit, ob nuper assignatas causas, mox venas tundit, vt à parte affecta reuellat, ac vacuet, iam, vt deriuet, cucurbitas affigit, quarum vsus inopportunus, corpore existente pleno, & proinde venæ sectionem sequantur est necesse, tandem sectionem consulit venarum quæ sub lingua sunt. harum enim sectio ne tuta quidem, quin

prius

prius omnino cessarit fluxus: hinc vltimo loco eandem disponit. O diuinum viri artificium! ô genium naturæ!

Anacephaleωsis totius methodi in hoc libro I. expositæ: de curatione morborum acutorum per venæ sectionem in menstruatis.

CAP. L.

EST hoc in more positum, institutóque maiorum nec à nostro Phœnice Galeno haud dubiè neglectum. dum in diexodica doctrina, tum ob rei subiectæ difficultatem, tum variam dicendi copiam sparsim vagantur doctores, mox illa eadem quasi per summa capita sub breui quadam periocha artificiosè comprehendere: vt hac compendiosa methodo, & cuncta illa fœlicius intelligi, & facilius multò in memoriæ ærario recondi queant. Nec est quod in tradendis exemplis immoremur; habemus antesignanum Galenum, qui pro mille sufficit vnus. hic itaque, post diffusas, ac sanè immensas, quantum diuinas, de pulsibus disputationes, quas acri, ac ineffabili eius ingenij vi industriè contexuit ipse, denuò illa cuncta sub synopsi, vniuersum illum oceanum, quasi sub cotyla comprehensus est. Nos hunc virum Medicorum exemplar prosequemur modò; & quæ diffusè interiectis plurimis scitu dignissimis, nostri huius consilij rationem lustrare valentibus, quamuis fortè frigidè, per totum hunc librum primum explanata fuere, tandem per summa capita, sub astricta nunc sylloge illa cuncta aperire con-

tendimus. qua, cunctis hoc iter aggredientibus, curationem inquam morborum acutorum per venæ sectionem in menstruatis, facilius multò fit, ac expeditius. Sed rem adoriamur.

Morbus ex hypothesi acutus, præter magnitudinem, quandam in se includit vehementiam, cuius acutiei ratione & breuis ille, ac celer, & periculum vnà coniunctum habet. quatenus hic magnus, magnum quidem auxilium indicat, quatenus acutus eiusdem auxilij sedulitatem, non respectu tantum suiipsius, quàtum motoris artificis. ita sanè, vt propria facultate celerrimè obsistat causæ, ac morbo, & concitatè pariter, cum volucris in his occasio, quàm citissimè à Medico adhibeatur.

Præterea & morbi acuti diligenter æstimanda efficiens causa, quæ in humoribus perpetuò existit. Rursus hæc causa, quatenus morbi fientes sunt, aut per illud quod fit simpliciter appellatur efficiens causa: quatenus verò morbi iam facti sunt, & adhuc persistit causa, iam non efficiens simpliciter, verum efficiens augens, aut conseruans vocatur. Et vtroque modo contingat, semper sui ablationem indicat per magnum remedium. ablationem, quia res præter naturam. per magnum remedium, quia & ipsa in suo esse magna, & magnum pariter germinat, aut fouet morbum. Quare, cum supponamus hanc magnam causam in humoribus existere, humores autem aut vacuatione, aut alteratione vincantur: si vacuatione, magnum vacuans indicabunt quidem, quod duplex tantum, aut venæ sectio, aut purgatio. hæc materies auxilij deliberabitur methodicè ex primis in-

indicantibus, & reliquis coindicantibus,tum ſcopis, & tandem ex obſeruatione naturæ eiuſdem auxilij.

Deliberemus modò, reliquis omiſſis, ex duobus præcipuè fontibus petita methodo adæquatam cauſæ morbificæ auxilij materiem, quamprimum ex naturæ humoris vacuandi. ſi itaque humor extrahendus (ſiue quia motus, reuulſionem indicans, ſiue quia multus vacuationem potius) eius naturæ fuerit, quod ſanguis in eo & vincat,& ſuam adhuc ſeruet ideam, ex Galeno paſſim, & libro præſertim quarto methodi capite ſexto, venæ ſectione præſtandum: ſin maximam ille corruptelam contraxerit, ſeparatus itidem, aut cacochymus redundet ſola purgatione educendus: quamuis aliquando poſſimus promiſcuè de alterutro auxilio deliberare, ob peculiares quaſdam indicationes. verum adæquatum huic vitio auxilium eſt purgatio. Porrò & ex altero fonte auxilium decernimus ex conſideratione videlicet futuri auxilij.Cum itaque venæ ſectio tutò, citò, nulla præmiſſa præparatione, nulla conſequente in corpore commotione humores vacuet: purgatio nec citò, cum humorum requirat coctionem, vaſorum itidem reſerationem, nec tutò cum corpus valdè exagitet, humores concitet, hæc in morborum principiis incommoda, grauis, ac ſæpe funeſta, illa opportuna, vtilis,commoda, ac ſalutaris, non vt reuellamus ſolum,verum & vacuemus.hinc de venæ ſect. potius deliberandum.

Selecta remedij ſpecie, quam licet auxilij materiem appellare, ad quantitatem mox conuolandum; hanc demetiemur ex morbi, eius cauſæ,

& virium quantitate. hæc enim cuncta insinuant quantum sit futurum auxilium; cum non modò morbo, & eius causæ postulantibus illud, æquandum sit:verum & viribus consentientibus tribuendum;coniectrix sanè doctrina.

Habita remedij tum qualitate, tum quantitate in simplici morbo acuto: eandem methodum exercebimus in complicato, siue cum mensurno sanguine, siue cum hæmorrhoido, instante, vel adstante. Hi fluxus si non typici, siue, si præter naturam, nisi copia excedant, nihil per se indicant: sin periodici; ceu secundum naturam, aut naturæ opus, sui conseruationem indicant potius. Quare illos seruabimus, haudquaquam vrgente affectu: nec vlla ratione accidemus, siue præsentes, siue instantes. sin affuerit vrgentia, aut ex auxilij dilatatione aliquod impendat vitæ discrimen, etiam illis fluxibus instantibus, aut præsentibus venas secabimus: dummodò morbus suam sedem non habuerit, aut in vteri corpore, aut eius vasis. quia tunc commoda exurgit, tam quæ per vterum, quã quæ per anum fit excretio, neque aliam nos moliri oportet, si vniuersam illa deplet multitudinem, seu morbi causam: sin minus, tunc arte supplendum, vt coniunctis ambabus vacuationibus, moles vniuersa inutilis deponatur. quod itidem & in priori illa instantia obseruandum.

Occasio consequitur; hæc, adstante morbo postulante, haudquaquam viribus reluctantibus, semper adest. verum ad priuatam occasionem, iuxta vsum materici auxilij non solum requiritur consideratio naturæ morbi postulantis, verum etiam &

fluorum

fluorum præſentium, aut inſtantium obſeruatio. quod eſt impedientium abſentia, vel eorundem æſtimatio. nam ſi morbus in ſua eſſentia exactè peracutus fuerit, aut ſympthomatum ſuperuenientium ratione, ob eorum videlicet cacoëthiam, aut ſui ratione, quia vehemens, ingens impendet ab eo periculum, tunc temporis quamprimum nos accingemus ad morbi illius curationem, etiam neglectis illis fluoribus. vnde peculiaris iſta occaſio indicabit tundendas eſſe venas. neque prohibens illud ſufficiens, cum præponderet magis morbi vrgentia. ſin autem morbus mitis ſit, aut etſi in ſua eſſentia acutus ſecuriſſimis tamen firmatus ſignis, citra ſymptomatum vrgentiam aliquam: tunc reſpectandus fluor, an cum impetu progrediatur, aut futurus expectetur, & ſic captanda occaſio. Si namque fluor ille quia imminutus morbi cauſſam deponere non ſufficiat, occaſio adeſt compenſandi naturæ defectum, iuxta copiam redundantis humoris, æſtimata quantitate illa imminuta iam repoſita, aut futura ad inſtar typicæ conſuetudinis.

Tandem modus vtendi, ſeu locus vacuationis per venæ ſectionem indicabitur, tum ex conſideratione loci præſertim patientis, ac eius ſitu, tum ex venarum coniugio, tam partis ſecandæ, quàm affectæ. Æſtimandus igitur morbus acutus an toti corpori ſit communis, qualis ſynochus, an priuatam in corpore habuerit ſedem. ſi communis quidem, quælibet pars commoda ad cauſſæ ablationem: quamuis fortè brachiorum interna vaſa aptiora. Si igitur huius notæ fuerit affectus, & menſes iugiter imminentes, vel præſentes, & vtrique imminuti, tam qui actu fluunt, quàm qui futuri expectantur (quod

typica consuetudo declarat) tunc temporis vtendi ratio postulat, ex venis infernis nos sanguinem hauriamus: vti & si fortè ob accisos menses, aut mãcos plethora aliqua fuerit in corpore collecta. dũmmodò si instantes fuerint relinquamus naturæ, quod per vterum, vel hæmorrhoidas reddere sibi moris est. Quod si abundè, iuxta typicam consuetudinem cuiusque indiuidui iam emanarint, cessato illo fluxu, quod superfluum adhuc relinquitur, respectu morbi tollemus; istud autem commodius, etiam in hac hypothesi, per supernas partes: ne fortè ducendo ad inferna profluuium aliquod maximum excitaremus.

Sin morbus acutus peculiari fruatur sede, & hæc pariter supra centrum hominis, etiam tunc status morbi est obseruandus: nam si hic in fieri, quam minus adhuc partes factas possidens, & ab vtero simul dependens, methodus docet, cum huic ferè simplex debeatur reuulsio, à parte mandante potius reuellamus, & si innotescat vterus, etiam ab ipso, infernis sectis venis fluxum retrahemus, si nullus, aut auarus & imminutus fuerit alter mensium fluxus. Inspiciẽdus namque si solus iste sufficiat, dum præsens est, & emendandus si parcus. porrò facta reuulsione ex mandante parte, si adhuc aliquis in parte perseuerarit affectus, per aliquas in ea partes factas, statim mox nos conuertemur ad morbi causæ coniunctæ deriuatiuam vacuationem, idque per viciniam & coniugium cum loco patiente. Sin autem morbus plurimas iam habuerit partes factas, & vrgens itidem sit, siue ab vtero, siue ab alia quacunque parte dependeat, tunc opportunè coniuges secabimus venas, locum affectum directò respicientes, neglectis

mẽ-

mensium aut hæmorrhoidum fluoribus. verum si medio modo se habuerit morbus, nec vrgentiam aliquam contraxerit, tunc præmissis supernis venarum sectionibus, iuxta locum affectum illas postulantem, & instantes iugiter fuerint menses, tum iuxta consuetudinem expectentur copiosi, naturæ illa copia relinquenda, consueta sibi ab vtero deponere, vt vtroque medio omnem vacuemus morbi caussam. quod si præsentes fuerint, inspiciemus tunc fluentis sanguinis impetum, quo non sufficiente, arte nos perficiemus, hauriendo sanguinem ex parte locum affectum respectante.

Hæc Philiotre sunt, quæ ad hanc spectant doctrinam, quam intactam huc vsque (quod sciam) reliquerunt omnes, vno dempto Galeno, qui adumbrata manu, ac perfunctoriè rem indixit, lib. meth. 9. ca. 5. Tu interim benignè hæc accipe, vtere, aut meliora redde.

to malum in nihilum redigi) æternitati ille, qui æternus, & solus est bonus hæc pulchra, hæcque optima seriò consecrauit. Arbitrans fortè malum esse, vt Plàto in Timęo censerat, pulchrum, & optimum velle dissoluere: quamuis Deus O.M. ex Angelico Thom. 1. p. quæst. 101. artic. 3. qua bonitate ductus cuncta creauit, eadem quando sibi placuerit dissoluere valeat, nos latente exolutionis ratione. Æternus igitur Auctor æternum & opus. hoc æternum καταχρηστικῶς appellamus. Inter opera verò cuncta præstantiori modo æternus homo. Innuit istud apertè optimus ille Philosophiæ Parens Termagnus Mercurius in Pimandro cum tria demonstret æterna Deum, Mundum, & Hominem. Deus, inquit, sui ipsius est sempiternus, Mundus restitutione cuiusq; indissolubilis: homo verò propter generis nobilitatem (cum iuxta D. Paullum, Act. 17. etiam ex Arato genus simus Dei) propagatione, resurrectione, & formæ immortalitate æternus. Deus itaque sempiternus, non alicuius vi, cum sit ipse sine principio principium, sed sui ipsius virtute. Mundus restitutione cuiusque (vt diximus) indissolubilis: qui etsi per particulas immutetur, non tamen interit, iuxta illud Hesiodi, lib. opera & dies:

Genitum nihil emoritur:
Sed transpositum vltrò, citróque
Formam priorem alterat.

Cum Hesiodo diuinus etiam congruit Ecclesiastes, cap. 4. dicens, *Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerent in æternum.* Reuolutione igitur, & occultatione, vt Termaximus innuit in æternum perseuerant. reuolutio conuersio est à non ente tali:

to malum in nihilum redigi) æternitati ille, qui æternus, & ſolus eſt bonus hæc pulchra, hæcque optima ſeriò conſecrauit. Arbitrans fortè malum eſſe, vt Plàto in Timęo cenſerat, pulchrum, & optimum velle diſſoluere: quamuis Deus O.M. ex Angelico Thom. 1. p. quæſt. 101. artic. 3. qua bonitate ductus cuncta creauit, eadem quando ſibi placuerit diſſoluere valeat, nos latente exolutionis ratione. Æternus igitur Auctor æternum & opus. hoc æternum καταχρηστικῶς appellamus. Inter opera verò cuncta præſtantiori modo æternus homo. Innuit iſtud apertè optimus ille Philoſophiæ Parens Termagnus Mercurius in Pimandro cum tria demonſtret æterna Deum, Mundum, & Hominem. Deus, inquit, ſui ipſius eſt ſempiternus, Mundus reſtitutione cuiuſq; indiſſolubilis: homo verò propter generis nobilitatem (cum iuxta D. Paullum, Act. 17. etiam ex Arato genus ſimus Dei) propagatione, reſurrectione, & formæ immortalitate æternus. Deus itaque ſempiternus, non alicuius vi, cum ſit ipſe ſine principio principium, ſed ſui ipſius virtute. Mundus reſtitutione cuiuſque (vt diximus) indiſſolubilis: qui etſi per particulas immutetur, non tamen interit, iuxta illud Heſiodi, lib. opera & dies:

Genitum nihil emoritur:
Sed tranſpoſitum vltrò, citròque
Formam priorem alterat.

Cum Heſiodo diuinus etiam congruit Eccleſiaſtes, cap. 4. dicens, *Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perſeuerent in æternum.* Reuolutione igitur, & occultatione, vt Termaximus innuit in æternum perſeuerant. reuolutio conuerſio eſt à non ente tali:

ad ens tale: occultatio indiuiduorũ interitus. Ad reuolutionis munus, adiunxit sũmus Naturæ Opifex, ceu partibus cuiuscũque generis mundi mutuorum officiorum natiuam quandam propensionem, & effectionem. istud eleganter, inter cætera, virgulta testantur, in quibus auida quædam inest, non in semine tantum, verum in toto corpore gignendi propensio, ardens ad reuolutionem cupiditas. Hinc illa fatalis exurgit Parcarum necessitas, quarum altera generationi, vitæ altera, & tertia tandem morti præficitur. Hincque reuolutio, & occultatio. illa igitur per generationem, vti hæc per priuationem mundum conseruant æternum. Fabuloso velamine replicarunt istud Antiqui, dum Priapum sinistra manu mentulam, altera verò falcem præ se ferentem pingebant, accurata ortus, & interitus symbola. Hippocrates diuinus hanc rerum omnium vicissitudinem, qua mundus seruatur æternus lib. de septimest. partu, num. 10. aureis his explanat verbis, *Quæ natura constant, transmutationes per temporum vicissitudinem habent, & mors eisdem per fatum est sorte designata. Declaratur autem in singulis, cum alia nascantur, alia corrumpantur.* Cum itaque per fatum, & vita, ac mors insinuetur, fatum quidem erit diuinus ordo, & naturalium caussarum series, vt Seneca Hispanorum doctissimus interpretatur, cui & homines, & reliqua sanè subiiciuntur. Huius igitur fati principium vita est ac generatio, finis per mortem transmutatio. Quare & fatum erit illud Apostoli, ad Rom. 9. *statutum est hominibus semel mori.* Nascendi semel, & semel moriendi lex. Vnde mors Græcis μόρος, quasi μοῖρα, id est fatum. Docet Homerus Græcorum honor, Iliad. Δ.

dum

dum de Menelao inquit, καὶ μοῖραν ἀναπλήσῃς βιότοιο, *Et fatum adimpleueris vitæ.* Et cum mortem vita præcedat sit necesse, ita ortum, & vitam necessariò subsequatur mors. Prius diuino Apostolo Æschylus appositè dixerat, *Statutum verò opus est, fatũ perferre.* quod & vates insignis Virgilius Æn. 8. perbellè, ineluctabile appellat. Verũ enimverò cum singularia omnia crearit omnipotens principia habentia corruptionis obnoxia, elementáque in eis (sublunaribus saltem, si cum Peripateticis sentimus) in se inuicem pugnantia coniunxerit semper, aut in amica quadam discordia, vt seriò Empedocles innuit, aut vt Heraclitus, ex differentibus pulcherrimum concentum oriri censet, & simul per discordiam fieri omnia, vt libro etiam 8. Ethicor. capit. 1. Aristoteles refert: haud dubiè hæc omnia cunctis creatis certam quandam præsagiebant ruinam. Quod igitur fatum appellabant Philosophi, Poëtæ nihil minus acutè, vt Hesiodus in Theogonia, sub ænigmatico Parcarum velamine idem lustrarunt. quæ & ortus, & interitus ab illis fingebantur auctores, & Iouis pariter, ac Themidis filiæ: à quibus vtrisque iustus omnis, ac diuinus promanat ordo, omnísque recta caussarũ series, dependet.

Cæterum in hominibus (proh dolor) per peccatum intrauit mors, ad Rom. 5. huius enim stimulus peccatum est, veluti virtus peccati lex, 1. Corint. ca. 15. qua lege neglecta homines impij manibus & verbis accersiuerunt eam, Sapient. 1. summa namque Dei benignitate in hoc genus humanum per origineam iustitiam homines inexterminabiles fuissent, omníque ex parte seruati immortales, vt ne per principia quidem naturæ corruptionem vnquam paterentur (etsi ab eisdem internis

principiis,quibus corpora constant corruptioni,& morti essent secundum naturam expositi 1. Corint. ça.15. nisi Protoplasti culpa, & in eo omnes nos vnà peccauissemus. Vnde auito quodam statu, & hereditario simul iure omnes nos mortem gustamus inexorabilem, omnes eodem ducimur, omnium versatur vrna. Culpa itaque nos fecit filios iræ, & abalienauit nos à summo illo honore filiationis Dei. & vt inquit Psalmographus psal.48.ita abiectos nos reddidit, quod vsque ad brutam viuendi, & mouendi rationem nos deiecerit. O infelicior cunctis mutatio! iuxta illud Boëthij,in consol.*infelicissimum infortunij genus fuisse fœlicem.* Hęc igitur communis est sors, communis & reuolutio hominis cum viuentibus reliquis, per quam indiuidua cuncta fatali quadam necessitate in non ente tali terminantur: per alteram autem occultationis legem,summam Dei sapientiam indicantem, eadem renouantur indiuidua,& cunctarum rerum species seruantur æternę.Eleganti hoc descripsit metaphora diuinus Plato li.6.de leg.dum inquit, *Quod gignentes, & alentes liberos vitam, tanquam lampada aliis ex aliis tradunt.* quam eandem allegoriam, etiam perbellè Lucretius, li.2. de Natu. his versibus declarat,

Sic rerum summa nouatur
Semper,& inter se mortales mutua viuunt,
Augescunt aliæ gentes,aliæ minuuntur:
Inque breui spatio mutantur secla animantum,
Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

De hoc ἀγῶνα λαμπαδήχους, apud Athenienses vsitatissimo, nostrisque temporibus in choræis frequens;plurima Aristophanis Scholiastes refert,tum adhuc

adhuc diffusius Harpocratius in voce λαμπάδιον, nec minus & aliqua Ilæus Græcus Rhetor.

Sapientissimus itaque huius orbis theatri gubernator admirabili quadam arte, ne suo frustraretur opere, rerum omnium species propagatione ineffabili, vt docet etiam Aristoteles lib. 2. de Gener. animal. ca. 1. æternitati addixit: æquiuocum tantum quibusdam tribuens patrem, elementa matris rationē habentia. aliis verò, ceu nobilioribus, quales sunt perfectorum animalium species, in Zoogomia insigniori quodam modo, duplicem constituit sexum. in qualibet autem illarum, hos sexus distinxit ita, vt maris extra, fœminæ verò in proprio vteri claustro germinet. quid quod & vterque horum animalium sexus venereis quibusdam concitati illecebris, turgenterq; ab eisdem igniculis commoti, mutuo capti appetitu, in se inuicē tandem ingrediuntur. quo insigni artificio, accuratissimè à doctissimo & sanctissimo viro Clemente Alexandrino libr. 2. Pædag. ca. 10. exposito, conceptio fit. Neque amabò hic sermo alicuius delicati aures offendat, cum nobis præsertim arcanorum naturæ sedulis exploratoribus, vti nec reliquis, ex eodē Clemente turpe non sit ad auditorum vtilitatem rem pressius explanare, nominaréve partes, in quibus fit fœtus conceptio, quas Deum non puduit fabricari. Hoc igitur medio artifex diuinus affabrè, ac seriò suum attingit finem & augendi, & conseruandi cunctorum perfectorum animalium species, Galen. libr. 14. de vsu part. cap. 2. Reparat enim interitum fœtus, & dum senio conficitur animal, nouos iterum emittit partus ad auras, nunquam his fatalibus legibus

Natura deficiendo. Almæ huius Veneris imperium in cuncta animalia, (nam *nec solos tangit Atridas iste dolor*. libr. nono Æneid. eleganter demonstrat perdoctus Lucretius libro primo de Natur. his verbis,

per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, visitque exortum lumina solis.

Et rursum paulo post, iuxta veteris codicis lectionē

Inlecebrisque tuis omnis natura animantum,
Te sequitur cupidè, quò quamque inducere pergis.

Vnde Catullus Epithal. in Manl. & Iuliam, sic accinit,

Nulla quit sine te domus liberos dare, nec parens
Stirpe dicier, &c.

Homo, diuinum animal, operum summi Artificis periocha, & perfectissimarum eius actionum extremum, tanquam totius vniuersi decus, etiam mutuis nexibus corporis & animi exornatur, coagmentatus. Porrò, mirabile factu, vt pius & doctus refert Lactantius li. 2. de orig. err. ca. 13. extremis conglomeratur homo, spiritu & corpore, æterno & corruptibili, cælesti ac terreno, luce ac tenebris, vita & morte, vt ex tam ineffabili opere, admirabilis facta sit scientia Dei: vt vatem interpretantur Basilius, Nicetas, tum Eugubinus, ps. 138. Hic itaq; homo nó solum per corpus, ignobiliorem sanè partem, cõmuniori illo nixus medio, fit æternus: verum & per formam, auram videlicet diuinam, omni forma præstantiorem, vt canit idem vates diuinus psal. 8. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, æternitatem pariter adipiscitur fœlicem. Quid quod & secundi Adami meritis, ac gratia, in quo omnes nos resurgemus; 2. Cor. 4. cũ qui suscitauit Iesvm Dominũ, &

no-

nos cũ Iesu suscitabit,totus homo fœlici illa,ac beata fruetur æternitate. Veritas hæc infallibilis carnis resurrectionis, nec oculatissimum latuit Trismegistum,quam fortè à Patriatha doctissimo Abrahamo per traditionem acceperat ipse. hic enim, testante Iosepho lib.1.Antiq.Iudaic. ca. 9. & Eusebio Cæsariensi ca 4.tum lib.de temp.tum lib.de præparat.Euangel.ca. 24. D.Isidoro Hispalensi Episcopo lib.3. Orig.Ægyptios per aliquot erudiit annos, plurimísque,ac maximis quidẽ scientiis eosdem imbuit; quas ipse oretenus ab humani generis instauratore Noëmo, veluti iste ab illustrissimo viro Henoco,& tandẽ Henocus à cõmuni omniũ Parente, & primo satore Adamo studiosè receperat. *Verum* clarissimi Mercurij in Pimand.hæc sunt verba;*Sensus corporei partes animæ facti.suos in fontes refluunt,aliquando in suos actus iterũ surrecturi.* Ægyptij itaq;, quorũ præceptor, ac princeps Trismegistus fuit,diuinã sapiẽtiá proculdubio àChaldęis suscepere,&ab his rurs⁹, fortè per medios Phœnices (vt quidã arbitrãtur)cũ potẽtia,& sciẽtiis per aliquod tempus floruerint)ad Græcos fuit vberrimè trãslata:quãuis etiá ab his cũctis, permultis impiis idololatriæ erroribus menstruata.Hinc Plato ingenio præstás vir,& inter Gręcos Philosophos familiã ducens,hanc indẽ resurrectionis veritatem,ab eiusdẽ hauddubiè Mercurij in Phædon. fóte haustã,his verbis explicat; *Vetus quidẽ hic extat sermo, cuius memores sumus, abire quidẽ illuc animas defunctorũ,rursúsque huc reuerti,fierique ex mortuis &c.* Sed quod in hac sententia istud velit insinuare Plato,grauissimus D.Eusebius li.11.de prępar.Euãg.c.18.exsertè defẽdit, hoc idẽ eiusdẽ Platonis interpres, & paraphrastes doctissimus Marsilius

Ficinus,in argumēto eiusdē Plat.li.necnō & eruditissimus vir Augustinus Eugubinus li.9.de Perenni Philosophia ca.29.& 30.haudquaquam animarū per corpora transmigrationem , vt fœdè quidam censuêre.

Cum igitur tot,tantísque muneribus hominē illustrarit Omnipotens,cúmque inter reliqua beneficia,hoc conseruationis per propagationem cunctis viuētibus cōmune,infimum fortè locū teneat. tamen id ipsum eminētiori quodā modo insigniuit,in hac mirabili hominum specie,Gene.1.2.cum sub matrimonij fœdere , mutuus ille diuersorum sexuum amplexus,magno & indissolubili sanciuerit sacramentoquo(vt naturalis coniunctio)rato & consummato,marève fœminā ingrediente,prolifica vtrique effundentes semina , muliebribus locis sequestrata,homo generatur nouus , reparatúrque nunquam his naturæ legibus deficientibus occultatio & speciei humanæ mortalitas. Quod nec mediocre munus Dei,imò & prçstans matrimonij scopus, dare liberos generis propagatores:vti iubar illud splendidū D.Ambrosius com.illo insigni in D. Lucam ca.1.repetit,*à quibus cupit, & vult coli ipse Deus.*cuius dulces deliciæ sunt, cū filiis esse hominū.diuinus Plato li.6.de leg.diuinè itidem hoc cecinit prius,*Oportet eam ob causam liberos propagare & post se relinquere,vt singuli Deo alios ministros,siue cultores suo loco substituant.* Antiquissimus rursus Trismegistus,adhuc ipso Plat. prius itidē cōfirmat in Pimād.*Generatio* inquit,*hominū ad diuinorū operum cognitionē*,&c.Scopus igitur aliter matrimonij est,liberos habere contēplātes sūmi opificis opera, Deum exaltantes, & cultum erigentes,innuūt hęc,

illa

illa diuina verbaRaphaelis Archangeli ad Tobiam, Tob. 6. *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quàm libidine ductus: vt in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.*

Cæterum ad hunc finem consequendum, quatuor præcipua, secundum naturam requiruntur, locus conceptionis, & hic vteri claustrum benè dispositum est, sua proprietate, ac caloris viuifici facultate vim generatricem exigens, in semine pressam nuper iacentem. Semen vtrunque deinceps; quod itidem vtrumque (renuente Aristotele) non solum ad fœtus opificium materiem præbet, verum in vnam numero causam iugiter concurrendo, generationis, ac formationis fit auctor, opúsque architectatur. tandem spectatur & menstruus sanguis, qui tantum se offert vt materies, & ex eo, vna cum vtroque semine promiscuè fœtus generetur, & augeatur, cum hoc tamen discrimine, quod mensurnus sanguis, tantum se habet passiuè (vt cum nostris Theologis loquamur) semen autem vtrumque & passiuè, quatenus subiicitur, & materiem subministrat, & actiuè, quatenus vim continet generatricem, ac formatricem. Occurrunt igitur quatuor ad hoc mirabile condendum opus, locus, artifex, & duplex specie distincta materies. Neque approbo Aristotelis panificij analogiam: in qua quatuor illa reperiri inquit, farinā, fermentum, aquā, & furnum. cum in hac absit præstans causa efficiēs, ab Aristotele ibi neglecta, nisi fortè impropriè sub fermento contineri arbitretur, res quidem dissitæ. nam quod in panificio est panifex, in conceptione facultas generatrix, & formatrix, in vtroque inhærens semine. quę vis in fermento quidem abest, tum

& in Aristotelica analogia. Hæc autem vis, diuina sanè,& admirabilis,à cunctis suspicitur naturæ exploratoribus, maximísque effertur laudibus, etiam & ab vno preclaro D.Hieronymo,epist.contra Rufinum,dum in admirationem trahitur,& quod magis est,etiam in illa seminis colluuie recondita.

Supremus Architectus,Sapient.8.qui attingens à fine vsque ad finem cuncta disponit & suauiter & fortiter,hoc mediante organo facultatis, admirabilem hanc totius corporis humani fabricam generat,disponit,perficit; & istud tanto artificio, quantum accuratissimè describitur à summo illo Philosopho,& tragico viro Iobo,cap.10. vt ne à sacra veritate recedamus.huius itaque hæc sunt diuina verba;*Nonne sicut lac mulsisti me,& sicut caseum me coagulasti? pelle, & carnibus vestißi me,oßibus, & neruis compegisti me,vitam, & misericordiam tribuisti mihi?* Haudquaquam modò assentior elumbi Ioannis Pinedæ interpretationi, vers. 10. illud referentis (coactè sanè) ad primam illam Protoplasti ex limo formationem, in c.10.Iob.de qua iam nuper loquutus fuerat Iobus. Verum iuxta doctissimorum virorũ mentem,Olympiadori,Lyræ, & aliorum referenda sunt verba ad communem reliquorum hominum generationis ideam. Apposité itaque plus Philosophus seriem generationis hominis ex semine describit:& quo ordine, Naturæ Auctor in hoc condendo opificio se habet, similiter & eodem verborum ordine, ac serie ipse eleganter procedit. Semen itaque per priores conceptionis dies in vteri hortulo, quasi lac mulsum apparet,fluxile,ac diffluens: sic enim vsus postulabat, vt difflueret à maris receptaculo ad fœminæ vsque claustrum. Concentum

autem

autem habent vtraque hæc, tum quia ambo tertiæ coctionis sunt excrementa, ab eadem efficienti causa, calore videlicet natiuo elaborata, tum quia vtriusque eadem materies, sanguis scilicet. hoc solo potissimum intercedente discrimine, quod alterum in mammis, alterum verò in vasis parastatibus, ac testibus gignatur. quæ partes cuique excremento specificam tribuunt formam, & specificum temperamentum, vnde exurgunt distinctissimæ illæ facultates. Sub eodem autem dierum septenario, illud quasi lac, semen inquam, ad instar casei coagulatur, mediante spiritu spermatico, quoquo versum se per semen pandente, & viuifico vnà calore vteri. Coacto mox semine, vt iam externam figuram recipere queat, quamprimum pelle vestitur, non secundinis tantum, membraneæ naturæ, à fœminæ spermate ortum trahentibus, officináque naturæ suis edendis actionibus conueniens; verum & cute postea, à qua vniuersum ambitur corpus, & summo decore exornatur. Porrò in intimis embryonis visceribus caro parenchyma generatur, primum iecur hæmatoseos, statim & cor caloris fons, mox & vtriusque sanguinis vasa: nam cum affirmante Hippocrate Galenus libro de fœtuum format. capite quinto etiam fœdè tenuente passim Aristotele tum 2. de generat. animalium, capite quarto, tum tertio de partibus eorundem, capite quarto, & libro de Adolescentia &c. capite secundo, iecur quamprimum gignitur, cor deinde, ac reliqua sensim, vnà cum instrumentis ab hisce sontibus exortis. cerebrum tandem, alterum ex tribus præcipuis organis, & neruorum pariter origo, formatur: atq; ita opifex causa se

habet in his, vt dum membrum aliquod absoluit, à fœtu non excedat, mandátque ei, vt reliqua prosequatur. verum istud præstat magno artificio, vni præsertim intenta, & aliis non neglectis. Ossa denique, ceu fulcra, ac totius corporis stabilimenta vltimò architectatur natura, à semine ortum trahentia, vti cerebrum, & nerui. cérebrum primum sensorium, & pręstans animæ arx ac metropolis, nerui, organa sensum ac motum deferentia; ossa corporis quasi bases, quod innuunt verba illa, *oßibus compegisti me*. Carnes verò omnes à sanguine mẽstruo exoriuntur, tam parenchymæ, quã quæ musculosæ appellantur, & ceu distinctæ, distinctis pariter fruuntur officiis, quæ Lector prudens ex Galeno, libro illo ineffabili de vsu totius corporis humani partium, perbellè sibi poterit comparare. Huius itaque admirabilis ordinis hæc est ratio; cum natura à minus perfectis ad perfectiora vsque semper progrediatur; quamprimum embryon vita fruitur plantæ: hinc prius fabricantur organa, ad hunc vsum necessaria. iam rursus vita gaudet perfectiori, seu animali: & similiter opportuna ad hoc munus finguntur instrumenta. ad meliorem vitam tribuuntur fulcra, vt partes omnes per illa solidentur, ac firmentur. Cuncta hæc ceu præuiæ dispositiones sunt ad nobiliorem introducẽdam formam. Quare celebri, ac insigni hoc tentorio affabrè elaborato, etiam in eodem naturæ instanti, ac temporis, ab extrinseco aduenit, non de potentia materiæ educta, nec à Naturæ visceribus emanans, vti in reliquis viuentibus, immo immediatè ac singillatim à summo opifice Deo O.M. creata, Psalm. 32. anima videlicet rationis capax, aura sanè diuina, Plasmatori

ri

ri ſimilitudo, & imago, in illúdque corpuſculum infunditur, & ei aſſociata eius actus, & forma fit, ἐντελέχεια, & ἐνέργεια. Præclarum hunc opificis progreſſum, & ineffabilem rerum ordinem dum contemplaretur idem Diuus Philoſophus Iobus vltimo concinit, in hæc prorumpens diuina verba; *vitam, & miſericordiam tribuiſti mihi.* Vitam, etiam vt interpretantur omnes ſacri doctores, animam, cuius actus vita eſt: miſericordiam, Thomas Angelicus com. in ca. 10. Iob. interpretatur virtutes, alij liberum arbitrium, alij verò ſenſus internos, & externos. fortè & clementiam Dei reſpectat, quia non meritis cuiuſq;, verum per viſcera miſericordię Dei noſtri, (haudquaquam naturæ nutu) hanc animam, tam altioris originis, vt verè imago, & ſimilitudo dicatur, & ſit, Gen. 2. afflatu quodam diuino nobis clementer impartitur. Concludit diexodon, confitendo, & laudando huius Artificis, tum ſummam potentiam, tum pariter & eiuſdem prouidentiam, dicens, *Et viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum,* Quod eſt illud diuiniſſimi Pauli Actorum 17. *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* iam à Græcis Poëtis, Arato præſertim antea dictum, tum à Cicerone Orat. pro Sex. Roſc. aureis hiſce verbis, *Commoda quibus vtimur, lucem qua fruimur, ſpiritum quem ducimus à Deo nobis dari, & impartiri videmus.* Diuina itaque prouidentia ſeruamur in vtero; aliter enim hauddubiè mille modis periiſſemus, in illo anguſto, & obſcuro vteri ergaſtulo: extra vterum luce etiam fruimur, & commodis non minimis quotidie ab illo largitore emanantibus vtimur. Quamobrem hæc ſunt, quæ in illo exiguo fœmineo clauſtro, per totum grauidationis tempus ſum-

ma prouidentia operantur: in quo per varios casus, variáque rerum discrimina fœminæ ipsæ grauissimis solent lacessiri morbis, ferinis sæpè, hostilibus, ac funestis cruciari symptomatis, magna quidem cum fœtarum, ac fœtus concepti iactura, & clade.

Nos igitur vt tot, & tantis sedulò prouideamus incommodis methodum trademus exactam, qua per venæ sectionem earundem morbos sanemus. in qua doctrina dædalei apparent labyrinthi, inextricabiles se offerunt mæandri, quos, impetrato prius diuino auxilio, nostra tenui diligentia expeditos reddere modò conabimur; quantum & nobis fas erit, & per artem nostram vnà licuerit. lubet autem in hoc vastum mare aliquantisper periclitari.

De grauitate morborum vtero gerentium.

Cap. II.

QVemadmodum officiosa, tum sagax Natura, miro quodam artificio disponit omnia; eadem ineffabili serie instituit, temporibus, atque locis opportunis seriò collocat, admirabili tandem vicissitudine munia sua obeuntia perficit: similiter & nos eius debitores: eo artificio, eóve ordine, quo cuncta illa prosequitur, in hac nostra Iatrologia, ceu solertes eius ęmulatores, exagitanda modò proponimus. Cæterum cum ipsam videamus in iocundissimo veris tempore virentibus plantis luxuriare, statim eiusdem vi germinatos iam flores prosilire, grauidari mox per æstatem, & maturos fructus pro-

prodere. Fœminas pariter in ipso veris tempore obseruamus, sub pubescenti videlicet ætate eadem serie suas primas emittere efflorescentias, iam rursus viros ingressas effœtari, suósque tandem maturos iam partus in lucem edere. Tenemur & nos, postquam prima illa florum tempora transegerimus; in quibus methodum tradidimus curandi morbos acutos cum mensium efflorescentia connexas: eodem seruato ordine, mox ad grauidas translati, eorum morbos & curandi methodum explorare, enixas in sequenti examinatuni.

Consilium nobis itaque in hoc libro est, methodum tradere morbos acutos curandi, in vtero gerentibus: verum & illo ab Antiquis tantopere in hac hypothesi deplorato remedio, venæ scilicet sectione, ardua quidem res, difficilis, & omni exceptione maior. difficultatem auget, quod in grauidis morbi ex sua natura difficiles, grauissimi, ac sæpe lethales, qui, qua tales maxima, ac sæpe extrema auxilia postulant, respuit eadem conceptio. Istud comprobat accuratè Galenus lib. 5. Aph. sen. 55. dicens, *Neque enim Medici propterea quod prægnans esset mulier, potens aliquod remedium adhibere, neque exquisitam victus rationem imperare ipsis sustinuerunt.* Si igitur morbis existentibus acutissimis illa vehementia auxilia non adhibeantur, & ad instar corūdē morborū exquisita victus ratio non imperetur, exitium sanè expectandum, & funesta mors. Grauitatem morbi rursus declarat Hippocrates lib. 1. de morbis, nu. 3. quo loco, cum tres traderet morborum differentias lethalium, ancipitum, & salubrium, hæc infert, *Si mulier vtero gerens perineumonia, pleuritide, phrenitide,*

& ardente febre corripiatur, aut erisipelas in vtero fiat, necessitatem habet vt ab ipsis perimatur. Apposité & has easdem obseruationes lib.5.Aph.sen.30. diuino quodam sanxit oraculo, *Mulierem grauidam,* dicens, *morbo quopiam acuto corripi* θανάσιμον, *lethale.* Et quamuis istud ex Galeni mente, non vt semper, sed vt plurimum intelligendum: tamen illud superioris sententiæ *necessitatem habet*, si conferamus cum hoc, *lethale*, dicendum, morbos fœtarum acutos, non vt plurimum tantum, verum quasi ex necessitate, grauidas in lethe submergere. præsertim cum Hippocratis, ac reliquorum antiquorum temporibus, etiam & Galeni, infelices grauidę maximo illo auxilio, ac penè vnico ac necessario ad morborum magnorum sublationem, omnino priuarentur. quo quidem nunc auxilio, plurimos ab orco redimi passim videmus, experimur.

Grauitatis, ac vehementiæ horum morborum caussam videtur Naturæ genius Aristoteles assignare lib.4. de animal. gener. c.6. cum dicat: Bruta dum vtero gerunt magna ex parte optimè valere, mulieres contra plerunque ægrotare: quia illa consumūt labore excrementa, hæ verò otio, ac sedentaria vita maximam illorum accumulant copiam. Et proinde mulieres quæ multum se exercent prægnantes, & melius degunt, & facilius pariunt. Huic & altera quit addi ratio, copia videlicet alimentorum praui succi, quibus illæ per totum grauidationis tempus & intemperanter, & intempestiuè vescuntur. Inter hæc, nec infima altera ratio est, pathematum inquam, quibus & maximè subiiciuntur ipsæ, & facilè permutantur. irascuntur enim citò, timent, miserentur, mœrore conficiuntur, excandescunt, à quibus

bus durè lancinatur corpus,ſiccatur,corrumpitur, & omnis denique ſanguis viuificus in vaſis ſtabulatus,torrefit, exuritur,aſſatur.hinc languent vires, exoluuntur ſpiritus,partes cunctæ ſuo dulci depauperantur nectare. Quare ex hac,variis artibus coacervata excrementorum colluuie, quadam ſimul prauitate infecta, ab ipſo pariter fœtu ſibi vtili ac dulciori attracto ſanguine, fœculento, inutili, ac prauo per vniuerſos corporis tubos redundante; quid mirum ſi lethales ab his, ferini, ac funeſti in fœtis generentur morbi? Proinde diuinus Hippocrates ſolers explorator,ceu rariſſimum exemplum (vt accuratè itidem adnotat in commẽtario Galenus) hiſtoriam refert cuiuſdam vtero gerentis, etiam in littore decumbentis lib. 1. Epidem.comm.3. ſen.30.quæ cùm grauiſſimo laboraſſet morbo, comitantibus vnà ſæuiſſimis, ac ferinis ſymptomatis, abſque vlla matris, ac fœtus iactura, à cunctis his decimoquarto ſole abſolutè liberatur. Cum igitur fœtarum morbi vehementes ſint,quibus, ex vi methodi vehementia, & magna debentur auxilia, qualia illa duo præſtantia, illorum morborum cauſſas vnicè reſpectantia,venæ ſectio,& purgatio, antiquis illis viris ferè omnino fœtis interdicta: per conſequens, & lethaliores multò erunt huiuſmodi morbi, ex illorum auxiliorum defectu. Si namque ferini illi, etiam appoſitis, ac ſedulò adhibitis auxiliis;quid fiet in arido ligno?in morbis videlicet,in ſua ſpecie,ac cauſſæ ratione funeſtis,omni præſtanti deſtitutis auxilio?

Quod purgationem etiam ſeculum illud interdictam habuerit Præceptor declarat lib. 4. Aphor. ſen. 1. cum tantum turgente materia eam admittat,

adhuc & parcè, religiosè, ac cautè adhibitam. eius hæc sunt verba, *Prægnantes purgabis, si materia turgeat, quadrimestres, & vsque ad septimum mensem, sed has parcius. Minore verò, aut grandiore conceptu cautius, religiosiúsque agendum.* Interdicit itaque Hippocrates manifestò fœtis ipsis cathartica. admittit tantum, turgente materia, à quarto ad septimum, quia robustior fœtus, & tenacius hærens, parcè tamen: in aliis verò temporibus, siue ante quartum, per oppositam rationem, siue post septimum, quia copiosiori tunc fœtus indiget alimento, & quia difficilius multò tunc mutationes sustinet fœta, non solum parcè, verum & cautè, ac religiosè largienda: idque semper, in cunctis temporibus turgente tantum materia, haudquaquam aliter, ius. Neque confugiendum cum plurimis ex Neotericis, licere nobis, ob nostri æui pharmacorum lenitatem, quibus carebat antiquum illud sæculum. nam ridiculum sanè, ætatem illam caruisse clementibus pharmacis, & crassa ignorantia: cum & horum frequens esset apud illos vsus, vt aloës, mercurialis, seminis enici, prunorum, senæ, agarici, absinthij, fumariæ epithymi, polypodij, lactis seri, iuris galli veteris, ac etiā mellis aërei, quod mannam nostra vocat ætás, & iugiter aliorum. non igitur horum interdicebatur vsus, quia fortiora, vel clementiora. sed quia nullus horum in grauidis, iuxta illorum sententiam tutus erat vsus. à vehementioribus abhorrebant maximè, quia multum illorum agitant corpus, ac fœtum vnà. vnde hæc in grauidis vllatenus admittenda. à clementioribus verò, quia & hæc nihil minus, & corpus commouent, & humores exagitant, & per consequens etiam in abortus

abortus periculum inducunt. verum quia mitius se habent hæc turgente materia, ad maiorem incommodum prohibendum, locum ista habent; quid quod & istud adhuc præstandum cautè, parcè, ac religiosè. Fœminæ namque à leuissima sanè caussa, vt plurimum abortiuntur, à minima videlicet pedum offensione, ab exiguo corporis flexu, à leui timore, à fœtore elychnij, quod magis est, vt accuratè obseruat Plinius lib.7.de nat.hist.& ab aliis quamplurimis parui momenti rebus. Ius est igitur eas ne commouere quidem, ne partum abigant, vt hoc medio in vitæ discrimine deducantur vtrumque. Hæc est Hippocratis, & Antiquorum sententia de pharmacorum vsu in grauidis.

Cæterum, quod maximũ est, in omni grauidationis tempore, in omni pariter occasione respuit Hippocrates venæ sectionis vsum in fœtis: admissa purgatione, turgente saltem materie, ceu res deplorata, nisi ei hoc auxilio quamprimum succurratur, legem condit lib.5.Aph.sen.31.quæ sic habet, *Mulier in vtero ferens secta vena abortitur, eòque magis, si fœtus sit grandior.* Simpliciter itaque venæ sectionem abortum facere declarat, nulla pręmissa distinctione. omnem igitur morbum, & omne opportunum tempus obseruat. nusquam igitur admittendum auxilium. Ratio, qua inducebatur Hippocrates hæc est, quia çum venæ sectio directò retrahat sanguinem, omni tempore ad nutricatum fœtus necessarium, hinc in quolibet grauiditatis tempore valens fœtum corrumpere, suo viuifico nectare destitutum: & quia, nec leue quidem, mater in maximũ pducitur vitę discrimẽ. hoc innuẽte iugiter eodẽ Dictatore, eodẽ itidẽ lib.5.Aph.sen. 55.cũ dicat, *Q... ... febribus corripiun-*

tur, & difficulter, & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur. quib. vltimis verbis apertè insinuat contrahi periculum ex abortu. nec difficilis ratio, quia ceu res præter naturam, & violenta, symptomata pariter inducens maxima, nihil minus & virium exolutionem, quid ni matrem exponet periculo? Quare fugiendum tale auxilium omni tempore, & in omni occasione, ceu vndequaque nociuum, & maximis incommodis circumscriptum Constat itaque ex his, iuxta Hippocratis, & Antiquorum sententiam, cui dlaudit Galenus, prægnantes illis magnis auxiliis, tantum in morborum acutorum curationibus commendatis omnino priuari: quibus haud dubiè destitutis, melioris spei ferè nihil amplius superest. graues igitur fœtarum morbi, immò & funesti.

Verum hæc modò diligenter, ac seriò examinanda veniunt; an scilicet venæ sectio simpliciter, ob abortus metum abdicanda, an & fœtis vitæ periculum inducat: nobis itidem, an liceat per venæ sectionem morbos grauidarum acutos sanare: & tandem, an pars affirmans hujus quæstionis Hippocrati reluctetur, tum & methodo vtriusque Medicinæ Parentis: sub manu alia emergent fortasse.

An vtero gerentibus morbo acuto lacessitis sit vena scindenda.

Cap. III.

Lis grauis inter celebres Medicos iam dudum versatur, An grauidis etiam acuto quopiam morbo laborantibus venam scindere ius, nec ne. Ingens

Ingens opus:ſed ſtringam. Hippocrates inuictiſſimus Græcorum coryphæus, læneus inuulnerabilis negat: affirmat conſularis vir Aurelius, Cornelius, Celſus, alter Latinus Hippocrates, vtroſque inſequuntur ſtrenui viri. Lubet modò litem hanc in rem noſtram vertere, & vtriſque conteſtantibus componere, ac dirimere. quia Silio Italico teſte lib. 11. belli Pun.

Pax optima rerum,
Quas homini nouiſſe datum eſt, pax vna triumphis
Innumeris potior.

Innumeris potior, quia ex Demoſthene in orat. de reb. Cherrhon. tranquilla, optima, ſalutaris, nihilominus & effectus belli, & Iuſtitiæ filia. Iuſtitia autem, cum cuique ſuum ius tribuat, ſpe ducti quique mentem aperiunt. Ad ἀδιανοίας tribunal quamprimum concurſabat inſignis Romanus Celſus, & cum ipſo plures, ac nobiles viri, Iudicem prenſantes, orantéſque vt cauſſam illorum cognoſceret, ne grauidarum numerus, tanto deſtitutus auxilio damnatum vellet: verum impetrato ſilentio, in oratoris habitum formatus, ſic cœpit libro 2. capit. 10. *Sanguinem inciſa vena mitti nouum non eſt, ſed nullum penè morbum eſſe, in quo non mittatur, nouum eſt. Item mitti iunioribus, & fœminis vterum non gerentibus, vetus eſt. in pueris verò idem experiri, & in ſenioribus, & in grauidis quoque mulieribus vetus non eſt: ſiquidem antiqui primam, vltimámque ætatem ſuſtinere non poſſe hoc auxilij genus iudicabant, perſuaſerántque ſibi mulierem grauidam, quæ ita curata eſſet, abortum eſſe facturam. Poſteà verò vſus oſtendit, nihil ex his eſſe perpetuum, aliáſque potiores obſeruationes adhibendas eſſe, ad quas dirigi cu-*

habet in his, vt dum membrum aliquod absoluit, à fœtu non excedat, mandátque ei, vt reliqua prosequatur. verum istud præstat magno artificio, vni præsertim intenta, & aliis non neglectis. Ossa denique, ceu fulcra, ac totius corporis stabilimenta vltimò architectatur natura, à semine ortum trahentia, vti cerebrum, & nerui. cerebrum primum sensorium, & pręstans animæ arx ac metropolis, nerui, organa sensum ac motum deferentia; ossa corporis quasi bases, quod innuunt verba illa, *ossibus compegisti me*. Carnes verò omnes à sanguine mēstruo exoriuntur, tam parenchymæ, quā quæ musculosæ appellantur, & ceu distinctæ, distinctis pariter fruuntur officiis, quæ Lector prudens ex Galeno, libro illo ineffabili de vsu totius corporis humani partium, perbellè sibi poterit comparare. Huius itaque admirabilis ordinis hæc est ratio; cum natura à minus perfectis ad perfectiora vsque semper progrediatur; quamprimum embryon vita fruitur plantæ: hinc prius fabricantur organa, ad hunc vsum necessaria. iam rursus vita gaudet perfectiori, seu animali: & similiter opportuna ad hoc munus finguntur instrumenta. ad meliorem vitam tribuuntur fulcra, vt partes omnes per illa solidentur, ac firmentur. Cuncta hæc ceu præuiæ dispositiones sunt ad nobiliorem introducēdam formam. Quare celebri, ac insigni hoc tentorio affabrè elaborato, etiam in eodem naturæ instanti, ac temporis, ab extrinseco aduenit, non de potentia materiæ educta, nec à Naturæ visceribus emanans, vti in reliquis viuentibus, immo immediatè ac singillatim à summo opifice Deo O.M. creata, Psalm. 32. anima videlicet rationis capax, aura sanè diuina, Plasmatori

ri similitudo, & imago, in illúdque corpusculum infunditur, & ei associata eius actus, & forma fit, ἐντελέχεια, & ἐνέργεια. Præclarum hunc opificis progressum, & ineffabilem rerum ordinem dum contemplaretur idem Diuus Philosophus Iobus vltimo concinit, in hæc prorumpens diuina verba; *vitam, & misericordiam tribuisti mihi.* Vitam, etiam vt interpretantur omnes sacri doctores, animam, cuius actus vita est: misericordiam, Thomas Angelicus com. in ca. 10. Iob. interpretatur virtutes, alij liberum arbitrium, alij verò sensus internos, & externos. fortè & clementiam Dei respectat, quia non meritis cuiusq;, verum per viscera misericordię Dei nostri, (haudquaquam naturæ nutu) hanc animam, tam altioris originis, vt verè imago, & similitudo dicatur, & sit, Gen. 2. afflatu quodam diuino nobis clementer impartitur. Concludit diexodon, confitendo, & laudando huius Artificis, tum summam potentiam, tum pariter & eiusdem prouidentiam, dicens, *Et visitatio tua custodiuit spiritum meum,* Quod est illud diuinissimi Pauli Actorum 17. *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* iam à Græcis Poëtis, Arato præsertim antea dictum, tum à Cicerone Orat. pro Sex. Rosc. aureis hisce verbis, *Commoda quibus vtimur, lucem qua fruimur, spiritum quem ducimus à Deo nobis dari, & impartiri videmus.* Diuina itaque prouidentia seruamur in vtero; aliter enim hauddubiè mille modis periissemus, in illo angusto, & obscuro vteri ergastulo: extra vterum luce etiam fruimur, & commodis non minimis quotidie ab illo largitore emanantibus vtimur. Quamobrem hæc sunt, quæ in illo exiguo fœmineo claustro, per totum grauidationis tempus sum-

ma prouidentia operantur: in quo per varios casus, variáque rerum discrimina fœminæ ipsæ grauissimis solent lacessiri morbis, ferinis sæpè, hostilibus, ac funestis cruciari symptomatis, magna quidem cum fœtarum, ac fœtus concepti iactura, & clade.

Nos igitur vt tot, & tantis sedulò prouideamus incommodis methodum trademus exactam, qua per venæ sectionem earundem morbos sanemus. in qua doctrina dædalei apparent labyrinthi, inextricabiles se offerunt mæandri, quos, impetrato prius diuino auxilio, nostra tenui diligentia expeditos reddere modò conabimur; quantum & nobis fas erit, & per artem nostram vnà licuerit. lubet autem in hoc vastum mare aliquantisper periclitari.

De grauitate morborum vtero gerentium.

CAP. II.

QVemadmodum officiosa, tum sagax Natura, miro quodam artificio disponit omnia; eadem ineffabili serie instituit, temporibus, atque locis opportunis seriò collocat, admirabili tandem vicissitudine munia sua obeuntia perficit: similiter & nos eius debitores: eo artificio, eóve ordine, quo cuncta illa prosequitur, in hac nostra Iatrologia, ceu solertes eius ęmulatores, exagitanda modò proponimus. Cæterum cum ipsam videamus in iocundissimo veris tempore virentibus plantis luxuriare, statim eiusdem vi germinatos iam flores prosilire, grauidari mox per æstatem, & maturos fructus

pro-

prodere. Fœminas pariter in ipso veris tempore obseruamus, sub pubescenti videlicet ætate eadem serie suas primas emittere efflorescentias, iam rursus viros ingressas effœtari, suósque tandem maturos iam partus in lucem edere. Tenemur & nos, postquam prima illa florum tempora transegerimus; in quibus methodum tradidimus curandi morbos acutos cum mensium efflorescentia connexas: eodem seruato ordine, mox ad grauidas translati, eorum morbos & curandi methodum explorare, enixas in sequenti examinaturi.

Consilium nobis itaque in hoc libro est, methodum tradere morbos acutos curandi, in vtero gerentibus: verum & illo ab Antiquis tantopere in hac hypothesi deplorato remedio, venæ scilicet sectione, ardua quidem res, difficilis, & omni exceptione maior. difficultatem auget, quod in grauidis morbi ex sua natura difficiles, grauissimi, ac sæpe lethales, qui, qua tales maxima, ac sæpe extrema auxilia postulant, respuit eadem conceptio. Istud comprobat accuratè Galenus lib. 5. Aph. sen. 55. dicens, *Neque enim Medici propterea quod prægnans esset mulier, potens aliquod remedium adhibere, neque exquisitam victus rationem imperare ipsis sustinuerunt.* Si igitur morbis existentibus acutissimis illa vehementia auxilia non adhibeantur, & ad instar corūdē morborū exquisita victus ratio non imperetur, exitium sanè expectandum, & funesta mors. Grauitatem morbi rursus declarat Hippocrates lib. 1. de morbis. nu. 3. quo loco, cum tres traderet morborum differentias lethalium, ancipitum, & salubrium, hæc infert, *Si mulier vtero gerens perineumonia, pleuritide, phrenitide,*

& ardente febre corripiatur, aut erisipelas in vtero fiat, neceßitatem habet vt ab ipsis perimatur. Appositè & has easdem obseruationes lib.5. Aph. sen.30. diuino quodam sanxit oraculo, *Mulierem grauidam,* dicens, *morbo quopiam acuto corripi* θανάσιμον, *lethale.* Et quamuis istud ex Galeni mente, non vt semper, sed vt plurimum intelligendum: tamen illud superioris sententiæ *neceßitatem habet*, si conferamus cum hoc, *lethale*, dicendum, morbos fœtarum acutos, non vt plurimum tantum, verum quasi ex necessitate, grauidas in lethe submergere. præsertim cum Hippocratis, ac reliquorum antiquorum temporibus, etiam & Galeni, infelices grauidę maximo illo auxilio, ac penè vnico ac necessario ad morborum magnorum sublationem, omnino priuarentur. quo quidem nunc auxilio, plurimos ab orco redimi passim videmus, experimur.

Grauitatis, ac vehementiæ horum morborum caussam videtur Naturæ genius Aristoteles assignare lib.4. de animal. gener. c.6. cum dicat: Bruta dum vtero gerunt magna ex parte optimè valere, mulieres contra plerunque ægrotare: quia illa consumũt labore excrementa, hæ verò otio, ac sedentaria vita maximam illorum accumulant copiam. Et proinde mulieres quæ multum se exercent prægnantes, & melius degunt, & facilius pariunt. Huic & altera quit addi ratio, copia videlicet alimentorum praui succi, quibus illæ per totum grauidationis tempus & intemperanter, & intempestiuè vescuntur. Inter hæc, nec infima altera ratio est, pathematum inquam, quibus & maximè subiiciuntur ipsæ, & facilè permutantur. irascuntur enim citò, timent, miserentur, mœrore conficiuntur, excandescunt, à quibus

bus durè lancinatur corpus, ſiccatur, corrumpitur, & omnis denique ſanguis viuificus in vaſis ſtabulatus, torreſit, exuritur, aſſatur. hinc languent vires, exoluuntur ſpiritus, partes cunctæ ſuo dulci depauperantur nectare. Quare ex hac, variis artibus coacetuata excrementorum colluuie, quadam ſimul prauitate infecta, ab ipſo pariter fœtu ſibi vtili ac dulciori attracto ſanguine, fœculento, inutili, ac prauo per vniuerſos corporis tubos redundante; quid mirum ſi lethales ab his, ferini, ac funeſti in fœtis generentur morbi? Proinde diuinus Hippocrates ſolers explorator, ceu rariſſimum exemplum (vt accuratè itidem adnotat in commẽtario Galenus) hiſtoriam refert cuiuſdam vtero gerentis, etiam in littore decumbentis lib. 1. Epidem. comm. 3. ſen. 30. quæ cùm grauiſſimo laboraſſet morbo, comitantibus vnà ſæuiſſimis, ac ferinis ſymptomatis, abſque vlla matris, ac fœtus iactura, à cunctis his decimoquarto ſole abſolutè liberatur. Cum igitur fœtarum morbi vehementes ſint, quibus, ex vi methodi vehementia, & magna debentur auxilia, qualia illa duo præſtantia, illorum morborum cauſſas vnicè reſpectantia, venæ ſectio, & purgatio, antiquis illis viris ferè omnino fœtis interdicta: per conſequens, & lethaliores multò erunt huiuſmodi morbi, ex illorum auxiliorum defectu. Si namque ferini illi, etiam appoſitis, ac ſedulò adhibitis auxiliis; quid fiet in arido ligno? in morbis videlicet, in ſua ſpecie, ac cauſſæ ratione funeſtis, omni præſtanti deſtitutis auxilio?

Quod purgationem etiam ſeculum illud interdictam habuerit Præceptor declarat lib. 4. Aphor. ſen. 1. cum tantum turgente materia eam admittat,

adhuc & parcè, religiosè, ac cautè adhibitam. eius hæc sunt verba, *Prægnantes purgabis, si materia turgeat, quadrimestres, & vsque ad septimum mensem, sed has parcius. Minore verò, aut grandiore conceptu cautius, religiosiúsque agendum.* Interdicit itaque Hippocrates manifestò fœtis ipsis cathartica. admittit tantum, turgente materia, à quarto ad septimum, quia robustior fœtus, & tenacius hærens, parcè tamen: in aliis verò temporibus, siue ante quartum, per oppositam rationem, siue post septimum, quia copiosiori tunc fœtus indiget alimento, & quia difficilius multò tunc mutationes sustinet fœta, non solum parcè, verum & cautè, ac religiosè largienda: idque semper, in cunctis temporibus turgente tantum materia, haudquaquam aliter, ius. Neque confugiendum cum plurimis ex Neotericis, licere nobis, ob nostri æui pharmacorum lenitatem, quibus carebat antiquum illud sæculum. nam ridiculum sanè, ætatem illam caruisse clementibus pharmacis, & crassa ignorantia: cum & horum frequens esset apud illos vsus, vt aloës, mercurialis, seminis enici, prunorum, senæ, agarici, absinthij, fumariç epithymi, polypodij, lactis seri, iuris galli veteris, ac etiã mellis aërei, quod mannam nostra vocat ætas, & iugiter aliorum. non igitur horum interdicebatur vsus, quia fortiora, vel clementiora. sed quia nullus horum in grauidis, iuxta illorum sententiam tutus erat vsus. à vehementioribus abhorrebant maximè, quia multum illorum agitant corpus, ac fœtum vnà. vnde hæc in grauidis vllatenus admittenda. à clementioribus verò, quia & hæc nihil minus, & corpus commouent, & humores exagitant, & per consequens etiam in

abortus

abortus periculum inducunt. verum quia mitius se habent hæc turgente materia, ad maiorem incommodum prohibendum, locum ista habent; quid quod & istud adhuc præstandum cautè, parcè, ac religiosè. Fœminæ namque à leuissima sanè caussa, vt plurimum abortiuntur, à minima videlicet pedum offensione, ab exiguo corporis flexu, à leui timore, à fœtore elychnij, quod magis est, vt accuratè obseruat Plinius lib.7.de nat.hist.& ab aliis quamplurimis parui momenti rebus. Ius est igitur eas ne commouere quidem, ne partum abigant, vt hoc medio in vitæ discrimine deducantur vtrumque. Hæc est Hippocratis, & Antiquorum sententia de pharmacorum vsu in grauidis.

Cæterum, quod maximũ est, in omni grauidationis tempore, in omni pariter occasione respuit Hippocrates venæ sectionis vsum in fœtis: admissa purgatione, turgente saltem materie, ceu res deplorata, nisi ei hoc auxilio quamprimum succurratur, legem condit lib.5. Aph. sen.31. quæ sic habet, *Mulier in vtero ferens secta vena abortitur, eóque magis, si fœtus sit grandior.* Simpliciter itaque venæ sectionem abortum facere declarat, nulla pręmissa distinctione. omnem igitur morbum, & omne opportunum tempus obseruat. nusquam igitur admittendum auxilium. Ratio, qua inducebatur Hippocrates hæc est, quia cum venæ sectio directò retrahat sanguinem, omni tempore ad nutricatum fœtus necessarium, hinc in quolibet grauiditatis tempore valens fœtum corrumpere, suo viuifico nectare destitutum: & quia; nec leue quidem, mater in maximũ pducitur vitę discrimẽ. hoc innuẽte iugiter eodẽ Dictatore, eodẽ itidẽ lib.5. Aph. sen. 55. cũ dicat, *Q[illegible] [illegible] febribus corripiun-*

Ingens opus:sed stringam. Hippocrates inuictissimus Græcorum coryphæus, læneus inuulnerabilis negat: affirmat consularis vir Aurelius,Cornelius, Celsus, alter Latinus Hippocrates, vtrosque insequuntur strenui viri. Lubet modò litem hanc in rem nostram vertere, & vtrisque contestantibus componere, ac dirimere. quia Silio Italico teste lib.11.belli Pun.

Pax optima rerum,
Quas homini nouisse datum est, pax vna triumphis
Innumeris potior.

Innumeris potior, quia ex Demosthene in orat.de reb. Cherrhon. tranquilla, optima, salutaris, nihilominus & effectus belli, & Iustitiæ filia. Iustitia autem,cum cuique suum ius tribuat, spe ducti quique mentem aperiunt. Ad δικαιοσύνης tribunal quamprimum concursabat insignis Romanus Celsus, & cum ipso plures,ac nobiles viri, Iudicem prensantes, orantésque vt caussam illorum cognosceret, ne grauidarum numerus, tanto destitutus auxilio damnatum vellet:verum impetrato silentio,in oratoris habitum formatus,sic cœpit libro 2.capit. 10. *Sanguinem incisa vena mitti nouum non est, sed nullum penè morbum esse, in quo non mittatur, nouum est. Item mitti iunioribus, & fœminis vterum non gerentibus, vetus est. in pueris verò idem experiri, & in senioribus, & in grauidis quoque mulieribus vetus non est: siquidem antiqui primam, vltimámque ætatem sustinere non posse hoc auxilij genus indicabant, persuaserántque sibi mulierem grauidam, quæ ita curata esset, abortum esse facturam. Postea verò vsus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliásque potiores obseruationes adhibendas esse, ad quas dirigi cu-*

perientia firmetur. Et in primis veterum timiditatem redarguit circa vsum huius auxilij, idque medio experimento dicens, *postea vsus ostendit nihil ex his quae Veteres affirmabant esse perpetuum*, foetus videlicet scissionem venae partum abigere. Quod experimentum, vsu longissimo fuit comprobatum, etiam à grauissimis viris, sedulis rerum naturalium indagatoribus, à Celsi temporibus, ad hoc vsque nostrum aeuum. Quid quod, non solum plurimis experimentis comprobatur partum non abigere, verum & mirabile factu eundem in vtero potius seruare. Porrò altero organo, & oppositam sententiam conuellit, & propriam stabiliit. Ex doctrina Hippocratis, & Galeni duo requiruntur scopi tantum ad venę sectionem, horum alter postulans censetur, alter verò consentiens, postulat hoc auxilium morbus magnus, eidem consentit robur virium. Si igitur in grauidis adsit morbus magnus venae sectionem postulans, & vnà adsit robur virium sufficiens, non solum ad foetam sustinendam, ac foetum, verùm etiam vltrò: tutò nos sanguinem hauriemus, quantum postulauerit morbus, & vnà consenserit vtriusque robur virium. neque grauiditas quidquam, extra sui conseruationem indicat, seruatur autem quotiescunque eius necessarium robur non exoluimus. permittit igitur venae sectionem stantibus viribus robustis: cum hoc praepositum, maximùm sit ad accuratam deliberationem huius magni auxilij. Adstante itaque robore virium *firmus puer, robustus Senex, & valens grauida mulier tutò hoc sanantur auxilio.*

Seruata curiae disciplina, dum finem fecerit suis

ſermonibus illuſtris Celſus, ſtatim ſurgit dictator ſummus Hippocrates,& legiſanctoris ritu infit. Ad Hippocratis autem nomen ſubitum fuit factum ſilentium, propter viri magni admirationẽ, quem, ceu oraculum, omnis ſuſpicit ætas, *Mulier in vtero ferens ſecta vena abortiuur, eóque magis ſi ſit fœtus grandior. lib. 5. Aph. ſen. 31.*

Diuinus igitur iſte vir ſua graui & Laconica breuitate, qua potiſſimum gaudet in cunctis Aphoriſticis oraculis apertiſſimè vt nullus reliquis concedatur dubitandi locus, ſectionem venæ cunctis denegat vtero gerẽtibus, idque & in omni tempore, etſi magis interdicenda quò grandior fuerit fœtus. Neque ſententiam ratione defraudat, quia hoc auxilium inquit, grauidis abortum facit, maximum ac deteſtabile ſcelus, in maximũ itidẽ diſcrimẽ fœtã perducẽs, vt li. 5. Aph. ſen. 55. & li. 1. de morbis mulierum, nu. 40. & 98. idem teſtatur Senex optimus. Rurſus & huius effectus probabilis aſſignatur cauſa à Galeno in eius ſententię com. quia inquit, detrahit alimentum venæ ſectio, quo ad ſui conſeruationem fœtus indiget, eo autem mox deſtituto neceſſariò & corrũpitur, & abſcedit. Hãc ſentẽtiam proculdubiò amplexi fuẽre tum & Hippocratis coętanei, tum & clariſſimus Galenus, eius doctrinæ quàm valdè addictus.

Cæterum cum huius optimi Senis, veluti & reliquorum veterum monumenta, etiam conſulente Galeno lib. 2. de cauſ. ſympt. ca. 5. candidè ſint interpretanda, hoſtiliter autem nunquam inſectanda. Nos à Senatuſconſulto τὴν δ[illegible] conceſſa dicendi facultate, de hoc litigio inter hos illuſtriſſimos viros habito, déque pace in poſterũ incunda è tabella

bella sententiā hanc recitamus, *Licet grauidis morbo magno correptis venas tundere, quantum ad sustinendam fœtam, ac fœtum virium robur consenserit.* Hócque conuenit consulari viro Celso, cum diuino dictatore Hippocrate.

Lustratur amplius Celsi sententia, & Hippocratis consensus.

CAP. IV.

ANtea bellum fuit, iam nunc accessit pax. *Διάνοια* omne iurgium ab hac doctrina exuit, & calcauit. lustremus amplius, concordes illos Principes, concordem & doctrinam proponamus. Aduocemus quamprimum methodum. in hac, scopi adsunt præponendi, qui in omni magni auxilij deliberatione; alterum venæ sectio, alterum purgatio. Scopi autem, qui in sectione venarum proponuntur ab Hippocrate cum Celso recensentur lib. 4. de rat. vict. sen. 19. & sub ternario cóprehendit, morbi magnitudo, robur viriū, & ætas florens. vltimū húc respuit Gal. li. de cur. rat. per venæ sect. c. 9. dum inquit, *dicemúsque minus perfectè politam ætatis dignotionem ab eo, qui conscripsit ea quæ adiecta sunt libro de victus ratione acutorum. Satis enim sunt ad incidēdam venam hi duntaxat scopi.* innuit itaq; frustra ab auctore illius libri Hippocrati ascripti additum esse ætatis scopū, quasi sufficiant priores duo; & accuratè sanè. Circa priorem, postulantē auxilium lis quidē nulla, cum ex omnium ore morbus magnus, magnū postulet auxiliū, venæ sectionē inquā, aut purgationē: difficultas verò vrget circa alterū, an cóce-

ptio contineatur sub scopo virium, & an prohibeat illa auxilia. Præceptor, vt nuper diximus, videtur sentire, quia valentia partum abigere, venæ præsertim sectio, prohibens esse. Celsus contrà, *quia non interest ait quæ ætas, aut quid in corpore intus gerátur, sed quæ vires.* neque Hippocrates, aut Galenus cum connumerent ætatem inter scopos, annumerant fœtus priuationem, quasi hæc, & alia plurima ad vires referantur haùddubiè. Itaque pręsente postulante scopo, vnáque adstante robore virium ad fœtam, & fœtum vltrò sustinendum, citra abortus metum venas quidem secabimus. quia, quantum morbus postulat, tantum vires consentiunt; quibus adstantibus vnà, etiam iuxta vtriusque Parentis doctrinã, nemo mentis compos à tanto se abstinebit auxilio.

Præterea conceptio, non quatenus sub viriũ scopo contenta, verum quatenus res secundum naturam, sui conseruationem indicans, nec speciem auxilij mutat, tollit, aut in aliud tẽpus differt, sed quãtitatem eius moderatur, cum ei sit aliquid condonãdum, vt seruetur. quare adstantibus vnà scopis tutò per venæ sectionem sanantur vtero gerentes. Hoc consequens, Hippocraticis alligatum vinclis longa firmat experientia Celsus, vsus ab ipso mox stabilitt assiduus: quibus certè carebat Dictator sũmus, quia Hippocratis tempore, etiã hoc ipsum quod sub obscuro quodam velamine ratio dictitabat, ne experiri quidem veteres illi ausi fuere. nunc solis iam orbe pleno, fugatísque à longè tenebris, audenter ac seriò illud intendimus; & maximo cum grauidarũ commodo, & Medicorum iugiter ornamento. Neque minima vis est ad veritatis probationẽ, habere experientiam rationi addictam. Et quamuis fœtarũ

morbi,

morbi, dictãte Hip. li. 5. Aph. sen. 30. funesti, *Mulierẽ*, inquiens, *grauidã morbo aliquo acuto corripi, lethale*. tamen & illo venæ sectionis auxilio, etiam & sæpè repetito, plurimæ ab orci faucibus liberantur: quia auxiliũ hoc, si methodicè deliberetur, inter reliqua & præstantius, & vtilius ad morbos acutos soluendos, etiã & testante ex Hippocrate Gal. li. 3. Epid. cõ. 1. in hist Pythi. Lethaliores autem fiunt in grauidis morbi ob multiplicẽ rationẽ, ordinem omnem dicentem ad conceptionẽ; quia, vt dixerat Gal. com. in nuper citatã Aphoristicã sententiam, *magnitudini, ac vehementiæ morbi, par grauida esse nullo modo potest*. tum quia hęc victus rationem tenuem, à morbi vehementia indicatã, citra fœtus maximũ discrimẽ sustinere nequit: tum neq; auxiliorũ magnitudinẽ morbo adæquatam, propter eandem rationem. quare his, iuxta morbi ideam non præstitis, ferè est necesse, incidat in barathrum fœta, certò eidem minãs perniciem. Si nanque fœtus negligatur, & omnia, ad instar indicationum vim, in morbo acuto exerceãtur, corrumpetur hauddubiè fœtus, quòd secundario fiet fœtæ pernicies. verum si oblito fere morbo, mens omnis ad sustinendum fœtum cõuertatur, ingrauescet tunc proculdubio morbus, & matri itidẽ geminabitur periculũ: & morbi acuti ratione ingrauescentis, ob ipsius neglectũ (acutie ac vehemẽtia auctis) quasi expes fœta succũbet, & fœtus. Quãobrem si, vt Hipp. astruit lib. 1. de rat. vict. sen. 8. *Maximè laudandus Medicus, qui in acutis morbis plurimos occidentibus homines, præ alijs insigniter ad meliorem partem excellat*: potissimum laudandus venit, qui excellit in curatione morborum acutorum vtero gerentium, per eas rationes, quas

nuper attigimus, plurimas in nobis effœtantes ambiguitates, nec ad curationem minimas difficultates: tum quia ex Hippocrate huiusmodi morbi, vt plurimum per se funesti: tum quia adæquato priuantur auxilio. Si igitur nos eumethodo seruata, huic tanto auxilio occurramus seriò, plurimas quidem àCerberi faucibus redimemus. etsi aliquādo sola natura medicatrice, citra sectionē venæ aliqua liberari valeat, vt scriptū est, etiā apud Hippocr. lib. 1. Epid. com. 3. sen. 30. mulieris cuiusdā in littore decūbētis, quæ cū acutissimo laborasset morbo, citra abortum; decimoquarto sole iudicata conualuit. verū, vt quotidiana nos docet experientia in multitudine copiosa, indies incolumes seruantur, etiam ab acutissimis morbis vindicatæ, quibus non semel tantum, verum & quinquies & vltro fuit extractus, & quod magis est, etiam in diuersis conceptionis mensibus, adhuc & nixu vicinis septimo, aut octauo mense. ex quibus nos non paucas seruauimus, & summa Dei clemētia, & tenui hac nostra industria.

Constat igitur ex his, hanc grauiditatis indicationem curatricem non esse, vti neque alteram, quæ ab ætate, aut viribus sumitur: neque simpliciter illam admittere, aut respuere venæ sectionem. Secundariò autem hoc admittunt magnum auxilium robustæ vires, vti respuunt imbecilles. Conceptio itaque cautos præsertim, ac consultos reddit Medicos circa eiusdem auxilij quantitatem. Indiget autem Medicus ad hoc munus obeundum in grauidis, ea redundet ipsa sanguinis copia, quæ & fœtui sufficientē materiē ad eius alitionē cōpenset, & pariter remedio. quid quod & ferè quantū redundarit extra illud sufficiens ad fœtus alitionem, postulante morbo, fas

erit

erit haurire. Et hæc est vera de hac re sententia, & hic absolutus tantorum virorum consensus.

An insitatum fuerit Hippocrati, & eius doctrinæ repugnet prægnantibus venas secare.

CAP. V.

CVm Græcorum scriptorum ferè omnia testimonia, ac vnius præsertim Hippocratis, huius gentis vnici ornamenti, tantã sibi apud omnes auctoritatem vindicarint, ac sanè meritò, vt ne infringi quidem vlla ratione, aut conuelli posse videantur, quæ videlicet eorum calculo comprobata reperiuntur. prôinde modò operæpretium curandum duximus, hanc Celsi accuratam sententiam, nostram iugiter interpretationem, ne aliqua ex parte summam illorum afficiat fidem, aut dispolietur honorem. Cæterum, quamuis ex dictis nuper, nulla fortè inter vtrosque Hippocrates occurrat antipathia: tamen, quia aliquorum forsan non acquiescerent animi, imò quadam procacitate turgentes, ex verbis Celsi insurgerent aduersus nostrum, ac illorum consensum, dicentes, & nouum & inusitatum fuisse Hippocrati, semper venas grauidis aperire, veluti pueris, ac senibus. Astipuletúrque istud Celsus, cum scribat, senioribus ipso, & nouum, & inusitatum illud auxilium fuisse, ac piaculum sanè. Et cum sub seniorum nomine necessariò & Hippocratem comprehendat, ipso Celso multò vetustiorem, vt cuique in chronologicis lectionibus quã minimè versato videre est. hinc autumãdum, etiam ex Celsi mente, & auxilium nouum, & inusitatũ pariter fuisse Hippocrati, venę sectionem.

Lubet modò replicare quanto antiquior fuerit Hippocrates Celso, vt dissonantia pateat. Inprimis consularis Celsus, ex Quiritum ordine fuit vir, & hic Romæ vixit anno à mundi creatione 4181. ab vrbe Romana condita 821. sub Imperatore nostro Hispano Traiano, anno itidem à Christo Iesu, Domino nostro nato 93. etsi aliqui, & fortè rectius sub Tiberio hunc vixisse existimarint, anno à Christo nato 34. & sub eiusdem Domini Iesu passione ac nostra redemptione. verum fortè sub Tiberio natus, vsque ad Traiani imperium vitam protraxit; & fiet concors illa disparilitas.

Hippocrates, ille inquam diuinus vir, inter Hippocrates aliquot, ordine secundus & Magnus meritò appellatus, natus Coo, insula insigni minoris Asiæ, iuxta Rabbi Abram in historia Cabbala, etiam, vt doctissimus refert Genebrardus, lib. 2. Chron. vixit Mardochæi temporibus, ac Hester, potentissimi Assueri Persarum, ac Medorum regis vxoris. Hic Assuerus est, quem Iosephus lib. 11. Antiq. Iud. ca. 6. Cyrum, cum Græcis, Chaldęis, ac Septuaginta duobus interpretibus vocat: aliqui, & fortè rectius Artaxerxem, illum videlicet Longimanum, à brachiorum longitudine sic dictum, & Darij filium. Isidorus li. de tẽporib. etiam sub hoc Longimano Artaxerxe Hippocratẽ vixisse retur. Beda venerabilis sub Xerxe Assueri, seu Artaxerxis patre natum assignat, lib. etiam de tempor. ætat. 5. Et omnes verum affirmant, cum Hippocratis vita centenarium excesserit. nam sub altero natus Xerxe per annos 20. imperante, sub Artaxerxe Longimano per annos 40. regnante, septem tantum intermediis mẽsibus inter vtrosque, quibus Artabanus regno præfuit, reliquum vitæ

tæ poterat haud dubiè ille transigere. Confirmat hanc rem Epistolarum liber,cum in eo epistolę existant ipsius Artaxerxis ad Pætum,Hystanidem, & Coos de ipso Hippocrate; quem supplex orabat ad se venire,vt pestem, omnem eius exercitum depopulantem sua ineffabili arte extingueret. Artaxerxes igitur iste imperauit anno mundi 3730. ante Christum dominum 437.vrbis conditę 363.Alij anno secundo belli Peloponesiaci,à mundi ortu 3537.quod minus probabile Eusebius lib.suo Chron.floruisse opinatur Olympiade 86. seu Vrbis conditæ 344. vnaquæque autem olympias tetractcrica erat.

Porrò Hippocrates iste,filius Heraclidis, fuit genere Doriensis, quamuis Coo natus,vt pariter doctissimus Pius II.scribit,hist.Asigmi. à quo fuit valdè insignita. Huius familia illustris ac regia Medicinam semper coluit scientiam, per annos amplius mille. Heraclides igitur huius pater, filius fuit primi Hippocratis,qui fuit Gnosidici, qui fuit Nebri, qui fuit Sostrati 3.qui fuit Theodori 2.qui fuit Crisamidis 2.qui fuit Sostrati 2.qui fuit Theodori, qui fuit Crisamidis,qui fuitCleamitidis,qui fuit Dardani,qui fuit Sostrati,qui fuit Hippolochi,qui fuit Podalirij,qui fuitÆsculapij,qui fuit Apollinis,qui fuit & Iouis sũmi Gẽtiũ Regis,etiã &apud illas obcœcatas nationes Deorum,& hominum patris.Fuit itaq; hic diuinus Hippocrates octauus àCrisamide rege, 17.ab Æsculapio,19.à Ioue,per masculinam lineam: vti per maternã decimus octauus ab Hercule, cum eius mater Praxiæa filia fuerit Phaneretis, veluti hic filius Cadmi, Coorum Principis, & hic decimus quintus ab Hercule. Ex his videant amabò quanto semper in precio fuerit habita sacra

Medendi scientiã, cum summi reges, eam summis profiterentur laudibus: intelligant rursus hunc virum Celso multo antiquiorem esse, cum inter hos intersint saltem anni 470. Quare, & inter seniores, cum & ætate senior, & dignitate ac literis pręstantior reliquis fuerit, hunc proculdubio Celsum reposuisse, necessariò fatendum. Hic namque Medicinæ fuit quidem instaurator, vt his verbis etiam testatur Pætus, epist. ad Artaxer. *Hic diuina natura præditus est, & ex paruis, ac vulgaribus ad magna, & artificiosa Medicinam euexit.* Idem & noster recenset Galenus lib. 9. methodi, cap. 8. Idem & Soranus in sua Isagogis præfatione, dum Medicinam hunc dicat in artem redegisse, & perfecisse, cum plurimos annos post Æsculapium in tenebris latuisset. Senior igitur erit Hippocrates ipso Celso, & inter Seniores, ceu primus instaurator, ac præcipuus, æstimandus. Inusitatum itaque & huic auxilium, & incultum: neque de ipso in grauidis mentio vlla, in cunctis eius operibus: vno dempto lib. 1. de morb. mul. numer. 103. præsente iam partu, dum fœmina in nixu difficili laborat. consulit autem tunc venę sectionem plethoricis fœminis, vt inanitis subiectis vteri vasis, ac circumstantibus, & partes quæ nixu deseruiunt facilius cedant, ac dilatentur amplius, & phlegmonosa affectio vna præcaueatur, ac ne à difficili, ac dolorifico partu concitetur. Hinc vtrasque inferiores venas secandas esse iubet Hippocrates. Et quamuis hunc librum, tum Hyeronymus Mercurialis lib. 4. de morb. mul. c. 22. tum Ioannes Baptista Montanus lib. de vterinis affect. statim initio, ceu nothum explodant. tamen grauissimus vir Mauricius Cordæus doctissimis com-

commentariis, ceu partum Hippocrate dignum illustrat, & ceu genuinum, ac natiuum amplectitur, stilum, ac doctrinam Hippocratæam haud dubiè redolentem, primum inquam. Quod si & hic fortè Hippocratis non fuerit legitimus (vt quidem reor) saltem aut alteri eius filio, aut peritissimo alicui discipulo referendum. concludendum tamen vtcumque sit, Hippocrati, & reliquis veteribus inusitatam fœtis venæ sectionem: & ceu inusitatum fortè fatur lib. 1. de morbis, nu. 3. ex necessitate prægnantes occumbere, acuto aliquo lacessitas morbo, cum tanto, ac tam singulari auxilio ad illarum curationem, eo tempore infœlices mulierculæ destituerentur. Hæc sunt quæ nobis poterant obiici aduersus ea quæ nos superiori diximus capite.

Cæterum, quamuis hæc ferè cuncta, ceu vera admittenda: nihilominus tamen firma ac rata stat nostra altera opinio. cum tantum absit, quod Hippocratis axiomata, & medendi eius methodus è grauidis abdicent venæ sectionem; quod hanc eandem omni potius encomio suadeant. imò & Aphoristica illa sententia hanc nullatenus è medio tollit, cum concludat illam potius partum abigere, præsertim grandiore iam existente fœtu. quæ intelligũtur haud dubiè de illa sectione nec religiosè, aut cautè præstita, verum imprudenter, aut intempestiuè. Si itaque nos hoc auxilium demonstremus abortum non facere, ruet itidem Hippocratis sententia, iuxta illorum interpretationem. Hoc nos sequenti capite abundè, & ex instituto ostendemus. Quare stat doctrina Hippocratis in fauorem huius præstantis auxilij, ad redimendas fœtas à morborũ acutorũ tyrannide. Neque mens est Hippocrati ve-

nem, & adstante vnà robore virium, omne illud redundans, ceu inutile fœtui ac fœtæ, materies vtilis erit ad tutam venæ sectionem. cum igitur, vti turgentia, sic morborum acutorum vrgentia, ac eorum acuties, ac si mauis etiam & cacoëthia, fœtas, quasi ex necessitate succũbat, in tanto vitę discrimine, cum nulla præstantior, tutior, aut commodior adsit via, vt à tali pressura redimantur, ipsa venæ sectione, etiam ex mente Galeni lib. 2. de rat. vict. sen. 11. istud anceps Hippocrati auxilium sanè experiundum, necessitate vrgente, etiam necessariò. quid quod & tantum abest hoc anceps, & infidum sit, quod plurimas ab orco vnà cum fœtu persæpè liberarit. Qua commotus experientia, acutissimus ille Aben Rhois, li. 7. collect. cap. 4. nihilominus & acutè consulit, *Mulieri prægnanti sanguine repletæ, quo fœtus non indiget commodè nos posse mittere sanguinem.* Apprimè auctor iste eam præstantem, ac solam præscribit conditionem ad venarum in fœtis sectionem, sanguinis videlicet redundantiam, qua fœtus non indigeat. quæ, in quolibet mense, siue septimo, octauo, aut nono si apparuerit, vrgente tamen morbo præsente, vel imminente, venas audacter, ac religiosè tundemus. cautius tamen id in vltimis mensibus præstandum; quia fœtui maturo illud condonandum, cum facilius multo abigatur à sanguinis motu: vti & fructus maturi, sponte, vt refert Galenus lib. 4. Aph. sen. 1. ac ferè citra vllam externam vim decidant.

Hanc doctrinam rerum omnium mater experientia, comite ratione cõprobat vnicè. vidimus nãque dũ Valẽtiæ Medicinę insigni ẽporio actuosam Me-

dicinæ partem, ſub doctiſſimo Præceptore Iacobo Segarra exerceremus grauidas aliquot, ſiue ſeptimo, ſiue octauo menſe acutè laboraſſent hoc præſtanti auxilio etiam ſæpè repetito magno cum artis decore liberatas. Nos itidem non ſemel quidem, ſed & pluries in noſtro Medico vſu idem per aliquot annorum decadas, fœliciter experti ſumus, Deo ſummo pro his ac cunctis ſit ſempiterna gloria. Quid quod, & rarò vidimus in hac noſtra Hiſpania, fortè & ob fœminarum robur, à venæ ſectione eumethodo deliberata, quamque abortam fuiſſe, quod ſi forſan aliquando iſtud contigiſſet, non huius auxilij ratione credendam, venum aut vi morbi, aut eiuſdem cacoëthiæ fœtum corrumpentis, aut aliquo ſuperueniente graui, aut funeſto ſymptomate, aut ob commotionem ab aliquo animi pathemate concitatam. Quare hæc audaces cum prudentia Medicos reddere debent ad deliberationem tanti, ac tam appoſiti auxilij in fœtarum morborum acutorum curatione: dummodo religio, methodus, & rerum omnium intercedentium, ac coindicantium exacta obſeruatio apud Artificem præcedat.

Illuſtratur Auerrhois teſtimonium de mittendo ſanguine in grauidis, iuxta Hippocratis mentem.

Cap. VI.

Acutiſſimus Aben Rhois, vt paullò antè diximus, accuratè conſulit venæ ſectionem, in fœtarum acutorum morborum curatione, verum, an

an illud auxiliũ, ad instar Hippocratis placitorũ admittat ille, ambigũt aliqui. Perdoctus Horatius Augenius li. 6. de sãg. miss. c. 12. haudquaquã Auerrhoë intellecto, hunc ex mente Hippocratis consulere astruit. Sed ne perperam hæc referamus, huius Augenij verba quamprimũ proponere lubet, *Auerrhoes magnus Medicus, aut certè maior Philosophus in hanc eandem opinionem peruenit, dum inquit, dicit Hippocrates. Mulier prægnans non debet phlebotomari, nisi quando embryonis virtus fuerit fortis. hoc est à quarto mense vsque ad septimum, nisi humores fuerint furiosi, & pharmaciam concedit tunc. Ego autem dico quod phlebotomia, quando adest repletio, qua embryo non indigeat, non est mala: sed pharmaciam non credo ad bonum peruenire finem, &c. Hæc ille. Ex quibus duo colligito, primum quod secundum sententiam Hippocratis mittendus est sanguis vterò gerentibus, non enim dixisset Auerrhoes hæc verba, dicit Hippocrates quod mulier prægnans debet phlebotomari, nisi constitisset illi opinio Hippocratis; & quamuis non inueniamus in aphorismis conscriptam hanc fuisse sententiam: tamen alibi id explicasse credere quidem absurdum minimè videtur, eóque volumine carere nos, vt aliis quampluribus. Secundò, quod plenitudine existente in vtero gerentibus, qua non indigeat fœtus mittendum esse sanguinem.* Hæc Augenius, & hi eiusdem errores. horum cardo, ignorantia instituti illius capitis Auerrhois, & ignaua interpretatio verborum. vnde à tenello exorto ac minimo accrescente errore, & maximus fit mox, & in difficiles hunc cogit incidere mæandros. quorum alter, quia ex Hippocratis mente arbitratur censisse Auerrhoem fœtis venas tundendas: idque du-

ctus futili ac elumbi quadam ratione, *non enim* inquit, *ipse dixisset, dicit Hippocrat. quod mulier prægnans debet phlebotomari, quo libro carere nos, in quo Hippocrates illud conscripserit.* Alter rursus, cum ex Auerrhois verbis & falsò inferat, & eius perniciosam sententiam stabiliat, quod in prægnantibus, etiam sola existente plenitudine sit hauriendus sanguis. quam execrandam opinionē in nostro spicilegio infra ex instituto aduersus hūc Augeniū totis viribus redarguemus. Verum quamprimum irridendus, cum palynodiam obseruet in ipso Hippocrate viro sanè ineffabili, & quam nunquam hāc cecinisse omne testatur sæculum. Si igitur lib. 5. Apho. sen. 29. genuino quidem oraculo, vtero gerentibus interdicit venæ sectionem: cur in altero codice, quo nos carere arbitraris, à solo Auerrhoë inuento, oppositum sentire autumas? O piaculum! quid quod si nos caremus, haudquaquam Galenus eius doctrinæ addictissimus eo frustraretur: neque Celsus veteribus illud auxilium insitatum affirmasset. omnes enim hi per alterum ferè annorum milliare Auerrhoëm hunc præcedunt. vixit enim Auerrhoës in nostra Hispania in eo Betticę tractu, in quo Cordubensis conuentus extat, olim Mahometanorum infaustæ gentis litterarum celebre emporion, tempore Audelach Sempse Miramamolini Marochi in Africa regis potentissimi (cuius itidem imperio subecta erat Corduba) per quatuor annorum centurias, ab exortu videlicet illius nefariæ Pseudoprophetæ Mahometi sectæ. anno autem à Christi Domini nostri natali centesimo supra millesimum, vt ipsemet testatur in principio collectaneorum libri, ad ipsum relati

Mira-

Miramamolinum. Quare probabile multò Galenum, & Celsum eo libro non caruisse, quam ad manus denique ipsius Auerrhois prouenisse.

Quod autem Augenius mentem Auerrhois non perceperit abundè ex eius capitis instituto elucet: eo enim, si verborum seriem sensim exploremus, & simul capitis inscriptionem, videbimus, consiliũ sibi esse de purgatione potius agere, cum iam capite præcedenti de venę sectione disputasset. Hoc igitur capite 3. lib. 7. collect. methodum tradit deliberandi venæ sectionem, & ita præter scopos consulit æstimanda esse plurima, ætatem, consuetudinem, temperamentum, anni tempus, loci affecti situm, eius naturam, atque præstantiam, & morbi tempus, & alia. verum in capite immediatè sequenti, in quo de pharmacia instituit agere, statum corporis ęgrotantis obseruat, an scilicet prægnans vel secus. De prægnantibus autem, circa vtrumque deliberandum auxilium, etiam cum Hippocrate sentit, eorum nullum esse locum. vnde & duplicem refert ibi sententiam, etiam ex duplici Aphorismorum sectione ex lib. 4. & 5. desumptá, in quibus palam Hippocrates ab vtroque abhorret auxilio: alteram, in qua simpliciter grauidis venę sectionem denegat, alterá inqua purgationẽ, nisi turgente materia, & forti existente embryone: atque tunc cautè ac religiosè prę standũ. Sed quamuis Hippocratem ita sentientem referat Auerrhoes, dissentit tamen & vtrique oraculo, cum ipse pharmaciam simpliciter respuat, etiam turgente materia: quia arbitratur omnia pharmaca veneficam habere vim, humorésque prauos ad vterum ac fœtum ducere, menstrua simul concitare. admittit porrò

venæ sectionem, dummodo fœta sanguine repleta sit, quo fœtus non indigeat. Deprauatè igitur in vnum coaluit, ac confundit Auerrhois interpres, & cum ipso Augenius, etiam vtrasque Hippocratis sententias confundentes: cum sint à parte rei distinctissimæ, & libro, & sententiarum numero longè diuersæ. Meminit autem prius illius, in qua de venę sectione in fœtis sermo habetur, in disputatione de catharticis, dum de eorum vsu in grauidis tractat: quia cum sint de eadem materie subiecta, diuersimodè exponit vtriusque auxilij vsum, cum venæ sectionem simpliciter abroget, admittat verò cathartica, à quarto ad septimum, turgente videlicet materie. quasi insinuet ex mente Hippocratis ad deliberandum de vtroq; auxilio non solum indigere nos scoporum obseruatione, verum & aliorum coindicantium, inter quos ne status grauidarum negligendus retur, qui simpliciter venæ sectionem respuit, amplectitur aliquando pharmaca. Ex quibus appositè concludit, quod etsi hæc sit Hippocratis δόξα, ipse tamen longè multò sentire, cum status ille cõtra, simpliciter interdicat cathartica, amplexetur aliquando scissionem venæ. Quare hæc erit legitima lectio huius Auerrhois loci, *Dicit Hippocrates, mulier prægnans non debet phlebotomari* (mox interpositis duobus colis) *purgari autem* (subintellecto) *nisi quando embryonis virtus fuerit fortis.* Hæc itaque lectio absoluta, & Hippocrati quammaximè consona, ac genuina; quid quod & seriem verborum Auerrhois omni ex parte connectit. Periodus namque hæc necessariò duobus constat colis, quorum alterum de venæ sectione, alterum verò de purgatione tractat. hoc ostendunt illa vltima perio-

periodi verba, *& pharmaciam concedit tunc*: quando videlicet embryonis virtus fuerit fortis, & humores iugiter furiosi fuerint, quod est ὀργᾷν, turgere: quæ nulla ratione queunt venæ sectionem respectare.

Possumus tandem & eandem lectionem, nullatenus immutata sententia, & aliter interpretari, si conditionalem illam coniunctionem nisi, interpretemur nec, quasi hæc sit lectio, *Dicit Hippocrates, mulier prægnans non debet phlebotomari, nec quando embryonis virtus fuerit fortis*; hoc est, nec à quarto ad septimum. quasi simpliciter abnuat, omniq; tempore fœtis illud auxilium, *nisi humores fuerint furiosi, & pharmaciam concedit tunc.* videlicet, si vnà cum turgentia embryonis virtus fuerit fortis. Philiatri, quam placebit eligent.

Conuellenda igitur ob duplicem rationem Augenij lectio; primum, quia illud sectionis venæ in grauidis nullibi apud Hippocratem legimus, neq; legisse quempiam audiuimus, verum oppositum, vt nuper diximus. Somniũ itaque Augenij. rursus & imperitè scripsisset Hippocrates, fœtis non est vena scindenda, nisi robusto fœtu, & turgente materia, cũ ad venæ sectionem fœtus robur simpliciter non requiratur, sed materies superuacanea: multóque minus humorum turgentia, quæ potius vacuationem per pharmaca indicat consultò. quid quod & certissimum est, vt Celsus accuratè refert, Veteribus inusitatum remedium venæ sectio ad morbos fœtarum sanandos: inusitatatum autem, quia arbitrabantur hunc partum abigere, nec altera erat ratio, ob quam ab hoc tanto auxilio in grauidis abhorrebant. si igitur, quia partum abigit, illis inusitatũ au-

xilium, qua ratione ductus alibi Hippocrates methodũ traderet de eius vsu in grauidis? Aberrat mox idem Augenius, quod illa quæ Hippocrates lib. 4. Aph. sen. 1. & iterum stando dictis li. 5. sen. 29. obnixè, ac distinctè affirmat pharmaca aliquando fœtis licere: verum quæ semel de venæ sectione in fœtis li. eodem 5. Aph. sen. 30. scripsit, velit in dubium vertere, atq; mutuò confundere, quasi oppositum senserit in alio imaginario opere.

Concludamus itaque cõsilium esse AbenRhoi demonstrare, licere fœtis tundere venas, sanguine repletis, quo fœtus haudquaquam indigeat: vti fas itidem fuit Hippocrati pharmaca propinare, robusto existente fœtu, & vnà turgente materia. quam opinionem omnes ferè à Celsi temporibus ad hoc vsque nostrum æuum, vsu maximo comprobatam seriò amplectuntur.

An oraculum Hippocratis de vena secanda in grauidis copiosam vacuationem tantum respuat.

Cap. VII.

CVm Dictator summus Hippocrates, summo honore sit semper habitus: eius pariter doctrina Mercurij quadratura stabilior: hinc, vt à Criticorum calumnia tantum hunc virum liberè vindicent, aduersus quem in dies vrgenter vsus clamitat, nescio quo fato viri aliquot docti, & classici eundẽ excusare, ac fortè perperã totis contendunt viribus. Inter hos quamprimum insurgit infœlix Germanus ille Leonarthus Fuchsius, cuius doctrinã quã-

tum

tum admiror, tantum exhorrescit innidum nomen. & hunc insequuntur mox viri aliquót, nec infimæ notæ, inter reliquos perdoctus Hieronymus Mercurialis 29. lib. 5. Aph. ille igitur dum hanc sententiam interpretaretur inquit, Hippocratem simpliciter non damnasse venæ sectionem, sed copiosam illam, ac magnam, qua vtebantur antiqui. hoc autē quibusdam Galeni locis conatur astruere, in quibus copiosissimas consulit, ad tres videlicet, vel quatuor sanguinis libras, vel ad animi vsq; deliquium. quæ sectiones venarum & detestandæ vtero gerentibus, & infaustæ, cum hauddubiè ab his suo genio defraudetur fœtus, & simul abortus, quasi ex necessitate consequatur.

Hieronymus Mercurialis in suis Pisanis lect. in Hipp. historias, hist. 13. huic errori alium subiungit, & absurdè affirmat, *quamuis verum sit, quod Fuchsius interpretatur, Hippocratem in fœtis copiosas & per grandes venæ sectiones damnare, haudquaquam mediocres: potißimum tamen detestari vsitatißimam partium infernarum sectiones: quæ citra vllum discrimen valentes sunt partum abigere.*

Horum virorum partim tollerabilis interpretatio, ex eo quod innocua. instruit enim Medicū, ceu debētem auersari temerariā illam sanguinis vacuationē, tam ingentē, quā infernā in vtero gerētibus. detestabilis tamē, quia lōgè recedens à mēte Hipp. in eo oraculo, tū ab illius auxilij simplici vsu, à cunctis illis Veteribus omnino neglecto, si Celso, ac veritati fides adhibēda. Inprimis, quod auersetur Hippocratis mentem lib. 5. Aph. sen. 29. docet loquendi stylus, *Mulier*, inquit, *in vtero ferens secta vena abortitur*. Si enim omnē sāguinis vacuationē per sectā

venam non respuisset, haudquaquam absolutè pronuntiasset de hoc auxilio, ceu infrequenti Hippocrati, etsi Laconicus sit eius sermo. nam res graues perpetuò distinguit, in quibus potissimum aliqua consistit ambiguitas, aut difficultas. nec est quod modò in exemplis commoremus, ceu cuique peruium. quid quod & hoc saltem Galenus obseruasset in commentario, tantum dissuadere copiosas, aut infernas venarum sectiones: non autem parcas quas itidē & ipsis vsui fuisse mox demonstrabimus in variis sanandis morbis. Istud innotescit ex variis Hippocratis, & Galeni testimoniis, tū & probabili cōiectura: quid probabili? imò & necessaria. Hippocrates igitur, vnà & eius discipuli, tāto præceptore edocti, rationali quadam methodo per indicationes ipsam exercebant Medicinā, vt passim de ipso Hipp. attestatur Gal. & ab ipso gloriatur hanc rationalem hausisse methodū. Sed hæc, iuxta vrgētiā affectus, & virium, tum reliquorum coindicantium cōsensum docet, iam aliquando copiosas, iam rursus aliquādo præstandas parcas sanguinis vacuationes. Ergo.

Testimonia modò cōgero. hic itaq; Hipp. li. 4 de rat. vict. cū 23. sentētia curationē inchoasset apoplexiæ, ex vasorū videlicet interceptione, quā certò efficit plethora: mox in sequenti 24. ex morbi naturā qualitatē remedij decerneret, & vtēdi modū ex situ partis affectæ cōsulens, brachij dextri internæ venæ sectionē: tādē ad quantitatē huius auxilij accedens, hæc inquit in altero oraculo 25. *Sanguinémq; auferre inspecta secundū habitū, ætatēq; pluris, minorísque ratione.* Cōstat igitur ex Hipp. mēte, in hoc affectu copiosè vacuādū, si ætas florēs adsit, vnà & robur viriū ad instar corporis habitus, nec dissenserint reliqua: parcè

parcè verò, si contra & habitus laxus, robur virium mediocre, ætas recedat ab illa media, regio, anni tẽpus, ac temperamentum extremum. Quod si insurgant, dicentes, hunc librum genuinum non esse Hippocratis: saltem concedent alicuius discipuli eiusdem, in eius schola beneversati: vnde meruit, pro eius summa doctrina clarissimum habere Galenum eiusdem paraphrastẽ. Quare ne ius quidem eruditissimis illis viris tantum crimen imponere, promiscuè imperantibus cunctis copiosas sanguinis profusiones, robustis ac languidis, plenis, ac minus plenis, sub vere aut sub æstate degentibus. Nam copiosam moliri vacuationem, ne fas quidem alicui, nisi vrgente morbo, viribus vnà robustis adstantibus, ac reliquis mox consentientibus.

Tandem si Hippocrates lib. 1. sen. 3. Aphor. simpliciter extremas omnes vacuationes periculosas vocat: & libro secundo sententia 51. multum, ac repentè vacuare etiam sentit periculosum, quia omne nimium naturæ inimicum, & quod paulatim vacuatur tutum. quanto magis periculosum grauidis ad extremum vsque vacuare. Inane igitur dictum, ac futile sanè, extremas vacuationes fœtas non ferre.

Ad Fuchsij probationem, ex Galeni testimoniis desumptam, ex quibus ipse elicere intendit, quod Veteres semper copiosas consulant ægrotantibus vacuationes, dicemus, alienum id à ratione, tum à Galeni rescriptis; cum non solum copiosas, verum & medias, ac minimas quidem, iuxta affectuum magnitudinem, ac robur virium consulat ipse. Sed hunc amabò attentè replicemus. In primis impro-

prio libro de hac re conscripto, libro inquam, de curandi rat.per venæ sect.ca.12.in quo,quamuis ob maximam plethoram,ophthalmico, altera die quatuor hauserit sanguinis libras, copiosa sanè vacuatio,ac ingens: tamen eodem loco mediam consulit vacuationem, dum cotylam, vncias continentem ponderales septem cum semisse, mensurales autem nouem. mox & sequenti capite minimam, dum ad cotylæ tantum dimidium imperet. frequens nobis quantitas hoc æuo. concludens autem illud 12. caput,sic inquit, *Proinde satius est tam copiosis vacuationibus abstinere,nisi magna incumbat necessitas.* Quare ex his verbis mediocres potius vacuationes ipsi erant in vsu,cum damnet copiosas,nisi vrgente necessitate,quod rarò accidit.tunc enim iuxta Hippocratis consilium lib.1.Aph.sen.6. ceu extremum, & extremum adhibendum auxilium.Satius igitur copiosas respuere,amplecti mediocres.has & vnà parcas commendat itidem lib.11.meth.ca.14. Galenus, his præsertim qui mollis,& laxi sunt habitus,obesi pariter, & venas habuerint graciles,regionem calidam incoluerint, sub cœli statu calido ac sicco, & æstiuo tempore fuerint.Sicuti igitur his, ob has diuersas indicationes minorem detractionem consulentes,hanc eandem ex vi methodi consulit: simili ratione & adhortaretur eandem in grauidis,ceu indicatio prohibens copiosam vacuationem, si assuetum fuisset auxilium illo sæculo fœtis.

Porro & multò magis irridēdus doctissimus Mercurialis,in Hippocratæa doctrina iugiter versatissimus, cum in illud inciderit barathrum, arbitrans Hippocratis oraculum venarum inferiorum sectiones potissimū respuere.Subruitur hui⁹ opinio, quia de

de his quę raro accidũt, nulla lex. rarissimus vsus sectionum infernarũ in fœtis. ergo anilis esset senté-tia. Lubet demonstrare assumptionem, quia in grauidis tantum præsente, vel imminente morbo magno, ex quo, ob eius acutiem, futurum timetur aliquod periculum, venæ secantur: huiusmodi morbi fere semper supra renes sedem habent, vno dempto vtero, in quo exoriri queunt acuti morbi synechus, phlegmon, aut erysipelas. quid quod & in his, nisi iam fœtarum salus & vita expes, tutius superiores secantur. cum igitur in morbis supra renes arcem habentibus, tum ob loci vicinitatem, ac vasorum coniugium tantum sit fas venas supernas secare. Ergo infernarum aut nullus, aut rarissimus vsus: frequentissimus supernarum. Elumbis igitur Mercurialis interpretatio. Quamobrem existimandum arbitror Hippocratis verba nudè omnem venæ sectionem in vtero gerentibus prohibere: neque ipsi, vti neque reliquis veteribus vnquam hác vsui fuisse: cum nec vllibi de hac sit facta mentio, siue in fœminarum historiis, siue in aphoristicis oraculis, aut alibi. efficax sanè argumentum. Verum summa Dei O. M. prouidentia factum, quod cum doctrinæ omnes sensim, ac in dies crescant, tempore itidem veritas prodat: cum nec instantaneum earum incrementum, aut vigor: hanc lucem tempore Celsi exortam, dum iam lux vera, illuminans omnem hominem in terris apparuit: & hanc veritatem in Aula Medica productam, sub eodem Celso creditam accepimus.

De abortu, & eius caußis in genere.

Cap. VIII.

SApiens ille Philosophus Secundus, vt Maximus Tyrius serm. 39. antiquus auctor refert, interrogatus quid mulier; facetè quidem, ac seriò respondit, Est viri naufragium, est exornata scylla. hanc seriam responsionem & moribus, & earum physi adaptari assiduus vsus commonstrat. Sed tamen ethicis omissis cunctis, vt stemus instituto, passim experimur harum culpa, seu fragilitate sexus, tanquam viri naufragium, aut exornata scylla fœtus plurimos abortientes (proh dolor!) in lethe submergi funesto. Sunt enim ipsæ tot, ac tantis expositæ mutationibus, vt præ multitudine caussarum hos calamitosos effectus germinantium nec comprehendere, aut præ grauitate (etsi notæ) opportunis auxiliis, eisdem non valeamus occurrere. Quam rem cum perpendisset suauissimus Poëta Euripides in Hippoly. lepidè, quasi de Ioue conquerens, sic fatur,

O Iupiter quid hoc mali? mortalibus
Cur protulisti fœminas olim viris?
Virile seminare si velles genus,
Non id decebat fœminas producere:
Sed in tuis templis viros deponere, &c.

Cùm igitur productio generis virilis fœminis commendetur, quæ scylla, quæ naufragium, quid mirum si in naufragio pereat fœtus, inter scopulos scyllæ pariter submergatur?

Verum oportet quàm maximè huius naufragij caussas exponere, scyllam pariter accurata hydrogra-

graphia deſcribere, vt cognitis perbellè cunctis ſcopulis, perſpicuè vnà notis euripis, ac ſyrtibus, Medicus dexterrimus fiat nauta, vt inſtabilem hanc cymbam, & leuem ratem, virile aſportantem ſemen, à cunctis hiſce funeſtis incommodis induſtriè liberatam, ad portum fœlicis nixus, dexterè ſimul per nimbos illos, fluctúſque vndoſos valeat ipſa perferre. Occaſio arrepta ex diuino Dictatore, clamante impunè, Venæ ſectionem partum abigere. Quare hoc intereſt diligenter examinare, & ponderare iugiter ipſius oraculi momentum, ne metu exoluti tanto priuaremur auxilio: præſertim in morborum acutorum curatione ipſarum fœtarum. nequit autem iſtud commodè conſpici, non percenſitis cunctis abortus cauſſis. hęc enim doctrina haud dubiè nos quaſi manu ducet ad abſolutam huius noſtri conſilij rationem, & eiuſdem iugiter perfectam dignotionem.

Cæterum vt diſputatio hæc optima procedat methodo, expedit, imo ius eſt, quamprimum abortum definire. Sed cum res præter naturam, & omne contrarium alterum connotet, atque luſtret, fas modò partum prius iterum definire, rem ſecundum naturam, dignitate, ac natura etiam, & cognitione altero priorem. Partus igitur (quem Græci τόκον vocant) abſoluti in vtero eſt, ac perfecti fœtus, in legitimo ſimul tempore, editio. Ad hanc fœtus perfectionem non requiritur ſolum omnium partium abſoluta dearticulatio, & vnà perfecta ſtructura, verum & robur partium earundem dearticulatarum, ac iuſta pariter corporis moles. rurſus nec quodlibet tempus opportunum ad hanc ſecundum naturam editionem: ſed quod Naturæ Auctor ſumma

sapientia legitimum, ac vitalę destinauit. posuit enim in cunctis rebus suos carceres Deus, quos non præteribit natura. Hoç tempus, ob summã Dei clementiam in genus humanum maximam includit latitudinem. nam septimus mensis, nonus, decimus, ac vndecimus communiora extrema ac media huius latitudinis ambiunt. Cum itaque contrariorum eadem disciplina: si partus, ex Galeno lib. 2. de caussis sympt. cap. 5. & lib. 3. de nat. fac. cap. 11. de naturali actione expultricis facultatis dicitur, à qua in lucem editur vitalis infans, ipso iam perfecto, & in tempore secundum naturam opportuno: Abortus necessariò actio erit præter naturam expultricis facultatis, aut fortè retentricis, aut vtriusque simul, mediante qua deprauata actione fœtus editur imperfectus, & immaturus, aut sub illegitimo vnà tempore, aut vtrumque concurrente. Abortus igitur est præcox, & immaturus exitus iam concepti animalis. In vtraque definitione additum est tempus, quia & cunctis animalibus certum pariendi statutum est tempus: brutis omnibus promiscuè, ac seorsum vnicum, hominibus multiplex sub quadam latitudine: nec tamen omne opportunum, quamuis perfectus existat fœtus. hinc aptè abortum exponit Festus lib. 1. de verb. signif. iuxta etymon, quasi non sit tempestiuè ortus. vnde & partus octauus propriè abortus; quia etsi perfectus fœtus, inopportunum tamen, ac intempestiuum illud tempus.

Andreas Laurentius vir apprimè doctus oppositum sentit lib. 2. hist. Anatom. c. 16. q. 36. & partum potius vocandum retur, qui octauo editur mense, & iugiter crassè errare censet aliter sentientem.

nam

nam inquit, vitalis & non vitalis, legitimus & illegitimus differentię potius partus: haudquaquam de partus essentia. Verum allucinatur, pace eius dixerim, quia, vt diximus, præter partium absolutionem, quam quidem fatemur adesse octauo mense, quid quod etiam & quarto, ac quinto, requiritur mox & opportunitas temporis, quam statuit Legis sanctor Deus, & ipsi Naturæ eius ministræ indixit. vnde hæc semper per suas typicas mouetur periodos, numeros strictè obseruat, æstimat. Quis quæso his præstabit fidem, vt Præceptor Hippocrates docet lib. de septim. partu, num. 1. & eius confirmat paraphrastes insignis Galenus in comment. quod propter partem dici sesqui alteram, supra 182. dies; fœtus ita omnem perfectionem accipiat, vt omni ex parte illius particulæ ratione secundum naturam nascatur? Neque autumandum sub illo breuissimo tempore sesquialteræ diei particulæ aut corporis organa perfici, aut iusto robore solidari: sed quia opportunum tempus ac decretorium, cum per illam particulam fruatur nixus actio 27. hebdomada decretoria; quo septenario ad omnes absolutas crises gaudet quàm maximè natura, veluti & quadragenario in chronicis. quare partus legitimus iste & opportunus accidet quadragenario quinto, & septenario vicesimo septimo, numeris quidem imparibus, & decretoriis. Octauus itaque cùm hisce numeris non fruatur decretoriis, intempestiuus potius & inopportunus. ergo non propriè partus, verum abortus. vti crisis non est, nisi præter caussæ morbificæ coctionem & indicata sit, & in die decretorio pariter exerceatur.

Nonius Marcellus indifferentiis nonnullarum dictionū in significato, discrimen statuit inter abortum, & abortū, quasi ille dicatur de exitu immaturo, in primis mensibus contingente, cum iam cōceptui exordium factum: hic verò, quando grandiusculo existentē fœtu, & prope nixum naturalem fit editio: tunc enim inquit, moritur quod nascitur, in plurimis hoc reconditum inuenimus. Verum hęc haud dubiè à plurimis confūduntur, cum vtrumque nomen pro eadem re sumant significandando. Porrò error detegitur Laurentij ex mente Nonij, cum dicat abortum esse, quando editio fit prope nixum naturalem, qualis octaui sanè mensis, & moritur tunc necessariò fœtus.

Græci abortum diuersis condonarunt nominibus, iuxta varium abortiendi tempus. nam qui intra primum dierum septenarium accidit ἔκρυσις vocatur: qui verò intra primum quadragenariū ἐκτρωσμὸς: vti qui vltra, ad tempus vsque opportunum, & à natura statutum ἀμβλυωσμὸς, seu ἄμβλωσις, & ἀπόφθορά. de his aliqua Aristoteles lib. 7. de hist. animal. ca. 3. quo loco, plurima ab Hippocrate ex lib. de sept. partu, mutuata ingratissimè refert, tacito quidem tanti viri nomine. quod idem præstitit, non solum in hisce libris, verum & aliis de generat. & partibus animalium, ita erat ipse gloriæ cupidus, vt veteres puduerit præceptores venerari, sibi semper attribuens, quod aliis fuerat ornamentum. Ex his Gręcis nominibus, iuxta varia abortiendi tempora, elucet itidem aduersus Laurentium, partum extra tempus opportunum, & à natura statutum vocandum potius abortum, qualem censemus octimestrem.

Præter

Preterea obseruandum esse arbitramur, abortum non solum dici de editione extra vterum fœtus immaturi, & in tempore non opportuno, verum & de corruptione, & eiusdem fœtus in vteri claustro extinctione. cōprobatur Hippocratis, & Gal. testimoniis; illi⁹, cū dixerit li. 1. de mor. mul. nu. 44. *cū abortitur mulier, & puer non excluditur* &c. alterius cum li. 3. de nat. fac. ca. 11. dinumerās abortus causas, mox dicat, *vel etiam totus partus corruptus, ac putris, ac in noxiam saniem dissolutus.* His probè iam expositis lubet modo ad abortus differentias lustrandas accedere.

Celebris itaq; Galenus nuper citato lib. 3. de nat. fac. ca. 11. huius abortus, seu deprauatæ actionis facultatum & expultricis, & retentricis, vnicam statuit ac communem causam cū legitimo partu, vteri videlicet offensionem. hæc autem offensio facultatē irritat expultricē spontè naturę in partu, violenter verò, ac pręter naturam in abortu. rursus & eiusdem offensionis triplicem assignat causam, molem, pondus, & morsum. Moles ad vteri spectat capacitatem, si præter modum magnus fuerit fœtus, vt ne hūc quidē amplius capere vterus valeat: túncque abortitur fœmina. Pondus ad vteri vires refertur quando ipsę ita languent, vt ne iam amplius queāt fœtus pondus sustinere. Morsus tandem à rebus tū acribus, tum mordacibus excitatur, vti ab assumptis pharmacis acribus, aut ab excrementis etiam ad vterum impetum facientibus, morsum, & erosionē ibi excitātibus. Ad hęc igitur summa capita omnes quot quot fuerint abortus causæ, tam internæ, quā externæ reuocantur hauddubiè, & potissimum ad duas posteriores pondus, & morsum: quia necessa-

riò omnis abortus aut expellente vtero fit, à mordenti causa irritato: aut nequeunte retinere abolita vel imminuta retentrice, siue fœtus, siue vteri. fœtus namque siue imbecillis sit, siue iam extinctus, decidens suo pondere vterum grauat, quo grauato, etiā vnà deprimitur, & prosilit. vterus vero (cum ambo in vnum concurrant sit necesse) non secundum naturam retinens fœtum, aut continens (quę actio ipsi potissimum vtero attribuitur) facillimo negotio abortitur. Moles tādem ad hanc retentricis facultatis partem reduci potest; quia moles, cum nimis ponderosa sit vtero, nequit exinde eam continere, sed pondere depressa, eliminat.

De abortus causis in specie.

Cap. IX.

Abortus omnis, testante Galeno lib. 2. de causs. sympt. cap. 3. symptoma est, in actione læsa. & quamuis actio facultatis expultricis secundum naturam, tamen cum morbum, seu affectum aliquem præter naturam semper abortus sequatur, hinc accuratè symptoma in actione deprauatè læsa facultatis expultricis, vti & aliquando retentricis simul. Expositis suprà genericis causis, lubet modò, non solum morborum causas recensere, quæ abortum inducunt, verum & omnes eas morborum ideas dinumerare, quæ huiusmodi symptomatis legitimæ sunt causæ. quare hinc eliciemus, an & venæ sectio inter eas causas sit habenda.

Verum cum causæ omnes affectuum præter naturam ternario claudantur numero, cum aut procathar-

catharticæ ſint, aut antecedentes,aut coniunctæ:& cuiuſque generis valeant abortum germinare; ſingula replicare oportet, à procatharticis exordium ſumentes. Hæ innumeræ ferè ſunt,caſus videlicet, ictus, contuſio, quælibet cauſa vterum vulnerans, pedum offenſacula, curuatio corporis, fœtor, tempeſtas varia, aëris inclementia, cæli ſtatus duritas, aſtrorum forſan influxus, ex quibus aniliter conantur Aſtrologi abortus, vti & alia plurima prędicere; ſtrepitus maximus, tonitrui inquam, bombardæ, ſeu alterius æramenti bellici, terręmotus, alicuius ædificij caſus, immodicus veneris vſus, nimia ſaltatio, vociferatio vehemens, aut alius quilibet motus magnus, vt in curru vectio, lectica, aut naui: deinde crapula, inedia, aſſumptio medicamenti apophtori, grauis oneris aſportatio, horror ſubitò præſertim factus ex alicuius rei horribilis aſpectu, vel ſaltem antipathiam habentis cum fœta, cathartici exhibitio, vti & ſanguinis miſſio, aut nimia ſanguinis per aliquod vulnus effuſio. Tandem ad has externas cauſas animi pathemata referuntur:affectus ſanè potentiſſimi abortum procurare: quibus impensè & fœminæ ſubiiciũtur.inter reliqua vrget quammaximè ita intenſam inducens corpori commotionem; à qua lancinantur valdè, iuxta illud Sapientis Eccleſiaſt. 23. *non eſt ira ſuper iram mulieris*. excandeſcentia itidem idem præſtat,quæ ſummus vigor iræ eſt: timor, pauor, mœror,immodicus riſus,gaudiũ procax.his igitur, et iã à leui cauſa commotis infliguntur fœminæ,ob earum & cordis leuitatem,& ſexus natiuam fragilitatem.

Quare videant quæſo quàm ſolerter affirma-

rit secundus Philosophus, mulierem & viri naufragium & exornatam scyllam.

Præter has causas externas sunt & abditæ, ac penè innumeræ; quæ & immorigeræ, & ferè itidem ineluctabiles: vti contra procatharticæ vitari aut difficulter queunt. Causæ abditæ ad tria summa capita potissimum reducuntur, ad vterũ, ad fœtum, ad grauidam. Vterus, vel vt similaris pars, vel vt organica lacessitur, vt similaris, aut per intẽperiem nudam, aut cum humoris affluxu. hæc itidem aut cum inflammatione, aut citra eandem cõsistit. inflammatio systrophica rursus, vel phlegmon vel erysipelas, qui vterque affectus ceu grauissima ac funesta mala censentur in vtero, iuxta vtrumque parentem libr. 5. Aphoris. sen. 43. Intemperies autem systrophica citra inflammationem, aut scyrrhus, aut œdema, aut aliud quidpiam simile. Est & pituitæ confluxus valens & vterum reddere lubricum, & acetabula eâdem impleta simul laxare, & partum ob vtramque rationem iugiter abigere, li. 5. Aph. sen. 45. valet & idẽ pręstare humor aliquis acris & mordax ad vterum confluens. Vterus pręterea, vt organum, affici potest cunctis illis vitiis, quæ abundè Galenus recenset lib. de morb. different. ca. 6 hæc autem vel sunt in magnitudine, numero, conformatione. & cõpositione. In magnitudine vti quãdo vterus ita paruus est, vt nequidẽ valeat fœtus suum iustum incrementum suscipere. quicquid aliter, & futile sentiat clarissimus Mercurialis lib. 2. de morb. mul. ca. 1. vel quando vteri osculũ magnũ est, ceruicis potius angustus meatus. In numero deinceps, quando aliqua pars in vtero deficit, vel abundat, vt si tumore afficiatur,

ca-

caruncula, aut cicatrice. In conformatione rursus, quando vteri cauitas, aut ceruicis meatus à tumore aliquo obstruitur, & eius figura vitiatur. In compositione tandem, quando vteri situs deprauatur, aut distorquetur, vt in hysterica passione contingit; à qua forti præsertim hauddubiè accidere quit abortus. Morbo denique vtrisq; partibus communi infligitur etiam vterus, solutione videlicet continui. quæ, iuxta partis subiectæ naturam, suo peculiari finitur nomine: in ligamentis namque si occurrat ἀπόσπασμα, in parte carnosa ἕλκος seu Latinis vlcus, in neruis σπάσμα, conuulsio, carnosarum autem partium ruptio ῥῆγμα potius appellatur. quæ omnia accidere possunt vtero, cum & cunctis his partibus in sua compositione fruatur, & vnà abortus fieri causæ.

Porrò causæ abortum inducentes grauidarũ ratione, nihilominus & plurimæ sunt quæ istud afficiunt, vel quia in consensum ducitur vterus, vel fœtus, vel vtrumque. Inter reliquas causas febris est, & præsertim acuta, quæ quidem grauidæ per se morbus, sympathicè autem & fœtus ac vterus afficiuntur; vnde ex ipsa, Hippocrate & Galeno testantibus, lib. 5. Aph. sen. 55. abortus consequitur, & abortientes fœminæ periclitantur. atque id ne febris tantùm ratione supplantantis fœtus calorem natiuum, verum & curationis. hæc enim victum imperat tenuem, sanguinem fundere iubet, & alia iuxta morbi vrgẽtiam mandat, quæ aut imbecilliorem reddunt fœtum, aut enecant fame, nectareo pabulo destitutum. Plurimi itidem alij morbi acuti idem exercẽt, tam febris connexæ necessitudine, quàm grauitate ac sæuitie superuenientium symptomatum, aut co-

rundem astricta curatione. Nihil minus & alij citra febrem morbi idem præstare valent, vt Hippocrates innuit lib. 5. Aphor. sen. 31. dicens, *Mulierem grauidam morbo quopiam acuto corripi, perniciosum.* Galenus in comm. affabrè exponit siue cum febre, siue citra accidat acutus morbus; qualis citra febrem apoplexia, epilepsia, conuulsio. nam morbi tum magnitudini, tum vehementiæ par grauida esse nullo modo poterit. vnde submergitur nauis vnà cum merce. Inter reliquas, ceu frequentior acutissimam experior epilepsiam: quæ breui temporis interstitio & partum abigit, & vnà fœtam interficit. diuellit autem fœtum violentus, ac ferinus ille vniuersalis motus, seu totius corporis concussio. obseruauimus namque fœtas aliquas hoc execrando morbo laborantes, quæ infra tricesimam horam vnà cum fœtu in lethe fuêre submersæ. Præter acutos morbos, sunt & alij magni quidem, eundem procedentes effectum, quales Hippocrates recenset libro 1. de morb. mul. num. 41. huiusmodi sunt fluxiones à capite pituitosæ, ventris ac lumborum dolores, immodicus aliquis fluxus, siue sanguinis, siue alterius cuiusque humoris, per quamlibet partem prosiliat: siue diarrhœa sit, siue dysenteria, siue vomitus, siue per nares hæmorrhagia. Rursus tussis contumax, & nausea idem præstát, vti & vitiosa partium aliquarum cõformatio & structura ipsius grauidæ, vt gibbositas, & claudicatio, aut si à prima conformatione aut à causa præter naturam id accidat. præsertim si os coxendicis extra sedem fuerit versus vterum, húncque compresserit, tunc enim aut abortiuntur fœminæ, aut difficillimus, aut impossibilis quidem

dem nixus : vt expertus sum in vxore cuiusdam mercatoris,cui hoc vitio affectæ, cùm nono mense sibi excitaretur partus,post tres dies frustra in nixu laborando, manu tandem chirurgica, in frusta fuit fœtus extractus. Pinguedo supra modum adaucta, & nimia crassities, & obesitas, vti maxima corporis gracilitas, & habitus tenuitas, paucitas itidem sanguinis, aut eiusdem maxima corruptela, aut si cum impetu maximo ad aliquam corporis partem ruat, ab vtero reuulsus causæ abortus sunt, destituto nimirum suo nectare fœtus, aut compresso.

Denique fœtus culpa abortus contingit, quia & ipse multifariam lancinatur. interdum namque febre per se afficitur,à qua corrumpitur aliquãdo,putrescit, & in noxiam dissoluitur saniem,vt lib. 3.de nat.facul.scripserat Gal.c.11. interdum concussoriis ac vehementibus motibus,à cõuulsione,rigore, aut alia quacunque causa irritante: à quibus & mẽbranæ ipsum obuoluentes disrumpuntur, ac vasa quæ acebatulis adhærent diuelluntur,vnde quamprimũ cõsequitur abortus. sunt & alij morbi,à quibus pariter corrumpitur fœtus, vti moles grandior & põderosior ipsius fœtus,vtero molesta,eundem abigit: nihil minus& suffocatio à nimia sanguinis copia,& vterũ cõmouet,& ad eius expulsionem vnà cõcitat.

Hæc sunt quæ ad causarum partum abigentiũ dignotionem spectant.de his abundè Hippocrates disputat tum lib.1. de morb. mul.à num. 40. vsque ad numerum 57. inclusiuè : tum libro 3.Aphor. & lib. 5. & 7. tum altero libro sanè doctissimo de aërib. aq. & loc. & alibi. Galenus itidem diffusè, tum in comm. in dictas Aphoristicas sententias & passim

li.6.de loc. affect.c.5.& lib.3.& 6.Epid.com.2.sen.8. & ex instituto lib.3.de nat.facul.c.11.com.1.sen.2.& alibi. Cæterum harum omnium causarum seorsum rationem exponere, ceu immensum & à nostro instituto alienum, cōsultò prætermittimus & eo presertim cum omnes ad tria illa referantur capita, molem, pondus, & morsum: ex quibus reliquę specificæ suum consequuntur effectum.

Superest tandem inquirere (quod est huius nostri consilij ratio) an purgatio, an & venæ sectio legitimæ sint causæ abortum inducentes. Hipp.li.5. Aph. sen. 30. absolutè renuit venæ sectionem, eóque potissimum grandiore existente fœtu: libro autem 4. sen.1.& 5.Aph.sen.29. simpliciter haudquaquā purgationem respuit, cum hanc à quarto ad septimum vsque mensem admittat, turgente, non vrgente, vt perperam Plantius interpretatur materia. De hac suo loco agemus, cùm venæ sectio modò nos aduocet.

Verum antequam rem aggrediamur illud supponendum prius cēsemus venæ sectionem, vti & purgationem, ac reliquas ferè omnes causas partū abigentes, contingenter potius operari. haudquaquam necessariò, ea præsertim dempta, quę pharmacis exercetur apophroris. Dico autem contingenter operari, quia per se non agunt, neq; primò partum abigere intendunt, sed hoc accidit aliquando iuxta dispositionem maximam, patiētis corporis, cuius dispositionis ratione, non quælibet causæ efficacia, verum & minima eiusdem vis suum consequitur effectum. vnde experimur, aliquibus fœminis, non ob occursum singularis causæ, etsi grauissimę abortiri, verum nec multiplicium, ac maximarum hęret

namq;

nãq; aliquando ita fortiter fœtus, ac si ferreis vinclis vtero alligaretur, vt ne febri acuta, tenui victus ratione, purgatione, venæ sectione etiam sæpe repetita, etiam & quod magis est, inscio Medico, conceptionem, tusis infernis venis, diuelli, aut abiungi quidem valeat. Mirandum profectò! Hęc autē fiunt, in vnum concurrentibus plurimis, tum fœtus præsertim robore, tum partium quibus ipse hęret optima constitutione. Accidit nihilominus aliquando nec sanè rarò, etiã à leuissima causa fœminas abortiri, vt à fœtore lucernæ extinctæ, vt perbellè adnotauit Plinius lib. 7. de nat. hist. ca. 7. recalcitratione, corporis leui incuruatione, minima pedum offensione, timore exiguo, leni currus vectione, nutu quasi, si fas dicere. quæ quidem tribuenda non sunt energiæ causæ efficientis: cum hanc minimam, ac leuem supponamus; sed morbosæ corporis dispositioni, virium pariter vtriusque & vteri, ac fœtus lãgori, tum quàm maximè & vteri lubricitati. Hinc appositè dixerat diuinus noster dictator libro 1. de morb. mul. nu. 42. *Mirari non oportet mulieres quod inuitæ corrumpant: nam custodia, & scientia multa opus est, vt in vteris gestent puerum, & enutriant, & vt euadant ab ipso in partu.*

Concludamus itaque ex cunctis partum abigentibus causis, aliquas vt plurimum operari, reliquas omnes contingenter ac rarò, nullatenus ex necessitate. nam ex Aristotele li. 2. Phys. ca. 5. cum quædam ex necessitate eueniant, alia vt in pluribus, alia verò vt in paucioribus: his vltimis modis proculdubio se habent ferè omnes hæ causæ, quæ partum valent abigere: cum vt nuper diximus, agant, & non agant, quod de ratione causæ contingentis est.

De venæ sectione, an abortus sit caussa efficiens.

Cap. X.

EXpansa mappa, hydrographia descripta, patefactisque cunctis abortus periculis, quæ in hac insunt fœtarum ancipiti nauigatione: restat modò iuxta nostri consilij rationem seriò exploremus, an aliqua latitet, & obsidat implacata charybdis, in sectione venarum vtero gerentium. Si proximas caussas æstimemus, hanc partum abigere planè censebimus. proximæ caussæ in triplici sunt differentia, aliæ robur dissoluendo naturæ id præstant, aliæ expultricem irritando & commouendo corpus, aliæ demum & vtroque modo id efficiunt. quare venæ sectio hoc vltimo modo partum abigere arbitrandum, cum hæc & robur dissoluat, & corpus agitet. illud primum constat ex Galeno palam lib. 5. Aph. sen. 30. dicens, *Non modò sectione venæ, sed longiore etiam inedia fœtus in vtero necatur alimenti defectu.* nemo enim non scit, ex defectu alimenti, quod præstat cum inedia venæ sectio, robur virium exolui. Alterum itidem constat hac ratione, quia impetuosas fluxiones, reuellendo fluxum versus partem sectam sistit; vniuersum sanguinem extra typicam mēsium periodum, pluries commouet, ac prouocat, à commotione eiusdem sanguinis, & spirituum exolutione lipothymia, ac sincopes sæpè excitatur, dum secantur venæ. valens agitatio hæc, expultricem potis pariter irritare. Quare languescente retentrice dissoluto robore, & commoto sanguine expultrice irritata, quid mirum abortum consequi?

Hæc

Hæc cuncta,licet nobis, ex Galeni ſacrariis oblatis auctoritatibus, ex dictatore iugiter excerptis, confirmare. In primis alimenti defectum robur exoluentem, inſinuat huius abortus cauſſam Galenus lib.5.Aphor.preſertim commentario in ſen.53.ſent. 31.34.37.38.44.52. cuius hæc ſunt verba, *An non quādo citra aliquam eiuſmodi cauſſam mammarum ſit extenuatio, ſanguinis in venis vteri, mammarūmque communibus penuriam in cauſſa eſſe dicendum? propterea enim ἀτροφίᾳ, id eſt alimenti defectu enecari fœtum dicebat.* De commotione autem in eadem Sententia ſic ſcribit. *An ſaltantibus ipſis, aut multum vociferatis, aut ira excandeſcentibus aut repentino aliquo timore perculſis, mammarum aliquando non præcedente extenuatione fœtum interimi accidat.* Si igitur altera quælibet cauſſa ex his partum abigere eſt habilis, multò facilius illæ, quæ vtroque modo ſe habent, vtroque pulſant pede. quales omnes effatu dignæ vacuationes, cum concitent, & corpus agitent, & pabulum vnà auertant. iſtud primum perbellè inſinuat Galenus lib. 4. Aph.ſen.1.illa eleganti fructuū analogia,qui vehementi arborum concuſſione, etiam fortiter hærentes diuelluntur: idem prægnantibus purgatio præſtat. alterum mox declarat lib. 5.Aph.ſen. 34. cum exponit illud Hippocratis oraculum, *Mulieri vterum gerenti, ſi aluus multum fluat periculum eſt ne abortiatur.* Et inquit, *Vacuationis ratione nunc quoque Hippocrates abortionis periculum imminere dicit grauidæ, aluo immoderatius fuſa, quemadmodum paullò ſupra in miſſione etiam ſanguinis fieri oſtendebamus.* Poſtmodum infert, *Non modo ſectione venæ, ſed longiore etiam inedia fœtus in vtero necatur alimenti defectu.*

Quare vacuationes omnes effatu dignæ vtroque modo haud dubiè valentes partum abigere: hinc & funestum fœtis auxilium.

Opposita sententia multo quidem probabilior, & rationi, & experimento itidem longè consona. Rationes plures, quibus ius nobis demonstrare tutam, ac citra vllum abortus periculum esse venæ sectionem vterum gerentibus. Altera ex auxilij huius præstantia petitur. Sanguinis missio cautè, ac religiosè facta, placidè, tranquillè, citra dolorem, ac fastidium suum promit effectum: tutò etiam, testante Galeno lib. de venæ sect. aduers. Erasist. cap. 7. & lib. de cur. rat. per venæ sect. c. 12. quia ne administrante fortuna fit: cum in manu sit artificis fluxum ad eius libitum sistere: citò itidem, ac sub breui morula omnis quæ requiritur, extrahitur sanguinis copia, nulla indigente ad hoc munus obeundum humorum præparatione. habet igitur cunctas conditiones, quæ in tranquillo, ac placido auxilio requiruntur. sed placidum auxilium nequit certè partum abigere. Ergo. Propositioné Galeni auctoritate firmare possumus. hic náq; lib. 2. de rat. vict. sen. 11. cũ pleuritidis traderet curationẽ, vsum purgantiũ dissuadet, nec eius loco leuibus commendat encomiis ipsam venæ sectionem, dicens, *Atque per venæ sectionem vacuandum magis, etiamsi ad hypochondrium dolor pertingat. nempe & si minus quidem auxilium, quàm per purgationem sequatur, securius tamen multo existit. immo nullum ex eo, quod per venæ sectionem fit, periculum impendet, eo discrimen maximum subeunte, quod per purgationem tentatur.* Eiusdem auxilij securitatem amplius vsus Naturæ declarat, ac familiaritas, in vtraque etiam valetudine: in fœmineo

sexu

ſexu per typicum menſurni ſanguinis fluxum, in adoleſcentibus, ac iuuenibus per narium hæmorrhagiam, in aliis ætatibus, etiam in vtroque ſexu per frequentes hæmorrhoidas. Aſſueta itaque, & maximè familiaris eſt Naturæ ſanguinis profuſio, & per conſequens cum maximo animalis commodo: quia hæc benigna, tuta, ſecura, citra alterationem, aut quàm minimam ſaltem, exercetur, ſi vltrà naturæ limites non procedat.

Aſſumptio nihilominus & ratione ſtabilitur, ex Galeni pariter doctrina petita. Non quodlibet alterans partum abigit, ſed per ſe violentum, ac maximum. ſed venæ ſectio auxilium eſt placidum, & quàm minimum alterans, & concitans, tantum abeſt quod violentum ſit. Ergo valens non eſt per ſe partum abigere. Propoſitio itidem confirmatur illa eleganti Galeni analogia, 4. aph. ſen. 1. dum concludit, *Quare mulier in vtero ferens poteſt vehementiores motus ſuſtinere, ſine fœtus offenſione.* vti fructus primis temporibus, etſi infirmis pediculis contineantur, non decidunt, niſi quando ventus vehementior concuſſerit. vehementes igitur commotiones requirit Galenus ad abortus conſequutionem, vti ad fructus decidentiam, & auulſionem. Et cum venæ ſectio ſit quaſi aura quædam leuis, ac blanda, haudquaquam fructum vteri abiunget, ac diuellet: dummodò religiosè, ac parcè exerceatur: Præterea, & idem Galenus lib. 3. de nat. fac. cap. 12. abortum fieri inquit, ab aliquo agente violenter incidente, non autem ſponte naturæ. Si enim partus (quæ res ſecundum naturam, ex dictatore lib. de nat. pueri, num. 37. cum & maturo exiſtente fœtu fiat) à vehementiſſimis eiuſdem fœtus motibus ſuc-

cedit: quanto magis abortus, & res præter naturam, & immatura, vehementes supponit motus, validáque alterationes? eo præsertim cum in vtraque actione ex Galeno lib. 2. de causs. sympt. ca. 3. vna & eadem facultas sit agens, expultrix nimirum, quæ in partu sponte mouetur, in abortu irritata ac violenter commota. Quare in vtero benè disposito, & vnà fœtu existente robusto, ad eiusdem abruptionem vehemens necessario, ac violenta caussa requiritur: qualis haudquaquam venæ sectio.

Porrò est & altera ratio. Natura, redundante sanguine sibi molesto per varios canales in fœta, per vterum inquam, hæmorrhoidas, ac per nares etiam tutò, ac benignè ac citra abortum corpus ab illa sarcina exonerat: si igitur Natura, quidni Medicus, eius assecla, in his quæ optimè ipsa procedit, eandem rectam non insequetur viam? Nam, si in illa redundantia materia adest sufficiens ad illam secundum naturam vacuationem, quidni ad alteram illam, quæ arte fit, & ad fœtus simul nutritionem? quis igitur amabò, vrgente affectu præsente, vel imminente, fœtis sanguinem haurire timebit? Quid quod, si obseruata hac rationali methodo fortè cõtingat fœminam abortiri, nec proinde auxilium damnandum. vti enim Lacon interrogatus (vt ne à fœminis discedamus) cur satis pusillam duxisset vxorem: respondit facetè, quia è malis, quod minimum, eligendum. Brusonus lib. 4. ca. 1. Similiter expedit in hisce malis, etiam quod minimum eligere. minus autem malum matrem seruare, quàm vnà perire omnes.

Præterea possumus & altero medio hanc nostrã roborare sententiam, si sanguinis missio abortum faceret,

faceret, hoc ideo, quia præsertim fœtui alimentum detrahit. Sed alia præter venæ sectionem hoc præstant, citra abortus incursum. Ergo. Propositio Galeni est, comm. in illam 30. sententiam. lib. 5. Aph. Assumptio probatur. Quàm plurimæ grauidæ in primis conceptionis saltem mensibus, & vlterius aliquando, ingenti afficiuntur anorexia, ita sanè vt omne ferè alimentorum genus auersentur; qua ineunte grauiditate & tenuissimo victu, etiam & aliquando cum aliqua lenta febri tempus percurrunt omne conceptionis. Sed hęc tantum abest partum abigāt, quod iuxta assiduum vsum, & sæpè fœlici quodam nixu gaudeāt, fœtum eusarcum, ac robustum potius edant. Ergo. Si igitur sagax Natura (in cuius contemplatione, vt dixerat Charmides Masiliensis, nihil occurrit incredibile) tanto alimenti defectu, non solum abortum non concitat, verum robustum edit fœtum: quanto minus illud auxilium potēs est, si cautè ac prudenter fuerit adhibitum, partum abigere? Quod si fortè accidat, tunc, haudquaquam auxilio, verum morbosæ fœtus, aut fœtæ dispositioni potius condonandum.

Tandem est & altera ratio, ex assidua, ac diuturna experientia elicita: à Celsi videlicet ad hæc vsque nostra tempora. fœliciter namque & cum magno auxilij encomio, & artis honore venas nos fœtarum tundimus, citra abortus incursum: istúdque per varia conceptionis tempora tutò passim exercemus: non solum vt acutos earum morbos exoluamus, etiam & simpliciter magnos, verum etiā (& quod magis est) vt fœtus in vtero seruemus, ne à nimia sanguinis copia auellantur, aut suffocentur. hausto namque sanguine vasa supra modum

replente, ac distendente commodius multò calor ventillatur, plenitudo vnà tollitur, vasa dilatans, & eorum oscula hiantia simul reddens, quæ fœtum haud dubiè abiungunt, & à suis pariter cotylidonibus separant: vt apertè Galenus innuit lib. 5. Aphor. sen. 53. In diuulsione autem cum dolor vehemēs cōcitetur, & natura ad partem dolentem maximo cum impetu & spirituum, tum sanguinis non exiguam transmittat copiam, non valente amplius continere fœtum, ob disruptos cotylidones, & diuulsa vincula ad illius quamprimum cōcitatur expulsionem: vnde abortitur necessariò fœmina. Quibus exactè venæ sectio prouidet, religiosè tamen, & cautè in vsu posita.

Offensacula denique remouenda, vt liberè procedamus. Auctoritatibus itaque, ac rationibus opinionis oppositæ simplici responsione satisfaciemus. Sanguinis missio, quamuis alterans auxilium, tutissimè tamen, ac blandè istud exercet, vt ne quidem vlla ratione per se valens partum abigere. quod si aliquando extra terminum mensium typicum, ipsa præmissa, concitantur ipsi, per accidens contingit; leuata à pondere quo premitur natura, & reliquum excernere aggrediente: haudquaquam à valida aliqua commotione, cum lentè, ac placidè istud auxilium prosequatur. Rursus negandum, alimentum fœtui demere, ac ab ipso venę sectionē detrahere, dummodò redundans illud tantum tollatur, quod præ multitudine valens fœtum opprimere, aut fœtus nutritioni inutile fuerit. Quare copiosæ, & vltra iustam mensuram timendæ, cum hę tantum nectareum pabulum demant, quo deficiente, necessariò abortus consequitur. Sic igitur, hac

præ-

pręmissa distinctione Galeni auctoritates recipiendæ, & assentiendum opinioni eiusdem.

Illustratur Hippocratis Aphoristicum oraculum, & mens Galeni de phlegmone vteri.

Cap. XI.

NEc leuem nobis præbuit dubitandi ansam diuinissimus Galenus, an phlegmones vteri inter abortus causas recensendę. Et quamuis nos, ceu ratū, dū omnes eius causas supra replicaremus, hāc vti & erysipelam inter legitimas, ac internas connumererauimus: nihilominus oppositū videtur sentire Galenus lib. 5. Aphor. sen. 53. cum proponens quandam problematicam quæstionem, sic infit, *Cur inflammato vtero partus non corrumpetur?* Videtur namque his verbis in dubium vertere, quod nunc quęrimus, & insinuare pariter, ceu veriorem affirmantem partem. quasi ibi intendat perquirere causam, ob quam phlegmon vteri nequeat partum abigere: res quidem admiratione digna, tum propter affectus huius magnitudinem, ac vehementiam, loci affecti cum ipso fœtu vicinitantem, contiguitatem potius, ac colligantiam, valentem hauddubiè natiuum partus calorem supplantare, ac corrumpere quidem. Cæterum vt cuncta perspicua nobis reddantur, orationis Galeni seriē quamprimum obseruandā arbitramur. Hic itaque ex Hippocrate demōstrare intēdit duras mā-mas fœtus corruptionem non portendere, quia hæ redundantiam ac multitudinem indicant humoris tantum inutilis, ad quarum mammarum duritiem dolor consequitur, aut ad easdē mammas, aut ad

coxas,oculos,aut ad genua, idque citra abortum. His positis, statim quæstionem subiungit,& trimembrem proponit, quam sibi occurrere eo inquit loco.Huius altera pars est,quá ob causam ad corpus vteri natura nūquá materiem reponat inutilem.altera mox,cur illa materies ante repulsioné, inflammationem in vtero non excitet. tertia tádé, cur si fortè fiat inflammatio in vtero, ab ea fœtus non corrupatur.Hæc quæstio ardua cum sit,& difficilis, præter eius morem, problematicè satisfacit, dicens *An quod ab Hippocrate dicitur,aliud est* proinde illustriori indiget elucubratione, & ampliori simul oratione:præsertim cū & reluctari videantur his,quæ suprà affirmauerat in hac eadem 5. Aphoristica sect. sen. 43. dum & ab erysipelate, & vteri inflammatione, veluti & à febre acuta fœtum corrumpi scribat. Sed cum Lucifer splendorem non quærat, omnem difficultatis caliginem,eiusdem Galeni mentis splendor latius dissoluet. Huic igitur cordi est, iuxta Hippocratis oraculum,in illius sententiæ commentario, de mulieribus disputare mammas duras habētibus,& rursus quid durities illa portendat exponere. hinc occasione arrepta,causam mox inquirit, cur materies illa inutilis,in mámis duritiem concitans,quá Plantius redundantem vertit, nunquá ad vteri corpus reponatur à natura: qua non reposita, ne vllatenus quidem phlegmone excitabitur, quæ intemperiem calidam dicit,cum affluxu itidem humoris calidi.

Verum vrget modò maior difficultas, si inutilis materies nusquam ad vteri corpus reponatur, nec per consequens quit generari phlegmone cur de

cur de re impossibiliter contingenti causam ille inquirit, dicens, *cur inflammato vtero fœtus non corrumpitur?* mox problematicè satisfacit, *An, quod ab Hippocrate dicitur, aliud est?* Dependet igitur huius problematis illustratio ab interpretatione mentis Hippocratis, in illo oraculo. Præsumit itaq; hauddubiè eo loco Hippocrates demonstrare, mammas duras redundantiam indigitare, seu copiam potius inutilis alicuius humoris in vteri vasis contenti: vt pariter in commentario confirmat Galenus. qui humor aut copiá, aut qualitate, aut vtroque modo expultricem concitat vteri, à cuius robore maximo quasi per anadromen ad vbera detruditur. commodè id præstat vterus per vasorum vtriusque partis coniugium maximum, & aptam iugiter vtriusque dispositionem, vteri transmittentis robur, laxitatem, ac natiuam imbecillitatem recipientium vterum. spongiosa namque cum sint, suo quasi nutu humores ad se alliciunt, & tenaciter vnà continent. Vnde ibidem stabulati, durescunt sanè: non tumescunt tantum, vt cunctis vtero gerentibus secundum naturam contingit: verum illa, duritie quadam afficiuntur præter naturam, quando ille redundans, transfunditur ab vtero humor. Indicant igitur mammæ hæ duræ facultatis expultricis vteri robur, valentis omnem illam inutilem materiem repellere, ac in vberibus ipsis reponere. quo consequuto, vterus à phlegmoni liberatur, repulso aliàs à se humore, hanc generare valente. Quare ex his accuratè inferemus, has mulieres, duras mammas habẽtes, haudquaquá abortiri. Cũ etenim inter pręcipuas abortus causas annumerẽtur, tum atrophia, tú humorũ

recursus maximus, siue ab interna, siue ab externa aliqua causa ad vterum concitatus, morbũ ibi nec leuem sua præsentia generans: & hic, vnà cum eius causa, cùm expultricem vteri valeat irritare, ad expulsionem itidem fœtus: aut saltem eiusdem partis robur exoluere, quo exoluto, amplexus vnà tollitur necessariò in vtroque affectu propter maximam vteri ac vberum colligantiam, & gracilescent, ac tenuabuntur mammæ. Vnde dictante Hippocrate li. 5. sen. 36. 37. vberum attenuatio omnem abortum necessariò pręcedat oportet: non eum tantum, qui ab alimenti defectu exoritur, vt perperam Philotheus existimauit comm. in sen. 54. huius 5. sect. Aph. cum omnis abortus comitem habeat dolorẽ, ac cruciatum, quia res præter naturam, & violenta. dolor autem spiritus ad se allicit, ac sanguinem à toto corpore, à mammis præsertim, propter colligantiam maximam; hinc affatim, ac repentè in abortu attenuantur. verum in defectu alimenti extenuatio affatim procedere nequit, imò sensim, ad instar alimenti defectum. Neque ius, quod illud *repẽtè & affatim*, modo, pro nullo pręcedente symptomate intelligamus, aut pro sine causa manifesta, cũ in hac breui morula vtrũque contingere queat: sed pro breuissimo temporis interstitio. Cęterum cum existentibus mãmis duris nulla ex his possit adesse causa: neque tunc quidem continget abortus. Hinc insignis noster Galenus dubitandi arripuit occasionẽ, cur natura redũdãtem illam materiem, in vasis vteri contentã, potius in vteri corpus, ceu in eius inania spatia non transfundat, ad vbera autem, aut ad aliam quamcunque transmittat partem. vti in melancholia accidit, ex eodẽ dictat. lib. 6. Epid.

sect.

ſect.7.circa finem,Galenus etiam lib.3.de loc. affec. cap.7.in qua humor, ſi repat cerebri corpus, epilepſiam excitat, ſin mentem, melancholicum delirium: nec cerebrum relinquit, demiſſo humore in aliam diſtinctam partem.

Dubitationi ſatisfacit Galenus breui illa ac compendioſa oratione,dicens,*An diuerſum eſt, quod ab Hippocrate dicitur*? quaſi dicat,haudquaquam. Et implicitè rationem reddit iuxta mentem Hippocratis. Quia cum ab aliqua grauatur ſarcina vterus, ſimúlque irritatur ad eiuſdem expulſionem, ad vteri corpus hanc facultas non transfundit,ſed(extra typicam periodum) ad peculiare vteri penu, ad vbera videlicet,cum quibus,nec leuis affinitas vt perbellè declarat lib.14.de vſu part.ca.8.Galenus, vti & conſenſus innuit,dum in omni abortu attenuantur.quę pars cum à prima origine ſpongioſa ſit,& laxa, nec minus plurimis ſepta glandulis, transfluentem ad ſe humorē habilis,vt recipiat,&receptum in ſe diutius teneat.quare hæc diſpoſitio, & formatio, vnà cum imbecillitate expultricis,efficiunt,ne alibi cōtentum in ſe humorē tranſponant vbera. quidquod nec humor iſte,ceu inutilis, ac excrementitius quit in ipſis mammis à natura in lac cōuerti:imò duriores potius reddere,ibi ſtabulatus:& quāto duriores, tāto arctius os vteri clauditur, & fœtum vnà ad opportunum vſque nixus tempus continet, vt accuratè Oribaſius interpretatur comm. in lib. 6. Aphor. ſen.26.

Neque quidquam aduerſus nos valet inſtantia melancholiæ; quia in hoc morbo, humor eius efficiens cauſa,quatenus ſua frigiditate, ac ſiccitate cerebrum alterat, delirij melancholici fit auctor, &

Quare vacuationes omnes effatu dignæ vtroque modo haud dubiè valentes partum abigere: hinc & funestum fœtis auxilium.

Opposita sententia multo quidem probabilior, & rationi, & experimento itidem longè consona. Rationes plures, quibus ius nobis demonstrare tutam, ac citra vllum abortus periculum esse venæ sectionem vterum gerentibus. Altera ex auxilij huius præstantia petitur. Sanguinis missio cautè, ac religiosè facta, placidè, tranquillè, citra dolorem, ac fastidium suum promit effectum: tutò etiam, testante Galeno lib. de venæ sect. aduers. Erasist. cap. 7. & lib. de cur. rat. per venæ sect. c. 12. quia ne administrante fortuna fit: cum in manu sit artificis fluxum ad eius libitum sistere: citò itidem, ac sub breui morula omnis quæ requiritur, extrahitur sanguinis copia, nulla indigente ad hoc munus obeundum humorum præparatione. habet igitur cunctas conditiones, quæ in tranquillo, ac placido auxilio requiruntur. sed placidum auxilium nequit certè partum abigere. Ergo. Propositionẽ Galeni auctoritate firmare possumus. hic náq; lib. 2. de rat. vict. sen. 11. cũ pleuritidis traderet curationẽ, vsum purgantiũ dissuadet, nec eius loco leuibus commendat encomiis ipsam venæ sectionem, dicens, *Atque per venæ sectionem vacuandum magis, etiamsi ad hypochondrium dolor pertingat. nempe & si minus quidem auxilium, quàm per purgationem sequatur, securius tamen multo existit. immo nullum ex eo, quod per venæ sectionem fit, periculum impendet, eo discrimen maximum subeunte, quod per purgationem tentatur.* Eiusdem auxilij securitatem amplius vsus Naturæ declarat, ac familiaritas, in vtraque etiam valetudine: in fœmineo

sexu

ſexu per typicum menſurni ſanguinis fluxum, in adoleſcentibus, ac iuuenibus per narium hæmorrhagiam, in aliis ætatibus, etiam in vtroque ſexu per frequentes hæmorrhoidas. Aſſueta itaque, & maximè familiaris eſt Naturæ ſanguinis profuſio, & per conſequens cum maximo animalis commodo: quia hæc benigna, tuta, ſecura, citra alterationem, aut quàm minimam ſaltem, exercetur, ſi vltrà naturæ limites non procedat.

Aſſumptio nihilominus & ratione ſtabilitur, ex Galeni pariter doctrina petita. Non quodlibet alterans partum abigit, ſed per ſe violentum, ac maximum. ſed venæ ſectio auxilium eſt placidum, & quàm minimum alterans, & concitans, tantum abeſt quod violentum ſit. Ergo valens non eſt per ſe partum abigere. Propoſitio itidem confirmatur illa eleganti Galeni analogia, 4. aph. ſen. 1. dum concludit, *Quare mulier in vtero ferens poteſt vehementiores motus ſuſtinere, ſine fœtus offenſione.* vti fructus primis temporibus, etſi infirmis pediculis contineantur, non decidunt, niſi quando ventus vehementior concuſſerit. vehementes igitur commotiones requirit Galenus ad abortus conſequutionem, vti ad fructus decidentiam, & auulſionem. Et cum venæ ſectio ſit quaſi aura quædam leuis, ac blanda, haudquaquam fructum vteri abiunget, ac diuellet: dummodò religiosè, ac parcè exerceatur: Præterea, & idem Galenus lib. 3. de nat. fac. cap. 12. abortum fieri inquit, ab aliquo agente violenter incidente, non autem ſponte naturæ. Si enim partus (quæ res ſecundum naturam, ex dictatore lib. de nat. pueri, num. 37. cum & maturo exiſtente fœtu fiat) à vehementiſſimis eiuſdem fœtus motibus ſuc-

cedit: quanto magis abortus, & res præter naturam,& immatura,vehementes supponit motus,validásque alterationes?eo præsertim cum in vtraque actione ex Galeno lib.2.de causs.sympt.ca.3. vna & eadem facultas sit agens,expultrix nimirum,quæ in partu spontè mouetur, in abortu irritata ac violenter commota.Quare in vtero benè disposito,& vnà fœtu existente robusto,ad eiusdem abruptionem vehemens necessario, ac violenta caussa requiritur: qualis haudquaquam venæ sectio.

Porrò est & altera ratio. Natura,redundante sanguine sibi molesto per varios canales in fœta, per vterum inquam, hæmorrhoidas, ac per nares etiam tutò, ac benignè ac citra abortum corpus ab illa sarcina exonerat: si igitur Natura, quidni Medicus,eius assecla, in his quæ optimè ipsa procedit, eandem rectam non insequetur viam?Nam,si in illa redundantia materia adest sufficiens ad illam secundum naturam vacuationem,quidni ad alteram illam, quæ arte fit, & ad fœtus simul nutritionem? quis igitur amabò,vrgente affectu præsente,vel imminente,fœtis sanguinem haurire timebit? Quid quod, si obseruata hac rationali methodo fortè cõtingat fœminam abortiri, nec proinde auxilium damnandum.vti enim Lacon interrogatus (vt ne à fœminis discedamus) cur satis pusillam duxisset vxorem: respondit facetè, quia è malis,quod minimum,eligendum.Brusonus lib.4.ca.1. Similiter expedit in hisce malis, etiam quod minimum eligere. minus autem malum matrem seruare, quàm vnà perire omnes.

Præterea possumus & altero medio hanc nostrã roborare sententiam, si sanguinis missio abortum faceret,

faceret, hoc ideo, quia præsertim fœtui alimentum detrahit. Sed alia præter venæ sectionem hoc præstant, citra abortus incursum. Ergo. Propositio Galeni est, comm. in illam 30. sententiam. lib. 5. Aph. Assumptio probatur. Quàm plurimæ grauidæ in primis conceptionis saltem mensibus, & vlterius aliquando, ingenti afficiuntur anorexia, ita sanè vt omne ferè alimentorum genus auersentur; qua ineunte grauiditate & tenuissimo victu, etiam & aliquando cum aliqua lenta febri tempus percurrunt omne conceptionis. Sed hęc tantum abest partum abigāt, quod iuxta assiduum vsum, & sæpè fœlici quodam nixu gaudeāt, fœtum eusarcum, ac robustum potius edant. Ergo. Si igitur sagax Natura (in cuius contemplatione, vt dixerat Charmides Masiliensis, nihil occurrit incredibile) tanto alimenti defectu, non solum abortum non concitat, verum robustum edit fœtum: quanto minus illud auxilium potés est, si cautè ac prudenter fuerit adhibitum, partum abigere? Quod si fortè accidat, tunc, haudquaquam auxilio, verum morbosæ fœtus, aut fœtæ dispositioni potius condonandum.

Tandem est & altera ratio, ex assidua, ac diuturna experientia elicita: à Celsi videlicet ad hæc vsque nostra tempora. fœliciter namque & cum magno auxilij encomio, & artis honore venas nos fœtarum tundimus, citra abortus incursum: istúdque per varia conceptionis tempora tutò passim exercemus: non solum vt acutos earum morbos exoluamus, etiam & simpliciter magnos, verum etiā (& quod magis est) vt fœtus in vtero seruemus, ne à nimia sanguinis copia auellantur, aut suffocentur. hausto namque sanguine vasa supra modum

replente, ac distendente commodius multò calor ventillatur, plenitudo vnà tollitur, vasa dilatans, & eorum oscula hiantia simul reddens, quæ fœtum haud dubiè abiungunt, & à suis pariter cotylidonibus separant: vt apertè Galenus innuit lib. 5. Aphor. sen. 53. In diuulsione autem cum dolor vehemēs cōcitetur, & natura ad partem dolentem maximo cum impetu & spirituum, tum sanguinis non exiguam transmittat copiam, non valente amplius continere fœtum, ob disruptos cotylidones, & diuulsa vincula ad illius quamprimum cōcitatur expulsionem: vnde abortitur necessariò fœmina. Quibus exactè venæ sectio prouidet, religiosè tamen, & cautè in vsu posita.

Offensacula denique remouenda, vt liberè procedamus. Auctoritatibus itaque, ac rationibus opinionis oppositæ simplici responsione satisfaciemus. Sanguinis missio, quamuis alterans auxilium, tutissimè tamen, ac blandè istud exercet, vt ne quidem vlla ratione per se valens partum abigere. quod si aliquando extra terminum mensium typicum, ipsa præmissa, concitantur ipsi, per accidens contingit; leuata à pondere quo premitur natura, & reliquum excernere aggrediente: haudquaquam à valida aliqua commotione, cum lentè, ac placidè istud auxilium prosequatur. Rursus negandum, alimentum fœtui demere, ac ab ipso venę sectionē detrahere, dummodò redundans illud tantum tollatur, quod præ multitudine valens fœtum opprimere, aut fœtus nutritioni inutile fuerit. Quare copiosæ, & vltra iustam mensuram timendæ, cum hę tantum nectareum pabulum demant, quo deficiente, necessariò abortus consequitur. Sic igitur, hac

præ-

pręmissa distinctione Galeni auctoritates recipiendæ, & assentiendum opinioni eiusdem.

Illustratur Hippocratis Aphoristicum oraculum, & mens Galeni de phlegmone vteri.

Cap. XI.

Nec leuem nobis præbuit dubitandi ansam diuinissimus Galenus, an phlegmones vteri inter abortus causas recensendę. Et quamuis nos, ceu ratũ, dũ omnes eius causas supra replicaremus, hãc vti & erysipelam inter legitimas, ac internas connumererauimus: nihilominus oppositũ videtur sentire Galenus lib. 5. Aphor. sen. 53. cum proponens quandam problematicam quæstionem, sic infit; *Cur inflammato vtero partus non corrumpetur?* Videtur namque his verbis in dubium vertere, quod nunc quęrimus, & insinuare pariter, ceu veriorem affirmantem partem. quasi ibi intendat perquirere causam, ob quam phlegmone vteri nequeat partum abigere: res quidem admiratione digna, tum propter affectus huius magnitudinem, ac vehementiam, loci affecti cum ipso fœtu vicinitatem, contiguitatem potius, ac colligantiam, valentem hauddubiè natiuum partus calorem supplantare, ac corrumpere quidem. Cæterum vt cuncta perspicua nobis reddantur, orationis Galeni seriẽ quamprimum obseruandã arbitramur. Hic itaque ex Hippocrate demõstrare intẽdit duras mãmas fœtus corruptionem non portendere, quia hæ redundantiam ac multitudinem indicant humoris tantum inutilis, ad quarum mammarum duritiem dolor consequitur, aut ad easdẽ mammas, aut ad

coxas,oculos,aut ad genua, idque citra abortum. His positis, statim quæstionem subiungit,& trimembrem proponit, quam sibi occurrere eo inquit loco. Huius altera pars est,quã ob causam ad corpus vteri natura nũquã materiem reponat inutilem. altera mox,cur illa materies ante repulsionẽ, inflammationem in vtero non excitet. tertia tãdẽ, cur si fortè fiat inflammatio in vtero, ab ea fœtus non corrupatur. Hæc quæstio ardua cum sit,& difficilis, præter eius morem, problematicè satisfacit, dicens *An quod ab Hippocrate dicitur, aliud est* proinde illustriori indiget elucubratione. & ampliori simul oratione: præsertim cũ & reluctari videantur his, quæ suprà affirmauerat in hac eadem 5. Aphoristica sect. sen. 43. dum & ab erysipelate, & vteri inflammatione, veluti & à febre acuta fœtum corrumpi scribat. Sed cum Lucifer splendorem non quærat, omnem difficultatis caliginem, eiusdem Galeni mentis splendor latius dissoluet. Huic igitur cordi est, iuxta Hippocratis oraculum, in illius sententiæ commentario, de mulieribus disputare mammas duras habẽtibus,& rursus quid durities illa portendat exponere. hinc occasione arrepta, causam mox inquirit, cur materies illa inutilis, in mãmis duritiem concitans, quã Plantius redundantem vertit, nunquã ad vteri corpus reponatur à natura: qua non reposita, ne vllatenus quidem phlegmone excitabitur, quæ intemperiem calidam dicit, cum affluxu itidem humoris calidi.

Verum vrget modò maior difficultas, si inutilis materies nusquam ad vteri corpus reponatur, nec per consequens quit generari phlegmone

cur de

cur de re impossibiliter contingenti causam ille inquirit, dicens, *cur inflammato vtero fœtus non corrumpitur?* mox problematicè satisfacit, *An, quod ab Hippocrate dicitur, aliud est?* Dependet igitur huius problematis illustratio ab interpretatione mentis Hippocratis, in illo oraculo. Præsumit itaq; hauddubiè eo loco Hippocrates demonstrare, mammas duras redundantiam indigitare, seu copiam potius inutilis alicuius humoris in vteri vasis contenti: vt pariter in commentario confirmat Galenus. qui humor aut copiá, aut qualitate, aut vtroque modo expultricem concitat vteri, à cuius robore maximo quasi per anadromen ad vbera detruditur. commodè id præstat vterus per vasorum vtriusque partis coniugium maximum, & aptam iugiter vtriusque dispositionem, vteri transmittentis robur, laxitatem, ac natiuam imbecillitatem recipientium vterum. spongiosa namque cum sint, suo quasi nutu humores ad se alliciunt, & tenaciter vnà continent. Vnde ibidem stabulati, durescunt sanè: non tumescunt tantum, vt cunctis vtero gerentibus secundum naturam contingit: verum illa, duritie quadam afficiuntur præter naturam, quando ille redundans, transfunditur ab vtero humor. Indicant igitur mammæ hæ duræ facultatis expultricis vteri robur, valentis omnem illam inutilem materiem repellere, ac in vberibus ipsis reponere. quo consequuto, vterus à phlegmoni liberatur, repulso aliâs à se humore, hanc generare valente. Quare ex his accuratè inferemus, has mulieres, duras mammas habētes, haudquaquá abortiri. Cũ etenim inter pręcipuas abortus causas annumerētur, tum atrophia, tũ humorũ

ſect.7.circa finem,Galenus etiam lib.3.de loc. affec. cap.7.in qua humor, ſi repat cerebri corpus, epilepſiam excitat, ſin mentem, melancholicum delirium: nec cerebrum relinquit, demiſſo humore in aliam diſtinctam partem.

Dubitationi ſatisfacit Galenus breui illa ac compendioſa oratione,dicens,*An diuerſum eſt, quod ab Hippocrate dicitur*? quaſi dicat,haudquaquam. Et implicitè rationem reddit iuxta mentemHippocratis. Quia cum ab aliqua grauatur ſarcina vterus, ſimúlque irritatur ad eiuſdem expulſionem, ad vteri corpus hanc facultas non transfundit,ſed(extra typicam periodum) ad peculiare vteri penu, ad vbera videlicet,cum quibus,nec leuis affinitas vt perbellè declarat lib.14.de vſu part.ca.8.Galenus, vti & conſenſusinnuit,dum in omni abortu attenuantur.quę pars cum à prima origine ſpongioſa ſit,& laxa, nec minus plurimis ſepta glandulis, transfluentem ad ſe humorē habilis,vt recipiat,&receptum in ſe diutius teneat.quare hæc diſpoſitio, & formatio, vnà cum imbecillitate expultricis,efficiunt,ne alibi cótentum in ſe humorē tranſponant vbera. quidquod nec humor iſte,ceu inutilis, ac excrementitius quit in ipſis mammis à natura in lac côuerti:imò duriores potius reddere,ibi ſtabulatus:& quãto duriores, tãto arctius os vteri clauditur, & fœtum vnà ad opportunum vſque nixus tempus continet, vt accuratè Oribaſius interpretatur comm. in lib. 6. Aphor. ſen.26.

Neque quidquam aduerſus nos valet inſtantia melancholiæ; quia in hoc morbo, humor eius efficiens cauſa,quatenus ſua frigiditate, ac ſiccitate cerebrum alterat, delirij melancholici fit auctor, &

hoc est si repat ad mentem: quatenus autem ille idem humor in ventriculis cerebri contentus eosdem obstruit, epylepsiam germinat, & hoc est repere ad cerebri corpus, vt organicum: verùm huius epilepsiæ ratione humor iste ad substantiam cerebri non transfunditur, sed aliquando per patentes meatus, seu per os palati expultrix foras depulit, aut aliquando ad neruos, etsi rarò, & tunc ex hoc motu conuulsiuo consequitur vera conuulsio, nunquam paralysis. Verùm cum cerebrum à molesto quopiam humore afficitur, vt videre est in morbis aliquibus acutis, & cacoëthis, robore facultatis cerebri, noxius ille humor transponitur, & expellitur in proprium ipsius penu, & tunc apparent germinatæ parotides: vti iecur, & cor in sua itidem statuta penuaria, & emunctoria noxios eosdem propellunt humores. Pari ratione & vterus, dum ab inutili humore concitatur, ne hunc quidem transponit in eiusdem vteri corpus, sed ad eius statutum penu, mammas videlicet: quibus existentibus duris, cum longè abscedat ab vteri corpore, haud quaquam phlegmone in ipso germinabitur; & certò tunc prædicemus insequuturum non esse abortum. quia absunt abortus causæ, illis consistentibus duris, atrophia, & concursus fluentis cum impetu humoris ad vteri corpus: cuius ratione hauddubiè liberatur vterus ab erysipelate, aut phlegmoni: neque proinde suo nectare destituitur fœtus, cum inutilis tantum humor deponatur. Appositè igitur Hippocrates, quem sibi testem aduocat Galenus, duras mammas habentes fœminas non abortiri scribit.

Porrò cum vterum robustiorem statuamus vberibus

bus, cum hæc recipiant, illo pellente, dolor in ſuſcipiente excitatur, in mammis inquam, aut ſi altera quæpiam fuerit pars recipiens, in eiſdem, vt coxis, genubus, & oculis. ſolet autem natura ad ignobiliorem ſemper, & imbecilliorem partem humorem ſibi inutilem transfundere. quare cum robuſtior ſupponatur, humor non repelletur iterum, ſemel profuſus ad ipſum vterum. vnde remanentibus duris mammis, cum quibus non leuis eſt colligantia, ſi adhuc in vtero fuerit inutilis copia, nequeuntibus amplius mammis ob repletionem colligere, eâdem facultatis vi, qua nuper ad vbera depulerat, ad alias imbecilliores mox partes tranſmittet. tenui igitur exiſtente humore, ſurſum verget, ſuo quaſi nutu, & vnà oculos infligit, craſſo verò deorſum, articulóſque, coxas, aut genua inuadendo: doloréq; has partes, receptus humor, vexabit.

Quod autem hæc ſit genuina huius loci explanatio (etiam inuitis quibuſdam) apparet manifeſtò cuique, ſeriem verborum Hippocratis ſeriò contemplanti libro quinto Aphor. ſen. 53. hic etenim, poſtquam illo oraculo litteris mandaſſet, *Quæ fœtum ſunt perditura, iis mammæ extenuantur*: ſtatim ſubiungit, *Contrà verò duræ ſi fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua fatigabit; nec abortiuntur.* quaſi dicat, vt coniunctio illa diſiunctiua ἢ, id eſt *aut* declarat, ſi mammæ duræ appareant (cum & redundantiam inutilis excrementi, & vnà vteri robur indicent) non abortiuntur fœminæ, ſiue ariditatem vberum, vt vox denuò innuit, ſiue non vberum ſubſequatur durities. Ruſus verò, ſi redundante amplius humore illo

inutili, & iugiter vtero existente valido, aut adhuc decumbet ille in easdem mammas, & tunc ob nimiam distentionem dolor excitabitur, aut aliò vergente in oculos, aut genua, aut coxas, nec minus & in eisdem partibus dolorem suscitabit: expellente quidem vtero ad illas partes excrementa, haudquaquam mammis: quia hæ imbecilles & laxæ, vterus verò robustior multum, ac valens à se excrementa huiusmodi depellere, & ad diuersas pariter propellere partes. Nulla igitur ratione admittenda Plantij lectio, etsi fautorem habeat Philoteum, com. in hãc sententiam, cum & ipse legat in Galeni com. *A quibus rursus mammis duris, cum id quod redundat natura deponat in alias partes, &c.* Innuit enim his verbis Plantius, vbera humorem collectum, & ab vtero transmissum, iterum ipsa renuere, & ad alias mox repellere partes. quod falsum, tum propter partis naturam imbecillem, & laxam, tum quia deposito alibi humore arescerent potius, pathognomonicum abortus signum, aut saltem languoris fœtus, vt dictator dixerat libro 1. de morb. mul. num. 44. Quare Leoniceni lectio, & eorum, qui codices operum Galeni nouiter repurgarunt, insequenda; cui itidem & doctissimus Oribasius adhæret, etiam comment. in hanc eandem sententiam, cum scribat, dolere vbera propter communionem venarum cum vtero, oculos verò propter affinitatem neruorum cum eodem. Leonicenus igitur, loco illius propositionis *a* quę terminum declarat, à quo incipit motus, legit *in*, vnà cum codice Græco, qui sic habet, ἐφ' ὧν πάλιν ἀποτιθεμένης, &c. Idest, in quibus rursus reponente: præpositio enim ἐπὶ, cum genitiuo, vt hoc loco, *in*, vel *supra* significat, haud-

q ua-

quaquam *à*, legit itaque accuratè Leonicenus, *In quibus rursus*, mammis videlicet duris, *reponente natura ad quasdam partes materiem inutilem, illa dolent.* per præpositionem namque *in*, terminum potius ad quem, insinuat; quasi dicat Galenus, mulieribus duras mammas habentibus, si adhuc, ob multam superflui, & inutilis humoris copiam ab vtero in mammis fluxio persistat, præter duritiem, perseuerante fluxu, & supra modum mammas distendente, dolor ibidem proculdubiò excitabitur, vt in puerperis etiam apparet, in primo lactis exordio, dum stabulatur sanguis in mammis, & inculcatur, dolorem, ac febrem etiam germinando. verum si in alias partes à mammis, amplius concitato cursu vterus depulerit, ibidem nihilominus eundem germinabit dolorem: neque abortientur tunc. sic itaque hærebit nostra commentatio in re proposita.

An vteri phlegmon abortus causa.

CAP. XII.

NOn vulgaris modò occurrit quæstio, imò vastum hic sese disputationis æquor aperit, cur si in vtero inflammatio fiat, ab ea fœtus non corrumpatur. nam si Galeni verba replicemus, eadem 5. Aphor. sect. sen. 43. istud palam videre est, *An verò*, inquit, *vtero inflammationem patiente possit aliquando fœtus vitam tollerare, digna quæstione res est.* Quod autem hæc res digna quæstione sit, videtur perperam dictum, cum Hippocrati è diametro reluctetur basis disputationis, cuius causam ipse in-

uestigat Galenus. retur enim ibidem Hippocrates, *si pregnanti fiat in vtero erysipelas, θανατῶδες*. Si funestum erysipelas, ergo aut fœtui, aut grauidæ. si fœtui, necessariò abortus: si grauidæ, etiam continget cum vtriusque interitu. Quare erysipelas vteri, (sub quo omnem inflammationem intellexisse Hippocratem innuere videtur libro secundo ad Glauc. capite primo Galenus) necessariò abortum, & corruptionem inducet. Hinc meritò erysipelas à cunctis Medicis recensetur abortus causa.

Porrò si disputatio hæc interpretetur iuxta oraculi scopum, multò adhuc à veritate illa discedet. Si namque supponamus vterum adeò robustum, vt ad longinquas partes potis sit humorem transmittere, mammas, oculos, aut coxas, & nusquam, vt Galenus retur in corpus vteri: qua ratione igitur ipse, quod sibi impossibile apparet, iam ceu possibile supponit, & eius causam iugiter explorat? quid quod & rem æstimat, quæstione dignam?

Cæterum antequam ad scopum perueniamus, & nostram de re tanta feramus sententiam, duo quamprimum nobis lustranda proponimus. In primis, an possibile mammis existentibus duris inflammatio contingat in vtero: & si contingat, qua ratione fiat. Rursus, cur inflammato vtero fœtus non corrumpatur, quod Galenus in hoc requirit problemate.

Ad primum dicemus accuratè Galenum affirmasse, quando natura materiem reponit inutilem in mammis, haud quaquam in vteri corpore eiusdem aliquam simul deponit quantitatem. vnde nequit itidem inflammationem parere. propter enim partis

tis robur ad longinqua potius detruditur illa inutilis materies, quodsi fortè etiam apparentibus mammis duris, accidat inflammatione obsedi vterum, & per accidens hoc fiet, & præter naturæ scopum. Sed, aut quia ab aliqua externa, vel interna caussa in vtero excitatur calor, ac dolor. quarum quælibet ex his, aut ambæ simul valentes quidem accersere fluxum, & in vteri pariter corpus reuocare: vt in eiusdem sententiæ comm. dilucidè Galenus testatur. hinc spatia replentur inania, & vteri corpus in tumorem attollitur, & systrophica germinatur inflammatio.

Quare phlegmone ne excitabitur à vi expultrice, depulso humore in vteri corpus, nec à mammis iterum, in idem vteri corpus repulso: verum attracto, ab aliqua ex illis caussa, calore inquam, vel dolore, efficaciter operante. Et hæc proculdubio ratio est, ob quam Galenus generationem inflammationis à vi expultrice ipsius vteri exortæ non admittat, aut ab ipsis mammis iterum in vtero retrudentibus. concedit autem, quam attrahens caussa germinat, etsi per accidens, & præter naturæ institutum accidat, duris existentibus vberibus: intendere potius per se natura ad longinqua noxium illum humorem repellere.

Lubet iam & alteram quæstionis partem exoluere, cur, inquam, inflammato vtero fœtus non corrumpatur? Huic simplex satisfacit responsio. Galenus ibidem per inflammationem phlegmonem propriè dictam tantum intelligit, à sanguine ortam: respuit erysipelatem, inflammationem à bile, vel à sanguine bilioso prognatam. Illam, nec necessariò, nec semper abigere partũ, eleganter citatq;

commentario demonstrat Galenus, dicens, *Vtero inflammationem patiente potest aliquando fœtus vitam tollerare.* De erysipelate longè aliter sentit, imò assentitur Hippocrati, dum in vtero grauidæ genitum, lethale vt semper, arbitretur: atque ita sanè, vt & necessariò fœtus, vel fœta, vel vtrumque potius, ab illius sæuitie pereant. Phlegmon autem, etsi acutissimus affectus, non semper lethalis, cum aliquando superstes vterque remaneat.

Expedit itaque modò non solum nudam promere sententiam, verùm & eiusdem rationem reddere absolutam. Consistit igitur discrimen inter hos acutos affectus in caussæ efficientis energia. Nam phlegmon caussam habet efficientem sanguinem, omnium humorum mitissimum, magis familiarem, & concoctu pariter facillimum, etiam dictante Galeno lib. de const. Art. Med. cap. 16. Hic etenim cum fons sit caloris, vitæ nostræ fomes, nectareum ac viuificum totius corporis pabulum: mitissimis itidem cum fruatur qualitatibus, quibus etiam gratus sit naturæ, calore videlicet temperato, paríque humiditate: cúmque eius substantia obsequentissima sit naturæ; hinc est, quod inflammationes ab ipso sanguine ortæ, auctorem hunc partim redoleát, placidæ sint, mites, ac multò salubriores. Consentit his Galenus cum Hippocrate, tum lib. 6. Epidem. com. 3. sen. 44. tum lib. de humorib. com. 3. sen. 33. cum pleuritidem mitem itidem, ac placidam vocet, quæ caussam habet sanguinem & cruentum in ea expuitur: rursus propter morbi securitatem venæ sectionem respuit, clementioribus autem remediis eam sanare fas. contrà quæ à bile originem trahunt inflammationes, cum caussa omni ferè ex

parte

parte oppoſitas includat qualitates, & perniciosiores, ac funeſtiores, à ſanguine concitatis: hinc à bilioſa hac cauſſa, & vterus ſiccatur, langueſcit fœtus, quia inutile ſibi alimentum, ab ingenti eiuſdem caliditate, ac tenuitate ſubſtantiæ intima cuncta depopulantur, ſupplantatur natiuus calor, febris vnà generatur ardentiſſima, ex quibus omnibus fatali quadam neceſſitate fœtæ, ac fœtui mors præſentitur. A ſanguine autem, benignior cum ſit materies, minus multò afficitur fœtus, hic namque & humido, halituoſo, ac temperato calore gaudet, dulci nutritur hauſtu. verùm quamuis hæc remiſſius reſpectu bilis ferueantur in ſanguine phlegmonem efficiente, niſi iam ob intenſam putredinem omnino fuerit à ſua natura abalienatus: tamen dummodò ſanguis intra ſuos carceres ſeruetur, & mitiora ſunt cuncta, & per conſequens inflammatio ab eo genita placidior, nec ſemper, ac neceſſariò fœtus corruptionem portendens. Sin autem à ſua idea receſſerit, pari paſſu ambulabit cum altera inflammatione à bile exorta. Hęc igitur Galeni diancea, dum inquirit, cur inflammato vtero fœtus non corrumpatur? Quamobrem concludamus, abortum omnem ſemper præcedat oportet mammarum extenuatio: etſi hæc abortum non pręſentiat ſemper. Deinceps, à mammis duris phlegmonem vtero nũquam generari: quamuis his duris exiſtentibus ab altera cauſſa, ceu ab altero principio queat concitari. Tandem ab vteri phlegmone fœminam nec ſemper abortiri, etiamſi vt plurimum ſanè ab eadem cauſſa abortiatur, vti ab eryſipelate ſemper. Et quia vterq; affectus, aut vt plurimum, aut ſemper ac neceſſariò partum abigit, meritò inter cauſſas abortus vterque

tanquam sutores vltra crepidam. Alios plurimos hîc nunc referre ne opus quidem, solo Galeno contenti, qui certè pro mille sufficit testibus; & iste plus nobis vnus contulit, quàm reliqui omnes viri. hic itaque postquam acutissimo eius ingenio plurimos de hac re cōdiderit libros, in eo quod optimus Medicus sit Philosophus, sic fatur, *Verus Hippocratis discipulus teneat oportet omnes Philosophiæ partes, eam quæ ad disserendi rationem spectat, tum ad rerum naturam, tum tandem quæ ad mores, quam τὴν ἠθικὴν Græci vocant.* Ad quam haud dubiè partem, hæ, quæ modò à nobis proponuntur quæstiones spectant. Porrò & cum scientiarum omnium admirabilis sit ordo, cognatio ineffabilis, & insignis encyclopædia, sorores cum sint summi Iouis filiæ, in Helicone monte excelso educatæ, ac mutuo simul deuinctæ amore, altera alteri semper porrigit manum. quid porrigit? immò consertis in choro manibus dulci modulamine diuinum Apollinem sepiunt, earum ducem, & sacræ Medicinæ parentem. Sorores igitur, ac symbolæ cum sint, valebit haud dubiè Theologia illa sancta, etiam inter Architectonicas præstantior, haudquaquam mutuato munere plurima exagitare, quæ simpliciter ad hanc nostram illustrem aspectant scientiam. Testatur hoc amplissimus ille diuinorum oraculorum campus, testantur & idem sanctorum Patrum præclara monumenta. Rursus potest è conuerso & insignis hæc nostra scientia, altera ex Architectonicis post sacram Theologiam, plurima etiam intra capacissimos eius carceres lustrare, idem magno affirmante Augustino libro quarto de doct. Christ. capit. decimosexto, quæ propriè aut ad hanc

ſacram pertinent ſapientiam, aut ad aliam quamcumque egregiam diſciplinam. continet enim hæc intra eius extenſos limites omnia ferè ſtudiorum genera, ſi fides præſtanda Hiſpalenſi noſtro Iſidoro, viro clariſſimo, & de re Medica bene merito Originum lib. 4. c. 13. quo prius, & idem diuinus noſter Hippocrates, iuxta Dioſcoridis Alexandræi interpretationem, cui & nihilominus Ariſt. & doctiſſimus noſter aſſentitur Galenus lib. 6. Epidem. com. 5. ſen. 11. *Medici*, inquit, *mens de omni re meditatur, & ratiocinatur*. Mox ſapientiam commendat, vti & morum doctrinam perbellè libro de Elegantia. Nouit igitur hæc noſtra ſcientia ſacra ſermocinatrices cunctas facultates, ex Mathematicis nullam relinquit intactam, cœlos, ac meteora explorat, elementa ſingillatim rimatur, volatilium, ac reliquorum animantium naturas ad vnguem examinat, abdita totius oceani arcana ſedulò perſcrutatur, terreſtris globi ſecretiora omnia penitius luſtrat, virentes plantas non negligit, occultas ſyluas peragrat, multas regiones tranat, nulli parcendo labori, admirabilem porrò ſummi opificis ſapientiam in hoc noſtro microcoſmo condendo replicat, libat, pandit. nihilque tandem eſt in tota Natura, quod tāquam encyclios doctrinarum omnium, huic diuinæ non ſubiiciatur ſcientiæ, & eidem famulatum non præſtet. Quare cum hæc ſingularis diſputatio, quæ à nobis nunc exagitanda proponitur miſta ſit, nec poſſit abſolutè aut à Theologo, aut à Ciuili Philoſopho definiri, quin prius hæc noſtra ſcientia manus imponat, luſtrétve quamprimum & huius difficultatis baſin, & cardines vnà confirmet: cúmque rurſum hanc eandem nos citra illarum

rum pulcherrimarum sororum opem, tum scitè cũ accuratè discernere nõ valeamus, proinde has nunc aduocabimus, vt earum omnium industria, ac ingenio, variis, & odoriferis ex cuiusque amœnis hortulis lectis floribus hunc coronæ nexum apprimè componamus.

Disputationis hinc arrepta occasio: cum nobis consilij ratio sit, per totum hoc opus morbos mulierum acutos per venæ sectionem sanare, quos sequitur, aut efficit frequenter abortus: proinde expositis iam nuper eorum causis, in re difficili explorandum duximus, an aliquod fortè occurrat scandalum, quo nos offendi possimus, aut quatenus ciuiles Philosophi, aut quatenus Christiani Medici. Decet enim virum, ac christianum potissimum doctorem vndequaque fieri irreprehensibilem. Exposito itaque periculo, si adhuc quis offenderit, reus factus, illud appositè sibi poterit obiici, quod prudens in flammam immiserit manum.

Rem igitur hanc frequentiori doctorum calculo receptam, sic definimus, captiuantes semper intellectum nostrum in obsequium Christi, cum diuino Apostolo.

Licet Ciuili viro, & Christiano grauidis venas tundere vtrasque supernas, & infernas: illas, postulante morbo magno præsente, vel imminente, has verò illo vrgente. vti licet & reliquis auxiliis partum indirectè abigentib. eisdem postulantib. morbis. Hanc sententiam lubet modò, & grauissimorum virorum testimoniis, & tribus præsertim rationibus, nec sanè leuibus confirmare. quarum hæc prima.

Ille irreprehensibilis est, & insons, qui etsi, dum

operatur circa rem licitã, aliquod accidit malum: Sed Medicus, dum grauidis venas secat rem licitam operatur, quia intendit illo auxilio, iuxta artis præcepta à morbo, & vnà à morte fœtam redimere. Insons igitur Medicus, & irreprehensibilis, quamuis ex eius opere subsequatur abortus.

Propositio tantam in se veritatem includit, quæ ceu axioma à cunctis Theologis, ac iuris Pontificij professoribus strictè recipitur. tamen nec minus ab eisdem, & altero comprobatur axiomate, nemo enim inquiunt, iure suo vtens peccat; nec sibi quod inde eueniat imputatur. ratio, quia istud indirectè, & præter operantis intentionem. & ius quemque à peccato redimit. Hoc idem forsan innuere voluit diuinus noster Hippocrates illo oraculo libri 2. Aphorisin. sen. 5. dum dixerit, *Recta ratione facienti omnia, si secundùm eam minus succedat; protinus non est ad aliud transeundum.* quasi dicat, facienti Medico secundùm ius, seu rectã rationem, quamuis inopinatè, aut ob rei sæuitiem, aut incomprehensibilitatem, minus succedat, quod ipse intendit, cum varij itidem sint rerũ casus, ad aliud non est transeundum, sed standum iuri, seu rationi, quæ eum à peccato liberabit.

Assumptio probatur rursus, quoniam Medicus ratione, & frequenti vsu exploratum habet, venæ sectionem præstantissimum esse auxilium ad morbos magnos tollendos fœtarum, etiam, & quod magis est, & ad fœtus in vtero conseruationem. vnde suo iure vtẽs, seu ex artis præceptis illud presentaneum decernit auxilium, ceu licitum opus. Quodsi post huius auxilij vsum fœminam abortiri accidat

accidat, ceu indirectè præter artificis consilium, à culpa haud dubiè redimit Medicum. Nam cum peccatum, testante D. Thoma 1. 2. q. 72. articul. 7. in voluntate sit determinata peccantis, reuera innocens, ac irreprehensibilis erit si fortè fœtum abortiri accidat: cum tantum absit ab eius voluntate partum abigere, quod hunc potius, vnà cum matre ab oreo intendat liberare.

Altera ratio ex præstantia huius auxilij depromitur. Illud auxilium vnicè amplectendum, quod ceu saluberrimũ Natura ipsa inuenit, & ars vnà perfecit, vt tutò, citò, ac securè morbos tollat, etiam in quolibet sexu, & in quolibet pariter ægrotantis statu. Huiusmodi inter cętera præstantius venæ sectio, seu sanguinis profusio. Ergo vnicè amplectendum auxilium, etiam in quolibet statu, ad instar naturæ.

Propositio elucet ex eo, quod Natura, ex Hipp. 1. cõ. 2. sen. 51. & 6. Epid. com. 5. sen. 1. & li. de fracturis com. 1. sen. 4. Medicatrix optima, quam bene operantem semper imitari tenetur Medicus, vt Galenus censet lib. 1. Aph 4. sen. 1. & 5. sen. 2. & sen. 32.

Illa autem auxilia iudicanda pręstantiora, quæ Natura ipsa inuenit, & ars vsu omnium magistrorum præcepta superante confirmat, ac perficit. horum namque tunc securissimus vsus, & tanquam Dei auxilares manus prosequenda.

Assumptio confirmatur. Nam venæ sectionem sagax docuit natura, in Hippopotamo Niliaco animali, Plin. lib. 8. de nat. hist. ca. 26. ab arte mox eius assecla perfecta. Et vti natura in varijs, ac plurimis morborũ generibus maximo cũ animalis cõmodo hęmorrhagias ipsa tẽtat, vacuãdo vnà cũ sanguine

operatur circa rem licitã, aliquod accidit malum. Sed Medicus, dum grauidis venas secat rem licitam operatur, quia intendit illo auxilio, iuxta artis præcepta à morbo, & vnà à morte fœtam redimere. Insons igitur Medicus, & irreprehensibilis, quamuis ex eius opere subsequatur abortus.

Propositio tantam in se veritatem includit, quæ ceu axioma à cunctis Theologis, ac iuris Pontificij professoribus strictè recipitur. tamen nec minus ab eisdem, & altero comprobatur axiomate, nemo enim inquiunt, iure suo vtens peccat; nec sibi quod inde eueniat imputatur. ratio, quia istud indirectè, & præter operantis intentionem. & ius quemque à peccato redimit. Hoc idem forsan innuere voluit diuinus noster Hippocrates illo oraculo libri 2. Aphorism. sen. 53. dum dixerit, *Recta ratione facienti omnia, si secundum eam minus succedat, protinus non est ad aliud transeundum.* quasi dicat, facienti Medico secundùm ius, seu rectã rationem, quamuis inopinatè, aut ob rei sæuitiem, aut incomprehensibilitatem, minus succedat, quod ipse intendit, cum varij itidem sint rerũ casus, ad aliud non est transeundum, sed standum iuri, seu rationi, quæ eum à peccato liberabit.

Assumptio probatur rursus, quoniam Medicus ratione, & frequenti vsu exploratum habet, venæ sectionem præstantissimum esse auxilium ad morbos magnos tollendos fœtarum, etiam, & quod magis est, & ad fœtus in vtero conseruationem. vnde suo iure vtẽs, seu ex artis præceptis illud presentaneum decernit auxilium, ceu licitum opus. Quodsi post huius auxilij vsum fœminam abortiri accidat

accidat, ceu indirectè præter artificis consilium, à culpa haud dubiè redimit Medicum. Nam cum peccatum, testante D. Thoma 1. 2. q. 72. articul. 7. in voluntate sit determinata peccantis, reuera innocens, ac irreprehensibilis erit si fortè fœtum abortiri accidat: cum tantum absit ab eius voluntate partum abigere, quod hunc potius, vnà cum matre ab orco intendat liberare.

Altera ratio ex præstantia huius auxilij depromitur. Illud auxilium vnicè amplectendum, quod ceu saluberrimũ Natura ipsa inuenit, & ars vnà perfecit, vt tutò, citò, ac securè morbos tollat, etiam in quolibet sexu, & in quolibet pariter ægrotantis statu. Huiusmodi inter cętera præstantius venæ sectio, seu sanguinis profusio. Ergo vnicè amplectendum auxilium, etiam in quolibet statu, ad instar naturæ.

Propositio elucet ex eo, quod Natura, ex Hipp. 1. cõ. 2. sen. 51. & 6. Epid. com. 5. sen. 1. & li. de fracturis com. 1. sen. 4. Medicatrix optima, quam bene operantem semper imitari tenetur Medicus, vt Galenus censet lib. 1. Aph 4. sen. 1. & 5. sen. 2. & sen. 32.

Illa autem auxilia iudicanda pręstantiora, quæ Natura ipsa inuenit, & ars vsu omnium magistrorum præcepta superante confirmat, ac perficit. horum namque tunc securissimus vsus, & tanquam Dei auxilares manus prosequenda.

Assumptio confirmatur. Nam venæ sectionem sagax docuit natura, in Hippopotamo Niliaco animali, Plin. lib. 8. de nat. hist. ca. 26. ab arte mox eius assecla perfecta. Et vti natura in varijs, ac plurimis morborũ generibus maximo cũ animalis cõmodo hęmorrhagias ipsa tẽtat, vacuãdo vnà cũ sanguine

persępe omnem morborum causam, siue per nares, siue per vomitum, vterum, aut anum: quid quod nec rarò, etiam per easdem partes cum commodo in grauidis, soluens tutò & earum morbos. Nihilominus & Artifex Medicus, eius æmulator ac minister appositè sub diuersis occasionibus, etiam in vtroque sexu, ac statu, Naturæ insequendo vestigia, venas ille tundet, & morborum pariter causam tutò ac commodè per easdem toller. Vnde quod Natura totum docet, & vsus iugiter frequens tutissimũ comprobat, vnicè amplectendum arbitramur. Neque damnandus Artifex suo iure vtens in vsu huius tanti auxilij: etsi (quod indirectè accidet) ab scopo aberret ille.

Vltima ratio. In re dubia, semper tutior pars eligenda: sed in grauida morbo acuto laborãte, vt seruetur incolumis, tutius multò est auxiliis quibusuis occurrere à morbo indicatis, quàm illam fortunæ committere. Ergo tutius illud potius eligendum.

Propositio axioma est à Morum Philosophia excerptum, & à Theologis, Iurisque Pontificij professoribus, etiam & à Medicis vsu receptum. Prudentis namque viri est eam insequi viam, quam morali probabilitate coniectamur & tutiorem, & commodiorem ad finem consequendum.

Assumptio rursus demonstratur, ex eo, quod venæ sectio nõ est abortus causa, nisi vt rarò, tum nec prohibetur à conceptione. quare præstanda, morbo postulante. quid quod & certius multò est fœtam perituram, via & fœtum à morbi grauitate, si citra postulata auxilia morbi tyrannidi relinquatur, quasi morbo indicante, occurramus venæ sectione; cum

cum plurimæ ex his maximas, & copiosas per vices sustulerint venarum sectiones: quæ proculdubio tanto interdicto auxilio aut abortirētur, aut vitam cum morte commutarent, submersa videlicet naui, vnà cum mercibus. Quod si fortè fortuna contingat abortiri, saltem liberabitur fœta, illius auxilij beneficio; quod ne minimum quidem. verum si nec ipsa fœta eo auxilio à lethe vindicetur, excusatur tamen Medicus, faciens id quod in se est, suo videlicet vtens iure, quo non vtendo homicida potius & interfector, cum opportunum ipse non adhibuerit auxilium, à morbo indicatum. cui rei astringitur Medicus. Æquè enim homicida est, si suo iure non vtatur, & conferentia auxilia negligat, & cuncta fortunæ committat, altero directè præbente corruptorio pharmaco. quia, qui se ab opere abstinet rei licitæ, nulla ratione ab opere malo poterit se abstinere. hoc solo intercedente inter vtrosque discrimine, quod alter omittendo, alter verò committendo peccet.

Vsus debeterij, ac corruptorij pharmaci semper malus, obiecti ratione: sanguinis autem missionis vsus indifferens, cum ad sanitatem dirigi possit, tum ad noxam ac perniciem, qualis ille, à quo è medio sublatus fuit Hispanorum Sapientissimus, sub dira Neronis tyrannide. Si igitur illud auxilium ordinaretur ad fœtus corruptionem, tunc directè, obiecti ratione malum, & in eo opere mortale committeretur crimen: vti si contra dispensaretur ad sublationem morbi, ac fœtus conseruationem, directè, obiecti etiam ratione bonum, ac licitum.

Tandem licet iam nobis hanc sententiam, etsi ex dictis satis confirmatam, etiam grauissimorum vi-

rorum auctoritate eandem illustrare. verum quamprimum nobis occurrit acutissimus Cayetanus, qui in 2.2.q.67.art.2.in sol.ad 1.& 2.argum, de re proposita, sic fatur, *Occidere innocentem per se, ita quod intendatur occisio innocentis, est contra omnia iura: sed occidere innocentem per accidens, dando operam rei licitæ, & necessariæ non est contra ius naturale, diuinũ, vel scriptum.* Roborat itaque manifestò Cayetanus superiorem sententiam. nam cum venas tundere operatio sit per se necessaria, & licita, ratione obiecti, cum respectet salutem grauidæ, etsi per accidens subsequatur abortus, fas quidem erit secundum ius diuinum, naturæ, & scriptum. Eandem rursus amplectitur sententiam Corduba lib.1.quęst.q.38.dub. 2.quo loco refert quorundam anilem opinionem existimantiũ, ne licere quidem Medico medicamẽta, etsi per accidens abortum efficiãt, largiri, fas autẽ grauidis. neq; hoc figmentum nitũtur aliqua ratione stabilire. oppositũ autẽ ex eo innotescit, quod si fœtæ illud licitum, multo magis Medico, cui incũbit ex officio ęgrotis auxilia consulere, & de eisdem tutò deliberare. Syluester itidẽ idem sentit in verbo homic. 2. q.26. hac præmissa distinctione. quia ius, inquit, non est vti aliquo remedio, quãdo adest moralis certitudo de innocentis morte, ob illius remedij vehementiam, aut malignitatem, aut peculiarem vim corrumpendi, aut abigendi partum: verum quando nulla adest probabilis fiducia corrumpendi, aut abigendi ius, tunc & fas: quamuis spes decipiat. Quare ex huius Syluestri mente, in euentu moraliter dubio (vt ita cum ipso loquamur) ad certò liberandã fœtã, possumus nos citra homicidij incursum, operã date vsui remediorũ per accidẽs abortum,

ortũ inducentiũ, inter quę venæ ſectio proculdubiò, cõnumeratur. Quid quod nec tunc fœtus rationabiliter læditur, quãdo Medicus eius vitã haudquaquã certo dãno exponit, pro matre ſaluãda, directè illud intẽdẽs, alio nõ ſe offerẽte remedio ad matrẽ ab orco redimẽdã. Nam vti, qui currendo in via aliquem offendit, & occidit, vt ſe à certa vindicet morte, aliàs nequeũte illã mortẽ præuidere, reus mortis non eſt, & culpa vacat: Ita & Medicus, ſi per viã incedens rationalis methodi, intẽdat auxilio illo ancipiti (abortus reſpectu) à probabiliter certa morte fœtã liberare, aliàs etiã nequeũte illã indirectã mortẽ præuidere, nec reus mortis eſt factus. Diximꝰ de auxilio ancipiti, abortꝰ reſpectu, ad diſtinctionẽ alterius inexperti, cuius vis, nec vſu cognita, tam reſpectu ſalutis matris, quã fœtus. nã in hoc caſu nefas ſimpliciter, ac lethale ſanè experiri huiuſmodi remedia, ex eodẽ Corduba in ſumma, tum Lud. Lopez. 1. p. inſtruct. q. 173. diſt. 2. & Emanuel Dodrigues. 1. tom. ſumma, capite 63 §. ſed in caſu dubio. Etſi aliter ſentiat, nec improbabili forſan ratione ductus, Thomas Sanches libro nono tomo 3. de Matrimonio diſp. 20. numero 19. capite 5. concl. 3. num. 3. dicens tunc licere huiuſmodi inexperti auxilij vsũ, quãdo omnino deſperata, & quaſi moraliter certa fœtus ac fœtę necis. illúdq; cõfirmat ex doctrina Corn. Celſi. l. 2. c. 10. quã etiã amplectitur Gal. li. 10. meth. c. 10. ſatius, inquiens, multò eſſe anceps auxiliũ experiri, quã ſpe prorſus deſtitutũ, ſinere infirmum perire. quaſi ex præceptorũ vi, & grauiſſimorũ virorũ auctoritatę teneatur Medicus in deſperata vita anceps aliquod præbere potius auxiliũ, quàm omnino ægrotantem fortunæ committere. Mox & altera ratione ſuam

tuetur opinionẽ: quia, inquit, ab vſu illius auxilij modicum nocendi periculum, cum etiam eo non applicato nulla ſpes ſuperſit ſalutis. hinc, quod magis eſt, mortem aliquantulum accelerabit: cum tamen, ſi res feliciter accidat, ſpes magna ſit proficiendi, & ſaluandi vtrumque iam deſperatum. Rurſus & altero exemplo rem confirmat, quis enim negabit licere vbi mors certa imminet, fera inuadente ſeſe aliquem è loco altiori præcipitare, cum dubio mortis periculo? cùm priori caſu mors ſit certa, in altero dubia: cùm ſolo crure fracto, aut aliquo inflicto vulnere incolumis queat euadere. adde quod inter duo mala quorũ alterum neceſſariò eligendum, minus potius eligendum. Hinc multò minus malum, dubia mors aliquid habens ſpei ſalutis cum ſolo periculo alicuius exiguæ anticipationis, quàm omnino certa. Hanc ſententiam tandem ait, tuetur Adrianus 4. q. de correct. frater. art. 3. *& ex quo licet.* verum dubitanter affirmat, dicens fortè licere. eandem tenet Almain.

Verùm ſi rem attentè perſcrutemur, verior multò, ac ſecurior eſt prior ſententia: nam etiam in hoc caſu, deſperata iam vita, non licet tunc de nouo experiri anceps aliquod auxiliũ, ſed vſu iam receptũ, quod abortus tantum reſpectu ſit anceps, tanquam per accidens iſtud præſtare valens: morbo tamẽ occurrere per ſe valeat; etſi effectus ſit dubius, reſpectu curationis. nã non ſemper artifex, etſi methodo, & arte de cómodo auxilio deliberet, ſuũ cõſequitur finẽ. neq; hoc recedit à mente Cornelij Celſi, tũ Galeni, cũ hi doctores grauiſſimi temeritatẽ non conſulãt. ſicq; rationes Sanches tantũ tenẽtur cõcludere de auxilio, methodo ac arte, deliberato ad ſalutẽ ægro-

grotátis, etsi respectu fœtus anceps sit, quia per accidés potés partú abigere. neq; aliter illud cósulendú censemus. Et hanc doctrinam præter Gordubam, & Syluestrum, etiam ex neotericis insequuntur plurimi magni nominis viri, Emanuel Rodriguez non solum suprà citato loco, sed in expositionem bullæ S. Crucis, dum motum proprium de abortu fœlic. record. Sixti Papæ V. cap. 5. interpretatur. Petrus etiam à Nauarra lib. 1. de restitut. capit. 3. tum Alphonsus à Viualdo in expositione itidem eiusdem constitutionis Sixti V. tum & alij in multitudine copiosa, quos longum esset recensere, in eodem sunt albo.

Hoc posito, admittenda illa Sanches ratio, prædicta disput. 20. num. 18. dum inquit, *mater potius ius habet ad vitam propriam, quàm fœtus ipse*: cur ergo illa medicamenta per se salutem matris intendentia, per accidens abortum, præferenda non sunt, quia pręstat vita matris, incolumitati fœtus: eo pręsertim, quia matre perempta penè miraculosa sit fœtus euasio: & possibile vtrumque ab orco redimere, eo præstito auxilio. Quid quod & huius actus scopus (à cuius malitia, vel bonitate denominatur bonus, vel malus actus) non est fœtus exclusio, seu abortus, sed matris vita. quod si auxilium per se vitam matris respectat, & simul abortum, etsi per accidens, præponderat materna vita, vnà cum optimo agentis scopo: qui tantum abest abortum requirat, vt potius ab illo abhorreat, & matris tantum salutem exoptet. Teste enim D. Thoma 2. 2. q. 64. art. 7. in corpore. Actionis humanæ species, bonitas inquam aut malitia, ex eó pendent, quod per se est in operantis intentione, haudquaquam ex effectu per

accidens,ac præter intentionem subsequuto. Quare cócludamus ius esse in omni grauidationis tempore,præsente, vel imminente magno morbo, & vrgenti,ex præscripto rationalis methodi, auxilia cűcta præscribere ad eius curationem,etsi per accidés, ac indirectè partum abigere valeant: cum per se vtrunque saluare eo medio intendat artifex,proximè matrem,mox fœtum;matri nihilominus perutile.

De abigendo partu directè. an vti eo fas,secundùm ius Diuinum,Naturæ,ac Gentium.

CAP. XIV.

ALtera,ac difficilior multò occurrit explananda quæstio;quæ, cum multis in se, nisi exponantur,scateat ambiguitatibus, Medicorum iugiter animi remorantur assiduè in opere ipso Medico. subibo hoc discrimen, & pro virili aquam modò infundam in hunc sacrum ignem.Cæterű cum nullas opes viro Medico pulchriores censeam ipsa Iustitia; cuius,vt flumen eloquétiæ Cicero li.2. offic. astruit, tanta vis, vt nec ij, qui scelere aut maleficio pascuntur,possint sine vlla particula Iustitię viuere. Ius proinde etiam in operibus Medicis sedulò inquirendum: à quo testante Isidoro lib.2.origin.denominatur Iustitia.Illa metaphorica Iustitia, quam Angelicus doctor ex Aristotele li.5. Ethic. definit 1. 2.q.21.art.3.& q.46.art. 7. in 2. rectitudo ordinis in partibus hominis, etiam scopus, ac finis Medicinæ est:cű hæc nihil aliud sit præter sanitaté,vti &altera propriè dicta,quæ rectitudo actus est,spectat ad artificé potiusMedicű.tenetur enim iste ita suosactus dirige-

dirigere, vt cuiq; sub quadã ęqualitate, ac rectitudine q̃ suũ est reddat, quæ apud Iureconsultos distributiua vocatur. illa naturalis est, hæc verò moralis.

Est igitur modò de hac morali iustitia non leuis difficultas, An ius propter aliquod priuatum bonum aut corporis, aut fortunæ directè in quouis conceptionis tempore partum abigere, aut ne concipiatur prohibere?

Sed cum de iure sit facta mentio, ius itidem nunc id obseruare, quod in triplici differẽtia. Nam est ius diuinum lib. 1. Inst. Imper. de iure nat. gent. ac ciuil. Tit. 2. est & ius naturæ, & tandem ius gentium, sub quo ciuile, ac municipale continetur. Ius illud diuinum cœterorum archetypus est, quod & imitari omne, ac semper respectare ius: neque fas vllatenus ab eo recedere: cum & ius naturæ nihil aliud sit quam diuini quasi interpres, vti & ius gentium, illud præsertim quod sub primo gradu continetur, idem cum iure naturali in secundo gradu, eodem Tit. 2. vti denique ciuile, ac municipale est ius gentium in secundo gradu. vnde à primo ad vltimum omnia deriuantur ab illo absolutissimo diuino primæuo. hic leges omnes ab illo archetypo recedẽtes tyrannicæ, iniquæ; quales ferè omnes sũt Polyticæ vulgares, quas vulgò Razõ de estado appellãt, à Diabolo inuẽtę (proh dolor!) aduersus Deũ, & ad sanctæ Ecclesię ruinã. Nec latuit hæc res Cicer. lib. 1. de Nat. Deo. & 2. Philip. dum legem definit, *Omnem rectam à Numine Deorum tractam rationem, imperantem honesta, prohibentem contraria.* & alibi mox, 2. de leg. *Aeternum quoddam, quod vniuersum mundum regit*. nullũ autem æternũ gubernãs mundum, præter Dei O.M. voluntatem, hæc igitur

archetypus cæterarum legum. Augustinus diuinus, diuinius adhuc rem definit, *legum* ait, *omnium inanis est censura, nisi diuinæ legis imaginem gerat*. Hanc iurium omnium encyclopædiam accuratè doctissimus refert D. Clemens Alexandrinus li. 1. strom. Lex igitur diuina, etiam & altera Naturæ, vsque ad Legislatorem Moysen fuere in hominum tantum mẽtibus, tanquam in ærario seruatę. deinceps à summo Deo per Moysen data est lex Hebręis litteris in lapideis tabulis exarata. Gentibus pariter illa Naturæ, eodem modo seruata in hominum mentibus, etsi & hęc communis cunctis animalibus. Ius autem gentium solis hominibus concessum, & facit homines aut seruos aut liberos, cum de iure naturæ omnes liberi essent. hinc exortum & ius ciuile scriptum, & nõ scriptum. de his vide librũ primũ Inst. de iure naturali gent. & ciui. Titul. 2. Tandem Verbum diuinum Æterni Patris filius, homo factus ex Virgine, eiusdem diuinæ legis insignis fuit expositor ac interpres, per quem vniuerso orbi ineffabilis lex gratiæ, tanquam legis auctor verus, est data: supra quam legem, ceu totius diuinæ voluntatis firmissimam basim, inferiores reliquæ leges stabiliri est necesse.

Porrò antequam difficultatem aggrediamur, est & aliud nobis supponendum de conceptione, circa quam versatur quæstio. Hæc itaque duobus modis consideratur, aut vt est in potentia siue remota, siue proxima, aut vt in actu. Hæc iterum quæ in actu, etiam per distinctas ideas distincta. nam aut obseruatur vt semen omni vita priuatum, ad vnguem albumen crudi oui repręsentans, & huius conceptionis esse. die clauditur septimo, à puncto videlicet

con-

conceptionis. deinceps vlterius progrediendo, iam alteram exploremus ideam, quatenus iam ab illo vltimo momento semen illud vita plantæ fruitur; & tunc huius conceptionis meta vltima, instans illud temporis, in quo aura illa diuina in iam elaboratum ac formatum corpusculum à Deo O.M. inseritur, quod nobis est de fide: & tunc conceptio quamprimum vita hominis gaudet, à quo termino ad nixum vsque, est altera & vltima conceptionis idea.

Assignare autem huius animę rationalis infusionis momentum, ita difficile censeo, vt credam, quod solus ille, qui hanc ad eius imaginem ex nihilo creat, exquisitè cognoscat. Hinc infinitæ penè oboriuntur de hac re grauissimorum virorum opiniones, quarum plures in transcursu refert diuinissimus Hieronymus lib. aduersus Ruffin. Apol. 2. quo loco, & ipse palam profitetur quidpiam de hac quæstione definitum se non habere: tũ falsò ibi accendetur Lactantius, quasi affirmans, vnà cum Tertulliano, quod pariter cum corpore, per humani corporis traducem, etiam animæ diffundantur. De Tertulliano nimis verum, sed Lactantius (huius clarissimi Hieronymi pace dixerim) longè, & optimè sentit, si eius verba lib. de Opificio Dei c. 19. replicemus, *Vtrũ anima ex patre, an ex matre, an verò ex vtroq; generetur? Sed ego de meo iure, ab ancipiti vindico: nihil enim ex his tribus verum est. Corpus ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex vtroq;, de animabus anima nõ potest, quia ex re tenui, & incomprehensibili, nihil potest decedere. Itaque serendarum Animarum ratio vni, ac soli Deo subiacet:*

Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi,

Omnibus ille idem pater est:
vt ait Lucretius. Nam de mortalibus non potest quidquam nisi mortale generari. Accuratè igitur, ac palam fatetur fieri animam à Deo. Quando autem, exsertè idem Hieronymus citato loco, dicens, *Figurato corpore, statim creari, & immitti.* Idem sentit doctissimus Lactantius citato nuper libro de Opificio Dei, cap. 17. *Anima non est aër ore conceptus,* vt falsò arbitrabatur Varro: *quia multò prius gignitur Anima, quàm concipi aër ore possit. Non enim post partum insinuatur in corpus, vt quibusdam Philosophis*, Stoicis videlicet, *videtur: sed post cōceptum protinus, cum fœtum in vtero necessitas diuina formarit.* Hanc doctrinam Theologi huius nostri temporis optimè recipiunt, Animam, inquam, tunc venire, & insinuari in corpus, principalibus figuratis organis, hepate, corde, cerebro, domicilium iam Animæ rationali aptum. hæc, horum membrorum figuratio, si Hippocrati lib. de septimest. partu, numer. 8. & lib. de Nat. pueri, num. 10. Galeno itidem lib. 2. de semine cap. 4. & 5. diuinis Naturæ exploratoribus fides habenda est, tricesimo in maribus absoluitur sole, vti in fœminis quadragesimo secundo. quibus temporibus iugiter, inquit, Hippocrates, in Stobæanis eclogis, anima insinuatur. veluti etiam Macrobius comm. 2. in somnium Scipionis, cap. 6. ex Hippocratis doctrina, Stratonis Peripatetici, & Dioclis Carystij quintum septenarium carcerem huius operis statuit, non multum à tricesima meta recedentem. Lactantius itidem Firmianus, eodem citato lib. de opificio Dei, cap. 12. huius configurationis vnicum cum Macrobio statuit terminum in vtroque sexu, quamuis ab ipso distinctum, & hunc quadragesimum

mum ſolem. Standum itaque Hippocrati, & Galeno, qui multis experimentis, vicem demonſtrationum habentibus, petitis ex variis abortubus, doctrinam confirmarunt, ſtatuentes figurata eſſe membra maribus triceſimo ſole, quadrageſimo ſecundo fœminis, termini pariter ſecundum naturam vltimi lochiorum. Si igitur figurato, cum diuino Hieronymo, & aliis, corpore, ſtatim creatur, & immittitur anima. Ergo triceſimo ſole maribus inſeritur, quadrageſimo ſecundo fœminis.

Cæterum Theologi noſtri, & vnà vtriuſque Iuris profeſſores elumbi quadam (vt reor) ratione fulciti, longè recedunt. arbitrantur namque terminos puerperij in ſacro Leuitico à diuino numine aſſignatos, fuiſſe præſcriptos ad naturæ imitationem, ad compenſationem temporis, quo in vtero fœtus exanimis perſiſtit, citra organorum abſolutionem. hinc cum in maſculino nixu ad puerperium reddendum ſignentur ſoles quadraginta, pariter iſte erit terminus, & abſolutionis organorum in vtero, & inſinuationis rationalis animæ. rurſus cum in fœmineo ſtatuantur octuaginta, iugiter & hic dierum terminus, & perfectionis, & inſitionis animæ erit carcer. Hanc, ceu ratam opinionem tenet D. L. diuus, & latius per gloſſam in Clement. vnic. in verbo vnitas. de ſumma Trinitate gloſſa final. in §. 1. diſtinct. 5.

Sed ſi rem penitius perſcrutemur ruit opinio, quia anile fundamentum. Nam termini illi à diuino Spiritu in ſacro Leuitico ſignati in vtroque ſexu, haud quaquam reales (vt ita dicam) quaſi termini ſint ſecundum naturam cunctis fœminis

discreti. neque enim enixę omnes per totũ illud tẽpus lochia reddunt. quid quod si fortè aliquæ metas illas attingant, hoc ideo quia præter naturam se habent, morbidæ sunt, & maxima redundant cacochymia. cum sanis, testante Hippocrate, & approbante vsu, vt diffusè infrà lib. 3. necessariis argumentis nos demonstrabimus, si marem enixæ fuerint, lochia vltra tricesimum solem non procedant, vti si fœminam, vltra quadragesimum secundum: immò & prioribus vicesimi sufficiunt dies, ceu aliis tricesimi. Quare cum lochiorum carceres variis, nec certo circumscribantur limite, nequimus vlla ratione ex his formationis fœtus, & infusionis animæ tempus elicere, exactius multò ex formationis organorum meta, peculiari quidem cuique sexui, ac certa, & stata.

Anima igitur organici corporis cum sit actus, ἐντελέχεια, & ἐνέργεια, iuxta Philosophorum principem lib. 2. de Anima, cap. 1. nec ante partium figurationem absolutam, quibus necessariò ad suos actus indiget, inseretur quidem, ne deses ipsa, ac otiosa, cuius esse est actus: nec rursus post aliquod formationis tempus insinuabitur, ne corpusculũ illud, per illud tempus sua forma, ad quam dirigitur, & auidè insuper appetit, priuetur: defectum sanè (quod absit) summæ Dei prouidentiæ, quæ sollicitè cuncta gubernat, & sedulò, dispositionibus absolutis, quæ ad formæ introductionem requiruntur in physica materie, etiam in eodem instanti naturæ, omnia, sua forma illustrat. quare vti statim forma adest, organis informandis perfectis, sic & statim abest, eisdem destructis, & mox illicò consequitur mors, & corruptio, ne suo munere actus ille vacaret; hinc absce-

abſcedit anima, otium cum ma imè abhorreat.

Nos itaque concentum naturæ in puerperio, cũ fœtu dum in vtero eſt libenter admittimus, vt nuper diximus, veluti enim die ſeptimo prima cóccepti idea terminatur, ita prima & copioſiora lochia finiũtur ſeptimo. quia cũ per totũ hoc tẽpus ſemen non nutriatur, copioſiori inde emendatur lochio. rurſum cũ ſemen quaſi ſepultũ, mox poſt diẽ ſeptimũ iá excitetur eius vis, nutriatur, & vita plãtę frui incipiat, hinc harmoniacè in nixu minora proſiliũt lochia prioribus. & tandem cum in maribus triceſimo ſole abſoluatur organorum efformatio, quadrageſimo ſecundo in fœminis, natura iam tũc ſoli auctioni & nutritioni intẽta, minor multo coaceruatur in vtero ſanguinis vtilis copia: hinc nullum in nixu, poſt hos terminos ſecũdum naturam puerperium. hic igitur harum actionum ſecundũ naturam mutuus cõſenſus, & elegans harmonia, & ambo tantũ illi Hippocratici carceres ſecundũ naturã, ſtatuẽdi in fœtu, ac puerperio: vti alteri ſacri Leuitici inſalubres, ac præter naturam amplectuntur. Hæc mouẽdo proponimus, & ceu probabilia æſtimãda cenſemus, verũ hæc, & cuncta correctioni S. Romanę Matris Eccleſię ſemper ſubiicimus. quod ſi veritatem fuerimus nos aſſequuti, videant amabo ſapientes, & hæc eadem æquè boniſque conſulant.

His poſitis, dicemus ſimpliciter verũ eſſe; directè qualibet arte partũ abigere, in quolibet ei⁹ tẽpore, vti cõceptionẽ impedire, tã propter bonũ fortunæ, corporis, quàm famæ, ne ius quidem, imò grauiter aut peccare, iuxta ius diuinum, naturæ ac gentium, tum qui partum inanimem abigit imperfecti homicidij reus, qui verò iam rationali anima fruentẽ,

tuetur opinionē: quia, inquit, ab vsu illius auxilij modicum nocendi periculum, cum etiam eo non applicato nulla spes superſit ſalutis.hinc, quod magis eſt,mortem aliquantulum accelerabit : cum tamen, ſi res feliciter accidat, ſpes magna ſit proficiendi,& ſaluandi vtrumque iam deſperatum.Rurſus & altero exemplo rem confirmat,quis enim negabit licere vbi mors certa imminet,fera inuadente ſeſe aliquem è loco altiori præcipitare, cum dubio mortis periculo?cùm priori caſu mors ſit certa, in altero dubia:cùm ſolo crure fracto, aut aliquo inflicto vulnere incolumis queat euadere. adde quod inter duo mala quorū alterum neceſſariò eligendum,minus potius eligendum. Hinc multò minus malum, dubia mors aliquid habens ſpei ſalutis cum ſolo periculo alicuius exiguæ anticipationis, quàm omnino certa. Hanc ſententiam tandem ait, tuetur Adrianus 4. q. de correct. frater. art. 3. *& ex quo licet.* verum dubitanter affirmat, dicens fortè licere.eandem tenet Almain.

Verùm ſi rem attentè perſcrutemur, verior multò,ac ſecurior eſt prior ſententia:nam etiam in hoc caſu,deſperata iam vita, non licet tunc de nouo experiri anceps aliquod auxiliū, ſed vſu iam receptū, quod abortus tantum reſpectu ſit anceps, tanquam per accidens iſtud præſtare valens:morbo tamē occurrere per ſe valeat; etſi effectus ſit dubius, reſpectu curationis.nā non ſemper artifex,etſi methodo, & arte de cómodo auxilio deliberet,ſuū cōſequitur finē.neq; hoc recedit à mente Cornelij Celſi,tū Galeni,cū hi doctores grauiſſimi temeritatē non conſulāt.ſicq; rationes Sanches tantū tenētur cōcludere de auxilio,methodo ac arte,deliberato ad ſalutē ægro-

grotátis, etsi respectu fœtus anceps sit, quia per accidés potés partú abigere. neq; aliter illud cõsulendú censemus. Et hanc doctrinam præter Gordubam, & Syluestrum, etiam ex neotericis insequuntur plurimi magni nominis viri, Emanuel Rodriguez non solum suprà citato loco, sed in expositionem bullæ S.Crucis, dum motum proprium de abortu fœlic. record. Sixti Papæ V. cap. 5. interpretatur. Petrus etiam à Nauarra lib. 1. de restitut. capit. 3. tum Alphonsus à Viualdo in expositione itidem eiusdem constitutionis Sixti V. tum & alij in multitudine copiosa, quos longum esset recensere, in eodem sunt albo.

Hoc posito, admittenda illa Sanches ratio, prædicta disput. 20. num. 18. dum inquit, *mater potius ius habet ad vitam propriam, quàm fœtus ipse*: cur ergo illa medicamenta per se salutem matris intendentia, per accidens abortum, præferenda non sunt, quia pręstat vita matris, incolumitati fœtus? eo pręsertim, quia matre perempta penè miraculosa sit fœtus euasio: & possibile vtrumque ab orco redimere, eo præstito auxilio. Quid quod & huius actus scopus (à cuius malitia, vel bonitate denominatur bonus, vel malus actus) non est fœtus exclusio, seu abortus, sed matris vita. quod si auxilium per se vitam matris respectat, & simul abortum, etsi per accidens, præponderat materna vita, vnà cum optimo agentis scopo: qui tantum abest abortum requirat, vt potius ab illo abhorreat, & matris tantum salutem exoptet. Teste enim D. Thoma 2.2.q.64. art. 7. in corpore. Actionis humanæ species, bonitas inquam aut malitia, ex eò pendent, quod per se est in operantis intentione, haudquaquam ex effectu per

accidens, ac præter intentionem ſubſequuto. Quare cócludamus ius eſſe in omni grauidationis tempore, præſente, vel imminente magno morbo, & vrgenti, ex præſcripto rationalis methodi, auxilia cũcta præſcribere ad eius curationem, etſi per accidẽs, ac indirectè partum abigere valeant: cum per ſe vtrunque ſaluare eo medio intendat artifex, proximè matrem, mox fœtum; matri nihilominus perutile.

De abigendo partu directè. an vti eo fas, ſecundùm ius Diuinum, Naturæ, ac Gentium.

Cap. XIV.

ALtera, ac difficilior multò occurrit explananda quæſtio; quæ, cum multis in ſe, niſi exponantur, ſcateat ambiguitatibus, Medicorum iugiter animi remorantur aſſiduè in opere ipſo Medico. ſubibo hoc diſcrimen, & pro virili aquam modò infundam in hunc ſacrum ignem. Cæterũ cum nullas opes viro Medico pulchriores cenſeam ipſa Iuſtitia; cuius, vt flumen eloquẽtiæ Cicero li. 2. offic. aſtruit, tanta vis, vt nec ij, qui ſcelere aut maleficio paſcuntur, poſſint ſine vlla particula Iuſtitię viuere. Ius proinde etiam in operibus Medicis ſedulò inquirendum: à quo teſtante Iſidoro lib. 1. origin. denominatur Iuſtitia. Illa metaphorica Iuſtitia, quam Angelicus doctor ex Ariſtotele li. 5. Ethic. definit 1. 2. q. 21. art. 3. & q. 46. art. 7. in 2. rectitudo ordinis in partibus hominis, etiam ſcopus, ac finis Medicinæ eſt: cũ hæc nihil aliud ſit præter ſanitatẽ, vti & altera propriè dicta, quæ rectitudo actus eſt, ſpectat ad artificẽ potius Medicũ. tenetur enim iſte ita ſuos actus dirige-

dirigere, vt cuiq; sub quadã ęqualitate, ac rectitudine q̄ suũ est reddat, quæ apud Iureconsultos distributiua vocatur. illa naturalis est, hæc verò moralis.

Est igitur modò de hac morali iustitia non leuis difficultas, An ius propter aliquod priuatum bonum aut corporis, aut fortunæ directè in quouis conceptionis tempore partum abigere, aut ne concipiatur prohibere?

Sed cum de iure sit facta mentio, ius itidem nunc id obseruare, quod in triplici differētia. Nam est ius diuinum lib. 1. Inst. Imper. de iure nat. gent. ac ciuil. Tit. 2. est & ius naturæ, & tandem ius gentium, sub quo ciuile, ac municipale continetur. Ius illud diuinum cæterorum archetypus est, quod & imitari omne, ac semper respectare ius: neque fas vllatenus ab eo recedere: cum & ius naturæ nihil aliud sit quam diuini quasi interpres, vti & ius gentium, illud præsertim quod sub primo gradu continetur, idem cum iure naturali in secundo gradu, eodem Tit. 2. vti denique ciuile, ac municipale est ius gentium in secundo gradu. vnde à primo ad vltimum omnia deriuantur ab illo absolutissimo diuino primæuo. hīc leges omnes ab illo archetypo recedētes tyrannicæ, iniquæ; quales ferè omnes sūt Polyticæ vulgares, quas vulgò Razō de estado appellāt, à Diabolo inuētę (proh dolor!) aduersus Deū, & ad sanctæ Ecclesię ruinā. Nec latuit hæc res Cicer. lib. 1. de Nat. Deo. & 2. Philip. dum legem definit, *Omnem rectam à Numine Deorum tractam rationem, imperantem honesta, prohibentem contraria.* & alibi mox, 2. de leg. *Aeternum quoddam, quod vniuersum mundum regit.* nullū autem æternū gubernās mundum, præter Dei O.M. voluntatem, hæc igitur

archetypus cæterarum legum. Augustinus diuinus, diuinius adhuc rem definit, *legum* ait, *omnium inanis est censura, nisi diuinæ legis imaginem gerat.* Hanc iurium omnium encyclopædiam accuratè doctissimus refert D. Clemens Alexandrinus li. 1. strom. Lex igitur diuina, etiam & altera Naturæ, vsque ad Legislatorem Moysen fuere in hominum tantum mētibus, tanquam in ærario seruatę. deinceps à summo Deo per Moysen data est lex Hebręis litteris in lapideis tabulis exarata. Gentibus pariter illa Naturæ, eodem modo seruata in hominum mentibus, etsi & hęc communis cunctis animalibus. Ius autem gentium solis hominibus concessum, & facit homines aut seruos aut liberos, cum de iure naturæ omnes liberi essent. hinc exortum & ius ciuile scriptum, & nō scriptum. de his vide librū primū Inst. de iure naturali gent. & ciui. Titul. 2. Tandem Verbum diuinum Æterni Patris filius, homo factus ex Virgine, eiusdem diuinæ legis insignis fuit expositor ac interpres, per quem vniuerso orbi ineffabilis lex gratiæ, tanquam legis auctor verus, est data: supra quam legem, ceu totius diuinæ voluntatis firmissimam basim, inferiores reliquæ leges stabiliri est necesse.

Porrò antequam difficultatem aggrediamur, est & aliud nobis supponendum de conceptione, circa quam versatur quæstio. Hæc itaque duobus modis consideratur, aut vt est in potentia siue remota, siue proxima, aut vt in actu. Hæc iterum quæ in actu, etiam per distinctas ideas distincta. nam aut obseruatur vt semen omni vita priuatum, ad vnguem albumen crudi oui repręsentans, & huius conceptionis esse. die clauditur septimo, à puncto videlicet con-

conceptionis. deinceps vlterius progrediendo, iam alteram exploremus ideam, quatenus iam ab illo vltimo momento semen illud vita plantæ fruitur; & tunc huius conceptionis meta vltima, instans illud temporis, in quo aura illa diuina in iam elaboratum ac formatum corpusculum à Deo O.M. inseritur, quod nobis est de fide: & tunc conceptio quamprimum vita hominis gaudet, à quo termino ad nixum vsque, est altera & vltima conceptionis idea.

Assignare autem huius animę rationalis infusionis momentum, ita difficile censeo, vt credam, quod solus ille, qui hanc ad eius imaginem ex nihilo creat, exquisitè cognoscat. Hinc infinitæ penè oboriuntur de hac re grauissimorum virorum opiniones, quarum plures in transcursu refert diuinissimus Hieronymus lib. aduersus Ruffin. Apol. 2. quo loco, & ipse palam profitetur quidpiam de hac quæstione definitum se non habere: tū falsò ibi accendetur Lactantius, quasi affirmans, vnà cum Tertulliano, quod pariter cum corpore, per humani corporis traducem, etiam animæ diffundantur. De Tertulliano nimis verum, sed Lactantius (huius clarissimi Hieronymi pace dixerim) longè, & optimè sentit, si eius verba lib. de Opificio Dei c.19. replicemus, *Vtrū anima ex patre, an ex matre, an verò ex vtroq; generetur? Sed ego de meo iure, ab ancipiti vindico: nihil enim ex his tribus verum est. Corpus ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex vtroq;. de animabus anima nō potest, quia ex re tenui, & incomprehensibili, nihil potest decedere. Itaque serendarum Animarum ratio vni, ac soli Deo subiacet.*

Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi,

Omnibus ille idem pater est:

vt ait Lucretius. Nam de mortalibus non potest quidquam nisi mortale generari. Accuratè igitur, ac palam fatetur fieri animam à Deo. Quando autem, exsertè idem Hieronymus citato loco, dicens, *Figurato corpore, statim creari, & immitti.* Idem sentit doctissimus Lactantius citato nuper libro de Opificio Dei, cap. 17. *Anima non est aër ore conceptus,* vt falsò arbitrabatur Varro: *quia multo prius gignitur Anima, quàm concipi aër ore possit. Non enim post partum insinuatur in corpus, vt quibusdam Philosophis*, Stoicis videlicet, *videtur: sed post cõceptum protinus, cum fœtum in vtero necessitas diuina formarit.* Hanc doctrinam Theologi huius nostri temporis optimè recipiunt, Animam, inquam, tunc venire, & insinuari in corpus, principalibus figuratis organis, hepate, corde, cerebro, domicilium iam Animæ rationali aptum. hæc, horum membrorum figuratio, si Hippocrati lib. de septimest. partu, numer. 8. & lib. de Nat. pueri, num. 10. Galeno itidem lib. 2. de semine cap. 4. & 5. diuinis Naturæ exploratoribus fides habenda est, tricesimo in maribus absoluitur sole, vti in fœminis quadragesimo secundo. quibus temporibus iugiter, inquit, Hippocrates, in Stobæanis eclogis, anima insinuatur. veluti etiam Macrobius comm. 2. in somnium Scipionis, cap. 6. ex Hippocratis doctrina, Stratonis Peripatetici, & Dioclis Carystij quintum septenarium carcerem huius operis statuit, non multum à tricesima meta recedentem. Lactantius itidem Firmianus, eodem citato lib. de opificio Dei, cap. 12. huius configurationis vnicum cum Macrobio statuit terminum in vtroque sexu, quamuis ab ipso distinctum, & hunc quadragesimum

mum solem. Standum itaque Hippocrati, & Galeno, qui multis experimentis, vicem demonstrationum habentibus, petitis ex variis abortubus, doctrinam confirmarunt, statuentes figurata esse membra maribus tricesimo sole, quadragesimo secundo fœminis, termini pariter secundum naturam vltimi lochiorum. Si igitur figurato, cum diuino Hieronymo, & aliis, corpore, statim creatur, & immittitur anima. Ergo tricesimo sole maribus inseritur, quadragesimo secundo fœminis.

Cæterum Theologi nostri, & vnà vtriusque Iuris professores elumbi quadam (vt reor) ratione fulciti, longè recedunt. arbitrantur namque terminos puerperij in sacro Leuitico à diuino numine assignatos, fuisse præscriptos ad naturæ imitationem, ad compensationem temporis, quo in vtero fœtus exanimis persistit, citra organorum absolutionem. hinc cum in masculino nixu ad puerperium reddendum signentur soles quadraginta, pariter iste erit terminus, & absolutionis organorum in vtero, & insinuationis rationalis animæ. rursus cum in fœmineo statuantur octuaginta, iugiter & hic dierum terminus, & perfectionis, & insitionis animæ erit carcer. Hanc, ceu ratam opinionem tenet D. L. diuus, & latius per glossam in Clement. vnic. in verbo vnitas. de summa Trinitate glossa final. in §. 1. distinct. 5.

Sed si rem penitius perscrutemur ruit opinio, quia anile fundamentum. Nam termini illi à diuino Spiritu in sacro Leuitico signati in vtroque sexu, haud quaquam reales (vt ita dicam) quasi termini sint secundum naturam cunctis fœminis

abſcedit anima, otium cum maximè abhorreat.

Nos itaque concentum naturæ in puerperio, cũ fœtu dum in vtero eſt libenter admittimus, vt nuper diximus, veluti enim die ſeptimo prima cõcepti idea terminatur, ita prima & copioſiora lochia finiũtur ſeptimo. quia cũ per totũ hoc tẽpus ſemen non nutriatur, copioſiori inde emendatur lochio. rurſum cũ ſemen quaſi ſepultũ, mox poſt diẽ ſeptimũ iã excitetur eius vis, nutriatur, & vita plãtę frui incipiat, hinc harmoniacè in nixu minora proſiliũt lochia prioribus. & tandem cum in maribus triceſimo ſole abſoluatur organorum efformatio, quadrageſimo ſecundo in fœminis, natura iam tũc ſoli auctioni & nutritioni intẽta, minor multo coacervatur in vtero ſanguinis vtilis copia: hinc nullum in nixu, poſt hos terminos ſecũdum naturam puerperium. hic igitur harum actionum ſecundũ naturam mutuus cõſenſus, & elegans harmonia, & ambo tantũ illi Hippocratici carceres ſecundũ naturã ſtatuẽdi in fœtu, ac puerperio: vti alteri ſacri Leuitici inſalubres, ac præter naturam amplectuntur. Hæc mouẽdo proponimus, & ceu probabilia æſtimãda cenſemus, verũ hæc, & cuncta correctioni S. Romanę Matris Eccleſię ſemper ſubiicimus. quod ſi veritatem fuerimus nos aſſequuti, videant amabo ſapientes, & hæc eadem æquè boníque conſulant.

His poſitis, dicemus ſimpliciter verũ eſſe; directè qualibet arte partũ abigere, in quolibet ei⁹ tẽpore, vti cõceptionẽ impedire, tã propter bonũ fortunæ, corporis, quàm famæ, ne ius quidem, imò grauiter aut peccare, iuxta ius diuinum, naturæ ac gentium, tum qui partum inanimem abigit imperfecti homicidij reus, qui verò iam rationali anima fruentẽ,

perfecti, ac irregularitatis.

Nec ratione fraudatur hæc sententia. quia cum actus iste directè abigendi partum intrinsecè sit malus, prohibere videlicet, aut corrumpere, aut omni ex parte delere insigne illud opus naturæ, Deo perquam charissimum, hominem inquam, illicitum simpliciter, ac nefas: etiamsi propter aliquod bonũ creatum fiat. iuxta illud Diuini Apostoli præscriptum ad Rom. 3. ex naturæ iure petitum, *Non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona*, quia quodlibet illorum bonorum multò inferioris est ordinis, altero; cum hoc malum sit culpæ, quod præponderat cuilibet bono creato. quid quod & hominis generatio maximum bonum, à quo coli cupit ipse Deus, & hoc bonum præponderet itidem cuilibet bono fortunæ, ac famæ.

Testimonia mox congeram ad idem comprobãdum. Adsunt quamprimum eloquia sacra in vtroq; testamento, concilia nihilominus œcumenica, vtrumque denique ius, vnà cum suis professoribus. Ius quamprimum Pontificiũ text. in cap. Quod verò cum aliis 32. q. 2. & in cap. sicut de homic. inst. 32. q. 2. lib. 4. tit. de homic. §. antepenul. cum gloss. ibid. Porrò concilium 6. Constantino. 2. Tolet. Anciran. Ilerdense, Tribur. Vormaciense, capite 20. quod refertur in cap. si aliquis de homic. Porrò & D. Augustinus, vt constat ca. aliquando 32. q. 2. iam & D. Thomas 4. dist. 31. in fine. Cayetanus itidem 2. 2. q. 154. art. 1. circa sol. ad 4.

Ius præterea ciuile idem obnixè tuetur, text. in cap. si aliquid. & in lege, Cicero ff. de extraordinariis crim.

Deinceps summus Pontifex Sixtus V. sub motu,

proprio

proprio Romæ dato 4. Kal. Nouemb. ann. 1588. Pōtificatus eius anno 4. idem sanxit. Quam constitutionem fortè rigidam successor eius Gregorius XIV. mox attemperauit altera constitutione Romæ data die 31. Maij ann. 1591. Pontificatus sui an. 1.

Inter doctores qui hanc eandem sententiam exsertè defendunt occurrit in primis doctissimus Didacus de Couarruuias 2. part. relect. de homic. §. 3. n. 1. Alter grauissimus Aspilcueta Nauarrus sum. cap. 16. nu. 33. tum Thomas Sanches tom. 3. de Matr. li. 9. disp. 20. n. 33. omnes isti Hispani clarissimi, & huius nostri sæculi gloria. Ex Antiquissimis Theologis, vt reliquos taceam, insignis ille, nisi caduca esset stella Tertullianus in apol. cap. 3.

Ethnicorum opinio de abigendo partu directè impugnatur.

CAP. XV.

SVperior sentētia ita orthodoxa, vt iam nequeat amplius Christianus Philosophus ambigere: verùm, ceu diuinum præceptum amplecti vnicè, venerari. Sed cum ex Ethnicis adsint aliqui doctrina, & morum integritate præstantes, qui nō solum opposìtè sentiant, verum inter Gentium iura istud reponendum censeant: proinde horum vesaniam modò subruere lubet, & radicitùs euellere, vt ita exactius multò elucescat veritas. Inter cæteros ceu detestabiles, & obliuione dignos existimamus Cretēses, qui à Minoë, vt Arist. refert lib. 2. Polit. cap. 8. legem illam nefandam recepêre, stultè sancientem ad nimiam filiorū accessionē vitandam, post certū

illorum numerum acceptabilem, iam coitu nefando vterentur, hos, fortè diuino quodam afflante spiritu Erithræa sybilla sic carpit,

Adulteria caue, & masculi insanum cubile:
Propriam generationē filiorū nutrias, & ne occidas,
Etenim ei immortalis succensebit, qui peccarit.

Eosdem eleganter redarguit grauissimus Lactantius lib.6. de vero cultu. ca.20. Verum & hisce nostris tēporibus sunt & immanissimi Iapponēses, qui ob eandem à Minoë æstimatam conditionem, filios etiam nuper iam natos impietate crudeli è medio tollunt. Sed hos omnes, ceu barbarissimos in angulo infidelitatis sedentes relinquamus, & vicem doleamus, ad sapientes alteros conuersi, Hippocratem, Aristotelem, Aspasiam, viros omni exceptione maiores, natos quasi in miraculū, & gloriā illius æui. Hi itaque arbitrati sunt, propter varios scopos, ius esse ciuili viro partū abigere, infra septimū tamen à conceptione diem, idque aut propter bonā famā, aut propter bonæ fortunæ vsuram. Propter quos scopos Aetius, lib.16. ca.16. tum Abēsceni lib.3. fen.21. tract.2. ca.17. non solū sterilitatem inducere directè affirmant ius, verùm & omnem abortum, etiam anima iam rationali informato fœtu procurare.

Galenus tandem libr.6. de loc. affect. ca.5. Diogenis Cynici falsam continētiam magnis celebrat encomijs, cum vir iste venereis quibusdam stimulis acriter concitatus ad se meretricem aduocarit, vt molestum illud seminis excrementum à se deponeret, quæ tardè cum accessisset, propriis tunc manibus, hymænеū celebrauit, scorti neglecto vsu.

De hac re hæc sūt tātorū virorū insane, ac impiæ opinio-

opiniones. verùm antequam conuellantur, prius Hippocratis, & Aristotelis acta, ac verba perpendere iubet. Hippocrates igitur postquam in iureiurando Deo vouerit se nunquam fœminæ pessum corruptorium iniecisse: tanquam conscelratio immanis, atque piaculum, fœtum ex illo naturæ hortulo præcipitare, in quo ceu insignis planta quam primum ille vita fruitur: deinceps libr. de Natura pueri, num. 4. cum puella quædam psaltria (hoc enim sonat μουσουργὸς haudquaquam mulieris nomen cum Linacro) famula cuiusdam mulieris magnæ existimationis, & Hippocratis familiaris, & hæc clàm cùm concepisset, vt eius opinio seruaretur illæsa, consuluit heram, vti & hæc rursus Hippocratem, qui iussit illam saltare, & postquam septies iam exiliisset, genitura cum quodam strepitu in terrã profluxit. Propter bonam famam igitur sibi visum fas, effluxionem hanc concitare. Rursus eandem hanc etiam propter bonæ fortunę vsuram licere, lege itidem sanxit Aristoteles libr. 7. Polit. ca. 16. his verbis, *Ad multitudinem euitandam nimiam*, videlicet filiorum, *anteuenire oportet, vt non cõcipiantur. nam postquam concepti sunt, & sensum, ac vitam acceperint, nefas est attingere eos.* His itaque verbis hauddubiè insinuat Aristoteles ius esse viro ciuili futuram cõceptionem prohibere, vti iam factam, infra tamẽ septimũ solẽ eãdem corrumpere. quæ corruptio intra hos dies 7. antequã videlicet vitã, & sensum recipiat semẽ, effluxio potius, seu ἔκρυσις Aristoteli, nõ abort⁹ dicetur l. 7. de hist. anim. c. 3. quo loco, vnà cũ Hipp. diẽ septimũ statuit primũ vitę terminũ, cũ & eo die iã appareãt sub quadã admodũ rudi forma vitæ organa, hepar inquã, ac cor, & inde incipit iã illa geni-

tur vita plantæ frui, nutriri, & augeri, & simul iam fœtus appellari, vt itidem lib.1.de semine ca. 11. Galenus testatur.

Constat igitur ex his, iuxta horum virorum sententiam ius esse ciuili viro ad quædam euitãda mala, infamiam, aut filiorum accessionem supra facultates parentum, aut vitare conceptionem, aut effluxionem inducere.

Hos, in tanto errore cœcutientes, liberare adhuc quidam huius nostri æui Doctores cõtendunt, Horâtius videlicet Augenius l.12. Epist.71. tum Ioannes Bapt. Syluaticus li. controuers. cõtrou. 82. Ille Iusiurandi opus, ceu Hippocrat. germanũ admittit, negat alterũ de natura pueri, cùm Polybio potius tribuat. Syluaticus verò vtrumq; opus adscriptũ retur Hippocrati. qua arte vtriq; & cõtradictionẽ cõciliãt, & Hippocrati satisfaciũt. doctissimus Præceptor meus Iacobus Segarra l.2. de Nat. facul. c.3. aliter sentit, cũ cõtradictionẽ soluat, affirmando iusiurandũ ne partũ quidẽ Hipp. cũ nec Gal. de ipso vllibi fecerit mẽtionẽ: tamẽ à crimine eundẽ nõ excusat, immò ceu inhumanũ, & impiũ condemnat, cũ psaltriæ effluxionem induxerit. Porrò pro Aristotele doctor Augenius respõdet, quod eo loco tantum loquatur de prohibitione futuri concepti, haudquaquã consulit effluxionẽ, vt verbũ illud declarat, *anteuenire*. quasi ad bonũ spectet Oeconomũ, iuxta ius illud Politicũ, vxorem eius, post numerosam filiorũ copiã, quã ne ipse enutrire valeat, sterilem fieri, & infœcundã.

Verum crassè errauerunt vtrique. Inprimis, quod Iusiurandum Hippocratis sit, etiam renuente doctore meo, auctoritate constat classicorum virorũ, D. Hieronymi quamprimum, testis omni exceptio-

ne

ne maioris. Opsopoeus itidem insignis Medicus, ex Suida idē affirmat;& quod magis est etiā huic operi inter Hippocratica primum tribuēs locum. Idem & Soranus, tum Scribonius Largus, ac deniq; Erotianus in catalogo librorum Hippocratis. Rursus quòd liber alter de natura pueri etiam illi sit genuinus, ex Gal. videre est lib. 1. de Semine, ca. 4. in quo, ob speculationis eiusdē libri subtilitatem, ac verborum pariter suauitatē, hunc ceu Hippocraticum recipit, vnà & l. 2. de nat. facul. c. 3. quamuis ceu ambiguus, si non Hippocratis, saltem eius discipuli Polybij eundem refert li. de fœtus format. Macrobius deniq; com. 2. in somnium Scipi. ca, 6. ceu legitimum amplectitur, & Hippocratis historiam de psaltria ancilla, ex eodem lib. de nat. pueri ca. 6. desumptam iugiter replicat. Quare cum vtrumq; opus Hippoc. germanum, anilis vtriusq; illorū conciliatio. Dicendum itaque cum Hieronymo Mercuriali libro 1. de mor. mul. c. 2. Hippocratē existimasse ius, effluxionē concitare, nefas abortum, quē proinde detestatur in iureiurando. idémque censisse Aristotelē. vnde Sylvatici explanatio verborum Aristotelis futilis, & elumbis. nā vri ius videbatur ipsi sterilitatē inducere, similiter & effluxionē, cum in hac semen adhuc suā seruet ideā, citra vitā, ac sensum. aliter enim frustra adiungeret verba illa sensum, & vitam acceperint: simpliciter namque dixisset, postquam concepti sunt, nefas est attingere eos. quibus verbis, proculdubiò respuit abortum, qui fœtus iam viuentis est exclusio, & admittit, simul cum sterilitate (quam verbum anteuenire declarat) effluxionem, sub quo tempore, nec primaria plantæ vita κίνησιν gaudet Quid quod nec

horum virorum defensio, ad nos modò quicquam fuit: nam siue sint Hippocratici libri, siue secus, siue suadeat Aristoteles sterilitatem, siue omnem dehortetur conceptionis corruptionē: nobis modò omne illud, quemcunq; habeat auctorem, nefarium, iniustum, iuri diuino, naturæ, & per cōsequens & rationabili ciuili, seu Gentium reluctans, certò apparet.

In primis, quod aduersetur iuri diuino in mentis synæresi lucescente, lubet elegāti historia ex sacris oraculis excerpta demōstrare. Inquit igitur Spiritus numē, Gen. 38. *Fuit quoque Her primogenitus Iudæ, nequam in conspectu Domini, & ideo ab eo occisus est. Dixit ergo Iudas ad Onam filium suum, ingredere ad vxorem fratris tui, & sociare illi, vt suscites semen fratri tuo. Ille sciens non nasci sibi filios, introiens ad vxorem fratris sui, semē fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percußit eum Dominus, eo quod rem detestabilem faceret.* Illustrat itaque hāc veritatem Numen diuinum sub hac historia, & ius non esse declarat, hominis generationem impedire. quia præterquā quod nefas apud Deum, reluctatur itidem & iuri Naturæ, sub quo vitā ducebant hi primi parentes, quousq; data fuit Hebreis lex scripta per Moysen. Ratio itidē in promptu est. Omnia illa, siue pollutio, sterilitatis inductio, effluxio, siue quilibet abortus ad vnum tendunt finem, detestabilem, & execrandum, delere videlicet opus illud mirabile, Natura, & eius Auctor intendens. Ergo cum actionis humanæ species æstimentur ex intentione per se operantis, ex D. Thoma 2.2. q. 64. art. 7. in cor. necessariò omnis illa actio detestabilis, nefaria, & contra ius Naturæ æstimanda. Præstantiam huius Naturæ operis, quod intra cætera vnicè

cè ipsa exoptat, accuratissimè declarat sanctissimus ac doctissimus pariter D. Ambrosius in D. Luc. capite 1. & vnà nefariam perniciem lustrat ex illius per se impedimento commissam: *Impeditur enim,* inquit, *generis propagatio, mulieris fœcunditas, parentes priuantur liberis, fœtus vita, matres coniugij pramiis, terra quia ab his coleretur, mundus ab eisdem cognosceretur, Ecclesia quia deuota plebis numero aucta gauderet, Deus à quibus in terris venenaretur.* quid quod & sæpissimè interdicuntur animę, abnegato baptismate, à cælesti illa ac diuina fruitione. Vah! quot mala, quótque detestandæ clades! Cum hæc igitur tanti momenti sint, nulla se potest offerre occasio, quæ nos impellat tantum opus aut impedire, aut delere per se. quid fama? quid fortunæ vsura? imo nec clades aliqua, nec regnorum omnimoda ruina.

Quare concludamus aduersus hos Philosophos nullatenus ius esse directè conceptionem impedire, aut factam corrumpere: cum vtrumque contra ius diuinum, cæterorum archetypum, expositum iam ab ipso Deo in V. Decalogi præcepto Exod. ca. 20. itidem & contra ius naturæ fatendum, cum eius interturbet scopum, & per consequens etiam contra Ius rationabile gentium, cum huius vis in illo primæuo consistat.

Criminum horũ, à quibus fit homo æternæ mortis reus, hæc series. In primo loco collocatur qui directè aliquo medio conceptionem impedit, siue inducendo sterilitatem, siue illo Diogenis Cynici hymæneo, siue simplici pollutione, siue illo detestabili Onæ medio. quæ delicta ita grauia ex sua natura sunt, vt omnes asserunt Summistæ, ac si quis

cum

cum matre, aut sorore, immò ac cum moniali rem haberet: quia Naturæ ordini aduersatur. De hac re vide Ioannem Baptistam Corradum in suis respons. casuum conscientię q. 29. relinquo modò Sodomorum nefarium crimen, ceu piaculum, & execrandum. Deinceps grauius adhuc peccat, qui effluxionem commouet, & partum itidem abigit ante rationalis animæ insitionem. Verùm grauius multò qui abortum facit, aura illa diuina iam informato fœtus corpusculo. Omnes autem hi primariò, vel reductiuè homicidæ vocantur, iuxta illud doctissimi Tertulliani in Apol. c. 3. *Festinatio homicidij est, quacunque ratione prohibere non nasci.* Quamuis in decret. in cap. Moyses 32. q. 2. homicida dicatur partum abigens anima rationali iam informatum, hósque maleficos vocat spiritus Numen, Exod. 22. & corporali morte itidem puniendos. Ioannes Brunellus in repetit., in 1. decret. de homic. part. 4. num. 3. hanc candem tenet sententiam; *quia*, inquit, *homicidium est*, vt declarat etiam nominis etymon *hominis occisio*, cumque homo non sit ante animæ infusionem, cùm homo habeat cõpositionem ex materie seu corpore, & forma seu anima, vt etiam constat ex cap. in quadam, post principium, de celeb. miss. proinde non erit homicidium ante animæ receptionem in corpore. Hoc idem confirmatur ex c. sicuti. 32. q. 2. per eandem etiam rationem. Leges ciuiles itidem eandem amplectuntur sententiam, & seriò quidem, præmissa tamen distinctione, cum variè puniendos statuant. nam qui malis poculis directè partum nondum anima rationali informatum

tum abigit, decernunt solum exilij pœna puniendum, vt in L. si mulierem ff. de Sicar. L. diuus, de extraordin. crimin. ff. nisi talis pecunia fuisset corruptus ad illud præstandum: tunc enim vltimo supplicio plectendum esse censent, vt apparet in L. Cicero ff. de pœnis. Pro hac dissonantia tollenda dicemus, quod reapse qui ante insitionem animæ abortum facit, vel conceptionem prohibet homicida non est, nec irregularitatem incurrit: reductiuè tamen dicitur homicida, vt significauit citato loco Tertullianus, & Concilium Vormaciense, relatum in cap. si aliquis, de homicid. dicens his verbis, *Si aliquis explendæ libidinis caussa, vel odij meditatione homini, vel mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, vt homicida teneatur.* Qua coniunctione causatiua, vt innuit, non reapse homicida, sed tanquam homicida, quod est reductiuè. hoc idem voluit Tertullianus dum infert, *Nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet, homo est, & qui est futurus, nam fructus in semine est.* Similiter homo in potentia proxima est in semine: vnde reductiuè homicida, qui futuri hominis exordia destruit, cuius vis formatur in semine sepulta iacet. Omnia itaque illa crimina vel per se, vel reductiuè sub V. Decalogi præcepto, Deut. cap. 5. *Non mœchaberis*, haud dubiè reuocantur.

Quare concludamus oportet, cum omnis ille scopus, propter quem directè abortus tentatur multò minus præpōderet, quā actio cuius ratione cōmittitur peccatū mortale, nulla ratione ea vti ius est. hinc

Archid.c.Baptisandis 1.q.1.nu. 1. & 2. *illicitum esse*, inquit, *propter honestatem, aut bonam famam mulieris, aut pro occultando peccato, aut vitando scandalo, aut propter aliud quodcunque bonum fortunæ, aut corporis, aut etiam pro euitandis magnis cædibus, aut infortuniis partum abigere, siue animatum, siue inanime adhuc, & quouis modo genituram*. cum itidem ex Azpilcueta Nauarro sum.cap.16.num.33. *nullo bono fine honestari posse sumptionem potionis, qua prolis conceptioni obstetur*. Ratio est, quia vbi culpa adest, etsi ista leuissima sit vitam propriam potius, aut quodcumq; bonum creatum tenemur permittere quod pereat, quàm illam aliqua ratione committere. hoc comprobat Sotus in 4.dist.22.q.1.ar.4.iuxta Angelici doctoris insignem doctrinam quodlibet asserentem, *præponderare multò magis bonum diuinum, contra quod agit culpa, bono quolibet Naturæ creatæ, cui opponitur pœna, quàm perpetuitas pœnæ temporalitati culpæ*, vnde quouis modo generationem impedire directè, aut generatum corrumpere, vt testatur etiam Syluester in verbo Abortus, peccatum mortale est. Nefas igitur ex iure diuino, Naturæ, ac Gentium: Aberrarúntque à via veritatis insignes illi Philosophi, qui aduersus ius Diuinum, ac Naturæ, à quibus exoritur aliud Gentium, oppositum impiè lege sanxere. Verùm nihil mirum cum in tenebris sederent; & in vmbra mortis, ipsis extincta Fidei lampade, aut non lucescente.

An ius Medico directè sterilitatem inducere, an & partum directè abigere.

CAP.

Cap. XVI.

CVriosius forsitan hæc singula perscrutamur: non sine ratione tamen. Quid enim tantopere rimari ad nos spectat, sedulò, seriòque prospicere, quàm quæ in visu sunt propemodum quotidiano, nobísque ex officio incumbunt? Cum itaque ex nuper dictis vicinori capite interdicta videatur nobis via, occlusa pariter, iuxta Diuinum ius, Naturæ, ac Gentium directè ob quemcumque finem, & bonum creatum tum generationem vitare, tum generatum corrumpere: explorandum modò, an Catholica hæc doctrinam in actuosa Medicinæ parte aliquam patiatur exceptionem? offertur enim occasio aliquando in ipsa, propter quam nullis perfractis iuris repagulis vtrumque videatur ius. res quidem alta, & intricata. Quamprimum ostendemus coactas nobis sese offerre huiusmodi occasiones, quarum ratione etiam ex vi methodi cogimur aliquádo & procurare sterilitatem, & abortum concitare. quo præstito mox aperiemus & fas istud, & æquum iuxta diuinum ius, Naturæ, ac Gentium.

In primis itaque de corrumpendo fœtu, extat apud summum dictatorem illud oraculum lib. 2. Epidem. sen. 2. dicens, *Sexaginta dierum masculi corruptio, in detentionibus partus salubris est.* Hanc lectionem doctissimus interpres seruat, Petrus Iacobus Esteue, Valentinus, vir in omni scientiarum genere, & vtraque lingua apprimè eruditus. Et hanc eandem rursus in eius sententiæ commentario lustrat, dum inquit, Hippocratem in eo oraculo de fœtus corruptione loqui directè facta, à vi medica-

mentorũ illud pollentium. quia eo loco vtitur Hippocrates vocabulo ἀπόφθαρμα, quod est in malam partem abire, istud pręstantia sola pharmaca ἀμβλωτικὰ, φθόρια, aut φθορεστικὰ à Græcis dicta, vti à Latinis fœtum corrumpentia, seu obortiua medicamenta. Hæc igitur post illum sexagesimi diei carcerem, citra maximum grauidarum periculum largiri, ne fas quidem censet diuinus Præceptor: vti saluberrimum, quamuis fortè rarò, postulante videlicet, & vrgente necessitate infra illum terminum. Potest huius rei momentum ex clarissimo Galeno colligi lib. 4. Aph. sen. 1. quia vti fructus, in medio eorum tempore, inter eruptionem primam, & maturationem fortius cohærent: sic fœtus in medio conceptionis tempore, quod inchoatur mense tertio, protrahitur ad septimum vsque, fortius multò hæret, ac tenacius. vnde cùm hîc in medio tempore violentior, ac impetuosior requiratur motus, citra discrimen fœtæ ne fieri quidem potis. contrà verò in primis duobus mensibus cum minor sit cohęrentia, & imbecilliora omnia organa, facilè quidem decidit, leuiórque requiritur motus, & alteratio ad eius auulsionē. Si partus itaque ratione (vt sæpè fieri contingit) grauissimi, ac funesti excitentur morbi, ferina iugiter symptomata, cum maxima grauidarum clade: rursus si facilis intra sexagesimum solem fœtus corruptio: optimè sequitur saluberrimum esse abigere sub eo tempore partum, morbi caussæ principium, & tantorum malorum fontem. Optimè igitur eo oraculo dixerat Hippocrates; quasi nautarum exemplo, qui suis mercibus exonerantes nauim, à naufragio eam persępè liberare solēt, deposito iam onere, à quo submergitur. similiter & naufraga fœ-

ta in tempestate procellosa lethalium morborum, nullatenus per partem aliquã valeate natura morbosum opus deponere, iam tandem tentato abortu, & mox copioso consequente puerperio, potis haud dubiè hęc metastasis & morbum omnino exoluere, & fœtam à mortis discrimine liberare.

De infœcunditate, aut sterilitate inducenda, quãuis iuxta nostrum scopum nulla sit facta mentio apud Hippocratem, aut Galenum: tamen de eadem re copiosè Aëtius tetrabibli 4. serm. 4. ca. 16. tum inter Arabes Aben Sceni lib. 3. fen. 21. tract. 2. c. 17. Hi igitur Auctores, tum vsus pariter, demonstrant dari aliqua vitia cõnata, aut caussas præter naturam, quarum ratione, non solum morali certitudine, verum & physica, impossibilis sit quibusdã fœminis nixus, citra fœtus certam corruptionem, aut quod frequẽtius, etiam simul & fœtæ necem. vitia connata hoc præstantia sunt, quæ in formatione consistunt, vteri videlicet paruitas maxima, & stomachicius angustia, ossis pectinis compressio; ad hæc reuocantur itidem, gibbositas maxima, tum dislocatio ossis fœmoris versus vterum, hæc namque cauitatem naturalem comprimũt ita, vt ne dilatari queat, aut augmento fœtus cedere, aut nixui, ob compressionem pariter oris stomachi vteri; quæ vitia aliquando à prima conformatione apparent, aliquando ab aliqua oriuntur caussa præter naturam, vti & tuberculum durum & magnum in vteri os exortum, vlcus in ipsa matrice, aut alius morbus magnus, tum vesicæ imbecillitas circa vrinę retẽtionem, ab aliquib. vlcusculis parta aut aliàs. Denique si horum Doctorum expectemus cẽsuram, an liceat sterilitatem inducere, an & partũ directè abigere; vtriq; ceu necessarium æstimant, vt grauidam à tanta pressura

ac calamitate liberemus, & ab orco fatali quadam necessitate obiectam vnà cum fœtu redimamus. Verum quia infideles, nec tuta censura, nec discreta, à catholicis igitur imploranda.

Sit hæc conclusio. Ius est, ac fas Medicis aliquando directè mulierem infœcundam reddere, ius & aliquando ante insitionem animæ tamen abortum concitare directè. Lubet vtrumque auctoritatibus, & rationibus confirmare.

In primis de abigēdo partu illud tuetur D. Anton. in 3. parte, tit. 7. c. 2. §. 2. Syluester in verbo Medicus §. 4. part. 2. Ioā. de Neapoli lib. 10. Iac. de Graffiis lib. 2. c. 63. nu. 24. Didacus & Couarruuias in relect. de homicid. 2. part. §. 5. n. 1. vers. hinc est. tum idem in Clementina, si furiosus, part. 2. §. 3. num. 1. Armilla verbo Abortus num. 2. Corduba q. 173. dict. 4. Omnes itaque hi Iuris Pontificij doctores, vnà cum Theologis in vnum conuenientes affirmant, licere Medico ad præseruandam fœminam grauidam, iam expem, & morali quadam certitudine, ac necessariò perituram directè abortum excitare, dummodò tamē fœtus anima rationali non fruatur adhuc. Nec fraudatur ratione hæc opinio, quia necessariò, vt supponimus pereunte matre, nec locus conceditur fœtui ad eius animationem, cum & ipse vnà pereat necessariò. quare non seruandus, tanto imminente maternæ vitæ discrimine.

Porrò & idem sentiunt iidem de infœcunditate directè præstanda; si conceptura, ob aliquod inemendabile vitium connatum, vel præter naturam certò moraliter peritura fuerit in nixu: vel si conceperit, etiam vt nuper diximus, ante animæ insitionem, directè abortum procurare fas: haud quaquam

quam cõsulendo viro exoptanti infœcunditatem, ob prædictam causam, semen extra vas emittere: túc enim consentientes vtrique, etiam vtrique cõmitterét illud Onę detestabile scelus. Licet autẽ viro, præter hunc generationis scopũ, ad propriã ingredi vxorem, dũmodo rẽ habeat per locum à natura ad hunc vsum destinatũ, cum & alij sint scopi huius sancti sacramẽti matrimonij, actus eiusdem reddẽtes licitos, vt qui à diuino Apostolo Paulo 1. Corint. 7. assignatur fornicationis in hac imbecillitate naturæ corruptę deuitatio: rursus, & qui à D. Chrisosto. ho. 20. in Epi. ad Eph. in morali exhort. lustratur, fidus, ac familiaris cõiugum inter se cõuictus, iuxta illud Genes. ca. 2. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.*

Cęterũ pręter locupletissimos testes, nuper in oculis positos, licet modò & rationis indissolubili vinculo eandẽ confirmare doctrinã, tum & iuris rationẽ reddere. Ius est quãprimum infœcundã reddere fœminã directè, quia cũ plus vita fœminæ præpõderet actu iã existẽtis, quàm alterius quæ in potentia: hauddubiè fas erit Medico sterilitatẽ inducere ad euitãdã fœminę perniciẽ, quasi necessariò iuxta moralẽ certitudinẽ cõsequuturã. quid quod nec in opere, Medico primò hæc intẽditur, sed secũdariò: per se autẽ, ac primò fœminam ab orci faucibus liberare. hoc per se bonũ, illud haudquaquã malũ, cũ pręter intẽtionẽ artificis, imò per accidẽs ipsi, & indirectè: quãuis directè auxilia istud intendant, ceu media ad cõsequẽdũ finẽ alterũ, optimũ sanè. Neq; his diuini Apost. ad Ro. 3. aduersãtur illa verba, *Nõ sunt faciẽda mala, vt inde eueniãt bona.* quia illud indirectè in nostra hypothesi malũ nõ est, cũ intẽtio

operātis rē cōſtituat ſub idea boni. Hoc idē procul- dubiò inſinuare voluere tū Marian. Socin. & tu Felinus D.C. ſi aliquis, & Simon à Brixia Clement. 1. eodē tit. cum dicat, ius abortioni cauſam dare (dūmodò coli vita fœtus non gaudeat) ad fugiendā prægnantis mortem, ex puerperio morituræ. Nam ſi licet actu iam fœmina in vtero gerente, quid ni, imò multo magis licebit & futuræ tali?

Præterea, q̄ & ius Medico, directè prēſtātibus auxiliis, abortu cōmouere, hęc facilis ratio. quia dāna vtraq; æqualia cū ſint, & æquè tēporalia: noſtra tēporalia potius, quā aliena intendere poſſumus: prēſertim cū altionis ſit notę matris vita tēporalis, quā fœtus: quia illa ſuppoſiti abſoluti eſt actus, ſeu hominis: hæc verò futuri, ſeu imperfectì viuētis, ad inſtar videlicet plātæ, aut animalis. quare illa pluris multò æſtimanda. Verum diſpar ratio, fiuente iam fœtu rationali anima: quia tunc, & vtriuſque vita, & ſuppoſita pariter eiuſdē notæ ſunt, ſed cum in abortu cōcurrat noxa grauis vitę ſpiritualis fœtus, proindè nefas, & piaculum dare operam abortioni directè, fœtu exiſtente anima rationali informato. Nam cū quiſq; iuxta rectam charitatis ſeriē teneatur bona tēporalia cōtemnere pro ſalute ſpirituali: hinc Medico non licet pro ſaluanda tēporali matris vita, neq; matri ipſi fas, fœtus alteram ſpirituale, quæ ſacro baptiſmate cōſequitur, naufragio cōmittere. Quid quod & cū matri ſit commiſſus fœtus ad nixū vſq;, tenetur & ipſa patienter quodlibet periculū etiam vitæ pro eo ſuſtinere, videlicet pro ſalute eius ac vita ſpiritualis: generationis quidem præſtans ſcopus. præferenda itaque vita ſpiritualis proximi extremè indigentis, quolibet bono corporis,

ris,aut fortunę,vndeChrist⁹ Domin⁹,vt nos à morte ęterna redimeret,crucē subiit,&pro nobis passus est,mortu⁹,& sepultus.cui gloria in sæcula,Amen.

Thomas Sanches tomo 3. de matrimonio libr. 9. disp. 20. nu.17 accuratè sentit,vti & assiduus cōprobat vsus & rarissimum esse,& moraliter impossibile,matrem lethaliter laborantem vnà non interire fœtum; tum quasi miraculum, matre funesto morbo pereunte,fœtum incolumem euadere:iuxta illud diuini dictatoris lib.5.Aph.sen.31. *Mulierem grauidam morbo quopiam acuto corripi lethale.* Lethale autē,non solum fœtæ,verum,vt adnotat Galenus in cōmētario,ob duplicē rationem & fœtui: quod si fortè patiantur abortū in tanto vitę discrimine morbi sæuitie,etiam & abortus ratione amplius multa periclitantur,vt eodem lib. sen. 55. retur idem Hippocrates.Quare in hac hypothesi, serium insequendum D. Ambrosij consilium,lib. de officiis,quod refertur in cap.deniq; 14.q.5.*Si alteri,* inquit,*subueniri non potest,nisi alter lædatur,commodius est neutrum iuuare.* Sed totum summo Creatori est cōmittendum,ad Cynosuram diuinæ prouidentiæ cōuersi,eius iugiter clementissimū implorātes auxiliū,qui facit mirabilia sol⁹,ps.71.Obiiciet fortè quis,ex duobus malis quod minus,eligendū: minus malum matrem à morte liberare, quàm vtrosq; atroci atropo cōmittere.ergo licet qualibet arte,matrem à mortis periculo,certò moraliter expositam redimere.Verum illud axioma tantū intelligēdū de malis pœnę,haud quaquam de malis culpæ,cum omnis culpa detestanda, etiam pro salute totius mundi (vt omnes assentiunt sanctissimi) patres minus culpæ malum, veniale nimirū peccatū,

eligendum non est, iuxta illud Domini dictum Marc. 8. Luc. 9. *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, anima verò sua detrimẽtum patiatur?* infinitè itaque præponderat quoduis malum culpę, cum sit aduersus infinitam summi Dei bonitatem, totius mundi saluti, ceu bono creato, & tẽporali. Relinquendum igitur istud, vt diximus, diuinę prouidentiæ, in cuius potestate sunt omnia: & aduocata rationali methodo, per viam curationis tutò incedere, deliberatis per suas indicationes auxiliis, etsi per accidens aliqua illorum partum abigere valeant, dummodo cautè, ac religiosè exerceãtur. Et hoc ipsum, intendimus, comprobare valent rationes ab Horatio Augenio replicatæ libr. 12. Epist. epist. 71. quamuis ipse indistinctè auxilia directò partum abigẽtia respuat: cum nos supra in primo mense tutò cum Hippocrate decerni ostenderimus, & ius, auctoritate grauissimorũ virorum cõuincti. Neque ipsis temerè vtendum esse arbitramur, vehementiora cum sint expectando eorum vsum, dũ fœmina iã animam agit: verũ in deploratis morbis, quod declarant funesta signa, vires adhuc sustinere valentes auxiliorum vim, dũ pariter spes adest, q ablata morbi causa, & huius cessãte principio, à mortis pressura redimendam mulierem. Possunt itaque maximum inferre auxilium pharmaca abortiua, si in tempore fiant abortus & tutiora adhibeãtur: non enim cuncta directò abortiua pharmaca deleteria sunt, vt falsò censerat cum Mercuriali Augenius. non enim dictamnus deleterium medicamentum cum eãdem habeat cum pulegio facultatem, testante Galeno lib. 6. simpl. medica. de dictam. quæ potius alexipharmaca sunt, &
qua

qua talia Theriacam ingrediuntur: rursus nec assa fœtida, arthemisia, cortex cassiæ fistulæ, & alia similia, vti fortè nec factitia chrysocolla, vulgo borax. quid quod & pessa corruptoria tutò idem pręstant, ceu externa auxilia. Est tamē affabrè distinguendū, & à Medico explorandū singulorum facultates, ne videlicet in hac hypothesi, quę fœtū enecare valēt vtantur, pro his, quę tutò foras illum elidere valent.

Tandem si vtero gerens sub aliquo mense, partui secundum naturam dicato, funestè laboret, septimo inquā, nono, aut decimo, & cūctis iam auxiliis methodo & arte ad morbi exolutionē appositis, ne cedat quidem, & mors iam vltrò expectetur, nisi misera ipsa vteri illud pondus deponat, & consequantur mox copiosa lochia; viribus adhuc consentientibus, prudenter, ac religiosè non dubitarem, ceu fas, & curationem audentius aggredi, & quibusdam securissimis auxiliis partū directè excitātibus eundem promouere: quia, cum tunc sub vitalibus mēsibus existat partus, neque abortus censendus, & ceu fructus iam maturus, vt insinuat accurata illa analogia Gal. lib. 4. Aph. sen. 1. & facili negocio decidit, & fœtus simul expulsionem iuuat, citra vtriusque periculum. hinc fœtus ceu vitæ capax, habilis itidem (quod maximum est) cōsequi vitam alterā spiritualem, per sacrosanctū Baptismatis sacramētum. Hoc autem medio, videlicet consequente partu sponte Naturæ, à grauissimis ac funestis morbis plurimas fœminas fuisse liberatas, sępe experimur. In propriis itidem laribus, in vxore expertus sum, quæ cùm lethali dysenteria laborasset, iam quasi animā agēs, ob atroces dolores, ac ingētissimam febrem, etiam sub caneimox permittente summo Deo, ob ineffabilem

eius in nos amorē, dum ſeptimo menſe eſſet in vtero ferens, & quinto à morbo die nixus acceſſiſſet, ſtatim ſuperſtes remanſit; depoſita filia ab vtero, & conſequēte copiosè lochio. habuit enim nixus, criſis rationem, & quæ per aluum ferinè deponebantur, per vterum deriuata morbum leuarunt. Si igitur Natura tanto cum commodo ac vtilitate iſtud præſtat, quid ni Medicus eius ſedulus æmulator, religiosè imitari non contendet?

An liceat Medico ſemen corruptum, mortem comminans directè foras elidere.

CAP. XVII.

EXortus appendix, ex his, quæ ſuperiori diximus capite, intricata materies, neceſſaria pariter, nec excuſanda. Difficultas itaque eſt, An ſemen, quod in noſtro corpore corruptū ſeruatur, ferina inducens ſymptomata, ac funeſta, ius ſit ad vitā redimēdā foras directè elidere: ſicut ius, pro eadē cauſa, ſemen iā cōceptū, etiā vita plantæ, aut animali gaudens, directè itidem foras deiicere, ſupra ſcripſimus. Res ſanè difficilis, & ardua, quę multorum animos hactenus contorſit. Verum antequam exoluatur, prius aliqua explanare lubet, rem hauddubiè faciliorē reddentia.

In primis hunc affectum vtrumque ſexum infligere, etſi ſępius multò, ac vehementius fœmineum, virgines præſertim, ac viduas, & reliquas à venereo actu diutius abſtinentes. Vterq; autē ſexus eo lancinatur, quia vterque ſemine fruitur prolifico, quidquid garriat Ariſtoteles, vnà & eius æmulatores. nā vterq; organa habet ſemen præparantia, vt demonſtratione patet anatomica, coquentia, deferentia: vterque

terque rursus polluitur, eadem in vtrisque in coitu voluptas, eadem titillatio, quamuis potior in mare. Necessariò itidem argumento idem cõprobat Gal. li. 2. de semine ca. 1. ex mutatione præsertim speciei, coëuntibus animalibus distinctę speciei, tũ ex similitudine quã habent nati cum ipsis parentibus. hoc idem strenuè defendit, semper stando dictis, idẽ clarissimus Gal. li. 14. de Vsu partiũ, ca. 7. & vbicunque de hac re sit facta mẽtio: neque varius vllibi, vt perperã Thomas Sãches tom. 3. l. 9. disp. 17. n. 9. de matr. hunc inconstantiæ accusat, quia inquit Gal. lib. 1. de tuẽd. valet. c. 2. & l. 2. de nat. facul. c. 3. negare semẽ in fœmina necessariò admittendũ, & hanc actiuè concurrere in generatione. Quæ ne somniauit quidem Galenus. quãprimũ locus de tuend. valet. sic habet, *Sanguis, seménq; genitale generationis nostræ primordia sunt: ille ceu materies quædam apta, concinnáq; & opifici ad quiduis sequax: hoc opificis rationẽ obtinens.* Accuratè Gal. verum vnde colligat Sanches, semen in fœmina non esse, nec concurrere actiuè, nescio, imò demiror. nã pro semine ibi vtrũq; intelligit, vt luce meridiana patet, millies ab eodẽ Galeno repetitum: quasi vtrũq; semen, in vnã causam efficientẽ & opificẽ vnũ ex Hipp. l. de genit. cõcurrat, & vim suã exerceat in materiẽ, præsertim sãguinẽ; quid quod & idẽ semen vtrumq;, renuente itidẽ falsò Arist. li. 1. de sem. ca. 7. & c. 10. eidẽ actioni materiem præbet, cũ organa spermatica, vt à cunctis Medicis, ac Philosophis benè de hac re sentientibus seriò receptũ est, ab vtroq; semine ortum trahant. deinceps lib. 2. de nat. fac. cap. 3. *Quemadmodum magneti lapidi trahendi ferri, sic semini trahendi sanguinis facultatem inesse dicemus: atque hic rursus, quemadmodum*

mentorũ illud pollentium. quia eo loco vtitur Hippocrates vocabulo ἀπόσπαρμα, quod est in malam partem abire, istud præstantia sola pharmaca ἀμβλωτικὰ, φθόρια, aut φθοριμιὰ à Græcis dicta, vti à Latinis fœtum corrumpentia, seu obortiua medicamenta. Hæc igitur post illum sexagesimi diei carcerem, citra maximum grauidarum periculum largiri, ne fas quidem censet diuinus Præceptor, vti saluberrimum, quamuis fortè rarò, postulante videlicet, & vrgente necessitate infra illum terminum. Potest huius rei momentum ex clarissimo Galeno colligi lib. 4. Aph. sen. 1. quia vti fructus, in medio eorum tempore, inter eruptionem primam, & maturationem fortius cohærent: sic fœtus in medio conceptionis tempore, quod inchoatur mense tertio, protrahitur ad septimum vsque, fortius multò hæret, ac tenacius. vnde cùm hîc in medio tempore violentior, ac impetuosior requiratur motus, citra discrimen fœtæ ne fieri quidem potis. contrà verò in primis duobus mensibus cum minor sit cohærentia, & imbecilliora omnia organa, facilè quidem decidit, leuiórque requiritur motus, & alteratio ad eius auulsioně. Si partus itaque ratione (vt sæpè fieri contingit) grauissimi, ac funesti excitentur morbi, ferina iugiter symptomata, cum maxima grauidarum clade: rursus si facilis intra sexagesimum solem fœtus corruptio: optimè sequitur saluberrimum esse abigere sub eo tempore partum, morbi caussæ principium, & tantorum malorum fontem. Optimè igitur eo oraculo dixerat Hippocrates; quasi nautarum exemplo, qui suis mercibus exonerantes nauim, à naufragio eam persępè liberare solẽt, deposito iam onere, à quo submergitur. similiter & naufraga fœ-

ta

ta in tempestate procellosa lethalium morborum, nullatenus per partem aliquā valeute natura morbosum opus deponere, iam tandem tentato abortu, & mox copioso consequente puerperio, potis haud dubiè hęc metastasis & morbum omnino exoluere, & fœtam à mortis discrimine liberare.

De infœcunditate, aut sterilitate inducenda, quāuis iuxta nostrum scopum nulla sit facta mentio apud Hippocratem, aut Galenum: tamen de eadem re copiosè Aëtius tetrabibli 4. serm. 4. ca. 16. tum inter Arabes Aben Sceni lib. 3. fen. 21. tract. 2. c. 17. Hi igitur Auctores, tum vsus pariter, demonstrant dari aliqua vitia cōnata, aut caussas præter naturam, quarum ratione, non solum morali certitudine, verum & physica, impossibilis sit quibusdā fœminis nixus, citra fœtus certam corruptionem, aut quod frequētius, etiam simul & fœtæ necem. vitia connata hoc præstantia sunt, quæ in formatione consistunt, vteri videlicet paruitas maxima, & stomachi eius angustia, ossis pectinis compressio; ad hæc reuocantur itidem, gibbositas maxima, tum dislocatio ossis fœmoris versus vterum, hæc namque cauitatem naturalem comprimūt ita, vt ne dilatari queat, aut augmento fœtus cedere, aut nixui, ob compressionem pariter oris stomachi vteri; quæ vitia aliquando à prima conformatione apparent, aliquando ab aliqua oriuntur caussa præter naturam, vti & tuberculum durum & magnum in vteri os exortum, vlcus in ipsa matrice, aut alius morbus magnus, tum vesicæ imbecillitas circa vrinę retētionem, ab aliquib. vlcusculis parta aut aliâs. Denique si horum Doctorum expectemus cēsuram, an liceat sterilitatem inducere, an & partū directè abigere; vtriq; ceu necessarium æstimant, vt grauidam à tanta pressura

ac calamitate liberemus, & ab orco fatali quadam necessitate obiectam vnà cum fœtu redimamus. Verum quia infideles, nec tuta censura, nec discreta, à catholicis igitur imploranda.

Sit hæc conclusio. Ius est, ac fas Medicis aliquando directè mulierem infœcundam reddere, ius & aliquando ante insitionem animæ tamen abortum concitare directè. Lubet vtrumque auctoritatibus, & rationibus confirmare.

In primis de abigēdo partu illud tuetur D. Anton. in 3. parte, tit. 7. c. 2. §. 1. Syluester in verbo Medicus §. 4. part. 2. Ioā. de Neapoli lib. 10. Iac. de Grassiis lib. 2. c. 63. nu. 24. Didacus & Couarruuias in relect. de homicid. 2. part. § 5. n. 1. vers. hinc est. tum idem in Clementina, si furiosus, part. 2. § 3. num. 1. Armilla verbo Abortus num. 2. Corduba q. 173. dict. 4. Omnes itaque hi Iuris Pontificij doctores, vnà cum Theologis in vnum conuenientes affirmant, licere Medico ad præseruandam fœminam grauidam, iam expem, & morali quadam certitudine, ac necessariò perituram directè abortum excitare, dummodò tamē fœtus anima rationali non fruatur adhuc. Nec fraudatur ratione hæc opinio, quia necessariò, vt supponimus pereunte matre, nec locus conceditur fœtui ad eius animationem, cum & ipse vnà pereat necessariò. quare non seruandus, tanto imminente maternæ vitæ discrimine.

Porrò & idem sentiunt iidem de infœcunditate directè præstanda; si conceptura, ob aliquod inemendabile vitium connatum, vel præter naturam certò moraliter peritura fuerit in nixu: vel si conceperit, etiam vt nuper diximus, ante animæ insitionem, directè abortum procurare fas: haud quaquam

quam cõſulendo viro exoptanti infœcunditatem, ob prædictam cauſam, ſemen extra vas emittere: tūc enim conſentientes vtrique, etiam vtrique cõmitterēt illud Onę deteſtabile ſcelus. Licet autē viro, præter hunc generationis ſcopū, ad propriā ingredi vxorem, dūmodo rē habeat per locum à natura ad hunc vſum deſtinatū, cum & alij ſint ſcopi huius ſancti ſacramēti matrimonij, actus eiuſdem reddētes licitos, vt qui à diuino Apoſtolo Paulo 1. Corint. 7. aſſignatur fornicationis in hac imbecillitate naturæ corruptę deuitatio: rurſus, & qui à D. Chriſoſto. ho. 20. in Epi. ad Eph. in morali exhort. luſtratur, fidus, ac familiaris cõiugum inter ſe cõuictus, iuxta illud Geneſ. ca. 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.*

Cęterū pręter locupletiſſimos teſtes, nuper in oculis poſitos, licet modò & rationis indiſſolubili vinculo eandē confirmare doctrinā, tum & iuris rationē reddere. Ius eſt quàprimum infœcundā reddere fœminā directè, quia cū plus vita fœminæ præpōderet actu iā exiſtētis, quàm alterius quæ in potentia: hauddubiè fas erit Medico ſterilitatē inducere ad euitādā fœminę perniciē, quaſi neceſſariò iuxta moralē certitudinē cõſequuturā. quid quod nec in opere, Medico primò hæc intēditur, ſed ſecūdariò: per ſe autē, ac primò fœminam ab orci faucibus liberare. hoc per ſe bonū, illud haudquaquā malū, cū pręter intētionē artificis, imò per accidēs ipſi, & indirectè: quāuis directè auxilia iſtud intendant, ceu media ad cõſequēdū finē alterū, optimū ſanè. Neq; his diuini Apoſt. ad Ro. 3. aduerſātur illa verba, *Nõ ſunt faciēda mala, vt inde eueniāt bona.* quia illud indirectè in noſtra hypotheſi malū nõ eſt, cū intētio

operãtis rẽ cõstituat sub idea boni. Hoc idẽ procul-dubiò insinuare voluere tũ Marian. Socin. s, tu Felinus in D. C. si aliquis, & Simon à Brixia Clement. 1. eodẽ tit. cum dicãt, ius abortioni causam dare (dũmodò coli vita fœtus non gaudeat) ad fugiendã prægnantis matrem, ex puerperio morituræ. Nam si licet actu iam fœmina in vtero gerente, quid ni, imò multo magis licebit & futuræ tali?

Præterea, q̃ & ius Medico, directè prę̃stãtibus auxiliis, abortũ cõmouere, hęc facilis ratio. quia dãna vtraq; æqualia cũ sint, & æquè tẽporalia: nostra tẽporalia potius, quã aliena intendere possumus: pręsertim cũ altionis sit notę matris vita tẽporalis, quã fœtus: quia illa suppositi absoluti est actus, seu hominis: hæc verò futuri, seu imperfecti viuẽtis, ad instar videlicet plãtæ, aut animalis. quare illa pluris multò æstimanda. Verum dispar ratio, fruente iam fœtu rationali anima: quia tunc, & vtriusque vita, & supposita pariter eiusdẽ notæ sunt; sed cum in abortu cõcurrat noxa grauis vitę spiritualis fœtus, proindè nefas, & piaculum dare operam abortioni directè, fœtu existente anima rationali informato. Nam cũ quisq; iuxta rectam charitatis seriẽ teneatur bona tẽporalia cõtemnere pro salute spirituali: hinc Medico non licet pro saluanda tẽporali matris vita, neq; matri ipsi fas, fœtus alteram spiritualẽ, quæ sacro baptismate cõsequitur, naufragio cõmittere. Quid quod & cũ matri sit commissus fœtus ad nixũ vsq;, tenetur & ipsa patienter quodlibet periculũ etiam vitæ pro eo sustinere, videlicet pro salute eius ac vita spiritualis: generationis quidem præstans scopus. præferenda itaque vita spiritualis proximi extremè indigentis, quolibet bono corporis,

ris,

ris, aut fortunę, vnde Christ° Domin°, vt nos à morte ęterna redimeret, crucē subiit, & pro nobis passus est, mortu°, & sepultus. cui gloria in sæcula, Amen.

Thomas Sanches tomo 3. de matrimonio libr. 9. disp. 20. nu. 17 accuratè sentit, vti & assiduus cōprobat vsus & rarissimum esse, & moraliter impossibile, matrem lethaliter laborantem vnà non interire fœtum; tum quasi miraculum, matre funesto morbo pereunte, fœtum incolumem euadere: iuxta illud diuini dictatoris lib. 5. Aph. sen. 31. *Mulierem grauidam morbo quopiam acuto corripi lethale.* Lethale autē, non solum fœtæ, verum, vt adnotat Galenus in cōmētario, ob duplicē rationem & fœtui: quod si fortè patiantur abortū in tanto vitę discrimine morbi sæuitie, etiam & abortus ratione amplius multa periclitantur, vt eodem lib. sen. 55. retur idem Hippocrates. Quare in hac hypothesi, sectium insequendum D. Ambrosij consilium, lib. de officiis, quod refertur in cap. deniq; 14. q. 5. *Si alteri,* inquit, *subueniri non potest, nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuare.* Sed totum summo Creatori est cōmittendum, ad Cynosuram diuinæ prouidentiæ cōuersi, eius iugiter clementissimū implorātes auxiliū, qui facit mirabilia sol°, ps. 71. Obiiciet fortè quis, ex duobus malis quod minus, eligendū: minus malum matrem à morte liberare, quàm vtrosq; atroci atropo cōmittere. ergo licet qualibet arte, matrem à mortis periculo, certò moraliter expositam redimere. Verum illud axioma tantū intelligēdū de malis pœnę, haud quaquam de malis culpæ, cum omnis culpa detestanda, etiam pro salute totius mundi (vt omnes assentiunt sanctissimi) patres minus culpæ malum, veniale nimirū peccatū;

eligendum non est, iuxta illud Domini dictum Marc. 8. Luc. 9. *Quid prodest homini si uniuersum mundum lucretur, anima verò sua detrimẽtum patiatur?* infinitè itaque præponderat quoduis malum culpę, cum sit aduersus infinitam summi Dei bonitatem, totius mundi saluti, ceu bono creato, & tẽporali. Relinquendum igitur istud, vt diximus, diuinę prouidentiæ, in cuius potestate sunt omnia: & aduocata rationali methodo, per viam curationis tutò incedere, deliberatis per suas indicationes auxiliis, etsi per accidens aliqua illorum partum abigere valeant, dummodo cautè, ac religiosè exerceãtur. Et hoc ipsum, intendimus, comprobare valent rationes ab Horatio Augenio replicatæ libr. 12. Epist. epist. 71. quamuis ipse indistinctè auxilia directò partum abigẽtia respuat: cum nos supra in primo mense tutò cum Hippocrate decerni ostenderimus, & ius, auctoritate grauissimorũ virorum cõuincti. Neque ipsis temerè vtendum esse arbitramur, vehementiora cum sint expectando eorum vsum, dũ fœmina iã animam agit: verũ in deploratis morbis, quod declarant funesta signa, vires adhuc sustinere valentes auxiliorum vim, dũ pariter spes adest, ꝙ ablata morbi causa, & huius cessãte principio, à mortis pressura redimendam mulierem. Possunt itaque maximum inferre auxilium pharmaca abortiua, si in tempore fiant abortus & tutiora adhibeãtur: non enim cuncta directò abortiua pharmaca deleteria sunt, vt falsò censerat cum Mercuriali Augenius. non enim dictamnus deleterium medicamentum cum eãdem habeat cum pulegio facultatem, testante Galeno lib. 6. simpl. med. ca. de dictam. quæ potius alexipharmaca sunt, & qua

qua talia Theriacam ingrediuntur: rursus nec assa fœtida, arthemisia, cortex cassiæ fistulæ, & alia similia, vti fortè nec factitia chrysocolla, vulgo borax. quid quod & pessa corruptoria tutò idem pręstant, ceu externa auxilia. Est tamẽ affabrè distinguendũ, & à Medico explorandũ singulorum facultates, ne videlicet in hac hypothesi, quę fœtũ enecare valẽt vtantur, pro his, quę tutò foras illum elidere valent.

Tandem si vtero gerens sub aliquo mense, partui secundum naturam dicato, funestè laboret, septimo inquã, nono, aut decimo, & cũctis iam auxiliis methodo & arte ad morbi exolutionẽ appositis, ne cedat quidem, & mors iam vltrò expectetur, nisi misera ipsa vteri illud pondus deponat, & consequantur mox copiosa lochia; viribus adhuc consentientibus, prudenter, ac religiosè non dubitarem, ceu fas, & curationem audentius aggredi, & quibusdam securissimis auxiliis partũ directè excitãtibus eundem promouere: quia, cum tunc sub vitalibus mẽsibus existat partus, neque abortus censendus, & ceu fructus iam maturus, vt insinuat accurata illa analogia Gal. lib. 4. Aph. sen. 1. & facili negocio decidit, & fœtus simul expulsionem iuuat, citra vtriusque periculum. hinc fœtus ceu vitæ capax, habilis itidem (quod maximum est) cõsequi vitam alterã spiritualem, per sacrosanctũ Baptismatis sacramẽtum. Hoc autem medio, videlicet consequente partu sponte Naturæ, à grauissimis ac funestis morbis plurimas fœminas fuisse liberatas, sępe experimur. In propriis itidem laribus, in vxore expertus sum, quæ cùm lethali dysenteria laborasset, iam quasi animã agẽs, ob atroces dolores, ac ingẽtissimam febrem, etiam sub caue: mox permittente summo Deo, ob inestabilem

terque rursus polluitur, eadem in vtrisque in coitu voluptas, eadem titillatio, quamuis potior in mare. Necessariò itidem argumento idem cóprobat Gal. li.2. de semine ca.1. ex mutatione præsertim speciei, coëuntibus animalibus distinctę speciei, tū ex similitudine quā habent nati cum ipsis parentibus. hoc idem strenuè defendit, semper stando dictis, idé clarissimus Gal. li.14. de Vsu partiū, ca.7. & vbicunque de hac re sit facta métio: neque varius vllibi, vt perperā Thomas Sáches tom.3. l.9. disp.17. n.9. de matr. hanc inconstantiæ accusat, quia inquit Gal. lib.1. de tuéd. valet. c.2. & l.2. de nat. facul. c.3. negare semē in fœmina necessariò admittendū, & hanc actiuè concurrere in generatione. Quæ ne somniauit quidem Galenus. quáprimū locus de tuend. valet. sic habet, *Sanguis, seménq; genitale generationis nostræ primordia sunt: ille ceu materies quædam apta, concinnáq; & opifici ad quiduis sequax: hoc opificis rationē obtinens.* Accuratè Gal. verum vnde colligat Sanches, semen in fœmina non esse, nec concurrere actiuè, nescio, imò demiror, nā pro semine ibi vtrūq; intelligit, vt luce meridiana patet, millies ab codé Galeno repetitum: quasi vtrūq; semen, in vnā causam efficienté & opificé vnū ex Hipp. l. de genit. cócurrat, & vim suā exerceat in materiē, præsertim sāguiné; quid quod & idé semen vtrumq;, renuente itidē falsò Arist. li. 1. de sem. ca.7. & c.10. eidé actioni materiem præbet, cū organa spermatica, vt à cunctis Medicis, ac Philosophis benè de hac re sentientibus seriò receptū est, ab vtroq; semine ortum trahant. deinceps lib.2. de nat. fac. cap.3. *Quemadmodum magneti lapidi trahendi ferri, sic semini trahendi sanguinis facultatem inesse dicemus: atque hic rursus, quemadmodum*

sentit tum li. de nat. pueri nu. 1. tum li. 1. de Diæta, n. 23. vbi non solum semẽ admittit in fœmina, verum in vtroque sexu duplex admittit genus, validum, & imbecille. Sed cum Galenus doctissimus in hac re ita spatietur cùm præsertim lib. 14. de vsu part. cap. 11. tum maximè li. 2. de semine, ca. 1. vt posteris proculdubio gloriam prçripuerit, finem nos his imponemus.

Porrò est & aliud obseruandum; semen vtrumque, postquã in labyrinthæis illis vasis, epididymi-nis, ac testibus fuit generatum, quę partes sibi tantũ concoquunt, vt nutriantur, vti ventriculus chylo, sanguine hepar eiusdem hæmatoseos: reliquum mox, ceu excrementum, sibique ipsis inutile depellunt, ac Natura generationi mox hominis intenta ad hunc vsum seruat, vt eo postulante, præbeat, in quo recondita, ac quasi sepulta iacet illa diuina vis generatrix, domicilium illud humani corporis efformans, auræ diuinæ templum, in quo ipsa iam figurato præest. In fœmina istud, in quibusdam vesiculis coaceruatur stabulatum, iuxta ipsarum testes constitutis: & hinc per vas quoddam rotundum, in muliere meatu carens perseeptibili, propter eius paruitatem, & seminis mulieris tenuitatem, coitus tempore diffluit in vterum: quia vas istud per cornua vteri progreditur, & in eiusdem obtusum sui lateris vteri inseritur angulum; hinc in cauitatẽ suũ habet ingressum. And. Vesalius in epitom. anat. ca. 6. vnde per hunc canalem demittitur semen, vt aduenientem hospitem, virile inquã semen, amplectatur. In viro autẽ, etiã & semen in aliis vesiculis adseruatur in varicoso parastate sedẽ habentibus: qui vtrinque vnus ad pudendũ vsq; fabricatur, sub collo vesi-

cæ exporrectus & ad meatum qui illic est ad reddēdam vrinā orificio pariter adapertus, vt per candem mox viam, per quā emittitur vrina, semē iugiter eiaculetur, coitus tēpore, aut aliâs in pollutione. In his itaque vesiculis, etiam in vtroque sexu asseruato semine, si diutius morā fecerit, ceu humidum, & calidum natura, ob sanguinē arterialē quē continet, & vna maximā spirituum copiam, tum quia in loco calido, & humido stabulatum seruatur putrescit, & amplius putrescente, quasi in venenum conuertitur, ferina atque funesta tunc excitans symptomata, ac mortem aliquando.

Tandem explorandum est an semē corrumpatur, & alienam ac venenatā naturā recipiat, & quo in loco accidat hęc corruptio. Quod semē vti & sanguis corrūpatur demōstratione nō indiget, cū fiat cuiq; palā: verum quod veneni naturā sibi vtrūq; assumat declarat apertissimis verbis Gal. ac diffusè sanè libr. 6. de loc. affect. c. 5. idē itidem innuit & li. 2. de semine c. 1. de sanguine, pręsertim puerperali, fatetur hoc idem Gal. lib. 1. Epid. com. 3. sen. 21. & 3. com. 3. sen. 73. citato verò l. 6. de loc. affect. ex grauitate affectuum, & lethaliū symptomatū, ab vtraq; causa, semine inquā, aut sanguine dimanantiā, accuratè colligit ingentē illorum prauitatē, ac virulentiā, cū paria illa sint, ac si venena quis sumpsisset, aut si esset à venenato quopiā animali demorsus. Inquit prætérea inter omnes Medicos cōuenire histericā lethalē passionē à detento semine aut mensibus exortā, magna ex parte viduis euenire, iisque maximè, quæ antea probè purgarētur, ac parerent, atq; virorū concubitu gauderent. verum lethaliores multò affectus cēset, quos parat semen corruptum, vtrique pariter sexui

xui familiares. nam & viris accidere declarat illud Angeli Politiani de Michaële Verino epigramma,

Sola Venus poterat lento succurrere morbo:
Ne se pollueret, maluit ille mori.

De fœmina à semine ferinè laborante elegantem historiam refert Galenus tum citato 6. de loc. affect. tum & citato 2. de semine, vtrobique dicens, *Cogitanti itaque mihi aliquando super hac re, tale quoddam accidens apparuit in muliere ex longo iam tempore vidua, quæ præter cætera mala, neruorum quoque distentione vexabatur, ac dicente obstetrice vterum esse retractum, remediis ad huiusmodi affectus consuetis vti decreuit: quibus adhibitis, partim ob ipsorum calorem, partim etiam quod inter curandum manibus tractarentur partes muliebres, oborta titillatione, cum labore, & voluptate, veluti per coitum vsu venire solet, excreuit crassum, plurimúmque semen, atque ita à molestia sua liberata est mulier. Proinde manifesta coniectura assequutus sum, vitiato semini maiorem, quàm menstruis esse vim, ad noxam vniuerso corpori inferendam.* Constat igitur prauã ac malignam adquirere qualitatem, tum sanguinẽ, tũ semen. hoc enim natura comparatum, quò materies benignior, & nobis familiarior, eo si corrumpatur deteriorem, ac nobis magis infestam contrahere qualitatem.

Locus in quo semen corrumpitur, aut sanguis in hac histerica affectione haudquaquam vteri cauitas, verum conceptacula in quibus secundum naturam coaceruatur. seminis quàm primum vesiculæ, ex quibus coitus tempore dimanat, quod declarant verba illa Galeni nuper citata, *oborta titillatione cum labore, ac voluptate, vti per coitum vsu venire, solet, excreuit crassum, plurimúmque semen.*

delectatio autem illa certo innuit è locis illis diffluere, in quibus secūdum naturam stabulatum seruatur: cum, si ex vteri cauitate dimanasset vlla adesset delectatio excretionis tempore. quid quod & si in cauitate vteri contineretur, statim exiliret, vti & sanguis mensurno tempore. semper enim secundum naturam hiat os vteri, nisi conceptione facta, cum tunc claudatur, vt ne specillum acus ingrederetur.

His ita substitutis rem ordiamur. Hæc res ita difficilis est in actuosa Medicina, quod nulla altera, meo iudicio, difficilior occurrat: quia omnes Theologi conueniunt semine existente optimo, sola peccante quantitate nefas vlla ratione directè elidere: rursum si ambigua fuerit qualitas, an quantitate, an qualitate potius peccarit, illicitum itidem: quia seminis profusionem in nullo euentu licet procurare. verum si à sua idea recesserit, corruptum inquam fuerit, ac maligna qualitate donatū, adhuc lis sub iudice, an ius, vel secus. Pars affirmans probabilis videtur, si fœminam constituerimus, iam quasi animam agentem, seu in maximo vitę discrimine positam. Si enim licet fœtum inanimem, in potentia proxima hominem, vt redimatur fœta naufraga, ab vteri claustro abigere: quanto magis licebit semen illud veneficum, omnino iam generationi inutile, sopitis pariter cunctis fœminę sensibus, & vnà ferè abolita respiratione, & ipsa inuita, vt eandem ab orci faucibus liberemus, foras ab vtero directè abstrahere? Porrò & Thomas Sanches tomo 3. lib. 9. de matrimonio disp. 17. num. 19. hanc amplectitur opinionem, nixus tribus, nec anilibus quidem rationibus, licere inquam corruptum, ac vene-

venenatum ſemen confricationibus, & aliis auxiliis expellere. & quod magis eſt, inquit, nec curandum ſi obiter, & pręter intentionem ſequatur iugiter ſeminis optimi emiſſio: quia auxilia illa per ſe potius intendunt venenoſum ſemen elidere, per accidens autem, & præter ſcopum ſequitur altera optimi ſeminis profuſio. ad hócque mouemur ex re neceſſaria ad ſalutem, ſeu ad vitam potius hominis. Eſt & altera ratio, licet medicaměris naturæ occurrere, vt prauas, ac noxias materies depellat, etſi per accidens inde ſequatur pollutio. ergo cum ſemen ſit huiuſmodi, licebit & naturá ad expulſionis munus adiuuare. Tertiò confirmátur, quia licet cuique verenda refricare ad ſedandum pruritum: licet itidem & chirurgis eadem verenda oſtendere, vt morbis medeantur, clauſas etiam aperiāt, licet inde præter intentionem ſequatur pollutio. eóque dant operam rei licitæ & neceſſariæ. cur ergo non erit fas, prauam illam materiem ſeminis corrupti foras detrudere, etſi per accidens ſequatur pollutio? eo vel maximè quod in hoc caſu procul abeſt quoduis conſenſus periculum ac delectamentum: quoniam fœmina in hoc affectu ſenſus, ac mentis impos fit.

Hanc opinionem temerè, ac obſcurè tenent tum Simon Petreius Med. Pariſ. conſil. 2. tum ipſo prius Matthæus de Gradibus. quæ, ceu piaculum, explodenda.

Oppoſitam ſententiā, ſeu tutiorem tenent Theologi plurimi, ac ſanè grauiſſimi quos conſului, antequam ad noſtras manus perueniſſet opus Thomæ Sanches, ac poſtea itidem. omnéſque inquiunt, obiecti ratione ius quidem eſſe, vti ſuprà de fœtu diximus, ita & ſemen foras elidere: quia in vtraque

hypothesi directè intendimus fœminam animam iam agentem, aut mortis periculo expositam, ab eadem vindicare. verū in histerica passione medij ratione, seu illiciti vtendi modi, nefas. cum semen illud, etsi corruptum elidere haud quaquam possimus citra aliquam titillationem, ac veneream quandam delectationem, aut saltem quasi certò exponemus nos huic periculo, ob partium obcœnarum fricationem, & seminis à vesiculis illis abiunctionem; vt viduæ illi Galenus contigisse scribit: vtrumque nefas, & titillationem concitare, & huic periculo se exponere, vt ne probatione quidem indigeat. Illicitum igitur, & indecorum Medico illud imperare. Quare cum concurrat crimen, noxa sanè spiritualis, præferenda hæc cuilibet bono temporali.

Satius igitur erit, ac serius medicamentis purgantibus corpus exonerare, quamuis directè, ac per se nullum detur quod semen attrahat, ac vacuet: rursus & vti aliis auxiliis semen valentibus absumere, quæ in plurima occurrunt copia: deinde & quibusdam alexipharmacis prauam illam qualitatē exoluentibus. denique fortè & pessis acribus, ac mordacibus per vterum iniectis, fœminis tātum iam corruptis, vt dolorifico illo modo attrahatur semen illud prauum. Detestandę itaque fricationes partium pudendarum, quæ directè intendunt titillationem mouere, qua excitatur natura necessariò cum delectatione, vt transmittat semen: nec possibile illud à vasculis illis, in quibus stabulatur per illa sensoria organa demitti, citra sensum aliquem delectationis; immò & ipsamet delectatio excitat naturam ad illius expulsionem, appetentem sedulò generationem. Quamuis autē in gonorrhœa, sæpè nulla adsit delectatio, in fusione illa seminis, hoc ideo, quia

ſemen aquoſum ac tenue ſine ſpiritibus facultas retentrix lāguida, & imbecillis, expultrix nihil præſtans, quaſi reſolutæ, ambæ tamen in altera illa profuſione, fricationibus excitata, cum ſemen, & ſi prauum, craſſum ſit & calidū, vt teſtatur citatis locis Galenus, 2. de ſemine, & 6. de locis aff. facultas expultrix neceſſariò à titillatione commota, nec imbecillis retentrix, proculdubiò, ac neceſſariò quidē aderit delectatio. cui, ſi voluntas ægrotantis aſſentitur, neceſſariò lethale peccatum. quod ſi fœmina, aut propter mentis comprehenſionem aliquam, aut pium in Chriſtum Dominum amorem, non aſſentiatur, tamen exponemus nos huic periculo, & æquè tunc nobis imperantibus lethale. quid quod & ſtatim violento illo motu expulſionis, & ingenti illa delectatione, & titillatione in ſeminis illa excretione quit excitari ſopita mens, & vnà ei aſſentiri. Verum & quod mens ſopita in illa affectione, fricationibus excitetur, declarat palam eadem viduæ hiſtoria: hæc etenim (vt ſuprà eiſdem Galeni verbis ſeriò expreſſimus) ob longam moram retenti ſeminis, cum vidua etiam ex longo iam tempore eſſet, inter cætera mala, quæ proculdubiò multa, ac ferina, etiam neruorum diſtentione vexabatur; in quo affectu nō ſolum nerui, verum & eorum principium cerebrum lancinantur, & vnà animales facultates ſympathicè ab vtero, eleuatis nimirū plurimis & acribus vaporibus ab ipſo ſemine retento, iam corrupto; vti declarant craſſities, & multitudo excreti mox ſeminis: & tamen huic, etiam ſi mente fuiſſet comprehenſa, dum inter curandum partes muliebres manibus tractarentur, ſtatim oborta titillatione, voluptate quadam venerea, ſemen excreuit. quia miſta actio ex animali, & naturali vi-

Quare igitur nos exponemus huic ferè certo periculo? Nulla itaque ratione ius semen, etsi corruptū, elidere: non huius respectu, verum modi: qui per se respectat rem illicitam, titillationē, & voluptariam veneris alterationem, propter quam, vt idem fatetur Sanches eodem tom. 3. lib. 9. disp. 17. num. 16. natura in omni euentu ipsius seminis effusionis administrationem denegauit, non obstante indiuidui vitæ periculo. ea enim in aliquo casu concessa euidentissimum subiret periculum, vt homo passione libidinis obcęcatus passim sibi persuaderet caussam effundendi iustam adesse, atque ita semen eliderct: indéque fornicationes, adulteria, &c. aduersus commune bonum pullularent præferendum sanè priuato: secus in administratione cęterorum membrorum: in qua, cum ex ipsorum amputatione dolor maximus consurgat, hinc coërcebit homo à necessaria, ne à prodiga dicam ipsorum administratione. Delectatio itaque, qualis itidem necessariò occurrit in effusione corrupti seminis, parta à fricationibus partium pudendarum, obstat quidem, quin concedatur huiusmodi, nisi intra carceres sacri matrimonij, quod concessum ad commune bonum, & ad occurrendum periculis ex ea administratione concessa orientibus.

His positis, prioris opinionis rationibus satisfaciemus facilè; & primæ, dicendo, quamuis sopita sit vis animalis, excitatur haud dubiè fricationibus illis, & delectatio necessariò excitatur, vt insinuat apertè Galeni historia, aut sáltem nos exponimus huic periculo. quod vtrumque rem facit illicitam.

Reliquis tribus Sanches rationibus sic censeo respon-

respondendum, & primæ, quod fricatio per se intendit veneream delectationem excitare, & hoc nefas, & per accidens pollutionem, seu illius corrupti seminis expulsionem, cuius ratione fortè fas esset, si non intercederet illa delectatio necessariò.

Secundæ, concedimus licere medicamentis semẽ corruptum extrahere, si forsan dentur per se istud præstantia, haudquaquam fricationibus partium obscœnarum, quia per se delectationem parant, res quidem illicita.

Tertiæ, negamus consequentiam, quia si licet ob pruritum refricare pudenda, etsi per accidẽs sequatur pollutio, hoc ideo, quia refricatio illa per se nõ intendit veneream excitare delectationem, mox & pullutionẽ, verum primò ac per se satisfacere molesto illi sensui pruritus, quod est dare operam rei licitæ. Verum cum fricationibus intendimus expellere corruptum semen, & hoc nequeat consequi, nisi primò & per se per veneream delectationem, opus sanè illicitum, per consequens & propter hunc illicitum modum nefas hoc semen elidere. idem dicendum de reliquis chirurgicis operibus, quibus contingit per accidens delectatio, & pollutio. Nec valet quod ægrota mentis & sensus sit impos, quia fricationibus illis, excitata titillatione, excitatur pariter & mens & sensus.

De quantitate venæ sectionis in vtero gerentibus.

CAP. XVIII.

LOngè à scopo sumus digressi: *παρέκβασις* tamen elegans, ac vtilis, ne dicam necessaria solum.

Ad pensum itaque redacti, & vnà iam auxilij qualitate supposita, ad grauidarum morbos sanandos iugiter vtilissima, eadem vltrò nos aduocat methodus alterum replicemus medendi-scopum, eiusdem videlicet auxilij , seu sanguinis missionis quantitatem. Scopus quidem inter reliquos in hac nostra hypothesi & fortè præstantior , aut omni saltem obseruatione dignus. Namque nisi auxiliũ illud ad vnguem sub æquilibrio, seu iusta ac debita quantitate collocemus, tantum abest fœtis auxilio esse, quod has potius ac fœtus vnà , in summum perducat discrimen. Quod igitur sapientes illos veteres remorabatur, dum grauidarum sectiones auersabantur , abortus inquam , id ipsum ius ob oculos nobis semper proponere, ac seriò obseruare, ne iustam mensuram excedentes in idem incidamus barathrum. Seruandi fœtus munus, in symmetra quamprimum consistit, ac commoderata sanguinis proportione, tam respectu matris cótinentis, quàm contenti fœtus. Arescente nãq; dulci hoc nectare, persentientéque pariter fœtu eiusdem indigétiã, flaccescat statim necesse & mox abscedat.

Ad quantitatem itaque huius auxilij deliberandam in nostra hypothesi , iidem illi contemplandi veniunt scopi, qui in qualitate eiusdem remedij decernenda, assidunt potissimum. hi igitur sunt, tum morbi magnitudo , sub qua eiusdem causam iugiter complectimur, tum robur virium, tam ægrotantis fœtæ , quàm fœti. hos consequitur scopos, ex Galeno lib. de cur. rat. per venæ sect. ca. 9. ceu concordia vel discordia coindicãtia, & sanguinis plenitudo , & aëris temperies tum tẽporis, ac loci, ætas itidem &c. Verum vtero gerentibus quãuis cũcta hæc æstimãda cócurrãt quã maximè tamẽ

obſeruanda moles,ſeu ſanguinis copia,ad fœtę robur ſeruandum neceſſaria,vt cuncta morbi tempora percurrere valeat,tũ ad fœtus alitionẽ, tũ robur eiuſdem ſuſtinendum.vnde grauidæ haudquaquã detrahemus quantum morbus,eiúsve cauſa poſtulauerit,verum cum adſit prohibens copioſam,quantum patietur fœtus. Et cum in hac hypotheſi duplex,& oppoſitus adſit ſcopus, & morbi ablatio,& fœtus ſeruatio:& vtrique præſtantes,alter ob vrgẽtiam,alter ob dignitatem vtriſque pariter aliquid condonandum,iuxta eiuſdem auxilij vſum. quare quantũ morbus poſtulat,tantũ cõceptio prohibet. Mediũ igitur inter vtrumque optandum:vt minus quàm poſtulauerit morbus detrahamus, & grauiditas prohibens,ne in totũ venæ ſectionis tollat vſum,cum cautos potius nos reddat.Minuemus itaque plenitudinem,& quantum morbus poſtulauerit & ſuſtinuerit conceptio.eadẽ autẽ ſeruanda methodus in hac hypotheſi,quã ſupra obſeruari licere ex Gal.docuimus in tollenda quãtitate,morbo pręſente acuto & adſtante vnà menſium typica periodo.nam vti in illa docemur, haudquaquam illam quam morbus poſtulauerit vacuationis quantitatẽ moliendam eſſe,ſed ſimul conſulamus quantitatẽ in menſurnò inſtanti,vel pręſenti fluxu à natura vacuaturam, vt nihil,morbo ſatisfaciendo, de eo detrahamus,quod ab eadem natura per alteras typicas vacuationes erat ſolita vacuare: ſimili ratione in grauidarum etiam morbis, nec omne illud tollendum, quod poſtulauerit morbus,cum potius conſulendus fœtus,vt nihil)ſatisfaciẽdo pariter in totũ morbo)de ea auferatur quãtitate, quæ ad eius alitionem neceſſariò requiritur.

Quid quod & multò maius contingit periculum ex huius methodi incuria ipsis grauidis, quàm sequatur in menſurnis fluxibus, cum in his neglecta methodo actio quædam naturæ lędatur, quamuis toto genere ſecundum naturam, læſio tamen emendabilis, haudquaquam funeſta: in grauidis verò, cum nectareum pabulum fœtui deficiat, & tabeſcet ipſe, ac corrumpetur, idque ſimul maximo cum matris vitæ periculo. Cautè igitur, ac religiosè iſtud præſtandũ, ne in hãc difficilẽ charybdim irretiti incidamus; vti perbellè diuinus Dictator in eiſdem fœtis de pharmacia conſulerat tum li. 4. ſen. 1. tum 5. Aphoriſmorum ſen. 29.

Hunc ſcopum grauiditatis nullibi aut æſtimatum, aut deſcriptum reperies apud celebres illos Medicinæ Antiſtites, Hippocratem, aut Galenum in quantitate venæ ſectionis æſtimanda. Nec mirandum: quia ſi ideam huius auxilij in grauidarum morbis illi non admittunt, fruſtrà eiuſdem quantitatem deſcriberent. Verum nos cum ratione, experientia pariter comite libenter illud admittamus, & eiuſdem quantitatem nihilominus ſub methodo deſcribere par erat. & eo præſertim, cum potior huius auxilij vſus pars, conſiſtat in exacta quantitatis ſanguinis detractione. Prudenter itaque Medici ſe gerant oportet, cuncta conſulendo, quæ acri ingenio, & matura ſolertia fuerint ſpeculati, ad abſolutam quantitatem huius auxilij deliberandam, conferentis quàm maximè ad morborum acutorum in fœtis curationem.

Reliqua explorabit lector libro ſuperiori ca. 32. & 33. quo loco abundè de hoc quantitatis ſcopo nos diſputauimus, ne modò obſtrepere Lectori videamur

mur crebrioribus istis disputationibus,hac sola adnotatiuncula contenti.

De vtendi modo scißionis venæ in sanandis morbis fœtarum acutis.

CAP. XIX.

SVperest alterum rursus lustrare scopum.Hic artificem perficit maximè,amplius verò perficiet, si eumethodo auxilio venæ sectionis vtatur,in grauidarum morbis sanãdis:in qua graues degent, nec tritæ sanè difficultates. Quærimus igitur modò (quæ huius capitis ratio est)an methodus à Galeno accuratè tradita,tum lib.13.meth.cap.11.& libro de cur. rat. per ven. sect. capite 16. & 18. tum itidem lib.4.de tuend. valet.ca.10.de venæ secandæ vtendi modo in morbis magnis,in grauidarum morbis pariter locum habeat:an grauiditas potius eandem inuertat,aut frangat, aut peculiarem alteram statuat. Porrò cum methodus illa nos doceat locum patiẽtem strenuè respiciendum,vt ab ipso reuellamus,& vacuemus,quod vtrumque venæ coniuges præstãt, patientes verò loci,cum aut superni sint,aut inferni (mediũ nos cum Galeno statuentes li.de cur.rat.per venæ sect. capite 18. ipsos renes, quia vt apprimè Archytectorum coryphæus Vitruuius libro tertio suæ archit. capite primo mathematica demonstrat historia, vmbilicus, sub quo siti renes, centrum est humani corporis:) inquirendum est, an liceat, iuxta hanc methodum, etiam in fœtis, & infernas, & supernas tundere venas.Quæ cum bimẽbris sit quæstio, etiam disputationem bimembrem cõstituemus.in altera explorabimus,an in fœtis fas,

morbo supra renes existente quamcunq; cubiti secare venam: in altera rursus, an ius, morbo infra renes sito inferiores scindere potius. Verum vt à priori inchoemus, habito in sequēti capite de altera sermone, duo de ipsa opiniones se offerunt. altera eorū qui existimant nullatenus, etiam postulante morbo secandam esse cubiti venam internam, licere autem reliquas. hāc obnixè inter reliquos tuetur tum Horatius Augenius li. 6. de sang. miss. c. 3. tum Hispanus noster Ludouicus Mercatus li. 3. de morb. mul. c. 22. cuius hîc subscribam verba, *Verum in omnibus sanguinis detractionibus, quæ grauidis profuturæ sunt, eā venam eligere conuenit, quæ maximè ab vteri venis dissideat, ita vt quamminimam cum eis communionem habeat, qualis est vena humeraria, vel vrgenti malo, communis: à reliquis verò abstinendum, quippe quæ facilè alimentum adimunt.* Augenius præterea eandem confirmat his verbis sententiam, *Illæ potissimum venæ sunt eligendæ, quæ cum vtero minorem habuerint consensum. Interiorem hac de causa maximè suspectam habeo, quia maxima illius est cum vtero societas: multo minorem habet exterior: communis verò medio quodam modo se habet.* Ex vtriusque verbis hæc elici quit ratio.

Quidquid directò fœtum à suo priuat pabulo, abortum necessariò concitat. Sed internæ venæ cubiti sectio, non solum quatenus vacuas auxilium, verum quatenus directò venas vteri respectat, ex quibus fœtus suum nectareum sugit alimentum, hunc à suo pabulo directè priuat. Ergo & hæc sectio abortum proculdubiò excitat.

Si itaque abortum, res omnino à Medicis bene curantibus cauenda: ergo methodus, quæ hunc doçet

cet vtendi venæ sectionis modum, coniugium videlicet spectando venarum cum parte affecta, haudquaquam locum habet in grauidarum morbis: imò vti perniciosa aufugienda.

Cæterum hæc opinio elumbis, tum leuiusculum argumentum. opposita verò Hippocraticis adligatur vinclis. Sit igitur prima ratio, Morbus indicat remedium, eius caussa etiam & eiusdem remedij quantitatem, pars affecta vtendi modum (loquor modò de morbis ab humoribus trahentibus originem.) Sed horum omnium indicantium vis tanta, quod nulla res intersit valens perturbare methodum, aut seriem inuertere: benè quidem aut prohibere, aut in aliud tempus differre. Ergo qua vi morbus auxilium indicat, & eius simul caussa quantitatem, locus itidem affectus vsum indicabit remedij.

Propositio luce meridiana nitet. Assumptio probatur, quia coindicantia, aut concordia, aut discordia: concordia idem iugiter cum præcipuo indicāte indicant, vti discordia prohibent, quod indicans præcipuum indicat, aut saltem indicatum à præcipuo indicante in aliud potius tempus differunt: nusquam verò inuertunt ordinem, aut methodum coindicantium concordium. Exemplo rem lustremus. Sit pleuritis reuulsionem, & vacuationem indicans; hæc deliberentur per venæ sectionem: sit rursus plenitudo, ruens cum impetu maximo in ipsam pleuram, quæ copiosam itidem reuulsionem, & vacuationē indicat: sit tandem locus inflammatione obsessus latus dextrum, qui secādam esse venā dextri brachij internam pariter indicat, ceu coniugiū habentem cum loco patiente. in hac hypothesi

omnes hucuſque concordes coindicationes. verùm demus alias per ſuppoſitionem diſcordes; adſit inquam languor virium, adſit puerilis ætas, vnà & opera, caniculæ videlicet tempus: hæc, etſi diſcordia, methodum iuxta vſum deliberati nuper auxilij haudquaquam perturbant, verum prohibentia ſunt, vt ne in huius affectus curatione illud conſulatur auxilium. ſin autem concordia hæc cum prioribus fuerint, & tamen menſes apparuerint copioſi, aut aluus abundè fluxerit, hæc non prohibebunt ſimpliciter auxilium, verum in aliud tempus different, quouſque ſcilicet alui, aut vteri vacuatio firmata, tempus ſanè opportunum. nam his acciſis vacuationibus, & affectu iugiter perſeuerante, in vſum reuocabimus quod indicantia illa poſtulauerint. neque aliqua quit ſe offerre occaſio, quæ modum vtendi inuertat, à loco affecto indicata. nam ad abſolutam curationem morborum omnes curatiui ſcopi, tum reliqua congruum remediorum vſum perficientia concurrant eſt neceſſe. cum ad congruum vſum remedij non ſolum qualitatem habere inuentam requiratur, tum eius quantitatem, verum nihil minus & occaſio adſit, & vſus eiuſdem auxilij rectum habeat modum. Hinc irridebat Galenus quoſdam amethodos libro 13. meth. cap. 2. & lib. de cur. rat. per ven. ſect. cap. 1. 15. 16. 17. & 18. à quibus nulla habebatur ratio de locorum affectorum differentia. cum locus affectus doceat vnde, aut quomodo potiùs ſit facienda vacuatio. quale namque erit remedium, ſi dum vacuandum affectum latus ex cubiti interna vena inſinuat, nos ſecando externã, caput potius depleuerimus? ô irridenda ignauia! ô amethodicorũ temeritas! Quare in

hac

hac hypothesi, si discors cóceptionis indicatio adest, approbans hanc auxilij speciem; nec certam respuens quantitatem, haudquaquam vtendi modum inuertere sit credibile; cum hic (supposito auxilio) tantum ex loco dependeat affecto. Et hinc fortè cum Hippocrate Galenus istud auxilium simpliciter renuit, ceu indicans discors ipsa conceptio; non inuertens sanè vsum methodi, verum simpliciter prohibens illud auxilium: quod tollerabilius, quia intra methodi carceres.

Altera ratio, si conceptio modum vtendi venæ sectionis inuerteret, maior sequeretur noxa ex istius auxilij inuersi vsu, quam commodum aliquod. Detestanda igitur huiusmodi methodus.

Antecedens probatur, quia venæ sectio cum vacuatio sit sanguinis, viuifici nectaris, & totius vitæ thesauri, vires quidem prosternit. hinc ad huius auxilij congruum vsum robur virium requiritur, scopus necessariò assistens. Rursus cum totum corpus in se inuicem compatibile, iuxta illud Hippoc. lib. de alimento, cum conspiratio vna, & confluxio vna, fœtus pariter, ceu vteri pars defectum sanguinis facilè quidem persentiet, ac compatietur. euidens igitur calamitas, vtilitas nulla. cum acutus morbus celer aduocet auxilium, quod & celeriter efficiat respectu artificis, & celeriter iugiter à parte affecta contentum vacuet humorem, tum fluentem reuellat: neque moras ille sustinet, aut inducias citra discrimen fert. Quare cum vtilitas adsit nulla, ex ipsa amethoda vacuatione, certa verò noxa, nec minima; respuenda omnino illorum opinio.

Tertiò, Morbi acuti qui partẽ adhuc fientem ha-

bent, etiam & per hanc celerem indicant reuulsionem: sed hæc non comparatur tantum coniugio vasorum, cum aliqua oppositione, verum & naturæ requirit quandam rectitudinem, χρηίζειν Hippocrates vocat, seu naturæ, & habitudinis corporis æqualitatem quandam: quam reuulsoriam methodum commendat exactè Galenus, ac docet libro 4. de tuenda valet. cap. 10. Has cunctas conditiones amethoda illa reuulsio longè respuit. futilis igitur, ac perniciosa potius per ipsam curatio.

Verum si insurgant. Illud quod præstare cephalica nequit, cubiti vena media exigit perfectè quidem: cum omnes prædictas absolutæ reuulsionis obseruet conditiones. Sed hæc directè, sicuti interna ab vtero sanguinem non abstrahit. Ergo huius tutior vsus, quàm internæ.

Elumbis obiectio, & risum meretur. nam si exactè reuellit ac interna, similiter & æquè cauenda. Exactè autem reuellit per eam partem, qua cum vena interna communicat, ex qua sanguinem haurit ipsa. nam per eam partem, qua externam participat, cum caput depleat, nullius momenti erit reuulsio ad morbos sanandos partes infra collum obsidentes: quin potius citra vtilitatem aliquam sanguinem è corpore exhauriet. Porrò si fortè accidat, maior sanguinis trahatur copia ab ipsa externa vena, etiam & tunc nullius commodi ad morbi ablationem, cum nihil, aut quàm minimum sanè à parte reuellat affecta, aut vacuet. quod si rursus impetus contra concitetur, consequutione ad id quod vacuatur, ab ipsa vena interna tantum sanguinem hauriens, anilis prorsus præcautio, perperam sedulitas. cum idem quod per se sectio inter-

næ

næ venæ præstasset, potis est efficere. Damnanda igitur & eo, quia huius tanti auxilij euentus infidæ committitur fortunæ. Denique si ab vtroque tubo æquè exhauriat sanguinem, quod contingens quidem, æquè pariter ab vtero retrahet, quamuis parcius, idque, morbi respectu, cum minima vtilitate, cum parcè, ac tardè simul à loco reuellat affecto. quid quod & per eam partem qua contingenter operatur, auxilium fiet viro Medico indignum: cùm morbo existente acuto, & per consequens vitæ includente periculo, ancipiti, ac ambiguo vtatur ille auxilio. quod phlegmonum exemplo lib. 2. de rat. vict. sen. 10. illustrat Galenus dicens, *Nos verò partem eã, quæ à phlegmoni obsidetur, tum celeriter, tum quam cæteras partes magis, in acutis præsertim morbis vacuare contendimus.* His satisfacere nulla quit ratione sectio externæ venæ; mediæ verò imminutè potius, ac imperfectè, nisi fortè ab ipsa fuerit præter modum vacuatio facta, quam vtero gerens perferre sine dispendio nequit. Quamobrem huius mediæ sectio tantum aduocanda, cum Galeno lib. 4. de tuend. valet. cap. 10. quando & per se affectus vtrisque partibus communis sit capiti, ac pectori: aut per accidens, quando collaterales venæ non apparent, vitium sanè formatricis facultatis.

Respuenda igitur venæ mediæ incisio, & complectenda altera, quæ directè affectum respicit locum, valens quam citò morbum exoluere, fœtúque vnà cum matre à mortis discrimine sedulò liberare: dummodò tamen alter quantitatis scopus æstimetur, vt ne tollatur quidẽ illa sãguinis portio, quę fœtui, ac fœtę est ex vsu. qui autẽ fœtũ contẽplatur,

etiam neglecta matre, ingrauescente tunc morbo & ipsa succumbet, & fœtus vnà cum illa supremum conficiet diem.

Augenij tandem, & Mercati verba, tum rationem ab eisdem petitam, hoc vno flatu dissipabimus, negando, & postulante morbo venam coniugem cum loco affecto, in grauidis istud non esse præstandum & venam cubiti internam per se facere abortum: quod est argumenti assumptio, & cardo illorum opinionis, quia inter hanc partem sectam & vterum maxima interiacet distantia, cum vterus non solum sit infra hepar, verùm & infra renes, tum à vena caua infra renes producta tubos respiciat: vnde copiosa valdè requiritur sanguinis missio ad hoc vt vasa vteri inaniri queant, quod grauiditas respuit. quare ob hanc distantiam nequit abigi partus, nisi vltrà modum efficiatur vacuatio. consulendus itaque potius quantitatis scopus, ne nimia detractione suo pabulo fœtus destituatur, aut maxima concitatione ex illa ingenti oborta vacuatione abortus succrescat periculum. haudquaquam vtendi modi inuertenda methodus, quæ ad absolutam & perfectam morborum præsertim acutorum curationem maximi momenti est. qua haud dubiè Diuinus Dictator permotus lib. 2. de rat. vict. sé. 11. in plueritide ad hypochondria vergente, purgare potius, quam cubitorum tũdere venas, iussit; quia ob loci inflammatione obsessi distantiam, cubitorum sectiones commodè reuellere, ac vacuari non posse arbitratur: hinc ad vicinius auxilium properandum censet, purgationem inquam, ceu valentius, ac opportunius, quia vicinius partis affectæ respectu. quare cum vterus adhuc inferior multo sit, ergo & mul-

to minus ab illo cubitorum ſectiones ſanguinem hauriet. Docet itaque Hippocrates hac ſententia ad morborũ curationẽ quanti momenti ſit methodus vtendi modi, ad cuius vſum perfectum, pręter vaſorum coniugiũ, etiã vicinitas requiritur vtriuſq; partis, & ſectæ, & paſſæ, veluti itidem declarat appoſitè Galenus lib. 2. de nat. hum. ſen. 9. cum reuellendũ à longinqua parte tempore ſanitatis cenſeat, ex propinqua verò pręſente morbo. Neque nunc moror an amplectenda Hippocratis illa opinio, cum nihil in re ſit mea: fateor tamen propter auxilij præſtantiam, & tutiorem eiuſdem vſum, etiam in hac pleuritide ad hypochondria vergente, cum Galeno, me ſemper potius ſecare venas.

Addit colophonem, huius methodi apud omnes aſſiduus vſus; cum & nos millies quidem, vnà cum clariſſimis Valentinis, ac Catolanis doctoribus internas cubiti venas ſecuiſſe viderimus, etiã ſub diuerſis fœtationis temporibus, & quod magis eſt non ſolum acutis exiſtentibus morbis, verum & chronicis, maxima cum fœtarũ vtilitate, ac fœtuũ. Trepidauerũt itaque doctores illi timore, vbi non erat timor. Ne igitur pertimeſcenda hæc ſectio, dummodo ſanguinis adſit copia, fœtus nutritioni ſufficiens, & materici auxilij: quia tunc tantum abeſt abortus fiat cauſſa, quod citiſſimum potius ſit morbis auxilium. cuius nos audaces facti, pronœa ſemper præmiſſa, aſſiduò fœtum, ac fœtam à maxima morborum clade haud dubiè liberabimus.

An in vtero gerentibus poſtulante morbo acuto venæ inferiores ſecandæ.

Cap. XX.

MAgnum onus,dicebat Eloquentiæ Parens,1. de nat.Deor. de rebus magnis in hominum conuentu magno,etiam omnibus silentibus, quidpiam vnum profiteri. Quare cum mihi vni,cunctis nihilominus silentibus, dicendi fuerit modò arrepta occasio, in hac orbis exhedra, in qua principes Medici conueniunt,de re sermocinari magna,quid magna?imò fortè cęteris maiori&grauiori in Medicinę actuosâ parte.magnũ igitur mihi onus:profiteri inquã methodũ vtendi modi sectionis venarum inferiorũ,vrgentibus morbis fœtarum acutis.Res,si dignotionem spectemus, ne ardua: verum si vsum, & ardua,& obscura,& difficilis. Si itaque consulamus morbum,aut vteri phlegmonem, aut eiusdem erysipelatẽ,aut synocham,putredinis latem in vteri venis habentem, liquet ex vi methodi, vt sequenti libro cum Galeno copiosè demonstrabimus tundendas inferiores venas: verum si fœtum respexerimus, pari passu hunc,illud auxilium respuere contemplabimur.rursus si affectusvrgentiam,breui fœtæ,ac fœtui interitum minitantem,quàm citò prædicto illo auxilio opitulari accingemur.quod, cum quasi certò partum abigat, hinc vtrunque in perniciem ducit. quare non auxilium, sed tunc execranda calamitas.Sectiones namque infernæ,ex Galeno passim, mensium præstant concitationes, ab vtero mox directè ac proximè &reuellunt,& vacuãt:quibus commodis quãtum subleuatur natura, & morbus exoluitur,tantum&abortus succrescit discrimẽ, &nauis vna cum mercibus vrget naufragium,quod & Christiano,& ciuili viro (nisi ea arte,qua nuper diximus)nefas.Quamobrẽ si magni dictatoris vsquã

vrget

vrget eloquium, lib. de mulieb. nat. num. 1. dicens, *Qui rectè tractare vult mulierum morbos, ex diis quamprimum ordini oportere.* in hac præsertim hypothesi tempestiua se offert occasio, & ob rei præstantiam, & quæstionis pariter grauitatem.

In hac igitur offusa caligine, quæ diutissimè grauissimorum virorum exercet ingenia lux sedulò imploranda diuina, seriò luminum Patri, Iacob: epist. c. 1. occurrẽdum, à quo omne datum optimum, & donum perfectum descendit, & diriguntur pedes nostri in viam pacis, Luc. cap. 1. Si itaque in cunctis morbis summo illo perfugio, & salutis præsidio procedendum obuiam: secus verò facientes acriter à diuinis corripiuntur oraculis, 2. paraly. ca. 16. quãto ocyus, efficacius, atque humilius in vrgentissimis, istud beneficentissimi Dei requirendum auxilium? Quod si rursus in cunctis consulit Spiritus Numen, Eccl. 38. prius reconsiliari se Domino, & holocausta ac oblationes simul offerre, quanto magis in quibus Natura quasi victa iacet, auxilia facta, fœmina expes? Quamuis hæc exemplorum commemoratione non egeant, tamẽ cum homines magis ducãtur exẽplis, quã verbis, & in hac sacra sciẽtia in oculis locupletissimi sint testes, Lact. lib. inst. 4. c. 23. hui⁹ diuini cõsilij strenui imitatores, inuictissimi inquã illi martyres, & heroës pariter illustrissimi, qui & inter cæteros sanctos in cœlis sempiterna coruscant gloria, & eorum splendore vniuersa hæc nostra cõdecoratur sciẽtia, Lucas videlicet Euangelista, Pauli diuini comes indiuiduus, Cosmas, & Damianus, Eusebius summus Pontifex, Panthaleon, Antiochus, Alexander, Vrsicinus, Aemilianus, Cyriacus, Leontius, Carpophorus, Cyrus, & Ioannes, Isidorus Pontifex Hispalensis,

Ægydius Abbas, Ioannes Damaſcenus, Philippus ſeruorum B. Mariæ Patriarcha, & alij tandem in multitudine copioſa, quorum omnium infinita corona, & ineffabilis cœtus. Hi igitur Patres noſtri, paritérque viri ſanctiſſimi in lethalium morborum curationibus, dum Ars iam deficeret, & humanum laboraret ingenium, dum Natura itidem efficacibus deſtitueretur auxiliis, ad eiuſdem Naturæ piiſſimũ Auctorem, piæ precationis pondere, vna cum gratiarum actione toto ſe conferebant corde, à quo tanquam omnium bonorum largitore, cum & illi Archiatro diuino eſſent chariſſimi, gratiam hanc conſequebantur curationum: iuxta illud Vatis Regij eloquium Pſal. 33. *Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.* Nos itaque tanti gregis ouiculæ, tales, támque inſignes imitemur parentes, horum iugiter clariſſimorum Paſtorum inſequamur veſtigia, vt cuncta hac diuina ſerie conſequamur fauſta, fœlicia.

Verum, & cum ab ipſo Deo ſit data ceu neceſſaria hominum generi ipſa Medicina, quæ, vt eadem teſtantur ſacra Oracula, Eccl. 38. morbos ſanaret, hæc iugiter quærenda, amplectenda, altero haud quaquam neglecto medio. Neque enim ita fidendum induſtriæ, promerendum arte, vt ſacram ac diuinam reſpuamus opem; neque rurſus ita ab ipſa pendendum, vt noſtrum prætermittamus officium, artem non aduocemus. Neque fas oblita arte, neglectáque Natura quamprimum nos à Deo miracula imploremus: vti neque fas Chriſtiano viro cantionibus, veneficiis, ſuſurrationibus enſalmiſtarum (vt loquar) ac dæmonum tandem artificiis valetudinem

nem

procurare. Quare scientiam hanc, diuinæ sanè originis, hominibus ob necessitatem elargitam amplectamur, veneremur, & difficultatem modò suppositam, intra eius extensos expositam carceres, ne intactam relinquamus, verum quantum ars ipsa patietur lustremus methodo, qua ducti fortè nos eiusdem optatum attingemus portum. Neque methodus in hac hypothesi coacta, aut irregularis, imò artificiosa, cum & vt decet operetur, & quantum artis docent præcepta. Id namque ceu stata regula commune Medico, vt cuncta pronœa, ac prudentia dirigat, seruet, gubernet. ad quam illud spectat, si non possis quod vis, velis saltem quod possis. Rem igitur sic habeto.

In morbis magnis infrà renes consistentibus, ex vi methodi, cùm citam illi postulent vacuationem: directò valentem à partis affectę vasis reuellere, & vacuare, coniuges requiruntur venæ: cum aliqua distantia, saltem mediocri, oppositione, & κατὰ ἴξιν. Hæ solum venæ sunt crurum, ac pedum. Ergo ex vi methodi, necessariò in illis morbis ipsæ tundendæ, cum omnia illa ipsæ solum adimpleant: etiam testante Galeno libro pręsertim 13. methodi. ca. 11.

Hanc infringere methodum nequit quidpiam. nã quamuis in vniuersali methodo possit adesse impediens qualitatem remedij, aut quod augeat, aut minuat eiusdem quantitatem, aut quod occasionem differat: tamen supposita qualitate remedij, coniecta vnà quantitate, & occasione pariter inuenta, hoc quod vltimum est in opere haudquaquam inuerti potest: cum & istud petatur necessariò ex natura, situ, & figura affecti loci, quid quod & ad inuentionem auxilij, etiam ex Galeno libr. 2. de comp. se-

cund.loc.cap. 1. multum facit & affecti loci indicatio, præter eam quæ præcipuè ab affectus natura desumitur. Hinc consurgit quanti momenti sit in executione cuiusque auxilij & naturam, & situm, & figuram affecti loci, tum huius indicationis vim obseruare.

Quamobrem fœtationis indicatio, quæ ceu res secundùm naturam sui conseruationem indicat, nulla ratione valens est, si remedij speciem non prohibet, aut occasionem non tollit, nec respuit aliquam saltem mediocrem quãtitatem, modum vtendi perturbare, & eius conuellere methodum. Ponamus itaque vterum à phlegmoni obsessum, etiam existente fœmina grauida. Si morbus iste venæ sectionem admittit, ab eius natura indicatam, seu ex vi methodi potius deliberatam, occasio simul adest remedij, ex præsentia postulantis morbi, & impedientis absentia, languoris videlicet virium, si adest rursus sanguinis illa quantitas, quæ matri, ac fœtui sufficiat, tum ad remedij materiem, quis quæso sanæ mentis compos, neglecto morbo, respectans solùm conceptionem, ne sanguinis quidem missionem indicans, venas cubiti scindet externas? aut quis mox fœtum contemplans talem negligentem sectionem, morbum vnà negliget, funestam minantem vtriusq; perniciem? Non igitur conceptio, methodum, vsum venæ sectionis docentem, perturbat, aut mutat. Verum restat modò an prohibeat explorare.

Si conceptio venæ sectionem ex partibus infernis prohiberet, hoc ideo quia directè abortiuum auxilium. huiusmodi autem non est. ergo.

Assumptio probatur. omnis venæ sectio contin-

gentet

genter est abortiua, vt supra diffusè docuimus. aborriuntur enim fœminæ, non quia detrahitur sanguis ex vasis, quod directè ac per se intendit sectio, verum quia tollitur fœtui alimentum; quod indirectum sectioni. tollitur autem fœtui alimentum, quando aut copiosa nimis vacuatio fit aut minima rursus in fœta existente copia etiam ad vtriusque alitionem necessaria, aliqua effatu digna demittitur adhuc sanguinis portio.

Quare venæ sectio directè abortiuum non est auxilium, immò contingens: intercedente tamen hoc discrimine, quod cubiti externa minus, interna magis, media medium pariter teneat locum inter contingenter operantia. inferiorum autem scissiones venarum minus adhuc contingenter abortum operantur. Verum in re quasi desperata & ex spe, periculis vndequaque plena fidenter audendum aliquid. Si igitur contingenter omnis venæ sectio agit; ergo simpliciter non respuenda, cum & agere, & non agere valeat, & accuratissimum morbo auxilium sit. Quod autem hæc contingenter agat & ratione, & assiduo experimento demonstrare liquet.

Potest immodica aliqua, tum fœtui inutilis sanguinis copia in vteri vasis reperiri: sed huius inutilis ac immodicæ redundantiæ ablatio, fœtui non inducit defectum, ad hoc vt minus nutriatur, altera & præstans quidem abortus causa. Ergo tutò fortè licebit illud immodicum, tum inutile vacuare.

Prima propositio vera quidem, vt nuper diximus supra, ex vtroque Parente li.5. Aph. sen.53. dum

causam assignarent tumescentiæ, ac duritiei mammarum, retrudente vtero inutilem, ac redundãtem materiẽ (quia Galenus ibidẽ vtitur verbo τὸ περιττόν Id est, quod superfluit) ad illas partes, vti aliquando ad oculos, coxas &c. Prȩterea cum ex hypothesi inflammationem systrophicam admittamus, admittenda vnà in maximis, tam minimis partis inflammatione obsessæ vasis aut plenitudo, aut maxima redundantia inutilis humoris ex vicinioribus partibus recurrentis ad ipsum affectum locum, eandem ad se alliciens aut calor, aut sæpe & simul dolor. hinc citato com. Galenus ait, Natura sanguine, & spiritu dolentem ac inflammatam partem replere. concedenda igitur superflua, ac inutilis humoris redundantia in vtero concedenda & in vteri synocho, cum & hic affectus necessariò & eandem supponat. qua concessa liquet assumptio, & eius veritas palam elucet: quia tantum abest, quod illius redundantiæ ablatio abortum faciat, pabulum ad eius alitionem fœtui necessarium, quod potius, imò melius, exonerato ab illa praua, aut superflua copia, vtero, & nutriatur fœtus, ventiletur sanguis, purior seruetur, fœtus vnà eius robore excitato firmius hæreat: vt Galenus affabrè lib. 9. meth, ca. 10. innuit. Quare inferna venæ sectio non solum contingenter operatur, abortus respectu, verum & eidem abortui fit aliquando auxilium.

Obiicit aliquis, si non auferendo fœtui necessarium alimentum inferna venæ sectio partum abigit, concitando saltem sanguinem, & mouendo menses istud præstabit.

Satisfa-

Satisfaciemus dicendo; quid si menses mouerit; nec abortus sequetur necessariò? cum & assiduum commonstret experimentum, plurimas in vtero gerentes per singulos menses, etiam periodicè tributũ hoc reddere, & quibusdam abundè sanè, citra aliquod abortus discrimẽ. imò & hæ, vt plurimum, & tutius ferunt vtero, & facilius, ac lenius se habent in nixu. Si igitur commodè Natura istud præstat, quidni etiam vrgente vsu idem aliquando præstabit eius assecla Medicus? Quid quod nec per se hæc sectio menses mouet, cum tantum ad inferna sanguinem reducat, quo motu, conferentius multò per naturalem meatum molestantem deponit natura sarcinam, & hic huius auxilij scopus apud Galenum. superna autem sectio secus se habet, cum potius ad superna sanguinem retrahat. Per se inferna sectio & reuellit ab vtero, & vacuat, per tubos illos ex vena descendente per crura obortos, & in vteri corpus, ac eius vnà stomachum insertos, quare inutilis hæc ad menses fluentes actu concitandos, vt eos moueamus amplius, vtilis ex Galeno lib. 13. meth. cap. 11. huiusmodi morbos vteri tollendos ob prędictos, quos illa adimplet scopos. Quod si humorum ipsi agitationem, ac commotionem pauent (alteram, ac leuem abortus caussam) sensim hauriendus sanguis, cautè vnà, ac moderatè; audentem tamen in tam difficili, ac laborioso affectu Medicum consulo.

Præposita ratione, licet modò & experimentis idem ostendere quæ cum plurima sint, & ex his testante Aristotele lib. II. de demonst. ca. 1. principia eliciantur, demonstrationum sanè elementa, non minimum hæc ad nostrum comprobandum sco-

pum hauddubiè fidem facient. occurrit quamprimum, vt reliquos taceam, Horatius Augenius hic libro 6. de sanguinis miss. capite 4. plurimas mulieres, simulantes conceptionem, ab aliquibus morbis citra abortum, liberatas fuisse eleganter scribit, tusis quamprimum pedum venis. Nos itidem aliquoties contigisse testamur, tum & nobis, tum & aliis grauissimis in arte Medica viris, vt & nos ab eorum ore accepimus. Decipiuntur namque non rarò Medici, etiam & solertissimi à fornicariis fœminis, quæ cum aut virgines, aut castæ publicè haberi cupiant, Cypriis Propœtidibus in occulto salaciores cum sint, cúmque abyssus inuocet abyssum, ardenti illi lasciuiæ, qua furunt & ipsæ, alia mox sceleratissima cumulant crimina, deteriora simul anhelantes. Cum igitur sibi persuadeant à crurum sectione has proculdubiò abortiri, eandémque in acciso mensurno fluxu Medicos quasi certò imperare, instigante pariter diabolo earum parente, conceptionem vnà callidè simulantes, acclamant ac fingunt se durè lacessiri, ac funestè quasi torqueri ab earum hostili accisione. hinc lacrymis, etiam illud exoptant auxilium, & sibi adiungi concitatissimè postulant. Rursus, cum & his ob mœrorem, quia in vtero habent, aut ipsiusmet fœtationis ratione febris accendatur, vomant, molesta mox aliqua accidant symptomata, nobis iugiter, ob rei incomprehẽsibilitatem, eandem conceptionem semper celantes, ignota itidem earum impudentia, ac versutia, eas dicentes, proh dolor! facillimo negotio credimus: quarum natura fallax, mos fallere, & quod magis est aduersus eas nec humana valet ratio, quod hereditario quodam iure etiam à Protoplasta

plasta accepere, vti & hæc à callido serpente; hinc ab illarum maledictis decipimur, à mollitie vincimur, & incautè inferiores venas secamus. Verum permittente clementissimo, ac iustissimo Deo, ne insons pereat fœtus, impunitæve remaneant scelera tæ matres, maximo cum earum cordis dolore, & mentis agone, nec quod impiè sperabant, consequuntur. Attendant igitur amabò Doctores Medici mulierum exitia, versutias, & diabolicas fraudes, *Ne fidem habeant*, vt dicitur in prouerbium, apud Diogenianum, *etiam nec emorienti fœmina*. Optimas, & castas à sermone excludo semper, quarum cœtus maximus, chorus insignis. Cautè itaque Medici, ac religiosè, illarum semper seruato pudore, nullatenúsque artis decore neglecto cuncta operentur, administrent.

Quare & manifestò hinc patet, infernas sectiones contingenter se habere, & citra abortum easdem opportunè aliquoties exerceri. quid quod, cum in ferè deploratis, aut in illis saltem morbis, in quibus ob sui grauitatem mors quasi expectatur, prudentius, ac viro Christiano sit dignius, maturo cum consilio (cum plurima assiduè fiant Naturæ quasi miracula, & præter spem quasi ab orco reuocentur plurimi) aliquid experiri, quàm infœliciter ægrotantem fortunæ, aut atropo inexorabili temerè committere: periculi semper in omnibus, præmisso prudenti prognostico. Hoc seriò consulit doctissimus noster Galenus libro decimo Metaphys. capite decimo, tum idem & eruditus Manardus lib. 6. Epistol. epist. 2. dum sub quadam metaphora dicat, *Satius est naufrago amico,*

vel tabellam porrigere, si manum non valemus, dummodo in portum amicus deueniat. Hinc illud auxiliũ venæ sectionis in nostra hypothesi consulendum censeo, ceu vltimam huius naufragij tabulam. qua, si non vtrumque, matrem saltem à naufragio liberabimus. nec minimum sanè, nauem in portum deducere, etsi mercibus submersis. Quare cum istud auxilium, vltimam quasi naufragij tabellam signemus, hinc nullus eiusdem vsus, nisi extremo, & vrgente morbo, cui etiam, ex diuino dictatore libr. 1. Apho. sen. 6. extremum pariter debetur auxilium. Præcedant igitur leuiora auxilia oportet, & hæc ex vi methodi per suas indicationes industriè deliberata: vtatur deinceps Medicus victu alterante ac tenui, medicamentis rursus alterantibus, tam assumptis, quàm appositis, adhuc & leuissimo aliquo cathartico: ingrauescente autem, ac ferè extremo morbo, consentientibus vnà viribus, nec non sanguinis redundante copia matrem ac fœtum iugiter sustinere valente, tunc perbellè de hoc auxilio venæ sectionis quimus deliberare. Nec fas expectare, quod deploratus sit morbus, & expes fœmina, (ne infamentur artis remedia, quæ aliis fuere ex vsu) quid quod nec tunc curatio, sed sola præuisio exercenda.

De tutiori tempore mittendi sanguinem in fœtis.

CAP. XXI.

OMnia tempus habent, & tempore data, testante Nasone libr. 1. de remed. amor. Medicina

valet: vſus, vt cecinit Virgilius in Eleg. de mœcobitu tempora diſpenſat: quibus conſocietatis acquiritur Ars. quare explorandum in fœtis tempus, & rimandus vſus venæ ſectionis, vti namque, iuxta illud Hippocratis oraculum lib. 4. Aph. ſen. 1. opportunum tempus ad catharticorum vſum interuallum à quarto ad ſeptimum vſque, propter rationes ſeriò à Galeno in commentario aſſignatas, ita cenſendum, nec deeſſe tempus opportunum, & tutiorem vſum ad venæ ſectionem. quæ ne exponunt quidem illa Medicinæ luminaria, cum huius auxilij omnino reſpuant qualitatem in grauidis, interdicant. quamuis adumbrata quadam ſubfiguratione dictator ſummus illud innuat, lib. Aph. 5. ſen. 31. dicens, *venæ ſectionem abortum facere, eóque magis, quo grandior fuerit fœtus*. quaſi apertè inſinuet, quo grandiore fœtu, tanto ancipiti auxilio. difficilè grandiorem hunc ſtatum venari; an tantum contineat menſes nixus, ſeptimum inquam, ad vndecimum; an quartum itidem ad vndecimum vſque, cũ iam quarto moles corporis grandior ſit, vndequaque abſoluta corporis eiuſdem organa, coarticulata pariter, extenſionem, & augmentum eorumdem tantum Natura procurans. Cæterum ex eodem Hippocrate facilè rem luſtrabimus ſi eius verba rimemur, nam cum ſcripſerit ipſe circa cathartica, licere turgente materia à quarto ad ſeptimum his vti, mox ſtatim infert, *grandiore autem cõceptu cautius, & religioſius agendum*. neceſſariò & in altera ſentẽtia, etiam per grãdiorem fœtũ ſeptimeſtrẽ intelliget ad nixũ vſq; quo tempore rurſus periculoſius, etiam ex eodem Hippocrate tundere venas, & per conſequẽs tutius, aut minus periculoſum in re-

liquis retrogradis mensibus. Ex his itaque videtur concludi posse ex Hippocrate, periculosius tempus ad venarum sectiones esse, quo grandior fuerit fœtus: reliquum à primo conceptionis instanti ad metam illam, non æquè periculosum.

Galenus clarissimus ad quamcunque alterationem duos priores menses tantum suspectos habet, dum commentario in illam 13. historiam Epidemicam 1. Epid. com. 3. his verbis scribat, *Operæpretium est sanè dictorum habere memoriam, vt cognoscas esse exemplum rarum prægnantes aliquas, præter abortionem talibus morbis defungi. Iam illud meminisse quoque par est, fœtum trimestrem, & quadrimestrem præter cæteros iniuriis resistere cuius non ignarus Hippocrates in aphorismis 4. aph. sen. dixit, Grauidæ purgandæ sunt, si materia turgeat à quarto mense vsque ad septimum, minus verò has. Minores, & prouectiores caueto. Itaque fœtus vincula, quibus adhærent vtero imbecillia habent, & vniuersum corpus tenerum. Qui verò propè partum sunt: quia sunt iã magni, multo indigent alimento: quo si deficiantur, crebrò in morbis acutis pereunt.* Ex hac sententia, quouis nectare suauiore elucet manifestò, duobus primis tantum mẽsibus sanguinem haurire quamprimum, ne fas. Et quamuis Galeno, de catharticorum vsu sibi cordi sit in ea disputare: tamen per illa verba *trimestrem, & quadrimestrem præter cæteros iniuriis resistere,* compellimur necessariò & venæ sectionem includere; quia hæc, ceu alterans caussa, & defectum alimenti præbens inter iniurias haud dubiè reponenda, & in consultationem seriò deducenda. Quare accuratè cum Galeno concludemus, cum in duobus prioribus mensibus, & vincula quibus adhæret

vtero

vtero fœtus imbecillia, & corpus vniuersum tenerum, facilè ab vsu venæ sectionis, alterante, & commouente auxilio, fœtas abotiri. Hoc idem eleganti commonstrat analogia, nuper citato com. in sen. 1. Aph. lib. 4. dum dicat, *Fructus qui prima generatione infirmis pediculis continentur, facilè eo tempore à ventis concussi decidunt, aucti verò difficulter: maturi autem perfectè sua sponte, & absque vlla externa vi prosiliunt.* Hinc seriò Hippocrates consulit à quarto ad septimum, ceu opportunum tempus turgentes materies ducere, cum tunc fœtus valentiores possit sustinere motus. Cæterum cum vtrique auxilio sit commune (etsi cum aliqua distinctione) & agitare corpus, quia vtrumque magnum, & defectum alimenti præstare, quia vtrumque vacuans: ne admouenda quidem, nisi aut necessitate commoti, aut vrgente præsente, vel imminente affectu. Quamobrem abundè ex his constare videtur, etiam ex vtriusque Parentis mente, à tertio ferè completo ad septimum vsque inchoatum tutius multò posse nos de tanto auxilio venæ sectionis deliberare: secus in reliquis mensibus, in quibus aut non admittendum, aut religiosè & cautè exercendum. tum & quia tunc coalitus fortior, & robustior fœtus; quibus potentior, quibuscumque resistere iniuriis. Nam quod de purgatione astruunt illi, & nos hoc idem de vena secanda sentiendum arbitramur: cùm vtriusque auxilij eadem ratio, vt nuper lustrauimus.

Sunt qui hanc conuellant opinionem, quorum mox rationum momenta fusè exoluemus, & rem dilucidius amplius aperiemus. verũ prius lubet cõcordẽ facere Hippocratẽ, tũ Galenũ, dũ impares vi-

dentur in aſſignando altero carcere medij temporis conceptionis.

Quiſnam carcer temporis conceptionis medij: & illuſtratur Hippoc. & Galeni diſsidium.

CAP. XXII.

Dictator ſummus, tum eius paraphraſtes Galenus diſcordes videntur in ſtatuenda meta tẽporis medij, in latitudine fœtationis, cùm lib. 1. Epidem. com. 3. hiſt. 13. tertium menſem huius temporis ſignant initium, lib. autem 4. & 5. Aphor. ſen. 1. & ſen. 29. quartum potius. quid quod & in illius Epidemicæ hiſt. comm. ſui quaſi immemor Galenus, referens illa Aphoriſtica oracula, quartum itidem ſtatuit. Hanc, nec leuem difficultatem exoluere tentarunt, & fortè perperam viri doctiſſimi, Hieronymus Mercurialis, tum Horatius Augenius, & ex noſtris Hiſpanis Chriſtophorus Auega, tum Franciſcus Valleſius. Mercurialis quamprimum comm. in illam Epidemicam hiſt. & Franciſcus itidem Valleſius comm. in vtramque ſententiam Aphoriſticam, & Epidemicam de tertio menſe iam completo, & quarto incepto illud intelligendum cenſent, & ita vtrobiq; idem Hippocratẽ ſentire autumant, Galenum autem hac habita dictatoris mente difficultatem hanc, quam non nouerat, neglexiſſe. Verum hæc interpretatio anilis, vt reor: cum impropriè loqueretur Hippocrates (quod ne fas) trimeſtrem grauidam appellando, quæ reapſe quadrimeſtris eſſet, quartum ſanè nondum ingreſſa menſem. Sed Hippocratem aduocemus, eius hæc verba, *Mulierem*

quæ

qua decumbebat in littore, trimestri fœtu grauidam febris magna corripuit. Si igitur explicitè trimestris, dum febre corripitur, haudquaquàm absolutus tertius, & iam intra vestibulum quarti, cum potius, & appositè quadrimestrem appellasset. Quare reapse sub tertio, non completo sanè, febre fuit correpta mulier.

Doctissimus Christophorus Auega eruditis illis in Hippocratis Aphoristica oracula commentariis, dum primũ sectionis quartæ interpretaretur, eundem hunc reuoluens lapidem, plurimas de hac re recenset opiniones, conãtes perperam hæc concordare; quas seu dissonantes vnà ipse refellit, & propriam statuit dicens, Illud trimestre Epidemicum Aphoristicam haudquaquam lædere sententiam, cum singulare aliquod rarum, nec vniuersum destruat, nec valens generalem per se construere sciẽtiam. quid quod, inquit, nec de purgatione ibi loquitur Hippocrates, sed de grauidæ statu sub tertio mense. Galeno deinceps satisfacit, quia cum in illa Epidem. sententia de purgatione mentio non sit, sed de statu trimestris morbo acuto laborantis: proinde & tertium, & quartũ mensem præfert, ceu ad ferendos acutos morbos aptiorem. & si funestum quolibet tempore grauidam acuto morbo corripi, ex dictatoris doctrina lib. 5. Apho. sen. 30. Mentem comprobat illis Galeni verbis, dum minores fœtus (infra tertium videlicet) imbecilla ligamenta habere, quibus vtero hærent, scribat, tum eorum corpus totum molle. hinc, ex aduerso, in Aphoristico oraculo tutiorem purgationem fieri à quarto ad septimum consulit Hippocrates: quod citatur in Epidemic. hist. à Galeno. non quod existimet ipse trime-

ſtrem reſiſtere poſſe commotionibus à cathartico excitatis:quem ob mollitudinem acetabulorum,ad huc ineptum eſſe ad pharmaci ferendas iniurias idem ſentit Auega, verùm compotem, eas, quæ ratione accident morbi.

Claudicat nihil minus, & hæc, etſi acuta Auegæ interpretatio. nam neque lubet hoc exemplum, quamuis rarum, à generali excipere regula, cum & ſub illa contineri haud dubiè coniectemur, vt mox oſtendemus. Rurſus, neque exemplum iſtud, alterum oraculum iam diu erectum ſolo æquat, aut aliquam aliam de nouo erigit diſciplinam. Porrò nihil moror, an in Epidemica hiſtoria loquutus fuerit Hippocrates iuxta purgationem, an ſecus: cum nobis modò ſit ſatis affirmaſſe, eò quod trimeſtris eſſet,morbi labores tolleraſſe. Si igitur morbi labores ſuſtinuit, cathartici nihilominus vim potis erat ſuſtinere,quod probo.Si grauidę abortiuntur, & agunt animam ob febrē continuam, quam implicitam ſemper habent acuti morbi, victus præterea tenuitatem, & feritatem ſymptomatum;quæ trimeſtris eadem valet tollerare,quidni& cathartici,clemētioris ſaltem, commotionem non feret? Hallucinatur igitur & noſter inſignis Auega. Nam ſi tempus illud valens ad morbos acutos ferendos, commodum ſanè & idem ad catharticorum vim ſuſtinendam: & hoc proculdubiò intendit Galenus innuere, dum aphoriſticum ibidem offert oraculum. Nec proinde negarim quartum menſem præſtantiorem, ceu medium, ad cunctas ferendas iniurias: verum nec inde reſpuendus tertius,quia, vti quartus, & quintus commodiores menſes ad cathartici ſuſtinendam vim,

vim, sexto, cum in hoc iam grandior amplius fœtus factus, & vicinus sit septimi, primus secundùm naturam nixus terminus, cuius ratione & durius alimenti defectum persentit ille: tamen nec proinde contemnendus hic sextus, in vsu catharticorum; cum & hunc in eo oraculo admittat Hippocrates. admittendus similiter & tertius, quia tunc iam hæret fœtus, & robustior est, tanquam medio absoluto vicinior. Quare quę morborum iniuriis obstant, & pharmacorum haud dubiè sustinebunt alterationes. hinc Galenus ex hac alteram concludit rem. ex resistentia ad morbos, ad in catharticis resistentiam. quo proposito medio, historia epidemica, seriò ab ipso, altero Aphoristico stabilitur oraculo.

Tandem Horatius Augenius concurrit, vir diligens, & doctus, hic lib. 12. secundi tomi Epist. epist. 72. acutam sanè nobis offert explicationem, qua nõ obstante, vt mea fert opinio, adhuc difficultas stat. Inquit itaque conceptionis menses in tres partes æquales partiendos, in quorum medio tutius purgandi consistit tempus. sed cum vltima nixus meta varia sit, cum aliquãdo nono, aliquãdo 10. aliquando 11. potius pariant mulieres, etiam ex Hippocrate libr. de septimest. & octim partu, in quorum omnium medio necessariò quartus includitur mensis: proinde in Aphoristicis oraculis hunc mensem, ceu medium certum affirmanter assignat, haudquaquam tertium. Nonimestris igitur termini, 4. 5. 6. menses medij erunt. decimestris quarternario dimidiatus, vti & septenario dimidiatus. Vndecimestris vltima quarti pars, & totus septimus. Verum cum in septimo mense rarius mulieres pariant,

cuius termini pars media includit tertium mensem, proinde de ipso tertio multa facta mentio ab Hippocrate in Aphoristica doctrina, vniuersalia & frequentiora complectenti: cum hic mensis tertius, in sectione media non includatur partuum vniuersalium, ac frequentiorum; in qua tutior itidem censetur pharmacorum vsus. Ergo ratio tertij eadem (non relatione facta ad omnem nixum; sed ad septimestrem tantum) cum mense quarto. quæ ratio, quia in Aphoristicis comprehenditur, proinde Galenus in commentario in Epidemicam historiam iure confirmat Hippocratis sententiam Aphoristica auctoritate, & doctrina.

Hæc Horatij explanatio, etsi acuta, ad libitum tamen dicta; neque illa cóceptionis diuisio raro aliquo innititur fúdaméto, verisimile, incerto ac vario existéte parturitionis carcere (ob cuius varietatem æquè naturalis septimus ac vndecimus, neque hic altero frequentius) sub illa sectione media septimum mésem magis contineri quàm tertium. quid quod & partus ille κατὰ φύσιν cum sit, nec infrequens, necessariò sub aliqua regula continetur, neque reiiciendus, aut ceu indiuiduum vagum æstimandus.

Hoc cum itidem Augenius obseruasset, alteram mox signat rationem priori multò probabiliorem, & ad medendi methodum retur spectare, quæ huiusmodi est: Cum in mensibus intermediis pharmaca sint propinanda, lustrandi menses, in quibus tus pharmaciam exercere. Sed hæc lustratio, ex vltimi carceris fœtationis cognitione dependet, varius & incertus cum sit. Ergo menses certiores intermedij signandi, de quibus apud nos certa extat notitia. cú igitur tertius sub hac certitudinis lege nequeat am-

amplecti, quia huius terminus septimestris cum sit nixus, sub illa haudquaquam cadat, ceu infrequẽs, & sola experientia notus. Ergo alij menses à tertio potius statuendi intermedij, vti certiores.

Hæc ratio quamuis ceu acuta admittenda, difficultatem tamen non exoluit. cum illud tantum intendat demõstrare, cur hos magis, quàm alios Hippocrates signet menses medios. verum nihil ad Epidemici loci explanationem, dum de tertio mense loquitur, neque dispares conciliat locos.

Nostra interest modò, post tot, tantósque viros de hac re promere sententiam. quæ si metam attigisse videatur, suscipietis amabò, aliter & vos meliorem alterã proponetis, interim ipsa fruemini. Verũ illud quamprimum obseruandũ censeo. Anni tempora, vt Galenus refert lib. 1. de temper. ca. 4. admirabilem inter se habent concentum, ita, quod cuiusque temporis extrema symbola sint cum vicinioribus, principium namque vnius, eandem seruat rationem cum extremo præcedentis: propriam autem & exactam seruant ipsa naturam & ideam in centro, seu sub medij cuiusque temporis latitudine. Pari ratione tempora grauiditatis eandem æmulantur harmoniam, cum finis vnius mensis consequatur naturam subsequentis. nam mutationes physicæ, quæ in nostris corporibus accidunt nec affatim quidẽ fiunt, aut repentina alteratione, sed sub temporis latitudine quadam, corrumperẽtur enim corpora nostra, quæ sedulò sagax natura seruare intendit, & eius diuinus auctor suauiter cuncta disponere. hinc hyemem paulatim ac sensim mitescere obseruamus, paulatim eius rigiditas retunditur, mansuescit asperitas lento gradu pla-

cida veris temperies ingreditur; qua rursus progrediente illa suaui temperie, iam sensim calor accenditur, solis ad nos accessu, & ad æstatis naturam lentè mox progreditur. vnde ver inter diuersa, ac symbola tempora constitutum in medio eiusdem latitudinis suam exactam seruat ideam, & vtrique eiusdem carceres vicinorum natura participant.

Quare pari passu, si quartus mensis opportunus ad pharmaciam, opportunus erit & tertius; quia amborum extrema vicina symbolica. Si namque in primis mensis quarti diebus prohibens catharticum abest, quidni abfuerit & in vltimis mensis tertij? non enim imbecillitas ligamentorũ, tum mollities corporis in instanti, & iam iam primo mensis quarti accessu emendantur: cum sensim, ac temporis progressu quodam corporis illa mollities absumatur, ligamenta pariter roborentur. His itaq; substitutis facilis expositio. dicemus igitur mulierem illam (vt nudis verbis testatur Hippocrates) dum febre fuerat correpta, sub tertio grauiditatis mense fuisse constitutam: quam cum Galenus ita considerasset, saltem vltra medium tertij mensis, seu in vltimo eiusdem carcere, qui symbolicus cum principio quarti, proinde in commentario trimestrem, & quadrimestrem fœtum, præ cæteris, iniuriis resistere affirmat affabrè. Porrò, quod sub his temporibus fœtus iniuriis opponantur, auctoritate comprobat Hippocratis, petita ex illo aphoristico oraculo, dum grauidas, turgente materia, purgandas retur, à quarto ad septimum. Si enim Galenus, dum interpretatur trimestris historiam,

riam, sub quarto illo mense aphoristico non comprehendisset vlteriorem tertij partem, vana esset probatio, & tanto viro indigna. Vnde accuratè Galenus Hippocratis fretus oraculo concludit, quod hæc mulier, quæ à morbi acuti sæuitie, & symptomatum grauitate decumbebat, suum confecisset diem (quia lethale grauidam acuto morbo corripi) neque integrè citra abortum fuisset illa decimoquarto sole iudicata, nisi trimestris actu, in fine saltem tertij, haudquaquam absoluti. quod tempus, per symbolicam rationem, vti & quartus mensis, quammaximè cunctis resistit alterationibus. Totum igitur istud tempori tribuendum, & ceu rarum exemplum obseruationéque dignum diuinissimus censet Galenus.

Ex his igitur dilucida & clara occurrit Galeni loci explanatio, & concors locorum apparens dissidium. quid quod & eleganter innotescit totius disputationis basis, tutius videlicet, & opportunius secandi venas tempus, medium esse conceptionis interuallum, à fine mensis tertij ad medium vsque septimi. & rursus in hac latitudine, eiusdem medium, à fine scilicet quarti ad sexti vsque principium. quia in prima huius medij parte fœtus fortius hæret, in vltima autem grandior adhuc non est, nec maturior. quæ ambo obseruanda veniunt in tuta hac venę sectionis deliberatione. quamuis vrgente morbo siue imminẽte, siue præsente, sub quolibet fœtationis tempore fas haurire sanguinem (vt mox ostẽdemus:) verum modò opportunius inquirimus.

An medium grauiditatis tempus opportunius ad venæ sectionem, an principium?

Cap. XXIII.

INter hos sermones de inquirendo opportuno secandi venas tempore in morbis fœtarum acutis, intulit nobis Ioannes Fernelius Franciæ alter Galenus argutam quãdam opinionem, dum lib. 2. de venæ sect. ca. 12. aduersus ea, quæ supra nos diximus affirmet, conceptionis initium, seu priores ipsius menses opportunius esse tempus ad venæ sectionem in vtero gerentibus. Hanc mordicùs tenet Amatus Lusitanus centur. 1. cur. 57. tum Horatius Augenius lib. 6. de sanguinis miss. cap. 3. Rationum momenta, quibus Fernelius suam fulcitur opinionem, hæc sunt.

Fœtus in primis mẽsibus minori indiget alimenti copia. Ergo tunc magis redundabit sanguinis copia, huius auxilij materies: Deinceps & idem Naturæ exemplo demonstrat, quia hæc sub primis conceptionis mensibus spontè, ac persæpe sanguinis superuacui effusionem vtiliter tentat, siue per nares, siue per hæmorrhoidas, nec rarò per typicos mensurnos fluxus. Sed hanc bene operantem æmulari decet. Ergo in primis mensibus vtilius sanguis haurietur. Horatius Augenius & has recenset rationes, & alteram adiungit. quamuis, inquit, interdicẽda nõ sit venę sectio vrgẽte affectu, in quolibet cõceptionis tempore, tutius tamẽ, per nuper dictas rationes in prioribus mensibus easdem secamus, quàm in intermediis. Neque valet, inquit, ratio de purgatione, quia hæc deorsum trahit, venæ sectio

cubi-

cubitorum ſurſum potius : cathartica deleteriam habent vim, venæ ſectio tutum potius auxilium. In eadem rurſus ſtat ſententia tom. 2. Epiſtol. libro 12. fol. 166.

Amatus ſola illa priori Fernelij ratione contentus rem definit. verùm eandem Galeni auctoritate fulcitur, petita tum ex com. 31. lib. 5. Aph. tũ ex lib. 1. de ſympt. cauſſ. cap. 7. quibus locis manifeſtò declarat Galenus, ſub prioribus menſibus maiorem copiam ſanguinis redundare, quia fœtus minori indiget alimento.

Quamuis hæc opinio viris hiſce doctis adrideat, nobis haudquaquam; immò alteram, ceu probabiliorem ſtrenuè amplectimur, quibuſdam, nec anilibus innixi rationibus, quarum hæc ſeries.

Quo tempore tantum tutò licet purgare, tutò & licet ſanguinem mittere. Sed à tertio menſe (vt nuper ex Galeno diximus) ad ſeptimum vſque, tantum ex vtroque Parente purgare ius. Ergo & venas tundere.

Prima propoſitio demonſtratur, quia vtraque auxilia, fœtus reſpectu in vnum conueniunt, propter quod vtrumq; cauetur maximè. hoc ipſum eſt corporis agitatio, cui hæret fœtus, tum eiuſdem fœtus alimenti detractio. quæ ambo abortum in procinctu adeſſe proculdubiò declarant. Inter hæc autem aliquod eſt diſcrimen, quod venæ ſectio vtiliorem magis materiem vacuet, quàm purgatio: ſed nec minus credendum iſtud præſtare purgationem, quia & cum inutili materie, vtilis aliqua portio, etiam & nec minima ſpirituum vacuetur copia. Porrò purgatio corpus agitat, nec minimum quidem alterat, venæ ſectio quiete magis, ac placidius

idem efficit; vt & idem veritate conuictus admittit Augenius. Quare cunctis æstimatis, quo tempore licebit purgare, licebit & sanguinem mittere: quid quod & tutius multò fortè hoc ipsum licebit, quia hæc minus multò agitat, ac commouet corpus, & haudquaquam quicquam de alimento fœtui necessario abstrahit, cum redundans tantum illud fœtui inutile demat. Assumptio probatione non eget, cum sit ex Galeno desumpta.

Altera ratio huiusmodi est. Illud tempus tutius ad mouendum, in quo fœtus existit robustior, & firmius pariter hæret. Sed hoc tempus, etiam ex Galeno libr. 4. Aphor. sen. 1. à quarto ad septimum est. Ergo in hoc tempore tutius mouebimus siue per purgationem, siue per sanguinis missionem, vtrumque enim illud mouere includit, vt interpretatur idem Gal. lib. 2. Aph. sen. 29.

Hoc argumentum tantã in se includit vim, quod singulæ propositiones axiomata sint, ab Hippocrate, Galeno, & à cunctis classicis Medicis vsu recepta. Concludamus itaque ex his longè probabiliorem esse hanc nostram sententiam priori altera.

Cæterum, vt vndequaque sit firmior, lubet modò Fernelij rationes, & aliorum infringere. Primam nihil concludere (pace tanti viri dixerim) mea fert opinio: quia, etsi ex hypothesi concedamus in prioribus mensibus minori egere fœtum alimento, & per consequens maiorem tunc redundare sanguinis molem: tamen nec inde sequitur, ergo tutius tunc haurietur sanguis: cum ad tutam huius auxilij deliberationem haudquaquam sufficiat sanguinis redundet copia, auxilij quidem materies, circa quam

quam illud versatur; quæ in quantum morbi efficiens causa, sub morbi altero scopo continetur; verum requiritur & alter simul adsit virium scopus, qui dignitate præstantior. hi itaque necessariò adsint ius est, in quolibet magno remedio decernendo. Quamuis igitur in prioribus mensibus adsit alter scopus, copia videlicet sanguinis morbi causa, & auxilij materies: tamen abest necessariò alter virium, cum tunc flaccescat fœtus, minus hæreat, facilè à leui quadam aura decidat, abortiatur. Quare quantum potest redundantia suadere auxilium, tantum dissuadet lenis coalitus, & teneritas fœtus: quæ cum absint in medio conceptionis tempore, & adsint suadentia tunc; necessariò asserendum medium conceptionis tempus opportunius ad venarum sectiones.

Infirmabimus secundam, cõcedendo vtiliter quidem naturam sanguinis aliquam redundantem copiam deponere sibi inutilem, sub primis mensibus: verum ne sub his tantum; sed & sub mediis, vt comprobat assiduum experimentum, idque commodè, ac tutò, ad quintum saltem vsque mensem, & aliquando vltra. quid quod, etsi verum, sub prioribus duobus mensibus grauidas sanguinem reddere, aut per nares, aut per aliam quamcunque partem, hoc tamen redundantiæ ratione non præstare tantum, verum quia natura assueta per singulas typicas mensurnas periodos à sarcina exonerari, mox eo impedita, conniuenti scilicet ob conceptum vteri osculo, pulsa concitatur: vnde portio calidior suo quasi nutu sursum delata per nares prosilit. consequitur igitur hic motus naturam haudquaquam sui muneris oblitã; quæ quam-

maximè in cunctis operibus typicas suas seruat periodos. neque ex hoc motu redundantiam coniectari arbitramur, cum itidem in morbis ipsis ac dum ægri conualescunt, inanitis à morbi sæuitie, aut auxiliorum ope suo nectare vasis, extenuatis pariter ægrotantibus, nihilominus accedente iam typica periodo, sui haudquaquam immemor natura, adhuc ex illo minimo seruato, quidpiam reddit aut per vteri canalem, aut si rursus hæc impedita via ab aliqua præter naturam causa per hæmorrhoidas, aut per nares. Præterea vlterius ferè præter hos priores menses sanguinem non reddit natura, aut quia post hos iam retentioni assueta; aut quia iam grandiori existente fœtu, maiori iam amplius indiget alimenti copia, & fit auara; quem vt natura foueat, ac alat, ad vterum sensim sanguinem transmittit, ac quasi in suo ærario deponit.

Ad Augenij rationem dicemus, verum sanè tutius in grauidis auxilium venæ sectionem ipsa purgatione: negamus tamen consequentiam, quod diuersa sit vtriusque auxilij ratio. cum tantum sub ratione maioris vel minoris commotionis distinguantur. vtraque enim commouentia, & alimentum detrahentia sunt. & hinc vtraque & robur fœtus requirunt, & coalitum ac vehementem cohærentiam exoptant. hinc tempus purgationi opportunum, opportunum pariter & venæ sectioni: intempestiuum rursus purgationi, intempestiuum iugiter venæ sectioni. non tamen contrà, quia venæ sectio tutius, ac benignius auxilium, cuius hæc idea, Medicorum excitat animos ad illius vsum, etiam in cunctis conceptionis mensibus, vti catharticorum potius eosdem deterret.

Rationi

Rationi Lusitani satisfaciemus ex instituto sequenti capite, & vnà Galeni locos interpretabimur.

An in primis conceptionis mensibus maior sanguinis copia, quàm in reliquis.

Cap. XXIV.

RElinqueretur fortè alicui scrupulus ex Fernelij exortus verbis, tum & Amati ratione, Galeni pariter doctrina stabilita: dum conentur ipsi probare sub prioribus mensibus conceptionis tutiorem esse venæ sectionem, reliquis, quia maior eo tempore redundet sanguinis copia: redundat autẽ maior, quia tunc minus nutritur ac alitur fœtus: minus verò nutritur, quia tunc natura ferè posita tota in partium coarticulatione. Si igitur maior sanguinis redundantia, & minor haustus, ac nutritio; ergo fœtus minus multò sentiet alimenti defectum, prçcipua sanè abortus causa. quare tunc opportunius tempus.

Decet igitur hunc nos tollamus scrupulum, & quamprimum exploremus, an verum, sub his prioribus mensibus maiorem esse in fœta sanguinis redundantiam. fundus quidem totius difficultatis, vt cum Fernelio sentit Amatus, & Augenius.

Cæterum occurrit nobis quædam opinio, plurimis fortè probabilis, cum & auctoritatis, & rationis momentis queat comprobari, copiosiorem potius multò esse sanguinem in vltimis conceptionis mensibus, quàm in reliquis. Adest imprimis

Ariſtoteles hoc innuens libro quarto de generat. animalium, capite octauo, dum dicat, *Sed cum fœtus magis, magiſque perficiatur, plus excrementi ſupereſt. Minus abſumitur, idque dulcius eſt, cum non æquè detrahatur, quod bene concoctum ſit. Non enim inſuper ad fœtus informationem conſumitur, ſed ad incrementum mediocre, quaſi iam fœtus conſtet adeptus finem ſuum.* Eleganter hoc loco Peripateticorum Princeps comprabat, in vltimis menſibus maiorem ſanguinis reperiri copiam, quia tunc, cum abſoluta vndequaque ſit partium omnium, conformatio, tantum abſumitur ſanguis ad earundem mediocre incrementum, quoad opportunum adueniat nixus tempus. quia ſi ſupra modum nutrirentur, ſupra modum accreſcerent, nec caperet vterus, aut potis expectare illum nixus ſtatutum carcerem.

Porrò hoc idem lubet rationibus fulciri, quibuſdam pariter autoritatibus munitis; quarum hæc prima, In vltimis menſibus coaceruatur multorum præcedentium menſium copia, quam ne fœtus quidem abſumere potis. Ergo in illis maior hauddubiè redundantia, maior colluuies.

Antecedens ſenſifica demonſtratione probatur. videmus namque fœminas per totum puerperij interuallum maximā ſanguinis copiam per dies plurimos copioſè excernere, & is qualis victimæ ſanguis, in his quæ ſanæ, & tales futuræ, hoc affirmante Hippocrate lib. de natura pueri. num. 12. Excernitur autem omne illud poſt nixum non ob aliam rationem, niſi, quia ex priuatis periodis ſanguinis illa moles ceu inutilis ſeruatur, cum fœtus nequeat illā abſumere, & proinde cū in vltimis mēſibus numero maio-

maiores hæ fuerint mensium suppressiones, necessariò & tunc plus sanguinis cogerici redundabit.

Altera ratio. In eo tempore minor sanguinis erit copia, in quo plurimum fœtæ afficiuntur, & ægrè pariter degunt. Sed hoc sub primis accidit mensib. Ergo tunc minor redundantia.

Prima propositio & experimento comprobatur, & Aristotelis testimonio, hic igitur lib. 4. de Gener. animal. cap. 6. sic fatur, *Principio potius cum concipiunt, perturbari solent magna ex parte.* Mox lib. 7. de historia animalium. cap. 4. *Nausea, vomitus plurimas capiunt, & præcipuè quibus purgationes constiterint, nec dum ad vbera transeant. Aliquæ igitur principio magis laborant, aliæ post, cum iam fœtus plenius creuerit.*

Quo loco Aristoteles plurima recenset symptomata, quibus vtero gerentes sub primis lacessiuntur mensibus. & tandem concludit, *fastidiunt enim statim, quod modò vehementer appetierant.* Hanc doctrinam noster itidem doctissimus Galenus videtur amplecti, dum lib. 1. de caussis sympt. capit. 7. de pica loquens sic scribat, *Prauas autem qualitates appetunt hi quibus ventriculi tunicæ, prauo aliquo excremento sunt imbutæ. Atque consueuit huiusmodi affectus mulieres vitiosis humoribus refertas infestare, idque cum vterum gestant: vocatur pathos pica. Atque complures earum huiusmodi vitio laborant vsque ad secundum, & tertium mensem. in quarto verò quiescunt, partim quod vomitione vitiati humores expurgantur: partim quod concoquūtur vtpotè exiguum cibi tunc sumente muliere ob fastidium, partim etiam quod*

multitudo, vacuatione sit imminuta, Cum itaque in primis his mensibus tot subsequantur mala, anorexia, pica, nausea, vomitus, labor, anxietudo, hypothymia, quę omnia haud dubiè nectare illo viuifico corpus depauperant, sequetur hinc necessariò sub his mensibus, præ cæteris minorem sanguinis exundare molem. cúmque grandiore existente fœtu cuncta emendentur, probè & fœtæ nutriantur, copiosiori itidem sanguinis copia redundare censendum.

Nec fortassis satis verè hæc opinio exposita: nos propius accedentes, & velut manu admota veriorem reuelabimus. quærenda itaque sunt auctoritatis, & rationis pondera. Ratio huiusmodi: Maximus est consensus circa nutricatum infantuli iā in lucem editi cum genitura. Sed infans per priores menses ob corpusculi paruitatem quàm minima lactis indiget, ac fruitur copia, copiosiori, in dies augescente. Ergo simili ratione se habebit genitura in vtero. Quare si genitura tunc, quàm exigua indiget sanguinis copia, ad sui nutritionem, redundabit haud dubiè in matre omne ferè illud, quod per typicas periodos excernendum erat: in reliquis verò mensibus contrà, augescente fœtu, & copiosiori amplius in dies egente alimento.

Hoc primum argumentum ita censendum verum, vt ne probatione quidem indigeat. quis enim consensum non videt, & admiratur, nati iam fœtus cum genitura? quis non obseruat harmoniam alimenti cum re alita? sicuti namque vnumquodque nutritur pabulo sibi qualitate simili, ita & quantitate non dissimili,

Consequens, quod genitura aut nullo, aut quàm exiguo

exiguo, saltem per longum tempus, alimento vtatur, auctoritate fulcitur, & ratione. Andreas Laurentius vir huius nostræ ætatis doctissimus lib. 2. Anatom. cap. 13. acutè hoc eodem medio, hanc doctrinam comm. probat, *Prior*, inquit, *illa fœtus vita primis post conceptum diebus simplicissima est, & sine nutricatu perficitur. Quid enim nutritione opus, vbi partium nullus exhaustus? ipse suo se colore, & spiritu insito satis fouet conceptus: postquam verò discretæ sunt, & delineatæ partes, statim & nutriri & augeri incipit embryo.* Quæ discretio, & delineatio prima, ex sola fit seminis materie, cum eiusdem excretam à viro molem non excedat; testante Philosopho lib. 7. de animal. hist. capit. 3. si septendialem geniturام in aquam coniecerimus, hanc, vix formicæ maiusculæ magnitudinem superabit. quid quod, & si fides struenda auctori lib. de principiis, num. 20. in septē diebus genitura habet quæcumque corpus habere debet; per quandam videlicet crassam adumbrationem. absoluitur enim opus figurationis membrorum in maribus tricesimo sole, vti in fœminis secūdo supra quadragesimum; reclamante dictatore summo lib. de nat. pueri. num. 10. & 14. Itaque cum per omne istud vtrumque formationis tempus, natura tantum formationi intenta, ferè nullus sanguinis mensurni exhaustus; hincque typica eiusdem congeries, tunc necessariò exundabit in fœmina.

Dicet fortè quis, Nutrix facultas generationi famulatur: ergo & in prima partium coarticulatione, etiam & vnà suo munere fungitur nutrix.

Dicemus, verum sub secunda conformatione, quando iam ex sanguine carnosæ partes formantur, quando scilicet & partes ipsæ spermaticæ con-

fictæ augeri incipiunt. nam cum in prima illa partum spermaticarum formatione semen sufficientē præbeat generatrici materiem(tenuente,& falsò Aristotele:)haudquaquam nutrix tunc formatrici famulatur.vnde ne nutritur quidem virile tunc semē, vt dilucidè ex abortu videre est: cum demonstretur corpusculum illud minimum formicę maioris non excedere magnitudinem.aut si forsan nutritur, hoc fit ex aliqua minima fœminei seminis portione, quod ceu symbolum sibi facilè assimilat. Si igitur sub hoc tempore non nutritur genitura, & sub altero mense etiam vix nutritur, intenta potius natura absolutæ conformationi partium carnosarum,quam auctioni earundem,necessariò sequetur per binos hos menses,ob bina illa ferè suppressa vectigalia,maximam in fœta reperiri sanguinis copiā: & per consequens ob validiorem nutritionem, & grandiorem fœtus corpulentiam in reliquis mensibus,minorem multò redundantiam adesse. Testatur hanc rem eleganter sanè Princeps Aristoteles libro quarto de Generat.animalium capite sexto & octauo.

Excipit, & huic adhæret alterum argumentum, ex Galeno desumptum lib.1.de caussis sympt.cap.7. Cessat malacia mense quarto, quia tunc grandiore existente fœtu, & adhuc increscente,plurimo indiget alimento, & ideò non optimum tantum allicit è venis, verum cum & maiorem alimenti appetat copiam,etiam & vitiosum quidpiam attrahit:& sugit.vnde tunc vniuersum corpus plethoricum esse desinit,& à malacia leuatur fœmina.Quare ex mente Galeni minor est sanguinis copia supra quartum mense,quàm infra.

Quamuis

Quamuis hæc vera sint, non exinde concludendũ cum Fernelio, & Amato, in primis mensibus tutiorem venæ sectionem : cum præter materiem, quæ præbetur auxilio, robur requiratur, coalitus, & fœtus firmitas, quæ haudquaquam prioribus illis mensibus reperiri queunt.

Sed vt nostra hæc opinio firmior appareat, opus iam rationes oppositas infirmemus, & vnà Aristotelis, & Galeni mentem lustremus.

Primæ, quamprimum concedemus redundare in vltimis mensibus magnam sanguinis copiam, vt perbellè illud ingens, & chronicon declarat puerperium. verum simul concedemus & hoc ipsum maiori ex parte fortè coaceruari ex prioribus illis mensibus sub quarto; in quibus aut nullus, aut exiguus partium exhaustus, vti & vnà sanguinis inutilis, & impurioris reliquorum mensium adseruatur moles. Accrescens namque fœtus ad eius alitionem, & auctionem maximam, plurimo indiget alimento, vt ne sufficiat dulce nectar per singulas periodos sibi tributum, verum & sugere amplius cogitur, quod sub prioribus mensibus ceu in ærario reconditum erat in vteri vasis. istud apprimè Galeni ratio de pica declarat. Redundat itaque in vltimis mensibus sanguinis aliqua, excrementitia tamen, & inutilis copia, sugente sibi tantum fœtu dulciori, & nutritioni aptiori.

Conuellemus alteram dicendo, etsi verum suo nectare fœtam destitui ab aliqua præter naturam caussa primis illis mensibus, vti & vltimis: tamen istud per accidens. si namque conceptionis secundũ naturã attẽdamus statũ, per se fieri nequit, quod in vltimis mẽsib. copiosior redũdet sãguinis moles.

ob rapaciorem grandioris fœtus suctionem. vnde ad vsum huius auxilij ne satis quidem hunc statum secundùm naturam æstimare, verùm & alterum præter naturam: cuius ratione quidem, potest tam exigua in fœta coaceruari sanguinis moles, quod citra abortus discrimen ne liceat quidem venas aliquando cædere. Et hoc Aristotelis, & Galeni testimonia innuunt dilucidè, à caussis videlicet præter naturam (quibusdam mulierculis primis mensibus frequentibus) sanguinem depeculari, quod & nos libenter admittimus. Verum modò nos statum secundùm naturam contemplamur, quod est rem in sui ratione explorare, haudquaquam morbosum statum requirere. Quid quod & semetipsos oppugnarent, cum eisdem met locis palam vtrique affirment, grandiore existente fœtu copiosiori indigere alimento; nec sufficere sanguinis redundantiam, cum & natura excrementa concoquat, & in sanguinem vertat, vt eisdem cupidè fruatur. exolutio sanè malaciæ.

Aristotelis aliud testimonium ex lib. 4. de Gener. animal. deductum, difficile, & nisi exponatur oppositam perbellè firmans opinionem. Dicemus itaque ibi de redundantia sanguinis Aristotelem ne loqui quidem, sed excrementorum, quæ à sanguine separantur, sugente sibi fœtu dulciori, & non æquè detrahente. vt eodem loco testatur Aristoteles. Quare cum fœtus magis, magísque perficitur, quod sub vltimis accidit mensibus, plus excrementi superest, plus inquam inutilis materiei, ac fœcis ipsius sanguinis, attracto vtili ad fœtus alitionem. Aut rursus, ibi Aristotelem dicemus triplex conceptionis obseruare tempus, primum (cuius vltimus carcer men-

mensis secundus) in quo non meretur adhuc, ex Galeno lib. 1. de causis sympt. cap. 7. fœtus nomine, sed *κύημα*. sub hoc tempore, etiam ex eodem Arist. citato libr. cap. 6. conceptus typicam periodum circuncidit, & nequit præ exiguitate suppressam copiam absumere. Alterum tempus, quod medium, in fine sexti mensis terminatur, de quo hæc ab Arist. subsequuntur verba, *Quamquam post, vbi iam plenius absumere cœperit, leuat.* quasi dicat leuatur vtero gerens sub hoc medio tempore, quia tunc plenius omnem absoluit sanguinis redundantis copiam fœtus, tam ad perfectiorem partium conformationem, quàm ad maiorem accressionem. quod mox sequenti capite 8. apertè insinuat, *Nam & fœtus maiusculus iam factus plus assumat cibi, minúsque ob eam rem per id tempus supersit, ratio probabilis est.* Vltimum tempus est à septimo ad nixum vsque, de quo hauddubiè loquitur Aristoteles, loco à nobis illustrandum proposito, dum scribat, *Cum fœtus magis, magísque perficitur plus extrementi superest: minus absumitur &c.* Illa igitur repetitio aduerbij magis illud proculdubio innuere videtur: magis namque perficitur in medio, magis, magísque verò, seu absolutè perficitur sub vlterioris conceptionis parte. Tandem & amplius idem declarant illa vltima Aristotelis verba, *quasi iam fœtus constet adeptus finem suum.* nam tunc finis adeptus, quando absolutus, & perfectus fœtus, vt iam amplius nihil, præter nixum expectetur. Quare neque in verbis Aristotelis aliqua adest dissonantia, neque simpliciter sub mensibus vltimis copiosiorem adesse sanguinem fetur ipse. sed sub prioribus maximam, sub medio minimam, sub vltimo plus quàm

in medio, respectiuè, reperiri eleganter censet.

Cuncta hæc intelligenda veniunt habita comparatione temporum fœtationis inter sese, iuxta naturæ ordinem, exclusis cunctis præter naturam causis, & alijs super recensitis. quapropter redundantia hauddubiè copiosa quit reperiri, & maxima quidem, tum circa tempus medium tum & circa vltimum, vti & per alias causas sanguinem potius depeculari, & fœminam exanimari sub primis conceptionis mensibus. Interest igitur cuncta hæc in consultationem serio veniant, & sedulò rimentur, vt tanti remedij venæ sectionis in fœtarum morbis methodicus sit vsus.

An per omnem fœtationis intercapedinem tutò liceat haurire sanguinem.

Cap. XXV.

SAtis diu hoc iam saxum verso, vt dicebat Comicus Eunu. act. 5. sce. 9. tempus nunc, pedem in vltimo velut spatio ponam, ostendam videlicet, an in quolibet fœtationis tempore, postulante morbo venas tundere, ius. Nam quamuis vsu receptum, & perdoctè, fœtarum nos tutò scindere venas, cana veritas Celsicæ Medicinæ alumna: tamen hoc auxilium cum fœtui pabulum detrahat, & concussionem aliquam præstet, hoc cauendum in principio, illud in reliquis potissimum temporibus, dehortantia forsan, vt se à tanto diuinissimi illi Medicinæ Parentes

Parentes abdicarent, auxilio. Captanda proinde occasio explorandi opportunum tempus, in quo, nec fœtum istud auxilium diuellat, aut sibi defectum paret alimenti. Quæ simul tempore obseruari posse difficillimum: quia quando adest copia: adest robur, & coalitus fortior; & quando rursus hæc adsunt, abest sanguinis redũdantia. Verum, nec quia in se quandam ista includunt difficultatem, fortunæ committenda: imò cum fœtas viderimus funestè laborantes, & in tanta tempestate nauem itidem vnà cum mercibus submergi, in tam coacto ludo coactè ludendum, & ius quidem funem, aut manum simul porrigere, vt cuncta salua fiant, & nauem saltem ad salutis portum cursim perducere. Cum igitur inter cuncta Artis auxilia ad acutorum curationem præstantius, tutius, atque celerius venę sectio, hęc totis viribus amplectenda, vnicè insequenda. Colophonem addit cana magistra experientia, & clarissimorum virorum assiduus vsus: à quibus recipimus, & hanc prodesse quammaximè, fœminásque pariter à sæuis liberasse pressuris, etiam sub quolibet fœtationis tempore admotam. Nec testimonia congero in decantata sententia, in serio epilogismo. Ratio experientiam, & vsum confirmat. Quamprimum sub priori tempore, cum ingens adsit sanguinis copia, qua fœtus non indiget, cum etiam ex Galeni analogia, libr. 5. Aphor. sen. 1. ne minima quidem tunc sufficiat concussio, sed ventus concutiat adhuc vehementior oportet ad fructuũ diuulsionẽ, hinc tutò nos venas scindere possumus, valentes apposité iusta quãtitatem tollere, nimiam illicò cohibere, cum & quietũ

ex se remedium, quam minimum corpus quatiens ac commouens. in medio tempore, etsi iuxta φύσιν minor sanguinis copia: tamen per aliquot rationes coaceruari maxima quit. qua præsente, & venà ingenti existente robore, ac coalitu, quis ambiget circa huius tanti, ac tam tutissimi auxilij vsum? Denique in vltima intercapedinis parte, cautè semper nos geremus, cum infirmior tunc coalitus, & iam quasi suo nutu, aut sponte fructus omnes decidant. Verùm cum & in hoc tempore plurima sit sanguinis redundantia, vt lactis iam copia in vberibus stabulata eo grauidationis tempore declarat. instans pariter ingens illud puerperium, & vnà mox anadromes sanguinis ad ipsas mammas ad lactis generationem, statim post nixum futura, vt prouidè fœtum iam in lucem editum enutriat: vrgente igitur necessitate, dummodò cautè ac religiosè fiat propter fœtus maturitatem, audendum sanè fœtis venas ipsas tundere. Christophorus Auega Medicorum Castellæ citra aliorum iniuriam planè antesignanus hoc idem consulit, & vsu comprobat commentario in libro quinto Aphorism. sen. 31. dum nobilissimæ fœminæ octauo iam mense grauidæ sanguinem ipse fœliciter hauserit, & alteri eodem vnà mense, etsi semel, ad vncias tamen decem detraxerit; & vtrisque magno cum matris ac fœtus commodo. Præterea & nos à clarissimis Valentinis Medicis vsu recepimus, nec rarò, à tantis viris edocti per nosmetipsos in praxi Medica maxima cum artis gloria & nostra, idem faustè præstitimus.

Quare concludere fas, in omni conceptionis tempore, postulante morbo præsente; vel immi-

nente,

nente, adstante simul sanguinis redundantia fœtui, ac remedio sufficiens, ius venas tundere: audacius à fine tertij mensis ad principium vsque septimi, minus in primis mensibus, multò verò adhuc minus in vltimis.

Hæc manifestam habent redargutionem, cùm tempus prius tutius longè appareat ad huius auxilij vsum, quam reliqua, tum ob copiam sanguinis præsentem, tum firmum coalitum. tutissimum igitur istud remedium, & quam minimum corpus commouens haudquaquam illud respuit tempus.

Porrò magis expendenda in huius remedij vsu redundantia, quàm coalitus. quia illud vacuans cum sit, materiem detrahit fœtui ad alitionem necessariam, qua deficiente abortitur quidem: cohæsio autem non requiritur ob auxilij placiditatem, ac lenitatem.

Satisfaciemus iis, si dixerimus, quòd conditiones ambæ, quæ ad tutum huius auxilij vsum requiruntur, tantum sub medio fœtationis tempore inueniri queunt: in reliquis haudquaquam fit possibile, cum altera tantum siue per se, siue per accidens adsit. rursus neque admittendum auxilium illud ita placidum, ac tranquillum, quod commotionem aliquam, nec leuem sanè, in nostro corpore non concitet. argumento est, reuulsio impetuosi cuiusspiam fluxus, cum huius beneficio retorquetur crebrò, compescitur. quod si lene, ne validum quidem concitatum sistere fluxum, reflectere, retrahere, commouet igitur, nec minimum itidem concitat. testatur idem mensurnus fluxus, dum sæpè excitatur, commoto sanguine, cubiti

secta vena. Quare hæc, nec minima quidem commotio, leui existente coalitu, haudubiè valens partum abigere, vti fœtor extinctæ lucernæ, & alia minora commouentia hoc idem præstare possunt. Cum igitur sub medio tempore firmior coalitus, & adhæsio fortior, ita vt commouens maximum requiratur ad fœtus diuulsionem, tum, etsi per accidens, maxima valeat in fœta adesse sanguinis redundantia, & tutius tunc erit auxilium, quàm in reliquis, in quibus robur & firmitas fœtus, aut saltem firmus coalitus necessariò abest. sed quid moror in re trita?

An in prægnantibus tutius auxilium vena sectio ipsa purgatione?

Cap. XXVI.

EXpunximus quæstiones, quæ nudè venæ sectionem respectant in fœtarum morbis acutis: altera mox excipit, quale, inquam, auxilium tutius in eadem hypothesi hoc, an catharticum? Difficilis. hoc ideo, quia catharticum vnà cum Hippocrate Galenus admittit, venæ autem sectionem purè respuit. quare illud longè tutius censendum.

Verum si rationem, & experimentum consulamus, omninò hanc opinionem ruere arbitrabimur. ne in grauidarum tantum morbis, verum in cunctis ferè sanandis. cum primas hauddubiè teneat inter auxilia magna ipsa venæ sectio, vt iam diffusè libro primo capite trigesimo primo nos demonstrauimus. Nec moror, quòd hanc Principes

cipes illi Medici neglexerint: quia, vt dixerat Homerus Iliad. Λ. *Sed non simul omnia Dij dederunt hominibus.*

Cæterùm, vt inuoluta hæc quæstio fiat dilucidior, quædam prius, ex his quæ supra euoluimus, repetenda iure censemus, causam videlicet abortus, cuius ratione dicitur in fœtis tutum, periculosum, vel anceps auxilium. Inter reliquas causas, illæ præcipuè æstimandæ, etiam ex Galeni mente, quæ corpus nostrum exagitant, & quæ alimenti defectum parant. vtrunque, etiam vtraque auxilia præstant ex Galeno libr. 4. Aphor. sen. 34. quamuis sub aliquo discrimine: hinc inter abortus causas meritò connumeranda. illa tutiora, ac securiora quæ minus concitant, & quæ minus de alimento detrahunt. Demonstrato igitur, venæ sectionem minus concitare corpus, déque fœtus alimento minus detrahere, victor palmam reportabo.

Scio quamprimum nobis aliquem obuiam fieri, catharticorum præmissa distinctione, cum horum alia clementia, alia rursus vehementia: neglecta modò facultatis ratione, an si attrahendo, an comprimendo, an leniendo humores vacuent. Dicent itaque vehementiora in nostra hypothesi ne proponenda quidem, cum hæc longè infida esse ipsa venæ sectione non ambigendum. quia hæc in corpore ingentem patiunt commotionem, grauia itidem tormina excitant, maximam rursus spirituum, tum vtilis substantiæ dissipationem, & vacuationem efficiunt, retractionem autem alimenti, nec minimam sanè. Hæc si in comparationem ducuntur cum audacissima venæ sectione quæ ad lypothimiam fit, ambo hauddubiè in-

eodem stadio current; & ambo itidem periculi brauium accipient. Quare vtrumque, ceu detestabile fœtui ac fœtæ funestum respuendum omnino. nec admittenda comparatio inter extrema fugienda: verùm inter media amplectenda, clementem videlicet purgationem & moderatam venæ sectionem.

Quæstionem hanc Doctores plurimi & classici scitè exagitarunt. sed cùm varij, varias itidem, ac difficiles insequuntur vias, & fortè horum plurimi à veritatis carcere deuiarunt; quæ cum vna sit, testante doctissimo Clemente Alexandrino, 1. strom. in eam, tanquam in perennem fluuium influunt, & conueniunt aliunde alij riui. Nos riuos hos adnauigemus, missis lubricarum opinionum fluctibus, vt in perennem veritatis fluuium conueniamus.

Conciliator inprimis absolutè diff. 166. ceu tutiorem, pharmaci vsum admittit, quamuis venæ sectionem in primis fœtationis mensibus concedat.

Horatius Augenius eandem prosequitur opinionem tom. 2. Epist. Med. lib. 12. etsi palynodiam canat, dum libr. 6. de sanguin. miss. cap. 2. & 12. oppositum sentiat.

Hæc opinio, quamuis fortè adrideat magis Hippocrati, & Galeno, multo minus tamen vera, quia rationi ne consona. Rationes præcipuæ nitentes hanc firmare opinionem sunt hæ, si prægnantes tutò venæ sectionem ferunt, ergo tutius multò purgationem. patet consequentia, quia maius periculum ex sanguinis vacuatione consequitur, natiui fœtus pabuli, quàm ex vacuatione inutilium excrementorum.

Altera

Altera ratio, Cùm conceptionis tempora in tres secentur partes æquales, in prioribus quidem tribus mensibus fas haurire sanguinem, cum in reliquis partibus, ceu grandior iam fœtus, copiosiore egeat sanguinis copia; quam tollere ne ius quidem. Pharmacum autem, etiam testante summo dictatore à quarto ad septimum inclusiuè, propter maiorem fœtus coalitum, ac robur porrigere lubet. cum igitur sub pluribus adhuc mensibus purgare liceat, quam venas tundere; ergo tutius auxilium.

Oppositam sententiam grauissimi tuentur viri, inter reliquos acutus Auerrhoes lib. 7. Collect. ca. 4. quamuis anilibus argumentis hanc suam fulciatur opinionē. ineptissima, inquit, sunt fœtis pharmaca, tum ob eorum malignam substantiam, tum ob vim eorundē vrinas ducendi, & vnà ad vterum. quare & facilè abigendi partum. Sed mirandum planè hunc Arabem ita fœdè trepidâsse, cum apud ipsos plurima innotuerint pharmaca, & lenia, & clementia, quæ vllatenus nec malignam vim habent, tantum abest vrinas moueant, aut per vterum sanguinem. Quare cum horum latissimus sit campus, non est quod trepidemus timore, vbi nullus.

Hanc eandem sententiam doctissimus Amatus amplectitur cent. 1. cur. 57. qui etsi partim Conciliatori assentiatur, existimanti tutius multò sanguinē nos haurire sub primis grauidationis mensibus; tamen concludit nudè, etiam & nos tutius in quolibet eiusdem tempore venas scindere ius, quàm pharmaca porrigere; quod conciliator renuit. probat suam sententiam Amatus à Galeni auctoritate petita, tum ex lib. de cur. rat. per venæ sect. cap. 8.

tum ex lib.2. de rat.vict,sen.11.

Nec minus in eodem stadio currit Doctus Augenius lib. 6. de sang. miss.cap.2.& 12.& ibidem quibusdam rationibus eandem firmat opinionem. verum nescio quo fato mox palynodiam canat, vt suprà iam diximus.

Hispanus tandem noster Franciscus Vallesius, vir omni litterarum genere ornatus sub eadem militat disciplina lib.7.controuers.cap.7.quo loco hanc & ex instituto,& perdoctè exagitat quæstionem.

Verum rationum momenta, quibus licet hanc sententiam confirmare, ex horum virorum auctoritate partim delibata, hæc sunt; sanguinis missio absolutè sumpta, in cunctis ferè morbis sanandis tutius auxilium, ex eo potissimum, quia non exercet suam vim administrante fortuna: iucundius rursus, quia citra fastidium, anxietates, dolores, cruciatus, & nauseam procedit: citius denique, quia nulla interposita morula, quamprimum secta vena sanguis prosiliit, nec dispositionem aliquam præcedẽtem requirit. quibus immunitatibus hauddubiè priuatur pharmacum, etsi clementissimum. Ergo grauidis securius multò auxilium venæ sectio, purgatione. Antecedens itidem ex Galeno probatur, tum libro secundo de rat. vict. sen. 11. tum ex libro de cur. rat. per venæ sect. capite octauo quibus locis, etiam in pari vtriusque auxilij necessitate, venæ sectionem præfert purgationi.

Altera ratio, Pharmacum per inferna ducit humores, ac sæpè cum tenesmo, seu cũ aliquo in egerẽdo conatu ac tormine: quę in præcipitiũ, ob cõsensum, ducũt fœtũ. Sed venę sectio huiusmodi priuatur incom-

cómodis. Tutius igitur venas aperire. Primam propositionem, partim videtur Hippocrates lib. 5. Aph. sen. 34. roborare, dum scribat, *Mulieri vterum gerenti si aluus multum fluat, periculũ est ne abortiatur.* Et cum opus pharmaci sit fortunę committendum, fortè aut multum fluet aluus; aut cum torminibus, & conatu, vt passim videre est: & proinde timendum. Assumptio probatione non indiget, cum in vsu Medico passim videre est.

Tertiò, cathartica, etsi lenia, metus est ne plus iusto vacuent, aut saltem maximam in corpore, & humoribus pariant concitationem. hoc videtur insinuare summus Hippocrates lib. 1. Aph. sen. 22. & 24. cum illa tantum concedat aut concocta materie, victóque humore, exoluto iam morbo, in eius videlicet declinatione, aut si in eius principio vrgente necessitate, turgente scilicet materie: vti in grauidis etiam, iuxta eundem Hippocratem lib. 4. Aph. sen. 1. eadem vrgente necessitate, seu adstante solum turgentia, hócque in eo tantum fœtationis tempore, in quo fœtus magis vtero hæret, firmiórque est eius coalitus. Cum igitur multo minor sit concussio corporis & humorum, quæ à venæ sectione paritur: hinc & tutius auxilium. Probatur prima illa propositio; Pharmaca, quorum vsus in morbis magnis, cum venosum genus vacuent (eccoprotica, aut lenia ne sufficiunt quidem) vim habeant necesse succum familiarem, ex superioribus & longinquis vasis allicere: hoc citra agitationem maximam, & totius corporis commotionem ne fieri fas. ducetur itaque in consensum vterus, ac vnà fœtus, cum citra discrimen à vasis cunctis sibi familiarem succum attra-

hant,& humores simul concitent, etiam & in vteri vasis. Longè quidem hæc absunt à lenitate venæ sectionis. Tutius igitur auxilium.

Addo tandem, Mediocris venæ sectio (quam exigunt grauidæ) nihil de alimento fœtus detrahit: quid inutilem tantum fœtui redundantiam vacuat, idque blandè, ac leniter: purgatio verò contra, etsi lenis ac clemens vniuersum tamen exagitat corpus, humorésve ducit ad centrum, in quo cathartici sedes. vnde violenter secum rapit & quod fœtui ad eius alitionem fuerat necessarium. Securius igitur auxilium venæ sectio ipsa purgatione.

Cæterum liquet iam hostium infirmare rationes, vt horum opinio è studiosorum mentibus oblitteretur. Quamprimum satisfaciemus primæ, negando sequelam: nec rursus antecedens probationis admittendo, quia simpliciter falsum, maius nos periculum ex sanguinis vacuatione incurrere, quàm excrementorum; cum modus emendet, aut temperet potius periculum, si forsan aliquod. cum igitur modus vacuandi sanguinem per venæ scissionem blandus, tranquillus, ad libitum rationis, citra fortunæ concursum, securius proindè multò auxilium. quid quod, & sanguinem vacuaturum, remedij sanè materiem, inutilem fœtui supponimus, at itidem matri: quod si non qualitate, vt ferè reliqua excrementa, saltem quantitate. In vnum igitur concurrunt hæc ambo auxilia, circa materiem, cum hæc in vtrisque, ceu inutilis æstimetur. porrò & iuxta vsum, vtriusque par potest adesse necessitas: cùm æquè, sæpè expediat in grauidis, aut ob minuendam plethoram, aut compescendam fluxionem sanguinem haurire, aut ob cacochymiam deter-

tergendam purgare.

Secundam rationem nudè negamus: cum æqualis illa partitio cõceptionis, propter distinctissimos nixus carceres, non admittamus: vnde ruit ratio. neque rursus admittimus sub primis tantum mensib. sanguinem haurire licere, cum per totum grauidationis tempus fas, vrgente necessitate, & pariter adstante materiei redundantia sufficienti. quid quod, & sæpè tutius, vt supra iam diximus, & tutius multò sub medio tempore. quod de pharmaco affirmate ne tutum, cum hoc tantùm concedatur, à quarto ad septimum, vrgente necessitate, seu turgente materia, & cautè adhuc, ac religiosè præstandum. Neque valet consequentia, per longius tempus valemus nos purgare, quàm sanguinem mittere: ergo tutius illud. cum præter falsitatem antecedentis, non sit petenda securitas ex his, sed ex aliis plurimis, quæ suprà nuper replicauimus.

Quare ex his inferemus, & quia nihil nostræ naturæ infestum habet venæ sectio, imò familiare nobis auxilium, à Natura ipsa pariter edoctum, variis artibus sæpè maximo cum animalis commodo tẽtatum: præterea quia ab vtero sursum sanguinem non retrahit, (moderatè si exerceatur) iucunda simul, vacuatio cita, ac placida, citra effatu dignam commotionem, libera ac rationi subiecta, tutior longè huius sit vsus in grauidis, quàm purgationis.

Verum ne aliquem detineat ratio illa, in primo quæstionis vestibulo à nobis proposita, de vsu purgationis in fœtis, apud vtrosque Medicinæ Antistites, omnino venæ sectione repulsa, satisfacere modò libenter eidem intendimus. Hippocratem, etsi

vnicum Græciæ oraculum, solúmque de ignorantia triumphantem, huius tanti auxilij vsus deterruit sanè, ceu adhuc illud inexpertum: Galenum itidem, qui cum illius fontibus hortulos suos irrigasset, eãdem mox aquam infundit: sed vsus postea inualuit, & iugiter increbuit experientia, rerum omnium magistra, & huius auxilij edocuit vtilitatem, præstantiam, securitatem in cunctis grauidarum morbis sanandis; & quod magis est, etiam in firmandis fœtibus in vtero ipso, & ad eorundem cohæsionem maiorem. Quare quod grauissimi illi viri ratione compararunt (apparenti sanè): mox vsus; & longum ac assiduum experimentum respuit, & omnem timorem excussit. vnde perdoctè à Manilio lib. 1. Astron. dictum,

Per varios vsus artem experientia fecit
Exemplo monstrante viam &c.

An in vtero gerentibus sanguis mittendus citra morbum ad solam fœtus præseruationem.

Cap. XXVII.

Diutius his institi: sed quia intricata, pro virili mea replicanda fuere. Nec acquiesco, fluctuo amplius. grauis occurrit quæstio, & fortè cæteris operosior. incredibile dictu. Si vrgente morbo, à Medicinæ Parentibus venæ sectio interdicta, ceu abortiua, qua ratione illo absente, ceu tutelaris fœtui, eadem consulenda? Ardua igitur, difficilis pariter. Verum cum nos à Veritate coacti illos abnegemus Antistites, & vsus multiplex in alteram

potius

potius amœniorem partem nos alliciat, pedem iam promoueamus. quamuis classicos doctores, adhuc & hisce nostris temporibus prior altera opinio assertores habeat: hac expuncta, strenuè affirmantem partem nos tuebimur. Nec diffundor in his euoluendis, aut extra porticum meam spatior: cum ad quem spectat curare, spectet iugiter & præuidere, imò & sæpe eodem auxilio. præuidemus igitur istud secta vena, ne à plethora diuellatur ab vtero fœtus. opus quidem ingens, & acutorum curationi æquiparandum. Porrò & ex huius quæstionis elucidatione pręcedens vniuersa doctrina simul roboratur. Si enim ad præcauendum abortum venas scindere licet, quantò magis in summo naufragio, vrgente morbo idem præstare fas? Sed rem ordiamur.

Negantem partem, inter alios huius nostri æui apprimè doctus vir Donatus Antonius ab Altomario tenet exserte. hic inquam proprio de hac re conscripto libello, rationibus septem, eandem conatur defendere, & bimembrem constituere, dicens, citra morbum, ob fœtus solam præseruationem, ne licet scindere venas: tùm, auxilium istud nequit fœtas ab abortu liberare, siue fluat sanguis, vel non, ex quibus ius vteri vasis, siue in maxima, seu minima dimanet ille quantitate. hoc autem interdictum, ac nefas eẽset per omne conceptionis tempus, dum fœtus in vtero gestatur. Rationum verò quibus ipse hanc suam nititur stabilire opinionem, hæc series.

Omne illud, quod per se efficit abortũ, nequit ab eo præseruare: sed huiusmodi est venæ sectio. Ergo. Maior ex eo patet, quia sequeretur quod idẽ simul

ac ſemel eſſet per ſe abortus cauſſa, & ab eodem præſeruaret. quod nec veriſimile, nec poſſibile. Minor Hippocratis redolet mentem lib. 5. Aph. ſen. 31.

Altera ratio: Ex quacunque cauſſa fœtus per ſe deſtruitur, ab eadem vllo pacto nequit cõſeruari. Sed per alimenti defectum fœtus per ſe deſtruitur. Ergo. Aſſumptio Galeni eſt in com. nuper citatæ ſententiæ. ex qua ſic Altimarus concludit: Ex venæ ſectione fœtui ſequitur per ſe alimenti defectus, vt videre eſt in vtroque Medicinæ Parente. Ergo ex eo remedio nequit vlla ratione fœtus conſeruari.

Tertiò, ſi de quo minus videtur non ineſſe, ineſt, ergo de quo magis. Sed minor noxa videtur fœtui inferri ex inedia, & tamen hæc inter abortus cauſſas recenſetur etiam à Galeno lib. 5. Aph. ſen. 31. & 37. Ergo cùm maior noxa inferatur ei ex venæ ſectione, magis, & probabilius ex ipſa ſequetur abortus.

Quarta ratio, ſi ex alui profluuio vacuationis tantum ratione abortiuntur fœminæ, teſtante Galeno citato lib. 5. Aph. quæ cæterorum humorum à ſanguine vacuatio eſt: quanto igitur efficacius ex vacuatione ſanguinis, vnici nectaris fœtus, conſequetur.

Deinceps quinta ratio, præmiſſa hac hypotheſi, ſic ſe habet. Præſeruatio fit per ablationem cauſſæ, valentis in futurum aliquem præter naturam affectum in corpore excitare. Mox argumentatur, Quæcumque corpora mediocria, abſque manifeſta occaſione abortiuntur in primis conceptionis menſibus, neceſſariò ex Hippoc. lib. 5. Aph. ſen. 45. copia aliqua muccoris in vteri acetabulis contenti in cauſſa eſt. Sed ſanguinis miſſio non opponitur huic

cauſſæ,

causæ, imò augere valet eandem. Ergo.
Sexta ratio, Crudis, & vitiosis in ventriculo cõtentis humoribus, nefas quidem haurire sanguinem, hoc consulente Galeno libr. de cur. rat. per uenæ sect. cap. 20. & libr. 9. method. cap. 5. Sed vtero gerentibus huiusmodi humores semper, aut saltem vt plurimum colliguntur, vt declarat malacia, ex Galeno libro primo, de caus. symptom. cap. 7. Ergo. Quod si sectio venæ tunc exerceatur, tria mox insequuntur incommoda, primum ad inanitionem illam quamprimum sequitur suctio, & consequutione ad id quod vacuatur etiam illorum humorum ad venas vsque attractio: qui attracti non solùm valentes sunt abigere partum, verum acutorum, ac funestium itidem morborum auctores fieri. Rursus & ex concitatione illorum humorum in ventriculo, perfacilè, aut hypothymia, aut syncopes excitatur, aliquando & mors sequitur. Tandem ex eâdem humorum concitatione germinatur anorexia, aut pica, quæ symptomata cùm necessariò consequatur inedia, alimentum pariter, etiam fatali quadam necessitate fœtui detrahitur, & mox consequenter partus abigitur.

Verùm hæc sexta ratio, cum tantum vsum conuellat sectionis venæ sub primis mensibus, hinc alteram adiunxit prohibentem eandem sub mediis, & vltimis; desumpto medio ex Hippocratæa sententia illam abdicans; grandiore iam existente fœtu, quasi ipse maiori tunc indigeat alimenti copia, quam ne minuere tunc ius.

Septima & vltima ratio, si venæ sectio valens

esset fœtum ab ipso abortu redimere, illud quidem doctores classici, & in arte Medica exercitatissimi litteris mandassent, saltem Græci, qui ante nos in mittendo sanguinem fuere audacissimi. verùm cum à nullo sit scriptis notatum, imo ab antiquioribus, Hippocrate præsertim, atque Galeno, duo orbis Medicæ lucidissima luminaria, tanquam execrabile scelus omnino interdictum.

Ergo certò credendum illicitum esse huius auxilij vsum in grauidis ipsis ab ortu præseruantem.

His itaque rationibus fretus, abundè instituti rationem probasse retur, haudquaquam licere fœtis, citra affectus postulantis præsentiam, ad solam præseruationem venas secare, verùm tutioribus aliis auxiliis, iuxta postulantis morbi, & eius causæ naturam seriò occurrere. conceditque libenter huius auxilij vsum in grauidis morbo aliquo acuto lacessitis, vt hac arte nos eas liberemus.

Liquet igitur de Altimari sententia, non item de veritate. Sed iam ad veriorem lustrandam sententiam accedamus, duce iudicio, comite pariter experientia: quibus vtrisque pedibus recto progrediemur cursu.

Quamprimum omnium rerum mater magistra experientia per plurima secula, & vario ac frequenti vsu nobis vbertim declarat, quàm fidissimum sit auxilium, venas inquam vtero gerentibus scindere; quàm tutum sine vllo vento, aut morbosæ tempestatis nimbo fœtum adnixus portum perducere. Sed hæc experimenta profectò aliorsum ire, à pudore

dore abeat, qui neget. Cur amplius moror in re decantata? Porrò ne abnuat ratio. hanc comparemus.

Assiduè accidit aboriri fœminas ab ingenti plethora, aut suffocante calorem natiuum, aut diuellente fœtum ab vtero. Sed his incommodis nullo tutiori aut præstantiori occurritur auxilio, quàm venarum scissione, quæ ab hac præssura mirabili arte fœtum ac fœtam liberare potis est. Ergo ceu præstantius istud eligendum.

Prima propositio præter Hippo. lib. de sterilibus, num. 4. pariter demonstratur ex eo, quod ingens plethora, stabulato, & inculcato iugiter in aliqua nostri corporis parte sanguine, nec ventillari valente, cucurbitæ ritu, calorem natiuum quamprimum extinguit, mox, si patiens pars princeps fuerit, repentina simul sequatur mors.

Præterea ab eadem plethora maxima, ad vasa dicta, ipsis distensis, non solùm exoritur anastomosis, ex Galeno lib. 3. de causs. sympt. capite secundo, verùm & ruptio, qui ambo affectus simul partum abigere haud dubiè sunt valentes. Cúmque in vtero, tanquam in penu, grauidationis præsertim tempore hæc ingens sanguinis moles redundet, & vltra modum amplius in fœminis plethoricis, hinc est, quòd iis persæpè, ab eisdem sanè caussis, aboriri accidat. Testatur ratio, testatur experimentum, testatur & Hippocrates, vt diximus.

Assumptio rursus probatur, quia ingens illa plenitudo cum sit quidpiam magnum, magna nimirum caussa, fœtura iugiter magnum morbum, magnum proinde auxilium indicat.

hoc vel venæ sectio, vel purgatio, sed hæc inutilis, seu minus adæquata ad plenitudinem tollendam, minus itidem tuta grauidis, ergo altera potius eligenda.

Altera ratio. Auxilium quod respectat, imò & causam morbi fientis coniunctam aufert, respectabit, & tollet eandem paratam producere morbum. Sed venæ sectio, etiam ex Altimaro tutò citra abortus periculum respectat, & tollit causas coniunctas morborum grauidorum fientium. Ergo & simili ratione tutò, ac securè easdem tollet producere paratas illos præter naturam affectus, suffocationem videlicet, aut fœtus diuulsionem. Hæc ratio ita veritati consona est, ac facilis, vt probationem, ac ne expositionem quidem admittat. necessarióque ab ipsa vincitur Altimarus, cum ex Galeno libr. de curat. rat. per venæ sect. capit. 9. eiusdem remedijs quibus morbos sanamus, eisdem pariter & præcauemus.

Vltimò, sicuti fœtus sui conseruationem indicat per similia, sic quæ hunc abijcere valent, ceu præter naturam, siue ablationem per cõtraria. Sed plenitudo fœtum diuellens ab vtero, res est præter naturam. Ergo sui ablationem indicat per contraria. Plenitudo autem diuellens est, quæ ad vasa, quæ rursus maximam vacuationem indicat. Ergo tolletur tanquam à contrario, ac vacuatione maxima. hæc solum est vnica, & adæquata plenitudini, sanguinis videlicet missio. Ergo & hæc exercenda ad tollendum affectum iam iam abortum minanté. Nec confugiendum ad virium imbecillitatem quasi fœtæ, robore pri-

priuentur virium, dissuadente illud auxilium; vti senibus, ac pueris abesse retur passim Galenus. Nam adest quidem robur in fœtis vt sustinere valeant illud auxilium: his præsertim, quibus maxima redundat sanguinis copia. rursus nec suo robore fœtum priuabimus, si redundans tollimus abortus causam, haudquaquam nectareum eius pabulum. Tutò igitur venas tundimus, adstante plethora morborum germinatrice, vt fœtum in suo claustro, ad nixus vsque seruemus tempus. Commendat hanc eandem rem, & auxilij excellentia, & lenitas eiusdem, securitas, atque celeritas. quæ cum in ipso tantum, eminenter existant, reliquis neglectis auxiliis, ad hoc, tanquam ad sacram aram religiosè, & cautè confugiendum, eius poscentes numen.

Soluuntur rationes Altimari pro parte negante oblata.

CAP. XXVIII.

VT colophonem addamus huic nostræ opinioni, restat iam Altimari rationes infirmare, vt omni ex parte subruatur opinio. Et quamuis hoc munus præstiterit perdoctus Augenius libro 6. de sang. miss. cap. 15. & 16. & hanc nostram sententiam arctè pariter tueatur ibidem cap. 13. & 14. tamen nobis hanc eandem diuersimodè pertractare libuit, & rationibus vnà aliàs satisfacere. An exactius, an & doctius, aliorum esto iudicium.

Inprimis itaque vtramque diuisionis partem Altimari, procul damnamus, ceu veras nugas. Affirmamus autē citra morbi præsentiam, vt fœtum in suo

hortulo seruemus, quem abigit plenitudo, venas scindere ius. Quod vbertim propositæ à nobis rationes demonstrant, rursus & hoc auxilium fœtas ab abortu liberare seriò arbitramur: quod præter rationes, etiam in vtroque statu insalubri, ac neutra assidua commonstrat experientia: & quod magis est, etiam in omni grauidationis tempore. Sed rationibus occurramus.

Primæ, eius assumptionem non admittimus. nam venæ sectio simpliciter, & per se abortus causa non est, sed contingenter & per accidens, vti & purgatio, quam admittit Hippocrates. illa autem abortiuum fit auxilium, aut quando in corpore ea non adfuerit sanguinis redundantia, quæ fœtui non valeat præbere materiem, ac fœtæ, aut immodica fuerit vacuatio facta, & preter vtriusque vires. Non est igitur per se abortus causa. Nam etiam ex Aristotele lib. 1. de demonst. ca. 4. quod inest alicui per se, inest omni, & qua talis res. hoc de venę sectione affirmare & falsum, & eidem Altimaro reluctans, cum hanc in grauidarum morbis admittat ipse. non igitur omni: cum & sæpissimè citra abortum, operante Arte, aut Natura, accidat persæpè. Naturæ opus concedit etiam cum Galeno Philotheus. deinde nec qua talis res: nam ex sua natura funestum esset auxilium, si concitasset abortum. Quare cum per se causa abortus non sit, optimus eius vsus, hauddubiè valens erit, ab abortu redimere.

Ad secundam. Libenter concedimus omne illud primum argumentum, & alterius assumptionem negamus, quòd per se venæ sectio fœtui alimentum detrahat (vt nuper diximus) imò secundum quid,

quid, & per accidens, seu per abusum. neque aliud intendimus Galenum assitmasse. nam vti menses periodici, & hæmorrhagiæ per nares moderatè si fluant, tantum abest, vt partum abigant, quòd fœlicius multò pariant fœminæ: similiter & methodica venæ sectio, eundem serium præstabit vsum.

Porrò tertiæ rationi dicemus, & mediam & venæ sectionem abortiua auxilia, non per se, imò per accidens: quando immodicè, & vltra vires se habuerint. nam si iuxta methodum exerceantur, tantum abest, vt sint abortiua, quod fœtum potius in vtero seruent. Quid quod, & multò infensior media vtero gerentibus, quàm venæ sectio. cum illam non ferant ipsæ ; tum ob assiduum sectionis sensum in ventriculi orificio excitatum, assiduè cogantur, etiam intempestiuè alimenta capere, aliter enim animo linquent. Quare respuendum auxiliū, ceu ipsis intolerabile ad minuendam plethoram, & ceu tutius, citius, ac lenius alterum eligendum venæ sectionis.

Quarta ratio anilis. quid quod, & idem Hippocrates, quem ad sui defensionem Altimarus replicat, omnem dirimit difficultatem. Sed hunc audiamus, *si aluus multum fluat, periculum est ne abortiat.* Viden', si multum. Sed quid miramur vberem alui fluorem partum abigere? huiusmodi enim plura in fœta germinat mala, concipit noxa; corpus quamprimum agitat valdè, humores longè ab vtero retrahit, ad aluum cum impetu ducit, tormina excitat vterus pariter ab ipso impetuoso excremētorū descensu per partes sibi vicinas temerè cōcitatur,

ſpirituum maximam exſoluit copiam, & cum inutili materie alterius vtilis non minimam vacuat. Ex his rurſus non leuis conſequitur vitalis roboris iactura, deprauatur alimenti diſtributio, ac primò & ventriculi coctio, tum iecoris hęmatoſeos actio. hinc omnes corporis partes quamminimè nutriũtur, mox langueſcit totum corpus exhauſtum. Quid igitur mirum in tantis procellis, naufragium patiatur fœtus? cum tot, támque maximis, ac oppoſitis luctetur ipſe ventis? ſanguinis autem miſſio longè abeſt, ſi ſecundum rationem exerceatur, huiuſmodi pariat incommoda. Nam quamuis nectareum corporis pabulum detrahat, non tamen quod fœtui neceſſarium, ſed illud tantum redundans, quod ſua copia inutile fit.

Hypotheſin rationis quintæ libenter recipimus: primam autem argumenti propoſitionem, ne quidem ſimpliciter; & rationem aſſignamus. quia quãuis muccor abortus ſit cauſa ſub primis menſibus, haudquaquam hæc alteras reſpuit cauſas, plethoram, caſum, alui vberem deiectionem, & reliqua. Quare cum omnes hæ concurrere valeant, & harum cuilibet vnica ſibi ſit indicatio: ſi venæ ſectio muccori non opponitur, opponetur ceu vacuans, plenitudini. quid quod & Hippocratis oraculum Altimaro reluctatur, lib. 5. Aph. ſen. 45. cum dicat, *Quæ verò mediocriter corpulentæ abortum faciunt ſecundo menſe, aut tertio ſine occaſione manifeſta, iis cotylidones muccoris ſunt plenæ.* In qua ſententia tradit ille ſigna, quibus abortus cauſam inſinuet Medicus, à cotylidonum lentore. inter quæ ſigna preſſius notat fœminam corpulentam non eſſe, aut plethoricam, cum ab hac poſſit pariter fieri abortus,

&

& confundi iudicium: huic autem sola venæ sectio aptissimum sit remedium, haudquaquam muccori.

Sextam infirmabimus, si simpliciter negemus primam propositionem. neque enim simpliciter verum, neque hæc Galeni διάνοια, crudis existentibus in ventriculo humoribus nefas secare venas. consulit namque diuinissimus Auctor lib. de cur rat. per venæ sect. cap. 6. quod quando vires languidæ fuerint, & crudus succus per vniuersum corpus collectus, vnà itidem frigidus à venæ sectione nos abstineamus: sin autem vires fuerint validæ atque robustæ, crudúsque ille humor sanguini permistus, & adhuc ab ipso victus, seruante videlicet sanguine suam ideam, opportunè tunc de tanto remedio deliberare nos valebimus. vnde concludit ipse, cap. 13. *Quibus scopis præsentibus constat* (*vt ante diximus* cap. 9.) *nullam esse crudorum humorum tantam, talémque copiam, quæ hoc inhibere auxilium possit.* Et hæc est vera Galeni per ipsummet interpretatio. Hac igitur præmissa obseruatione accuratè de hoc auxilio deliberabimus in fœtis, etsi crudorum humorum, aut in solo ventriculo, aut in toto corpore adsit copia. differt tamen in aliud tempus auxilium ipsa cruditas ciborum, in ventriculo contenta, quousque sit facta eorum coctio, & excrementa in intestinis descensa, vt cum Galeno hanc rem superiori libro vberè replicauimus; nisi aliquis actu vrgentissimus adsit affectus, ad se velociter rapiens curationem, vti funesta angina, aut grauis apoplexia. Quare fas, præmissa hac Galeni mira obseruatione, malacia lacessita, aut humorum cru-

ditate redundante fœta in primis, ac vltrò, si à plenitudine timeatur abortus, venas ipsis tundere. Quod auxilium, ad fluxiones hepatis ad ipsum stomachum impetum facientes efficax; à quibus ne minimum sanè aut raró lancinantur vtero gerentes, vt pluries experimur; & præsertim in nobili fœmina, cui iuuenis cum esset, ac benè carnosa, quarto iam mense grauida, tum ichores ab ipso hepate ad vẽtriculi orificium prosiluissent, ibidemque infensum cardiogmon concitassent, statim à nobis scissâ vena, magna cum omnium admiratione, & nostro decore, ab illis pręssuris illicò etiam liberata fuit. Obseruata itaque Galeni methodo, ne pertimescenda Altimari incommoda, confirmante istud ratione, & vnà experimento. cùm Altimari doctrina tantum habeat locum, existente fœta cum maxima crudi ac frigidi humoris redundantia, tum ne ideam suam seruante sanguine, vt in cachexia videre est, tum in reliquis hydropis speciebus, exantlato iugiter virium robore. Rursus si fœta malacia laborauit, citra sanguinis augmentum, à quo abortus timeatur, ne ius quidem sanguinem haurire, imo lenibus quibusdam pharmacis aluum ducere, clementer itidem citra succorum concitationem, mox & vicibus iteratis cacochymiam, & ichorum redundantiam deponentes.

Ad septimam, & vltimam rationem respondebimus, quod etiam iuxta Galeni sensa libro meth. 9. capite octauo, omnibus datum non est adire Corinthum, aut cum Homero Iliad δ. *Sed non simul omnia Dÿ dederunt hominibus.* Porro, nec cuncta absoluêre Græci, quamuis ipsis plurimum debeamus

mus nos: cum quæ ab Ægyptiis illi acceperant, vt hi à primis Chaldæis in artem redegerint, & perfecerint amplius. tamen, nec proinde tam malè de posteris merita est Natura, vt illis omnem & inueniendi, & disponendi, & absoluendi etiam præripuerit caussam. Longa enim cum sit ars, testante dictatore maximo, adeo vt vitam hominis longo superet interuallo, plurima à posteris magna cum vigilantia, non minori industria atque labore fuere inuenta, quæ hanc nostram sacram scientiam & perficiunt apprimè, & seniorum doctrinam ad maximum perfectionis culmen perducunt fœliciter. Quorum omnium vberrima fructuum copia omnis hæc nostra posteritas aurea abundè fruitur, congaudet vberè, in omni scientiarum genere illustris, & gloriosa. Quid quod, & ex vetustioribus adest Cornelius Celsus vir doctrina, & genere insignis, qui hanc sententiam litteris mandauit: eandem mox post aliquot annorum centurias acutus Auerrhois: eandem ex Neotericis, ob saluberrimum eiusdem auxilij vsum, grauissimi doctores Medici, tum Itali, Galli, Germani, tum denique & omnes nostri Hispani & scriptis commendarunt, & vsu comprobarunt: inter reliquos doctissimus Amatus Lusitanus centur. secunda, cur. octuagesimanona experimento itidem stabiliit. Cana igitur doctrina, cana iugiter & rata sententia, cana & experientia.

Quamobrem cum hæc ita sint, concludamus oportet, licere nobis plenitudine existente aptè natura fœtum abigere, robore insuper adstante virium, gerentibus vtero venas scindere: etiam

nullo, actu existente, morbo, sed ad fœtus tantum, in suo lectissimo vteri hortulo, conseruationem. hocque auxilium posse per se fœtam ab abortu redimere arbitramur, tam fluente, quàm non fluente ab vtero sanguine, etiam in quolibet conceptionis tempore, dummodo secundùm artis præcepta, ac methodi iura cuncta administrentur, prudenter simul obseruata.

De mola, & huius curandi ratione per venæ sectionem.

Cap. XXIX.

Celebris paroemia apud Græcos & Latinos in ore fuit, *Deuitat quicunque molam, fugit ille farinam.* Mola à mole saxi dicta, qua semina teruntur, laborum symbolum, vti farina eorundem fructus; ad quos capescendos, ceu vltimarum actionum nostrarum finem auidè mouemur, accingimur. quare qui finem appetit, molam non deuitet, stridorésve eius non auertat. Porrò, nec quæ mulieribus, ac Medicis pariter laboriosa, vitanda; cum omnis farinam promittat, laborum fructus, fœminæ ab inexorabili atropo liberationem lætam, Medico triumphatricē gloriam. hanc igitur molam amplectamur, & hunc librum seriò claudamus, vt quos nobis fructus mola promittit, iucundè fruamur.

De mola plurimi, plurima. inter reliquos argutè fortè meo saltem iudicio Alexander Massaria libello quodam nuper edito de mulierum morbis. Sed cum mens sit nobis in hoc opere curationem per rationalem methodum tradere, dignotionem eiusdem

dem quantum ad curationem ſpectat replicabimus.

Si Hippocratem conſulamus, & lib.de ſteril.nu. 20.& lib.1. de morb. mul.num. 62.mola conceptio modici,ac ſimul morboſi ſeminis eſt,vnà cum plurimis menſibus, in qua quidpiam præter naturam generatur,omninò informe,rude,ac otioſum.Hanc eandem amplectitur definitionem Naturæ genius Ariſt.lib.4.de gener. animal. cap.7.eandem mox & Medicorum Phœnix Galenus lib. 14.de vſu part.c. 7.& lib.14. methodi. cap. 13. horum opinioni feriò nos ſubſcribimus Moſchionem, Cleopatram, Aëtium,Paullum,Auicennam; & reliquos omnes, ceu in angulo ſedentes,conſultò relinquimus.

Molæ igitur materies ſemen, & ſanguis menſtruus: per quæ principia à vero conceptu haudquaquam diſtinguitur, cum vtrorumque ſint ſemẽ & ſanguis materialia principia. renuente Heurnio lib.de morb.mul.ca.6.cùm ſanguinem tantùm materiem ſtatuat,contra veritatem: Hippoc. & Galenum. rurſus efficiens cauſſa, eiuſdem ſeminis vis formatrix flaccida, ne potens quidem corpuſculum formare humanum.hæc impotentia,& ſuam habet cauſſam, morboſam videlicet ſeminis diſpoſitionẽ, & portionem minimã, vnà cum immoderata menſurni ſanguinis quãtitate, omnem formatricem ſeminis vim obruente. hinc informe conſiſtit ſemen, ac inutile, vt citato nuper loco de vſu part. dixerat Galenus. mox ſumma ſanguinis vbertas paruitatem vincit ſeminis, & mola illa informis naturam ac ideam carnis potius repręſentat. Conueniunt igitur neceſſariò ad molæ generationem, duo illa communia omnium animalium per zoogoniam

orta principia, semen inquam, ac sanguis. Illud quandam impartitur imperfectissimam vitam, vnà & facultates nutricem, & auctricem, more tuberum, renuente pariter doctissimo nostro Hispano Auega lib.3.c.14.de Art.Med.conuincitur quia mola chorio membrana inuoluta apparet, per quam vtero adhæret, multáque itidem habet efformata vasa. & cum nihil citra vsum, nullum alium assignare lubet, quàm vt ipsa nutriatur, & augmentum vnà capescat, alliciendo sibi ad hoc munus mensurnum sanguinem: quo aliquoties tanta vi attractrice fungitur, vt præter modum sibi alliciente sanguine, & hepar refrigeret, eiusdem metropolis, hydropem germinet, hæmorrhagiam per vterum vberem aliquando concitet. Liquidò igitur ex his constat, molam vita frui, tum ad eius generationem necessariò semen virile concurrere liquet. quare Virginibus interdictus affectus. Hanc admittunt sententiam tum Hippocrates diuinus, lib.de sterilib.num. 20. tum Princeps Philosophorum Aristoteles, tum & acutus Abenthois commentario in citatum librum 4. Aristot.de animal.generat.cap.7. & cunctis his multò vberius, ac dilucidius diuinissimus Galenus lib.14.de vsu part.ca.7.

Cæterùm sunt qui oppositam tenent sententiam, ex antiquis scriptoribus diligentissimus Plinius lib. de Nat. hist.10.cap. 64. tum Festus Pompeius lib.de verbo.signific.in verbo molucrum, Cloatius itidem in libris sacrorum, tum Afranius in virgine, cuius verba, iuxta clarissimi Iosephi Scaligeri versionem sic habent,

fermè Virgini
Excrescit vterus, tanquam mulieri

Mo-

Molucrum vocatur. transit sine doloribus.

Ex Neotericis rursus adest doctissimus Syluius, tum insignis doctor meus Iacobus Segarra commentar. in lib. 1. Hipp. de Nat. hum. scholio in 9. sen. lib. de ho. nat. Sunt & alij, idem asserentes, quos longum esset recẽsere. Syluius probabili quadam ratione commotus, in hanc sententiam ductus est, dum oua in volucribus plurimis obseruasset, citra coitum, interdicto omnino virili semine, quamuis in gressilibus huiusmodi quicquam nusquam apparuerit, tum forsan ob eorum humiditatem, & minorem calorem. vnde, vt omnes fatentur Philosophi, nullum animal, muliere dempta, molæ lacessitur affectu, cum monstra in dies plurima eorum generent; vt scribit Arist. lib. 4. de generat. animal. cap. 4. Nec facilis ratio, nisi ad intempestiuum huius speciei coitum istud reduxerimus: cum reliqua animalia sua obseruent tempora, mulier nullũ, cùm etiam plena naui coitam exerceat, aut vt debitum reddat viro, cui adstringitur, aut quia reliquis fortè animalibus salacior: tum & quia sola mulier, etiam ex Aristotele menstruata.

Cæterùm, quamuis priorem sententiam libentius multò amplectar, ceu probabiliorem, ad molæ veræ & exquisitæ generationem necessariò modicum ac morbosum virile semen concurrere: tamen alteram non improbo, cum & virginibus molucrum quoddam gignatur imperfectum, molæ fermè ideam representans, vnà & earum ventrem in tumorem attollens, cuius rei haud dubiè fidelis, & oculatus sum testis. quare propter rei grauitatem, ac raritatem liceat modo quandam historiam nudè describere.

Virgo, nobilis genere, professione cœnobita, habitus viraginis, temperamenti calidi & sicci, quadragesimum iam attingẽs annum, religione ac morum probitate insignis: dum vitam ageret in cœnobio sanctimoniæ, ac castitatis fama perillustri (vt omnis suspicionis auferatur occasio) chronica quidem & larga per vterum laborauit hæmorrhagia cui, postquam plurimis nos; vnà & alter grauissimus Doctor, frustrata ope, præsidiis occurrere seriò tentaremus, tandem inopinatè oblongum quoddam corpus, tenui quadam membrana omni ex parte inuolutum figuræ digitalis, & vltra geometricum palmum oblongum, latum verò vltra duos pedes, per vterum reddidit: quo expulso, statim fuit ab hæmorrhagia liberata, & inde fœliciter habuit semper. corpusculum autem illud membraneũ fartum concreto quasi sanguine erat, & rubri sanè coloris, quod cum ob rei huiusmodi raritatem in vase terreo seruaretur, sensim per tres soles sanguis fuit liquatus in cruentum serum redactus, & extra membranam diffluens. membrana autem tenuis cuiusdam intestini referebat substantiam & ideam: quæ, ceu spermatica, ac densa, imputris per plurimos soles fuit seruata, rugosa tamen ob corpusculi inanitionem, diffluente sanguine illo seroso.

Cum igitur in Naturæ contemplatione nihil occurrat incredibile, tanquam prodigium admittendum. Quod si philosophari in arduis licet, id ex nocturna aliqua, & inuoluntaria pollutione ortum traxisse fit probabile, cum necessariò vtrumque principium & in fœmina, & in molá concurrere arbitremur. nequit enim membrana illa à sanguine germinari. Virago itaque cum esset virgo, calidique

ac ſicci temperamenti energiam habuit ſemen ad illud efformandum rude corpuſculum : ruditas impotentiam fœminei ſeminis hauddubiè connotat , vnde & imperfectæ molæ itidem referebat ideam , vti & mola imperfectæ conceptionis. nam veluti hęc conceptionem ſecundum naturam mentitur, ſic & illud rude corpus, molæ. haud quaquam etenim liquaretur facilè farcimen illud concretum, ſicuti eliquari nequit molæ illa fungoſa caro, & toto genere præter naturam, vt Galenus ſcribit libr. 14. meth, ca. 13. Cum igitur in virgine abſit præſtans illud facultatis formatricis principium , quod excellens in maſculino reſidet ſemine , tanquam in propria arce, hinc imperfectiſſimum fuit illud farcimen membranæ , concreti potius ſanguinis referens ideam. Nec tamen proinde abſolutè negamus, dari aliquod principium efficiens in fœmineo ſemine. patet in eadem hiſtoria. vnde namque membrana illam recepiſſet formationem, vnde figurã? habuit itaque efficiens principium à formatrice vi in ſemine fœmineo ſuã ſedem habente, vti materies ex eodem, ac menſtruo ſimul ſanguine. Hãc veritatem, Hippocraticis vinclis adligatis argumentis, à cũctis iam claſſicis Medicis, Philoſophis, atque Theologis huius noſtri aurei ſæculi vnanimi conſenſu receptam, quibuſdam tantum demptis Ariſtotelis hereſim temerè in ſequentibus , clariſſimus noſter Galenus demonſtrat, aduerſus eundem Ariſtotelem lib. 2. de ſemine cap. 1. Nihil igitur mirum, ſi in hac virgine , ab inſita in eius ſemine vi, membrana illa germinaretur vti in Gallinis oua ſubuentanea , citra maris coitum indies generari experimur : tamen iſtud

principium ne sufficiens quidem fatemur ad molæ generationem, cum potentius requiratur, tenuente Galeno lib. 14. de vsu part. cap. 7. cuius verba, quasi ex tripode dicta, hîc subscribam, *Non enim sicut gallinæ sine maribus oua pariunt, ita mulierem aliquando viderunt sine viro, vel molam, vel huiusmodi quidpiam concepisse.* Quare illud virginis ne mola, sed adnatum quidpiam præter naturam, ipsa mola imperfectius adhuc, quod propter viraginis habitum, ac temperamenti caliditatem ac siccitatem potuit in ipsa generari, cum & in ipsa vtraque principia existant semen, ac sanguis menstruus. Sed tempus iam est longius pergamus.

Mola itaque multiplici ratione, accidere potest, aut sola, aut vnà cum fœtu: rursus aut vtero hærens, aut separata: deinceps aut parua, aut magna: tandem aut vnica, aut multiplex. Sola, parua, separata, siue vnica, siue multiplex facilius multò curatur: difficulter autem, ac maximo cum discrimine fœtu comitata, hærens, magna, siuè vnica, siuè multiplex. quamuis quo plures fuerint magnæ, tanto & difficilius abiguntur.

Morbus hic in numero aucto est: augetur enim in vtero res toto genere præter naturam. indicat sui ablationem, quam, an sperandum, æstimandũ prius hoc insinuat apprimè prædictarum rerum exacta obseruatio. nam si cum fœtu, maxima, ac hærens desperandum ferè: cum nefas tunc citra fœtus corruptionem detrahere. quod & periculosum, & sanè piaculum. Grandior autem, etsi citra fœtum, cautè, ac religiosè educenda, & vnà cum periculi prædictione. quia ex Hippocrate libro

de

de sterilit.num. 20.ab ipsa mulier perit, neque vixquit ab ipsa, superstes fœmina remanere; exhausto iecoris calore, & exantlatis pariter viribus naturalibus, à nimia, ob eius maximum incrementum sanguinis suctione. quæ tam contumaciter aliquando perseuerat, quod non solum ad sui nutritionem nectar illud alliciat, verum plus iusto attrahat; vnde non minima subsequitur hæmorrhagia. habet se namque vti hirudo, quæ tandiu sanguinis congaudet pabulo, vase appensa & hærens, quod amplius insistens suctioni, iam repleta, & vomat continuò, nequente attractum sanguinem colligere, & adhuc amplius de nouo semper eundem attrahat, ac sugat.

Hanc molæ differentiam, vsu præsertim recepi Valentię, clarissimorum Medicorum insigni emporio, in quadam nobili fœmina: quæ, cum molam in vtero gestasset annosam, eamque maximam, iuxta abdominis tumorem maximum, contumaci sanguinis profluuio, per longum tempus laborabat, & tandem periit.

Denique superstes non remanet fœmina, si mola ingens fuerit aut quia difficulter, aut nulla ratione foras abigitur. de his consule Hippocratem lib.2. de morb. mul. num 62. & lib. de sterilibus. num. 20.

Omnis itaque mola, ex Galeno libr.14. method. ca.13. vnicum ac genericum habet curatiuum scopum. cū enim morbus sit in numero addito, hanc, vti cuncta alia præter naturam summouere, in totum properemus oportet. detractionis methodū, & varia itidem auxilia, describit Hippocrates nuper citato libr. de sterilibus num. 20. tum libr.

2.de morb.mul.num.62.nullibi autem de venæ sectione facta mentio,quod est instituti nostri ratio: cucurbitæ tantum recensentur,retrò affictæ ad laterum mollitudinem:tum clystere per sedem iniecti,&collutiones in vterum quibus auxilijs sanguinem multum vacuare monet idem Hippocrates. quare si sanguinis vacuationem tot artibus consulit, venæ sectionem,efficatius illud pręstantem,respuere ne autumãdum quidem vti neque quidquid menses,aut puerperium concitare quit siue internum,siue externum fuerit auxilium:tum quidquid valens sanguinem subducere molæ.porrò vterum mollit , laxat , vnà & cotylidones, quibus vtero hæret:facultatem rursus commouet expultricem.quæ omnia maximi censentur momenti ad eius opportunam detractionem.

Cæterum explorandum,an venæ sectio habeat. methodum iam aduocemus. Mola igitur res toto genere præter naturam sui ablationem indicans. hæc ablatio indicatur à morbi natura , eius causa,& reliquis coindicantibus hæc res præter naturam,causam habuit semen imbecille , & sanguinis mensurni accisi immodicæ copiam , & hæc vltima causa actu semper efficit , dum nutritionem,& augmentum parat,& simul fouet, est & aliud coindicans,cohæsioni quam maxima per venas quasdam insertas,hærentes simul ipsis acetabulis. hæc cohæsio separationem , ac diuulsionem indicat , vti morbus , & eius causa fouens ablationem per contraria. relinquo modò & alia minoris momenti.cum igitur causæ efficienti sit prius occurrendum , non neglectis aliis , ad hanc cõuertemur.quare quid quod valet causam illam

illam efficientem, & fouentem tollere, & vnà auulsionem præstare, appositissimum erit auxilium ad abigendam molam. Si autem vsus venæ sectionis obseruemus vtrumque affabrè exigit. Ergo. Assumptio liquidò demonstratur, cum ab vtero reuellat venæ sectio, & si magna, pabulum retrahat, partum abigat, vt apud Hipp. & Galenum videre est; commoueat deinceps, agitet per se corpus, etiam & per accidens diuellat, extenuationem parat, quia contentum in vtero, siue mola sit siue fœtus, suo nectare destituit. Quare deliberandum de venę sectione, ceu tutissimum, citissimum, & appositum auxilium.

Huius quantitatem metiemur tum ex morbi renitentia, & causæ magnitudine. si enim hæreat valdè mola, & sanguinis itidem vberior fuerit copia, & audacter, & abundè nos sanguinem hauriemus.

Occasio adest cum postulans adsit, & impediens adsit. sin autem multa fuerit hæmorrhagia, abundéque per vterum sanguis prosiliens, vt de dulci Guardiola, eius vxore, refert lib. 1. obseruat. doctissimus Valleriola, vnà & exhaustæ sint vires, hoc neglecto auxilio, ad alia tunc confugiendum.

Vtendi modum, cum hunc affecta doceat pars, quæ vterus est, ab ipso proximè sanguinem retrahemus, ipsum pariter vacuabimus, & in ipso maximam circa sanguinem cómotionem excitabimus. hos omnes sola inferna sectio affluenter adimplet. Porrò si quæ infantem corrumpunt, & partum abigunt, molam itidem & corrumpunt, & abigunt, istud promiscuè vena inferna secta, vt omnes testantur, & apposité præstat, exactiusque multò, quam quæ ex cubito fit. Ergo in abigenda mola, iuxta cu-

methodon, infernæ secandæ venæ. Hanc sententiã inter cęteros perdoctus Leonardus Iacchinus tuetur lib.in 9.Rasis,c.71.Respuunt eandem tum Altimarus,tum Mercatus,& alij, cum turpiter in huius auxilij vtendi modo,errent, consulentes prius secare supernas,mox infernas.Prior illa sectio anilis,cũ nullatenus vteri vasa depleat,sanguinem in ipso ne commoueat:inferna autem contrà,plurima germinat commoda,parat vtilitates, directò videlicet reuellat,detinet aptè,vacuet commodè,commotionẽ in vtero non leuem citat, expultricem vteri vim cõcitet,dilatationem oris vteri hauddubiè præstet.vacuato namque vtero, & eius circumscripta loca simul inanita,partes amplius cedunt,dilatari patiuntur, egressio exinde molæ facilis multò paratur. demum summo Dictator huic adridet opinioni, cum lumbis sectas cucurbitas consulat ; subdititia per vtramque aluum ad sanguinis haustum commendet tantopere , vt quæ moderatè illum per vterum reddant,incolumes seruari autumet ; secus autem perire à fluxu correptas. verum nullibi supernas sectiones commẽdat.Irridendus igitur & Heurnius, cum lib.de morb.mul.cap.6. & sectionem cubiti consulat,& vt præcaueamus inflammationem, eius vsum assignat.

Periocha huius secundi libri, de fœtarum acutis morbis sanandis per vena scißionem.

Cap. XXX.

CVm plures Philosophãtium viæ, plura itidem Medicorum sensa;eligenda via,per quam tutò insi-

insistamus pede, citius, atque certius ad optatum perducat illa finem. Lustremus itaque vniuersum hunc librum secundum, & sub periocha, quæ sparsim exoluimus, seriò complectamur.

Cum igitur consilium fuerit nobis methodum tradere per suos curatiuos scopos, morbos sanandi fœtarum acutos per venæ scissionem, nobis quamprimum ardua occurrit difficultas, an admittēdum auxilium in huiusmodi curatione. verum postquā necessariò admittendum viriliter ostenderimus, ratione duce, comite experientia, idem pariter Hippocratis, & Galeni methodus confirmante, pressè amplectendum illud. tanta, ac tam præstanti auxilij qualitate supposita, ad quantitatem deuenti (maximi sanè momenti in hac hypothesi) declarauimus hanc desumendam ex morbi quantitate, & eius causæ, postulantium huiusmodi auxilium, ac simul ex virium quantitate, eidem auxilio assentiērium. Vires autem hæ in fœtis non solum expendendæ, quales ipsæ fuerint in matre continente, verum & quales in contento fœtu: & hæ rursus non vitales solū, verum & reliquę, naturales pręsertim. ita vt notentur facultates naturales, & pabuli etiam vbertas ad fœtæ, ac fœti sustinendum robur. Vnde in vsu huius scopi quantitatis, relinquenda materies sufficiens, vires grauidę seruare ad omne morbi tempus facilè sustinendum, & vnâ fœtus, ne ob illorum defectum abortiatur. funestum sanè malum, piaculum potius.

Quantitate exposita, nihil minus vrget & alter scopus vtendi modi. verum cum in tota methodo curatiua nullum adsit indicans, valens modum vtēdi destruere: benè quidē aut prohibere, aut in aliud tęmpus auxilium differre, haudquaquā id quod sco-

pus vtendi modi respectat inuertere: videlicet, vt ne ab scopo recedamus, si pars affecta fuerit dextera capitis pars, & affectus venę scissionem postulauerit, vt naturę, ac vasorum rectitudo seruetur cephalicam tundendam esse methodus docet: neque potest aliquod coindicans adesse, quod hanc sit potens methodū lędere: imo sedulò ad id quod methodus exigit accedemus. Risum meretur, cò, quia oculus dexter imbecillem edit visus actionē, etiamsi vigeat morbus, ex brachio sinistro, aut pede sanguinē iusserit haurire. Quare stantibus cunctis aliis, quæ debent concurrere ad venæ sectionis deliberationem in grauidis, methodus vtendi modi eâdem lege obseruanda venit, ac si grauida nō esset fœmina ægrotans. Liberè igitur cunctas cubitorum venas scindemus, iuxta indicationem morbi, non solum acuti, verū & magni, vnà cum partis affectæ situs. Nec si fortè abortiatur, ob vsum huius methodici auxilij. cum sit operator rei licitæ, reus erit Medicus. Quid quod, & vrgentissimo existente affectu, venarumq; pariter inferiorum postulante scissiones, nulla alia adstante via, & debita quammaximè fœmina ob hostilem ac funestum morbum periclitante, hac gradiendum censemus; dummodò religiosè, ac cautè id fiat.

Vltimò alter scopus se offert occasionis: quæ occasio cum duplex obseruetur in laborante grauida, tum respectu morbi, tū respectu cōceptionis. prior illa, ad hoc nostrum non spectat modò consilium, cùm pręsens semper, quotiescunque adest postulās, & impediens abest: verum altera æstimanda nunc venit, quæ præsens itidem semper, quotiescunq; & altera prior aderit. In omni itaque conceptionis tē-

pore

pore & postulante morbo, & viribus vnà assentiẽtibus fas grauidarum tundere venas, neq; vllũ tempus inopportunũ ad eius auxilij vsum. quãuis illud sit fatẽdum, quod tutius istud, sub medio cõceptionis tempore, à tertij mensis fine ad principium vsq; septimi, mox & tutiores menses priores vltimis, in quibus præsertim religiosè, ac cautè exercendum.

Verum cũ quibus auxiliis morbos curamus præsentes, eisdem, testante Gal. lib. de cur. rat, per venæ sect. c. 12. futuros pręcauemus, vt & rationalis docet methodus, hinc arbitramur ad præseruandũ fœtum in vteri claustro, mutante plenitudine eius ruinam, licere nobis, imò & ius esse venas secare, & plenitudinem illam ad vasa calorem suffocãtem natiuum, & fœtum iugiter ab vtero diuellentem, hoc tutissimo artis auxilio vnà auferre. quod assiduus & longissimus vsus confirmat, ratio pariter tuetur, duæ Artis Medicæ firmissimæ bases.

Hoc idem auxilium locum habet in sananda mola, si præsertim ex partibus inferioribus exerceatur, ceu valentius depeculari pabulum molæ, concitationem efficere maiorem, & eandem mox abigere. Hoc itaque nobis fuit consilium, methodum exercere curandi per venæ sectionem morbos fœtarum acutos. quam curare ac disponere (à nemine adhuc factum) arduum fateor. nec scio, an pretium operæ apparebit: Deus saltem reddet. quod amabilius, & optatius. Si quid interim fuerim lapsus, aut fortè titubauerim Philiatrè excusa.

syrtes; quot scopuli, quot vada, quotque saxa in tanta curationum obscuritate! intelligit profectò nemo, nisi qui seorsum in his se exercet. in quibus omnibus nisi mentis, obseruationis inquam, ac prouidentiæ gubernaculo quis moderetur, atque regatur, haud dubiè illisus, in aperto discrimine submergetur. Cæterum cum in periculis audaces, seu cum Nonio audentes oporteat fieri, quos fortuna ipsa iuuat; cumque tam necessaria, ne vtilis dicam, hæc se offerat nauigatio, cuius grauitate, ac æstu, etiam nolentes rapimur, littus potius legentes, & optantes, Elephátorum more (qui etsi amnibus delectentur impensè, eos haud quaquam temerè ingrediuntur, cum natandi inscij) cautè ac seriò hanc nos arduam prosequemur nauigationem. Repressit autem nos metus, & aperiatur mens, eo quod in tam difficili via, inuia adhuc, arcton absit, ad quam flectendi oculi, vnà priuemur consultissimo testore Hippocrate, aut altero dexterrimo Argonauta Galeno. Ille etenim nudas, citra curationis ideam, quasdam refert enixarum historias, hic, interpretis solum fungens munere cuncta silentij velo obnubit, tegit. vnicum tamen restat confugium, Auctor inquàm libri primi de mulierum morbis, qui quámuis ductor obscurus, ac plenè non fidus: director tamen digitum intendens, quô, & quâ contendamus, & ceu salutaris stellæ fulgor etiam & nostros fluctuantes eriget animos. Ipso igitur præuio, vnà cum nostra tenui industria, nauigatoriam pyxidem, ex firma vtriusque Parentis axiomatum materie, maturè construemus. quâ, & summa præsertim Numinis splendore ducti, cuius mutu omnis sermo gratiá recipit, speramus nos, & occul-

tas,& mutas transfretare regiones,quibus expansis, via simul cuiq; reddetur facilis, vt methodicè quisque;per suas indicationes, de venæ sectione valeat deliberare,ad morbos enixarum acutos tutò, ac citò excluendos.

Morbi hi quantam amplectantur sæuitiem, quãtam mox concipiant grauitatem, ac si maius cacoëthiam. & vbertimè sermo declarabit inferior, & palàm quotidiana experientia:cum & eorum grauitate, ac vi funesta persæpè infœlices enixæ acerbè terram petant. Verum huius lachrimosæ pressuræ caussas facilè nobis erit assignare,cruciatus partem ingentes, immanes ac hostiles partus dolores, tum partim excrementa teterrima, à conceptione accisa,& per vniuersum corpus redundantia,lethalium sanè morborum fœtura. Lege namque sancitum à summo Conditore Genes. 3. in peccati intrepidæ Protoplastæ pœnam, & hanc, vti & cunctas alias mulieres (vna dempta gloriosa deipara Virgine, quæ simul ab originali redẽpta fuit labe) in dolore parere. Quæ pœna,nihil aliud fuit,quam mulieris committere caussis naturalibus, consequentibus suas secundum naturam operationes; quas originea iustitia represserat, ac vi coërcerat. Nec huic pœnę,alteram supra naturam autumandum adiunctam fuisse caussam:cum nec quidpiam simile contemplemur.Nam,referente Angelico doctore 1.p.q. 90.art.2. in sup. ea quæ κατὰ φύσιν homini,neque subtrahuntur,aut ei per peccatum dantur:imò per hoc illud impedimentum ὑπὲρ φύσιν tollitur, & Naturæ legibus,ac tenori exponitur. Ærumnæ itaque illæ, ac dolores κατὰ φύσιν germinantur, & à calcitratione fœtus, maxima pudendarum partium dilatatione,

ace-

acetabulorum diuulsione,& à mordicatione,ac excrementorum erosione, à quibus illa acerba concitantur tormina, cruciatus pariter immanes. à quibus haud dubiè ferinis symptomatis, quæ diuinè innuit Christus dominus, in sæculum benedictus, Ioan.16.dum dicat, *Mulier cum parit tristitiam habet*, persæpè etiam inexorabilem mortem gustat, etiam simul amaritudine plenam.

De hac re,& elegantem,& funestam iugiter in sacris elogiis habemus historiam, Genes,35.pulcherrimæ illius Rachelis, Israelis vxoris, quæ, *cum parturiret* (vt diuina rentur eloquentia) *ob partus difficultatem periclitari cœpit. dixitque ei obstetrix, Noli timere, quia & hunc habebis filium. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui Berroni, id est filius doloris mei &c.* Occurrit mox & altera humana historia, apud Valerium Maximum lib. ipsius 4. de Iulia C. Cæsaris filia, cap.6.& Magni Pompei vxore, quæ *metu territa, ne morito vis aliqua esset allata, exanimis ipsa concidit, partumque quem vtero conceptum habebat, subita animi consternatione, & graui dolore corporis eiicere coacta est, atque ita expirauit.* Si igitur propter tot dolores sæuos, angores immanes, hostiles cruciatus, funestas ærumnas, tam grauis, ardua, & periculis plena ipsa parturitio, vt horrescant herclè fœminæ, vt Plautus cecinit, quoties fit tãtum paritionis mentio: quantò magis si post tot incommoda nixum, aut abortum consequentia, eiusdem misserrimis mulierculis grauis aliquis, & acutus succrescat morbus? tunc proculdubiò exantlato corpore (vt voce Sophoclis vtar) ęrumnis exhausto, omninò iam à partus in Trachiniis cruciatibus languescen-

te, & virium pariter amiſſo robore, à, non dicam magno, verum & à minori ſuccumbent ipſæ morbo. Præterea, quid de earum in huiuſmodi partione, funeſto animi perturbationum agone dicam? cum metuant. quid metuant? paucant potius, mœrore conficiantur, lancinentur præcordia, agonia fera tabeſcant. Ex quibus omnibus non animus ſolum contabeſcit, verum & corpus per quandam diaphoreſin omninò exoluitur, vt ne minori quidem malo penitus reſiſtere valeant. Quam igitur in tam difficili, & tam intricato labyrintho certam Medicus aggreditur viam? Meherclè res hęc diuino ediget Mercurio.

Porrò præter has cauſſas, à quibus immorigerè lancinatur animus, infligitur vnà enixæ corpus, quæ arduam ſanè parant eiuſdem morborum curationem, altera nec infima quidem occurrit, morborum antecedens cauſſa. nam cum per totum conceptionis tempus typi menſurni fluxus ſubſiſtant, fœtus iugiter dulcius tantum alliciat, & inſtar plantæ vtilius ſolum ad ſui alitionem ſugat, reſpuat impurius, teſtante diuino dictatore lib. de Nat. pueri num. 39. hinc maxima in vniuerſo mulieris corpore, prauorum ac teterrimorum exuberat ſuccorum colluuies. quæ nullam, quietã, præ ſe fert malignitatem, etſi per longam nouem aut decem menſium morulam iidem ſucci excellentem contrahant labem. iuxta illud Ouidij, li. 1. de Ponto. *Vitium enim ſapiunt, in mouean tur aquæ.* Iſtud de excrementis pariter confirmat Galenus lib. 3. de Nat. fac. capite 12. Hi itaque ſuccit, poſt tam diuturnam quietem, impuritatis fœturam dum vehementibus illis nixus commotionibus agitantur, ceu

ceu camarina mota, suam corpori cacoëtham impartiuntur vim, exalationum nihilominus virulentarum enargia, à ferinis illis succis eleuatarum, lethales, ac sæuissimi germinantur morbi, cacoëtha & immorigera simul symptomata, illorum quasi surculi.

Hanc rem videtur satis, supérque declarasse summum Præceptorem, quibusdam historiis, quas 1.& 3.Epidemicωn replicat libris. In his namque cum octo recenseat puerperarum historias, ex his omnes (vna excepta Epicratis vxore, quæ post plurimos, ac ingentes labores, octuagesimo sole fuit absolutè iudicata) & à symptomatum sæuitie, & à morborum grauitate, & caussarum cacoëthia, debitum reddidere Parcis tributum.

Si igitur huius optimi Parentis, Artis Medicæ vnici splendoris inualido auxilio, & ope tot periere enixæ, quis amabò euentum istud alteri attribuet caussæ, quàm morborum immanitati, caussarum cacoëthiæ, & sæuitiei symptomatum? quid igitur sperare poterunt inferiores Medici? quid rursus abortui, (quorum infinitus ferè numerus) in tanta rerum enixarum caligine? Excipit, & adhæret tandem altera caussa, quæ huius nostri consilij quam maximè grauitatem commendat, ardua inquam, obscura, nec non & difficilis morborum enixarum curandi methodus. hancque intricatam reddit, morborum implicatus cōnexus, tū & series inexplicabilis lochiorum: dum, aut quia accisa, aut imminuta, inualida fit ad omnem morbi materiē eliminandā, quid quod & crebrò prohibētia præstantiū remediorū vsum, nec rarò occasionē

eorundem submergentia. Hinc peritissimi Medici in re tam ancipiti, obscura, ac vnà funesta omninò terrentur, & in maximo versantur discrimine, tumultuantes, & anxij, quid præstare valeant, quo se vergant, quámque in tam vrgenti, & tot ambagibus circumscripta occasione viam insequantur. Quare certant sæpè numero in eorum cœtibus, clamitant, contentiosè efferuntur, an propter accisum, aut imminutum puerperium, vel quia vterus morbi fuerit principium, expede, an rursus, propter nouum germinatum affectum phrenitidem, anginam, conuulsionem, aut pleuritidem ex cubito potius hauriendus sanguis. digladiantur mox consultissimis verbis, an catharticum porrigendum. an ab ipso abstinendum, potius. Deinde argutè replicant, an accida, an frigida alia auxilia ob synocham excretam, vt acria attemperent excrementa enixis largiantur, an secus eiusdem abhorreant, quia vterus illa, ceu inimica respuit, & ab illis iugiter, maxima cum enixarum iactura histericæ concitantur passiones. Denique contentiosum funem, alterno ductu in diuersa distendunt, an in vsu auxiliorum opportuno, motum expectent naturæ operantis in puerperio, an simul vergant, quo ipsa vergit, iuuantes omni studio hunc motum antidotis, mouendo pariter sectionibus venarum inferiorum, aut scarificationibus, aut pestis per vterum iniectis. Quid plura? Verum cum singuli, ob rei grauitatem, ac difficultatem, incomprehensibilitatem si maius, singula etiam, etsi opposita, probabili quadam ratione tueri contendant. hinc disparatæ exurgunt sectæ, tot, ac tam distantes dimanant opiniones. Quamobrem ex his satis, supérque constat

ſtat noſtri nos conſilij rationem demõſtraſſe, quàm arduum videlicet, quam difficile, quámque vaſtum ſit occeanum enixarum pertractare morbos, non in pathologia ſolum, verum & in actuoſa Medicinæ parte, herculeos ſanè inducens labores.

In hac igitur doctrinæ caligine ſapientiſſimum nos Ezechiam imitabimur regem, qui cum à Sennacheribo Aſſyriorum potẽtiſſimo rege opprimeretur valdè, quaſi ex ſpes ad Dominum conuertitur, 4. reg. 19. dicẽs *Venerunt filij vſque ad partum, & vires non habuit parturiens. conuerſus proinde ad Dominum, miſertus eſt ei: & miſit Angelum qui percußit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia, adhuc & regem filij eius gladio percuſſerunt.* Nos itaque dum viderimus fœminam ad nixum venientem, & præ partus ſæuitie, ac dolorum immanitate ad partionem vires non habere, orantes, conuertemur ad Dominum, qui hauddubiè Angelum mittet de cœlis, ſeu mentem pij in eo ſperantis artificis ſuo diuino ſplendore illuſtrabit; vnde tyrannus morbus, & omnis funeſta ſymptomatum cohors gladio acuto peribit. Hoc idem diuinus Dictator inſinuare herclè voluit, illo ſæpius à nobis repetito oraculo, dum mulierum morbos quid diuinum habere ſtruat, & in earum rurſus curationibus ſemper à ſupremis Diis exordiendum retur.

De vehementia doloris in nixu, & plurima de partu.

CAP. II.

PArtus, quem τόκον Græci vocant, tum vteri, tum maturi fœtus ſecundum naturam eſt actio. hác,

cum inseparabile symptoma dolor sequitur, & hic intensissimus, vt plurimum. Homeri verbis, & sententia vtar, Iliad. δ, ut hoc explicem,

Ως δ' ὅταν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα,
Δριμύ, τό τε προΐεισι μογοστόκοι εἰλείθυιαι
Ηρης θυγατέρες πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι.

His versibus bis vtitur verbo ὠδίνω, quo dilucidè innuit acutos, & immorigeros partus dolores, propriè enim significat illud verbum partus doloribus crucior. Tanto itaque impendio sæuit hoc immane symptoma in nixu, ac crebrò post nixum flacente puerperio, quod sine multorum auxiliorum ope obliterari nequeat, & parturiētes quasi elumbes, exanimato animo orci faucibus committat. Eleganti hieroglyphico istud lustrarunt tū Ægyptiorum Persæ, cum Lucinam partuum præsidem dictamno redimitam illi dependerent, facem in altera manu præferentem accensam, arcu alteram armatam, cui pharetra simul sagittarum plena ex humeris illius pendebat, etiam testante Cicerone ora. in Verrem Latinæ eloquentiæ parente optimo. hoc idem insinuat suprà venustè, ac eleganter Homerus Græcorum Poetarum Antesignanus. Illa cuncta apposita sunt symbola, qua declarantur atroces, ac frendentes parturientium dolores, quos omnes Lucinæ auxilio leuari, inter reliquos Orpheus itidem scribit vnde hanc Græci, vt apud Homerum suprà videre est εἰλείθυιαν appellant, eò quòd maturos fœtus ex vtero euocet, ac parturientibus prestò fiat in auxilium. Hinc Comicus eam compellit dicens, *Iuno Lucina fer opem.* Catullus itidem,

Tu lucina dolentibus, Iuno dicta puerperis.

Quan-

Quantum horum dolorum inmanitas, atque sęuities reliquas dolorum excedat ideas, apposité videntur declarare diuina eloquia, dum apud sacros vates ad vrgentissimos cordis dolores, & inexplicabiles animi ærumnas significandas, hac vtantur apposita parturiéntium dolorum metaphora: quasi nequeat res aliqua nobis ante oculos poni, in qua magis hoc symptoma sæuiat, vrgeat. hoc inter cæteros insinuat Psalmographus diuinus, psalm. 47. dicens, *Ibi dolores vt parturientis.* quæ verba, affirmante Genebrardo viro huius nostri æui sanè docto de sæuissimis tyrannis, ac infandis hæreticis interpretantur, omni arte sacram oppugnare Ecclesiam sitientibus. quamuis Lyranus seraphicæ Franciscanæ familiæ alumnus de Herode tyranno scribi censeat, dum per Magos Christi aduentus fuerat renunciatus. quem, tam acerbè passus fuit, quod ab immorigero dolore, in eo delirio, ac mentis implacabili rabie deuenerit, vt insontes à bimatu infantes, ad quatuordecim millia, vt Christum dominum inter eos interficeret non puduerit impiissimo percutere gladio, adeò, vt ne proprio quidem pepęrcerit filio: non Antipatro, vt decipitur Macrobius, quem iam adultum ante diem quintum eius obitus interire itidem iusserat, testante Iosepho lib. 17. Antiq. Iud. cap. 9. Illa igitur audita crudeli insania à tanto concitata dolore Cæsar Augustus, vt refert Macrobius, 2. satur. ca. 4. & acutè, & facetè inquit, *Malim porcum, quam filium Herodis.* Sed hæc missa faciamus: quia forsan aliquantulum ἀπὸ τῆς σκόπου.

Qq 2

Cæterum, vt hæc nixus dolorum doctrina sit cunctis facilis, præfari prius aliqua lubet, partus quamprimum essentiam & eiusdem rursus ideas varias replicare. Absolutus itaque, ac vndequaque perfectus fœtus, cupiens amplius copiosiori alimẽto, nec non liberaliori aëre, tandem, ardenter sanè de illo opaco carcere, obscuróve vteri claustro exilire exoptat, contendit. huius rei manifestus astipulator Hippocrates lib. de Nat. pueri, num. 37. tum Galenus & lib. 3. de Nat. fac. cap. 3. & libr. 14. de vsu part. cap. 8. Istud vt præstet, optatum xè consequatur finem manibus vtrisq; se exagitat, pedibus vnà calcitrando membranas, quibus vtero hæret lacerat, diuellit, vterum recalcitrat, quo valido commotus impetu tandem prosiliit. quo motu vias, per quas transgreditur dilatat præter modum, ossibus pubis, & illi haudquaquam distractis; sed mirabili quadam summi Dei prouidentia, locum cedentibus. Motum hunc septimo semper mense fœtus affectat vt lib. de septim. num. 6. & 7. partu recenset Hippocrates. quod si scopum non attingat, tunc aut propter eius imbecillitatem, aut continentis vteri resistentiam, idem nono, aut decimo tentat mense. vterus itidem, cum ægrè ac acerbè ferat, tum molestũ onus adaucti fœtus, tum ab eodem, & detrimentorum vnà copia nimiam distensionem, quasi turgida quadam distentione offensus, vt dixerat Galenus lib. 3. de Nat. fac. cap. 12. totis viribus, totoque conatu, expultrice vi excitata idem offensum onus deponere strenuè studet; accingitur ad opus, contrahitur, os eius dehiscit, quod strictè per totum conceptionis tempus fuerat clausum, fœtum denique mirabili arte eliminat. Et quamuis primus motus

fœtu, à

fœtu, ex Galeno lib. 5. Aph. ſen. 37. vtriuſque tamen contentione foras emittitur, non impedes quidem, aut obliquè, ſed vt diuinus aſtruit Dictator lib. 7. de morb. mul. num. 50. & lib. de Nat. puer. num. 37. tum & lib. de octim. part. num. 2. in caput potius, ſi ipſe ſecundum naturam exiliat. elegāti analogia ab ipſa ſtatera petita demonſtrat affabrè, in qua pars grauior deprimitur ſemper, leuior contra ſurſum attollitur. cum igitur partes ab vmbilico ſuperiores (centum quidem hominis) grauiores proculdubiò fuerint, neceſſariò ſuo pondere prius feruntur deorſum. Ariſtoteles, tacito tanti huius auctoris nomine (cum callidè tibi moris ſit Hippocraticis ſæpè fontibus hortulos ſuos irrigare) hanc doctrinam li. 5. de Gener. animal. cap. 9. repetit, quamuis ne fideliter ſanè, cum in hæc erumpat verba, *Maiorem eſſe partem ſuperiorem ab vmbilico, quam inferiorem, vnde maiora plus ponderis continent.* Duplici nomine hîc peccat Ariſtoteles (& mirandum ſanè hunc Naturę genium tam fœdè trepidaſſe in re facili.) inprimis errauit dum aſſignat partem ſuperiorem ab vmbilico maiorem. cum homo, qui duobus poteſt conſiderari modis, & rectus ſeu ſtans, & expanſus, nuſquam maior eius pars ſupra vmbilicum. nam ſi rectus obſeruetur non vmbilicus, ſed altera inferior pars, pudendum videlicet, medium erit totius longitudinis corporis humani, cum æquè hæc pars ab vtroque diſſit extremo, in homine inquam perfectè formato, regula cæterorum. hinc fortè Varro libro 3. de Lingua Lat. hanc partem virilem. Pithagoræ terram vocauit, quia vti terra orbis eſt centrum, ita organum virile centrum hominis, à quo lineæ omnes ad circumferentiam ductæ, inuicem

sunt æquales: rursus si æstimetur homo expansus potius orbicularem figuram repræsentans, extensis videlicet cruribus, & manibus, tunc hauddubiè, vt doctissimus confirmat Vitruuius lib. 3. Architect. cap. 1. huius figuræ centrum vmbilicus erit, æquè distans ab extremis digitis, si circini, collocato centro in vmbilico eius circumagendo rotundationem vtrarumque manuum, ac pedum digiti linea tangantur. Quare siue rectus, siue pansus obseruetur homo, nunquam superior pars ab vmbilico maior erit, imò potius minor in recto, & vtraque pars æqualis in expanso. Conuellendus præterea Aristoteles, cum concludat falsò, *unde maiora plus ponderis continent*. hæc enim simpliciter falsa. cum magnitudo propriè de quantitate continua dicatur, & pondus propriè de qualitate. etsi libr. 5. Metaphys. affectionem quantitatis assignarit pondus, quia modum habet quantitatis, & vt Alexander Aphrod. inquit, excessum, vel defectum inclinationis ad motum significat: propriè tamen pondus ad qualitatem spectat. Porrò cum quantitas continua de linea dicatur, quæ sola longitudo est: de superficie, quæ pręter longitudinem coniunctam habet latitudinem: corpore tandem, quod omnem trinam habet dimensionem: si Mathematico more sumantur, de nulla ex his quantitatis speciebus, cum mensiones abstractæ sint, verum erit affirmare, quò maior, eò ponderosior, cum omnem excludant materiem: nam cum magnitudo in sui ratione abstracta dimensionem certam non includat, sed hanc, vel alteram: similiter potest aliquod corpus maius esse altero in longitudine, & hoc altero latius, ac profundius, & per consequens propter exceden-

cedentes dimensiones illo ponderosius. quid quod etsi corpora æqualia sint in trinis dimensionibus: tamen propter diuersos substantiæ modos, iuxta commoderationem, & consistentiam materiei elementorum in mistione, vnde quia aut rarior, aut densior, vnum erit altero grauius. densius namque corpus & compactius, semper grauius erit rariori, quamuis sub æquali fuerint dimensione.

Hæc libaui, ne fortè quis relicto Hippocrate, solo de ignorantia triumphante, Aristoteli hæreat; cuius magni viri auctoritate commotus, hunc eundem offendat lapidem. Deprimuntur igitur partes superiores, quia cum Hippocrate grauiores, haudquaquam quia maiores, vt Aristoteles censerant. quod autem illæ grauiores fuerint, nulla indiget probatione, rem obseruanti.

Partus itaque cum vtriusque & fætæ, ac fœtus iugiter ope fiat, vtriusque etiam notandæ veniunt actiones. alteri namque, si commissa fuisset actio, difficilis inde, ac amplius laboriosa: vti si languido, aut exantlato, aut mortuo iam fœtu omnis actio puerperæ relinqueretur, proculdubiò & difficilis partus, & laboriosus supra modum, etsi suam κτ̀ φύσιν figuram, in nixu fœtus seruarit, operosius itidem accidit partus, ac grauis, si animam iam penè agente fœta, totum nixus munus, fœtui attribuatur. De causis facilis, aut difficilis partus plurimi plurima, & perdoctè sanè: verum inter reliquos non minori laude hanc prosequitur doctrinam doctor clarissimus Victor Trincauelius libro vndecimo de curandi rat. capite vigesimoquarto idem & Ioannes Heurnius libro de morbis mul. cap. octauo quæ ceu à nostro

ctionem, immorigeram, ac hostilem laborum congeriem. Accedunt mox & alia dolorum symptomata, mixum consequentia, vlcera quamprimum in vteri præsertim stomacho oborta, ab infantuli violento exitu, quæ rursus cum à laceratione illarum partium contrahantur, non leuis excitatur dolor, inflammationem, vt plurimum, iuxta Galeni doctrinam lib.5. Aph. sen.53. concipiens: Galeni nūc verbis vtar, *Nam hæc communis ratio est, vt vbi natura aliquid violenter excernit, eo sanguinis, & spiritus motus fiat: quibus veluti instrumentis quibusdam vsa per vim propellit ea, quæ molestiam exhibent. hac siquidem ratione, & dolentibus partibus superueniunt inflammationes, doloris caussam excernere, & propulsare enitente, & properante natura, quæ vt præstet, sanguine & spiritu dolentem locum replet &c.* Et hæc haud dubiè caussa, ob quam itidem enixæ, etiam post partum multoties doleant, multísque vexentur torminibus. nam dolorifico ipso, ac violentè nixu sanguis & vnà spiritus, magno cum impetu, versus vterum ruunt, vasa vteri, tum vicina supra modum replentur, distenduntur pariter, & hinc dolor concitatur intensissimus: eò præsertim, si calidus & acris fuerit sanguis, aut in grumos coactus. vellicat enim acerbè sua acrimonia, vti inæqualiter replet, ac vasa distendit eiusdem θρόμβωσι. Rationem hanc, experimentum comprobat, dum post copiosum puerperium omninò sedetur dolor, & vnà mitescāt mulieres. probl.37. dum explorat caussam, cur mulieres, & oues mitiores, reliqua ferè animalia sæuiores post partum reddantur. quia inquit, in illis secedunt in partu. quæcunque onere, & molestia afficiunt: horum verò plurima, cum lochiis careant, &

ex his quæ benè habent in corpore partim auferantur,& excādeſcunt tunc, & macie afficiuntur; vnde poſt partum exaſperantur,efferatáve rabie ſæuiunt, vt videre eſt in canibus,ſuibus, viperis,Plinius li.8. de Nat.hiſt.ca.51.

.Dolent igitur enixæ in partu, ac pòſt , tum propter nuper ſignatas cauſas , tum reliquas noxam vtero valentes inferre , & viciniori bus eiuſdem partibus : idque tandiu , quandiu corpus in priſtinum ſalubrem ſtatum fuerit reſtitutum.

Tandem exponendum nobis, cum omnis nixus anxifer & dolorificus , quibus magis in vniuerſum habendum,quibus laboriotior. Labor namque & dolor maximam inter ſe habent affinitatem contractam , tantam inquam, quod Græci, etiam vt in Onomaſtico aduertit Erotianus,vtraſque paſſiones ſub vnico amplectantur vocabulo , πόνος videlicet. vnde leuidenſè Tullius , arguendi Græcos occaſionem arripuit , libr. Tusc.quæſt. quaſi breuiloquos, cum commune nomen haberent has diſpares inſinuandas affectiones. perperam ſanè dictum. nam Græcia,ceu Eloquentiæ Parens, cunctis rationibus celebris fuit ; Athenæ inter reliquas vrbes inſignior,venuſta quidem,ac decota altera Venus.quid quod Latina lingua omnem ſuum ſplendorem, nitorem , & facundiam , ab illa Græca , ceu rutilanti Phœbo,proculdubiò recepit,mutuauit.illa ceu Eupheme veneranda, hæc vt filia ſubiicienda. Propter autem ſymbolicam naturam,vtrumque,ſub eodem nomine continere , ipſis libuit. & vt doctè Euſtachius annotat in Erotiani onomaſtico , in verbo πόνοι σπλὰν , genus cenſetur πόνος , ad varias læſionum ſpecies.Quare omnis partus laborioſus(vti res ipſæ

ipsç tanto maiores erunt dolores, quãto laboriosiores partus, æstimandus quamprimum, qui alterius tantum ope fœtus exiliit, aut mortuo iam existente ipso, aut elumbi, aut sub aliqua præter naturam figura constituto. quia tunc munus omne parturienti committitur absoluendum. rursus, fœtu laboriosior ille censetur, in quo contra omne munus fœtu impartitur; quando videlicet exantlato corpore fœmina iacet, & animam penè agens. Porrò primiparæ partio loboriosior valdè, vt Hippocrates innuit lib. de nat. pueri, num. 42. quia cum neque facilis, neque velox potis; cum vterus minus apertus, fluxibiliores minus venæ, & coxendices strictiores multò adhuc, per symphisim cum tribus illis ossis sacri ossibus vnitæ, vim maximam primiparæ patiuntur. os pubis haudquaquam distrahitur in partione, aut diuellitur, vt seriò testatur Galenus lib. 5. de vsu part. c. 7. quamuis hoc sauciari insciè referat Auicennas lib. 1. fem. 21. tract. 1. c. 2. quem insequuntur doctores aliqui, vnà & rudis obstetricum plebecula. nullæ namque in eo esse futuræ apparent, vt demonstratio Anatomica declarat, quibus possit in partione diuelli: neque rumpitur illud, vt quidam stultè somniarunt, esset enim improuida Natura. quod piaculum. Sed Galenum piè loquentem audiamus, nuper citato loco, *In mentem nobis venire debet, quæ bona is Artifex, qui nos conformauit, nobis sit largitus: tum autem agnoscere clarè debemus non eius modò sapientiam, verum etiam potẽtiam, &c.* Cum igitur ineffabile istud partionis opus omnẽ sapiẽtiã, & omnipotentiam iugiter summi declaret Artificis, hinc istud itidẽ nostrũ humanũ captũ superare

diuinissimus exclamat Galenus: supra omnia mirabilia mirabile opus Auicennas.

Denique primiparis difficiles fiunt partiones, quia ipsæ inexpertæ, inassuetæ. præter has, laboriosiores illis fiunt, quibus à natura pauciores apparent mensurni fluxus, vti & iuuenculis, etiam ex diuino dictatore lib. de Nat. pueri, num. 43. & ex Aristotele, qui hanc aquam in ipso Hippocratæo fonte hausit, lib. 7. Polit. cap. 16. In eodem stadio currunt, tum quæ à prima conformatione vias strictas, minúsque capaces habent, tum quibus ossa ischij ac pubis deprauatè sunt conformata: tum quibus lucatum os femoris versus internam partem, & comprimens vnà partes vtero subiectas. Valemus nos insigni historia rem lustrare. Erat mulier candida & honesta, annorum 25. gibbosa pariter, & coxendix vnà à prima conformatione vitiata, versus vteri internam partem depressa: huic, cem post aliquot connubij annos, fortè contigisset in vtero ferre, accedente iam partionis tempore, per tres oles acerbè, omnibúsque neruis in ipsa partione contendit: verum cum frustra laborasset ipsa, tum nostris auxiliis plurimis, & appositis, obstetricúmve auxilio nullatenus exiliisset fœtus: tandem omni ex parte iam exspe, ad chirurgicam manum accessimus, cuius itidem auxilio difficulter admodum finem attigimus, cum puerum in partes fractum, & maximo cum conatu, ac violentia chirurgus extraxerit, in hac arte dexterrimus. comprimebatur enim ab osse coxendicis vteri stomachus, vt manibus idem chirurgus tractauit. Isto tanto labore, ac cruciatu enixa ipsa, sine pulsu iam, ac respiratione, saltem manifesta, per longum tempus fuit, hianti simul ore, & ocu-

oculorum nitore omninò amisso, ita vt animam, censerent omnes, iam egisset. exoluit namque vires dolor, vti & animam, ingens idē, vt Galenus astruit lib.1. Prognost. Cæterum ob summam sen.34. Dei O.M. benignitatem quasi reuixit iterum, & modò, adhuc vita fruitur, cęterum amplius hanc non concepisse, certò scimus, cum post hanc laboriosissimam partionem fœdum, ac contumax illi acciderit symptoma, profluuij cuiusdam muliebris mox post annorum decadem in phisim incidit.

Otiosæ tandem, ac sedentariæ fœminæ valdè itidem in partione laborant. rationem assignat Princeps Aristoteles, tum lib.7. de hist. anim. cap.9. tum lib.5. de eorundem Gener. ca.6. quia hæ spiritum retinere quam minimè valent; à qua actione partus facilitas conciliatur haud dubiè. exactius enim multò spiritu cohibito, musculi totius cauitatis naturalis expultricem iuuat vtriusque alui. Ad hanc caussam accedunt & alię, tum corporis totius frigiditas. pinguedo, nimia obesitas, multáque excrementorū copia. quæ omnia etiam & otio comparantur; mox & horum ratione renitentes, ac difficiles partiones: quia partes fœtui difficilè cedunt. Hinc, citatis locis infert idem Naturæ genius, quod mulieres cæteris animalibus & laboriosiores, ac difficiliores habere partus, & magis in partione, quàm reliqua infestari, eò videlicet, quod otio amplius indulgeant.

Præterea, ex eodem Arist. lib.7. de hist. animal. ca. masculi partio & laboriosior, & dolore acutior, haudquaquam difficilior quam fœminæ. quia mares agiliores cum sint, promptius mouentur, ac vehementius, vnde & acerbiores concitant dolores, verum multò breuiores, ob eundem concitatum, ac

celerem motum. Teſtatur creber vſus, vt à plurimis accepimus fœminis. Hæ ſunt igitur partionis ſecundum naturam cauſſæ, quas modò exponere decreuimus, aliis præter naturam omiſſis, quæ difficiliorem adhuc eandem reddere queunt, à noſtro ſimul conſilio alienæ.

De priori carcere humani partus.

CAP. IV.

CVm ſummi Χειρώνακτος ſapientia, ac ſimul bonitate ferè ſit comparatum, præſtantiora in ſuo genere, aut vtiliora animantia, copia ac numero antecellere cætera: neque vſus abnuet, ineffabilem eius ordinem (quem Philoſophi Naturam appellant) contemplati. vilia rurſus, rapacia, ac funeſta itidem, rariora. hinc fit, quod homo, diuinum animal, totiúſque orbis extremum, dignitate, manſuetudine, vtilitate pariter, longè reliquos vincens animantum ſpecies, & eaſdem numero, & copia haud dubiè ſuperet, atque deuincat. Vt ſeriò, & commodè iſtud pręſtat Omnipotens, cuncta ſemper diſponens ſuauiter, illud, ceu conferentius præelegit medium, latiſſimum, videlicet, hominis concipiendi, atque naſcendi campum, varios iugiter vtriuſque operis carceres. Huc pertinet illud Ariſtotelis lib. 7. de hiſt. anim. cap. 4. *Cætera*, inquiens, *omnia animalia ſingulari, ac ſimplici modo partum ſuum perficiunt*: vnum enim pariendi tempus ſtatutum eſſe omnibus, cum eodem Ariſt. & lib. 4. de gener. animal. c. 4. aſtruit Plinius lib. 7. de Nat. hiſtoria. ca. 5.
homini

homini vni multiplex datum est. Verum quia numerus indiuiduorum in quorundam animalium specie, multiplici fœtu, etiam sub vnico partu edito accreſſit, quod non minimam arguit illius ſpeciei vilitatem, imperfectionem: inde in ipſa frugifera ac nobili humana ſpecie (quod, vt plurimum, ex eodem Naturę Genio, citato nuper lib. 7. de hiſt. animal. & locis plurimis agitur) mulierem conſtituit ſingulam, & concipere, & parere. Et quæ rurſus, ob fœtus ſingularitatem, ad numerum augendum deficiunt. admirabili ſanè artificio, ciuiliorique tenore omni ſapiens Artifex compenſat, perſoluit. quare multiiuges conceptuum, ac partionum ſtatuit carceres. Concipit itaque mulier ſub quolibet anni tempore, lunam, aut ſolem, aut aliud quodcunque aſtrum haudquaquam reſpectat, vti nec ingreſſum, aut egreſſum illorum per zodiaci ſegmenta, quia ſemper ad hoc munus parata, etiam plena naui. Porrò & partio maximam in ſe continet latitudinem, cum varij ac multiplices pariendi, & naſcendi termini. Vtrumque cunctis interdicitur, cum his ad vtrumque munus obeundum vis illa diuina admirabili ſerie & peculiare, ac opportunum ſignauit tempus.

Mulieri igitur politiori animali, ad ſummi Dei opera, ſimul cum eius viro, contemplanda creatæ, ne fœtuum quidem pluralitas decuit: quia pluribus intenta, cũctis ſeriò, ac ſedulò vacare nequiſſet. vnde citra cultum, citra decorem, citra curam, tantæ ſpeciei debitam, multiiuges fœtus enutiret. Mox cum eidem, varia, nec minima in re familiari competant munia, minor, aut nulla erit ipſa ad præſtãda ſingula, ſi multitudini natorum ſimul intenderet.

Hęc, per auram diuinam, quæ sumptè quasi nutu superna petit, Patrem Deum colere; venerari, crebróque in eius iucunda contemplatione versari tenetur. prætcrea per alteram inferiorem partem, ciuili quodam ornatu, cuncta, quæ intra priuatos lares ad œconomiam spectant, & disponere sibi ius, & prudenter vnà dispensare. Maritum, affines, vicinos, amicos, ac familiares pudicè, vrbanè, iucundè, nec minus magna cùm animi integritate tractare, alloqui, reuereri. Cum igitur tot, tamque ardua sint in œconomia, & vltrà, eius officia, fas quidem, ac ius, circa alterum tantum natum occuparetur educandum. quid quod, & hæc vnitas, initium numerorum, & perfectionis symbolum, perfectæ debebatur speciei. Deus O.M. cuius homo imago, omnium entium ens, & perfectio vnico gaudet filio, nec plures decebat, iuxta illud Iobi, *semel loquitur Deus* quæ verba de generatione vnius tantum verbi affirmari Angelicus Doctor exponit 1. p. q.27. art.5. Laudandum itaque pariter, & admirandum huius supremi Architecti in hoc humano condendo, ac seruando opere tum artificium, tum ordo ineffabilis. Nec mirum, cum dulci philantropia exarcescat, conflaret. Sed hæc missa faciamus, ad pensum redacti.

Latitudo, tum strata temporis intercapedo, in qua homo secundum naturam nascitur, iuxta Optimi Parentis sententiam lib. de sept. partu à septimo mense est, numer. 1. & 2. ad vndecimum vsque: vno dempto octauo, in quo, nixus, ex eodem Hipp. lib. de aliment. medium tenet inter partum, & abortū, quia vitalis nunquam. hunc sequitur ambitiosè, ac cauto Aristoteles & lib. 7. de hist. animal. c. 4. & lib.

7. de

7.de hist.animal.cap.4.& lib.4. de generat. eorundē.ca. 4. Huius latitudinis quattuor, ac aniles assignat caussas doctissimus Mercurialis libello de hominis generat.cap. 29. & clarissimus And. Laurentius lib.2.Anatom. ca.38. quintam alteram illis adiungens,& fortè probabiliorem. Priorem caussam struunt ipsi, modum viuendi varium fœminæ, & victus vnà diuersitatem. Alteram, varia fœminæ pathemata,à quibus lancinatur ipsa. Tertiam, immodicum Veneris vsum, etiam plena naui. Quartam, naturalis,aut ascititij temperamenti varietatem. quam caussam refert Laurentius ex aliquorũ sentētia ad seminis genitalis naturam diuersam,ita vt aliud serius, aliud maturius proueniat. Adiunxit iste quintam, & hanc finalem, & vt reor veritati consonam tantum, diuinæ videlicet naturæ singularem prouidentiam, in seruanda humana specie admodum sollicitæ. Huic vltimæ nos hærentes, reliquas ceu futiles & respuimus,& vno flatu simul dissipabimus.

Si cunctæ illæ caussæ admittantur legitimæ, in hac causarum syrte, haudquaquam esset ratio, obquam octauus mensis vitalis iugiter non esset, vti septimus,nonus,& decimus,cum & in ipso cunctę concurrant prædictæ caussarum differentiæ. potest itaque & octauus esse secundum naturam. Præterea neque illæ caussæ valent partum secundum naturam constituere, cum promiscuè se habeant ad partum & ad abortum: & queāt rursus partum potius concitare,aut retardare, nequaquam vitalē efficere,quę instituti ratio est Quare illa non concludunt de legitimo,ac vitali partu,neque credendum partum in septimo, aut nono mense fieri vitalem,

quia fœmina variis vtitur alimētis, diuersis ac plurimis afficitur pathematis, nimio indulgeat coitu, vario fruatur temperamento. hæc enim qui dixerit, risum merebitur. nullatenus enim ex his effectus vis aut facultas. Quid quod, & cuncta illa falsitatem includunt, quod sola mulier multiplici gaudeat cibo, reliqua animalia simplici, sola effœta hymæneum celebret, respuant cætera, sola pathematis infligatur, reliqua ceu stoica quiete fruantur, sola vario exornetur temperamento, vnico tandē reliqua. Nam cuncta hæc eodem tenore, & ordinis serie, aut cunctis, aut fortè plurimis accidunt animantibus, vt fiat peruium cuique affabrè rem contemplanti. Domestica imprimis, vt feles, & canes, carnibus variis, etiā & varia arte conditis vescuntur, muribus itidē, stercoribus, cōdimētis, piscibus, leguminibus, isiciis, itriis, lacticiniis, bellariis, nec non & plantis, & aliis. Syluas colentia, vt lupi, vulpes, sues, & alia, eisdem pariter. Deinde, quis amabò apathiā inter ea cōstituet, cū crebrò irascātur, timeant, exultent, odio prosequātur, venereóq; percellātur amore. coitus intēperantia gaudēt plurima, immò & rei venereæ symbola fiunt, hirci, sues, canes, galli. Sed quis demq; credet in quaq; specie vnicā esse temperamēti idæam? quis nō ęstimat canē hunc altero esse pituitosiorem, aut biliosiorē, felem, mulum, equum, similia, sub latitudine videlicet cuiusq; speciei? Quāobrē alterā physicā rationē astruere pręter illā finalē, dimitto cœco. Naturæ auctor omnisapiens Deus in homine, ac reliquis animantiū differentiis statos indixit carceres, & nascēdi, & moriēdi, & accrescēdi, quos nō trāsgredietur vnquā, Sapiēt. 8. attingit enim ipse a fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia

mnia suauiter. vnde homini tanquã sibi longè chariori, & Naturæ quasi ludibrio (vt Plin. dixerat li. 7. de nat. hist. c. 1.) hoc singulare & insigne indulsit priuilegiũ, ꝙ in plurimis mẽsibus secundũ naturã nascatur, ab Atropo redẽptus inexorabili. inuenire autẽ formalẽ huius rei causã, & eandẽ indigitare, ceu perdifficile, nostrũ captũ excedit. nisi fortè dicamus hãc ꝓprietatẽ consequi humanũ tẽperamentũ. vnde arbitrãdũ, propter priuatã humani tẽperamẽti speciẽ, ad fœtus omnimodã & absolutã perfectionẽ requiri omne illud tẽpus, ꝙ est ab instãti cõceptionis ad septimũ vsq; mensem. quia hic mẽsis, vt à cũctis sęculis est obseruatũ, prior, inter vitales nascẽdi terminos, etsi Suetonius in Claudio, & Auctor l. 4. Esdræ ca. 6. tertiũ assignent: vti Peramatus lib. de hom. procreat. cap. 8. quartum. perficitur autem amplius, & robustior fit, si nono, aut decimo prosilierit fœtus. quod si & adhuc elũbis, ad eius robur acquirẽdum, producetur amplius nixus ad vndecimũ vsq;, imò & longius, vt plurimi censent. octauus haudquaquã vitalis, cuius rei infrà ratiõnẽ signabimus. Cũ igitur assiduo vsu obseruauerimus, & simul grauissimorũ virorũ auctoritate cõstiterit, varia in muliere esse puerperij spatia, diuersósq; gestationis limites, inquirẽda hæc nobis modò, vt abortũ à legitimo & secundũ naturã partu valeamus dispartare. ꝙ nec minimũ ad enixarũ exactã curationẽ conducet.

Hæc doctrina, quamuis potissimum fautricem habeat experientiam: tamen propter mulierum simulatam vafritiem, aut si mauis ignorantiam, varias & intricatas in se includit opiniones. Inprimis in assignanda priori meta discordes occurrunt sententię. Hippocrates, Galenus, & Aristoteles in vnam con-

ueniunt septimum mensem statuentes hunc terminum, & ante hunc nates viuere non posse constanter asseuerant. Galenus com. in illum Hipp. libellū de septim. partu huius effectus hāc assignat causā, etiam ab ipsa obseruatione petitam, quod nullus fœtus sit perfectè absolutus, quin prius per annum dimidium in vtero geratur, & deprehendisse nullum viuere, nisi nasceretur centesimo, octuagesimo secundo sole, cum horis saltem quindecim. Aristotelis itidem lib. 7. de hist. animal. ca. 4. tum Plutarchus lib. 5. de Philosophorum placitis cap. 18. idem astruunt. Hanc eandem opinionem amplectuntur legum sanctores omnes, & inter alios Adrianus Imperator, Artis Medicæ etiam professor insignis. hic igitur ad hæreditatis ius admittendos esse lege sanxit vndecimestus, haudquaquam vltrà nascentes: vti neque eos qui ante septimum nati sunt. Quod si testes alij adhuc desiderantur, in eadem stant sententia omnes Iuris ciuilis professores, à longa ipsi obseruatione, & antiquorum ac illustrium Medicorum doctrina conuicti. Ista ipsa ætas fidem fidei illorum struit.

Nec desunt oppositum sentientes, inter quos adest Arabum Princeps Abenseni, ti. 9. de nat. ani. cap. vlt. cum hic sextum mensem admittat vitalem, & per consequens secundum naturam, hunc sequuntur Neoterici quidam, conciliator, Nicolaus Florentinus, Hieronymus Cardanus, libr. 1. contrad. tract. 3. cont. 8. & noster Hispanus Petrus de Perámato. li. 8. hom. procr. ca. 8. Alij inferius adhuc descendunt, & quintū priorē statuunt, inter hos sunt quidā Hispani, Ferdināduus Mena, Franciscus Vallesius, & nuper dictus Peramatus, quodā præsertim

exem-

excẽplo cõmoti. ſunt & Itali,Cardanus,& Horatius Augenius lib.d.Epiſt.Med.tom.2.epiſt.ad Card.Bozutum.ductus hic præſertim illa hiſtoria, quam in Mena,ac Valleſio conſcriptam reperit. Idem tenet Hieronymus Montuus dum Pincernam Henrici II. Gall.Regis, quinto menſe vitalem ediditſſe partum retur. Verum hæc, neque ſimpliciter admittenda cenſeo,quamuis ne impoſſibilia quidem, cũ Naturæ legibus non repugnent. ſed tanquam rariſſima, & vltra communes Naturæ carceres ſeriò iudicanda,nec ſub ſcientiam cadere arbitramur.nam, ſi quæ ſemel, aut iterum tantum eueniunt,ſub vniuerſali complectamur canone, multorum hauddubiè errorum parentes erimus. Hinc ſolertiſſimus Cornelius Tacitus lib.3.Annal.Hiſtoricorum Princeps *In omni lege*,inquit, *oportet,vt fiat aliquibus iniuria:nam legi ipſi ſufficit, vt multitudini ex ea benè conſulatur*.Rari autem euentus contemnendi haudquaquam omnino,immò ſeriò conſulendi,& prius explorandi ſedulò, an fraude, & dolo fiant, antequam aut abſoluantur,aut condemnentur. His Ariſtoteles adſtipulatur lib.5. Eth.cap.10.dicens, *Emendatio legis ea ex parte qua deficit ob vniuerſale. hæc enim eſt cauſa, & vt non omnia ſint in lege: quia de quibuſdam impoßibile eſt ponere legem.* Quare cum ſemper ab illis claſſimis viris Medicis, atq; Philoſophis prior partus terminus vitalis,ſeptimus extiterit menſis, hunc vti legitimum, ac primum eorum qui ſecundum naturam ſunt, & amplectendum cenſemus, & reliquos, ceu figmentum, aut rarum prodigium à communi lege explodendos. Hinc Paulus Legum ſanctor, cui Hippocrates auctor eſt, lib. 19. Reſp. hunc partum ſeptimum &

primum, & perfectum definit. tum text. in leg. in text. §. fin. ff. de suis, & legitimis hæred. Bart. in leg. Gallus ff. de liberis, & Posth. 1. Baldus in leg. quidam cum testamentum C. de posth. hæred. instituend. & reliqui ferè omnes iureconsulti hanc eandem amplectuntur sententiam.

Verum præter dicta, idem ratione & experimento valemus confirmare. Agellius quamprimum li. 3. Noct. Attic. cap. 10. obseruatum esse, inquit, ante septimum mensem neque masculum, neque fœminam salubriter, ac secundùm naturam natum fuisse: & hoc idem ex Varronis obseruantissimi viri refert Auctoritate, lib. 1. de imaginibus numeri septenarij, qui liber non extat, vti & plurimi alij insignes eiusdem auctoris. Ratio, ex præstantia eiusdem septenarij numeri accepta refertur. Gaudet namque incredibiliter Natura eo numero, si Hippocratem consulamus lib. de hominis ętate, hoc ipsum in homine num. 1. & lib. de principiis num. 22. enitere fit palàm, cum hunc in cunctis septemdialem appellet: quia humanæ vitæ spatium septenario numero & assurgit, & circumscribitur. Quare partus, ceu altera crisis, per septenarios mouebitur menses, vel per hebdomadas. non igitur quintus, aut sextus mensis decretorius, quia facultate carent, ac præstantia partus secundùm naturam decernendi. quid quod, & alij numeri si quid boni præstant, hoc ideo, quia cum septimo connexum habent, ac colligantiam. In hoc enim crises absolutæ, fideles, tutæ, manifestæ, conspicuę, atque salubres quamprimum fiunt. quasi inter cæteros palmam ipse obtineat, & ceu Rex clemens, ac benignus decernat & quos iudicat, vel supplicij partē adimit, vel lustrat victoriā.

De

De vltima nixus humani meta.

Cap. V.

AMplius procedendum in hoc cursu, vt vltimum attingamus carcerem. verum hic inuẽtu difficilis, cum varij, varios assignent. Hippocrates sibi ipsi impar; impar & Aristoteles. ille libro de septim. & octim. partu vndecimum mensem vltimum statuit nascendi terminum: libro de nat. pueri decimum potius. hic rursus lib. 4. de Gener. anim. cap. 4. itidem decimum vltimum signat; libro verò 7. de hist. anim. vndecimum.

Exoluemus difficultatem, si dixerimus, vndecimum verè vltimum nixus mensem, rarissimum tamen: decimum frequentiorem. quare cum quę raró accidunt, ceu per accidens facta æstimentur, vt Aristot. lib. 4. de Gener. animal. cap. 4. retur: proinde de hoc vndecimo dicemus idem, quod Dictator summus de octimestri refert partu, lib. de alimento; *& est, & non est.* quasi possibilè sit esse, verum raró: non est, quia infrequens & præter communem vsum Naturæ. hinc Vlpianus legis sanctor, vti non possibilem, aut rarissimum saltem, vndecimum censet nixus mensem: & non obstante Adriani Cæsaris decreto, hunc per centuriam annorum præcedentis, statuit post decem menses natos ad legitimam hæreditatem admittendos non esse. Idem & decemviri, tum Imperator Iustinianus inuiolata sanxere lege. Iuris tamen consulti aliquot arbitrantur priores dies, in quibus vndecimestris accidit partus, decimi adhuc rationem habere, & decimestres potius appellandos; vt ex Gentili & Fulgineo

Socinus refert in L. Gallus, tum Iacob. Menochius libro de arbitr. Iudic. 2. cent. 1. quasi insinuent hi decimum potius vltimam esse partionis metam.

Hanc metam longius multò grauissimi quidam viri protrahunt, etiam ad decimum vsque mensem. Massurius, vt refert Plinius lib.7.de Nat.hist. cap.5. cum nullum certum pariendi tempus à Natura statutum crederet, Luc. Papyrium Prætorem, affirmante matre filium per mēses tredecim gestasse, bonorum possessionem filio adiudicasse. Auicennas præterea lib.9.de Nat.animal.cap.5. se recepisse affirmat à viro fide digno mulierem quandam mahometam decimo quarto peperisse mense. deceptus fortè à decipiente fœmina, vt Cornelius Tacitus li. Annal.13. scribit de Agrippina, quæ cum dolo, Nerone ignaro, concepisset, per annum Syllanum vtero gestasse credita fuit. cauenda itaque fœminarum versutia. Ista ipsa ætas fidem fidei illorum struit, dum Hieronymus Cardanus patrem suum decimo tertio mense natum fuisse refert. decimum quartum autem Petrus de Appono admittit, & com. in 41. problem.& lib.different.Med.quo loco & vltra decimumquartum part.10.diff.49.secundum naturam nasci posse, arbitratur. Poëtarum Phœnix Homerus duodecimestrem supponit partum, dum hæc de Neptuno referat,

Gaude mulier amore, circumuoluto autem anno pariés pulchros liberos.

Neque interpretandum, Homeri tempore annum decimestrem fuisse, vti ætate Romuli fortè existimarunt Varro, & Plutarchus. quam opinionem anilem esse & vberrimè, ac doctè doctissimus lustrat Iosephus Scaliger lib.2.de emendat.temp.ca.

de

de Vet. anno Rom. opus, quod ceu prodigium parere valuit acerrimum Scaligeri ingenium.

Quamobrem in hoc difficili labyrintho, tot opinionum ambagibus circunscripto, Hippocratem quamprimum fidissimum ductorem insequendum arbitramur. frequentiores igitur partus apud hunc nonimestris tum decimestris, rarior septimestris, longè adhuc rarior vndecimestris, reliqui aut non admittendi, aut ceu prodigiosi habendi. huic assertioni fidem pręstruit Agellius lib. 3. Noct. Att. ca. 16. etiam ex grauissimorum virorum Medicorum, Philosophorum, atque Poëtarum auctoritate.

Quod inter reliquos menses frequentior adhuc decimestris, numerus & perfectus, & absolutus, perfectissimæ humanæ speciei deuinctus, lubet modò rationum momentis, tum auctoritate confirmare: quicquid somniarint aliter Astrologi, cum hunc vitalem non admittant, eo quòd, inquiunt, episcopum habeat Martem, plurimis motionibus secundum naturam obnoxium. Somnium planè, & delirium, quod vix oppositionem meretur. Ratio autem ex Hippocratis petitur doctrina lib. de septem. partu. num. 5. sic scribens ille, *Qui enim in septem quadragenariis nascuntur, decimestris appellati, ob id maxime educantur, quod fortissimi sunt, & plurimum à vulgarium puerorum tempore absunt, in quo affliguntur quadraginta ægrotantes diebus, circa octauum mensem.* cum igitur decimestris nascatur sub numeris Naturæ præstantibus, septimo inquam quadragenario, seu quarta hebdomadarum decada, continente soles 280. cúnque hic carcere distet per alterum ac integrum quadragenarium ab octauo mense, laborioso, morboso, ac lethali, hinc necessariò

decimestris partus, & robustior multò, atque vitalior. Porrò cum Natura perfectius semper intendat, & exoptet, frequentius nihilominus decimestrem curabit partum. hanc eandem rursus sententiam amplectitur, & lib. de Principiis, num. 22. & lib. de Nat. pueri. nu. 39. eandem mox tum Galenus com. in lib. de sept. partu, & lib. 5. Aph. sen. 37. tum Aristoteles lib. 7. de hist. animal. c. 4. Philo preterea lib. quod mundus sit incorrupt. Poetę itidem grauissimi, Virgilius quamprimum Eclog. 4. Ouidius lib. 1. & 5 Fastorum, Terentius in Adelphis, Act. 3. sce. 5. Plautus in Cistellaria Act. 1. auxil. & Theocritus Idyl. 30. Euripides in Elect. Aristophanes, in Cereal. Homerus. vt ex Phauorino interpretatur Agellius lib. 3. c. 16. Cicero tandem in orat. pro Cluentio, tum Alexāder magnus, dum matrem increpasset quod propter decem mēsium moram in eius vtero, tam munificentissima postulasset obsequia. Ex Iureconsultis idem habet Renard. cap. 28 in leg. 12. tabularum. Et vt manum vltimam imponam, sacra Eloquia idem testari videntur, Salomon enim in Sapientiæ libro ca. 7. sic eloquitur, *Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somni conuenіente.* Rabanus doctor insignis in huius loci interpretatione exponit decimo mense natos & perfectiores, & magis vitales, tanquam tempore perfectissimo editos. hunc sequitur Olcot Franciscanæ familiæ alumnus, lect. 68. & addit per synecdochen decem menses habendos, quasi nouem completos, & de decimo aliquot insuper dies. his assentitur Seraphi-

raphicus Bonauentura, tum Lyranus in sua exposit. & in hunc locum. Diuinus Augustinus li.83.q.56.& li.4.de Trin.ca.5.idem astruit, dum, Christum dominum in sæcula benedictum, post menses nouem, sexque dies, seu post 276.ab 8.vsque Kal. April. ad 8. vsque Kal. Ianuarij natum esse affirmat Bapt. Et D. Chrisostomus serm. de Ioã.itidem completis mẽsibus nouem, decimo inchoato eundem Christum dominum natum fuisse scribit, vti & præcursorem eiusdem, Ioannem Baptistam. Hanc doctrinam confirmat insuper Spiritus sancti sponsa, sacrosancta Ecclesia, iuxta vtrosque, & Deiparam Virginem. Idem, & eodem loco Augustinus ca. 2.numerorum obseruator diligens, in illa Ioannis verba *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc*, inquit, illud innuere quadraginta sex annis ædificatum Christi corporis templum; quoniam 276. diebus, quibus intra virginis vteri claustrum fuit, per sex & quadraginta affabrè multiplicantur. sumendo annos pro diebus. & hic numerus litteris Græcis nominis Αδαμ perspicuè continetur; cum duplex α. dualitatem constituat, δ. quattuor, vti μ. quadraginta. quasi sint dies, vel anni 46. qui numerus radix est vnde multiplicantur, vt diximus, 276. carcer perfectus & absolutus, perfecti & absoluti nixus, seu decimestris partus. Neque vllatenus autumandum Christi Domini corpus sensim, ac tenore naturali fabricatum fuisse, cum potius, vt doctissimus docet D. Basilius orat. de Natiuit. Chri. simul, ac in instanti perfecta fuit Christi Domini conceptio, quia artifex tanti operis Spiritus Numen. Tertullianus, auctor grauissimus illis adhæret, lib. de anima, c.18. dicens, *legitimã natiuitatem decimi mẽsis fermè esse ingressum.* confirmant hanc eandẽ senten-

tiam de frequentiori decimestri partu 2. de arbit. Iud.cas.89. num. 36. & 6.de præsump.in 52.num.6. &c. ex Neotericis Federicus Bonauentura lib. de octim est. partu, tum Iacobus Menochius pluribus in locis, Ioannes Pineda lib.1.de rebus Salomonis. c.10.numero 7.Brodæus 10.Miscellan. cap.11.ex Vlpia.L.intest.D.de suis, & legit.hæred.

Quamuis itaque frequentior decimestris partus, ceu robustior, ac vitalis magis, reiiciendus tamen non est vndecimestris, cum & hunc plurimi, & magni nominis viri seriò amplectantur. Plinius quamprimum lib.7.de hist.nat. c.5. Agellius itidem lib.3. Noct.Att.cap.16. Varro etiam lib.14. rerum diuinarum: & Hippocrates nihilominus lib.de octimestri partu; num. 5.& hunc, vti nonum, & decimum sub septimo quadragenario contineri arbitratur, vnde vis eorum vitalis. Aristoteles itidem li. 7. de hist.animal. c.4. eundem recipit partum. tum Legis sanctor Adrianus Imperator, vt nuper diximus. ex Iureconsultis Barthol.in leg. Gallus num. 12.ff.de lib. & posth.& Andræas Altiatus lib.3.Parad.& lib.10. Parerg.capite 7. Arguítque hic & meritò, ceu acerrimum Iustinianum, eo quòd in §. vlt. in auth.de restit.tit.5.collat. 4. excluserit ab omni hæreditario iure vndecimestrem, & ceu τοκιμὸν hunc mensem neget. Nam etsi frequentiores nouimestres, & decimestres, tamen vt acutè Marius Salomonius in leg. Gallus ait, *Quamuis perfectè operetur Natura, aliquando nequit tam repentè operari, quin plus temporis in suo absumat perficiendo opere.* hinc varij insequuntur termini in Naturæ actionibus, quod potissimum prouenit ex varia subiectæ materiei dispositione.

Dessen-

Deffendere à calumnia Iustinianum possumus; quia ipse hominum dolos, ac vnà in peccando malitiam obseruauit: hinc ne ipsis nimia peccandi daretur licentia,& frequens adesset occasio, quod rarissimum Naturæ,à lege abscindendum seriò fortè sanxit. cum leges tantum constare debeant ex his, quæ vt plurimum, non autem quæ rarò accidunt, vt doctè Franciscus Duarenus in explicat.Leg.Gallus ad fin,de lib.& posthum.interpretatur.idem & Flaminius de Nobilibus Philosophus insignis lib. 2.de hom.fœlicit.c.10.

Tandem, quid de octauo mense, intra latitudinem vitalium partium, ac secundum naturam comprehenso sentiendum, capite sequenti vberrimè disputabimus, dum vitalis partus caussas nobis mens erit explorare.

De temporum diuisione:mensis natura,ingestatione,ac nixu.

CAP. VI.

M. Varro insignis Philosophus lib.4.de ling. Lat. cum tempus obseruasset originem trahens ex motu(quasi,ex Arist.lib.4.Phys.c.10.& lib. de breuit. Vit.cap.12.motus sit mensura secundum prius, & posterius) in omni motu quattuor hæc, ceu necessariò concurrere,astruit. Corpus,quod agitatur; locus, vbi agitatur; Tempus, dum agitatur, Actio, quæ est in agitatu. Hæc mox lustrat exemplo, Cursor, stadium, Hora, Cursio, Cum itaque conceptio motus, seu actio secundum naturam, omnia hæc pariter in ea, inuenien-

da censemus; Cursor: seu quod mouetur, fœtus qui generatur; stadium, seu vbi agitatur, vterus; Hora, seu tempus dum agitatur, septimus, nonus, aut decimus mensis; Cursio, seu quod est in agitatu, conceptionis actio, cuius terminus nixus. Cunctis modò omissis, de tempore tantum erit dissertatio, mensura, iuxta Chrysippum, celeritatis, & tarditatis quia cuncta mensurantur corpora, vti æuo spiritus, æternitate diuinum Numen.

Tempus, quà mensura, duplici æstimatur ratione, vt interna mensura, & tunc motus est primò, & per se primi cœli, seu primi mobilis, æquabilis, & aliorum motuum norma. deinde vt externa, & tunc tempus illud metitur cũctarum rerum inferiorum motus. In hac sententia versatur Angelicus doctor in opusculo de instantibus. Verum cum hæc mensura externa, qua res omnes emetimur naturales multiiuga sit, iuxta varios ac distinctos corporum cœlestium motus, vt videre est, annus, mensis, dies, quæ potissimæ sunt temporum numerandi rationes, inquirendum modò, quâ ex his fœtus gestatio mensuretur, Galenus doctissimus lib. de septim. partu omni illa triplici mensura emetiri censet. Anni quamprimum, cum dicat, debere ad hoc vt vitalis sit partus obtinere dimidiam saltem anni partem. Mensis rursus, cum fœtus à mensibus denominet, septimestrem vocans partum, octimestrem, nouimestrem &c. Diei tandem, cum affirmet ad partum vitalem (cuius calcem septimum assignat mensem) dies requiri ad minus 182. cum sesquialterius diei parte. Sed cum communis appellatio sit à mensibus, quia rarissimè, aut nunquam partus annum attingant, cum dierum emensio fastidiosa,

ac

ac prolixa, huic mensium mensura, ceu frequentior, & expeditior modò nobis exploranda venit.

Cæterum, cum in omni tempore duo adsint sit necesse, & motus cœlestis, & anima eundem motum mensurans. quid, quod cum in corporibus illis cœlestibus varij & distinctissimi obseruentur motus, varias nihilominus, mensurans anima, & distinctissimas constituit mensurationum differentias, & ex his, alteras eliciet, iuxta eius institutum. illas naturales, has verò Philosophi ciuiles appellant. Annum quamprimum in solarem, & lunarem diuidunt (relicto discreto, & altero magno, seu Platonico, qui vtrique iugiter eiusdem secundum naturam sunt differentiæ) & in alterum ciuilem annum, ex hominum videlicet instituto. Rursus mensis eandem sustinet diuisionem, cum secundum naturam alter, aut solaris, aut lunaris, ciuilis alter, ex eodem itidem hominum instituto. Dies tandem in naturalem, & artificialem secatur, & vterque secundum naturam. sunt & aliæ temporum diuisiones, quas ceu à nostro consilio alienas relinquimus, anni videlicet in menses, mensium in hebdomadas, hebdomadum in dies, dierum in horas, horarum in minuta, minutorum in secundas, & puncta.

Mensis itaque (qui fortè à mensura, non à Mene, seu Luna, vt arbitratur Macrobius, li. 2. in sôn. Scip. c. 11. appellatur) iuxta Philosophorum, ac Astrologorum sententiam duplex, naturalis alter, qui (vt cum logicis loquamur) materiale esse in renumerabili secundum naturam habet: & alter ciuilis, qui ex hominũ tantum instituto, vti & numerus numerãs. Prioré illum, ex varia obseruatione motuũ corpo-

rum cęlestum constituunt, vnde illa diuisio exurgit secundum naturam, in mensem solarem, ac lunarem. Et cum in sole alterum obseruent motum per zodiacum, respectu eiusdem medium motum, quo zodiaci peragrat segmenta, mensis, iuxta hunc motum diebus constabit 30. horis 10. cum minutis 29. sed est & alius motus etiam soli peculiaris, iuxta quem menses fiunt inæquales, respectu maioris, vel minoris moræ in quolibet peculiari zodiaci segmento. hinc, istæ tantum solaris mensis eliciuntur secundum naturam ideæ. Nam altera illa varia cogmentatio ex diebus 30. vel 31. vel 28. aut 29. nec secundum naturam, imò ciuilis, ex præscripto Iulij Cæsaris, & Augusti, vt Macrobius refert lib. 1. Satu. cap. 14. tum & Polyhistor Solinus. cap. 3. quæ in vtroque foro, apud omnem Catholicorum cœtum, iam ab initio vsu recepta est.

Præterea Luna velox planeta, inconstans, ac leuitatis symbolum, cum variis simul ac velocibus concitetur motibus, variæ inde ab ipsa constituuntur mensium ideæ. inter has tres illæ potissimum exoriuntur, quas nos lib. 1. cap. 8. abundè replicauimus, mensis videlicet peragratorij, illuminationis, ac consequutorij. prior ille diebus constat 27. cum horis 7. ac minutis 47. alter soles continet 26. cum horis 12. vltimus soles vnà amplectitur 26. cum horis 12. minutis 44. & tribus ferè secundis. Cum itaque multiiugæ sint horum mensium emensiones, nobis modò inquirendum, qua ex his mensuretur partus, cum hunc septimestrem, octimestrem, nouimestrem vocamus. Intricata, & controuersa res, in oppositas secta classes, insignes vtrasq; habẽtes duces.

Quidam

Quidam igitur à sole fœtus gestationem emetiendam astruunt. quæ opinio fautorem habet Macrobium libr.1. in somn. Scip. ca.6. vna & Auicennã li. 3. fen.21. tra.1. c.2. hos insuper ex Neotericis sequuntur viri quidam classici Petrus quàm primum de Peramato, vnà cum Andrea Laurentio, hic lib.2. Anat. capite 13. ille autem lib. de homin. procreat. q.37. Hippocratem adhuc nolentem conantur illis assentire. Porrò Fuchsius eandem tenet. Franciscus pariter Vallesius li.2. controuers. contr. 37. Hieronymus Mercurialis li. de hom. generat. ca.29. Ioannes Riolanus li. Physiol. sect.7. ca.8. & quod magis est etiã & hanc amplectuntur illi Valentinæ scholę alumni Petrus Iacobus Esteue li.2. Epidem. sen. 15. tum peritissimus præceptor meus Iacobus Segarra li.3. de natur. fac. ca.3. Sed ne immoremur in re leui, quisque poterit robur huius opinionis in propriis locis conspicere, cum & aliò veritas modò nos aduocet.

Hallucinati fortè doctores hi eò quod obseruassent Græcorum menses omnes τριακονθημέρους vt liquidò innuit inter reliquos Hippocrates libr.2. Epidem. sect.3. sen.43. dum dicat, *Aut à menstruis numerandi sunt nouem menses, aut à conceptione, & in 270. dies, Græcanica supputatione, absoluuntur.* Si igitur 270. dies nouem absoluunt menses, ergo quilibet mensis τριακονθήμερος nam nouies triginta hunc numerum complent. Si itaque mensis Græcorum triginta dierum, ergo non lunaris, cum nullus horum hanc metam attingat. Hæc Græci ab Ægyptiis sunt mutuati, vt refert Herodotus lib.2. numer. 40. cum hoc discrimine, quod Græci tertio quoque anno mensem intercalarem intro-

ducebant, & annus ille embolismus tredecim constabat mensibus, Aegyptij verò æquabant annum hunc ciuilem cum solis cursu, adiiciendo quotannis dies quinos. Futiliter igitur Macrobius, & Solinus Græcorum annum merum Lunarem prodiderunt, vnà & cum ipsis Theodorus Gaza, vt acutè hos arguit acutissimus Iosephus Scaliger lib. 1. de emend. temp. ca. de æq. anno min. Græc. nam neque lunaris, neque solaris, sed ciuilis potius, ex gentium instituto, cùm nullus secundùm naturam mẽsis lunaris, vel solaris 30. constet diebus, neque annus 270. Quare res physicas potissimum numerabãt Græci, iuxta varios Lunæ motus, vt infrà mox sequenti capite ostendemus: autumandum etiam & conceptionem eâdem norma metiri: & Hippocratem ibi loquutum fuisse iuxta vulgi morem, vt sibi aliquando mos est.

De probabiliori sententia mensis conceptionis.

CAP. VII.

IGnoratio motuum vtriusque sideris multiiugas peperit veteribus anni formas: vetustissima omnium quæ annum ad Lunæ cursum describebat. & cũ neomeniæ incertæ hinc menses omnes tricenis diebus explicarunt, & annum dierum 360. cõstituerũt, recedẽtẽ maximè ab anno lunari secũdũ naturã cõstantem diebus tantũ 355. illa ciuilis per plurima sæcula apud Græcos seruata fuit anni forma, verùm propter quosdam ciuiles actus, olympiades præsertim, motus Lunæ exigebant, & tunc Græci alterum annum æquabilem maiorem construxerunt,

quo

quo motus Lunæ æquabant motui ſolis per duodecim zodiaci ſegmenta gradientis vnà cum embolifmo. Quare ipſis frequentiſſimum erat lunares menſes obſeruare, eos præſertim, quos conſequutorios vocant, à lunæ iugo ad alterum vſque protractos, quod autem hi mẽſes partuum ſint mẽſura & rationibus lubet confirmare, & grauiſſimorum pariter doctorum calculo aſtruere: inter reliquos, qui pro mille ſufficit vnus, adeſt veritatis Præceptor Hippocrates: hunc ſequitur Phœnix Galenus, inſignis eiuſdem paraphraſtes libr. de ſeptimeſt. partu. Mox eloquentiæ Parens Cicero libr. 2. de Nat. Deor. cap. 10. tum A. Gellius lib. 3. Noct. Atticar. qui & hanc eandem celebris viri M. Varronis, tum & Ariſtidis Samij auctoritate confirmat. Neoterici iugiter adſunt in multitudine copioſa, Hiſpanus quamprimum ille doctus Alphonſus Lupeius in annot. in Galeni libr. de ſeptimeſt. partu, tum Burgundus alter doctiſſimus Ioannes Lalamantius, clariſſimis illis comment. tam in libr. Hippoc. de octimeſtri partu, numer. 15. quàm in libr. Galeni 2. de dieb. decret. cap. 2. Currunt tandem in eodem ſtadio illuſtres Iureconſulti, qui hanc eandem ſententiam ex medicorum perenni fonte hauſtam exertè amplectuntur, Andreas inquam Alciatus in leg. Gallus in princ. nu. 29. de lib. & poſth. tum Iacobus Menochius libr. 2. de Arbitra. Iud. cent. 1. caſ. 50. num. 19. quo loco hæc recenſet verba, *Hinc poteſt inferri declaratio ad leg. ſeptimo menſe ff. de ſtatu hominis, vt de menſe lunari intelligatur: quaſi partus menſes ſint computandi lunares veluti in reſcriptionibus ſolares, ex diebus triginta*

constantes. Nec plura modò congero testimonia in sententiam decantatam.

Ad rationum momenta iam accedamus, & demonstremus quod polliciti nos fuimus, etiam aduersus doctissimum Laurentium, hanc sententiam esse Hippocraticam: quare hunc amabò audiamus, lib. de septim. partu, sic loquentem iuxta Calui versionem, *Partus quidem septimestres centum & octoginta duobus diebus eduntur, & fiunt, particula diei addita. Nam si primi mensis quinque & decem dies computes (quinque siquidem menses centum quadraginta septem, & diei dimidium sunt) si verò sexaginta minus vno, proximè circitérve duo menses perficiuntur.* Ex his Hippocratis verbis liquidò constat menses partus lunares esse, & cõsequutorios, haudquaquam solares, aut ciuiles Græcanicos. patet Arithmetica demonstratione. Si quinque menses medij septimestris partus constant diebus 147. cum dimidio: quinquies autem 29. cum dimidio (mensura lunaris mensis consequutorij) numerum hunc Hippocratis adimplent. Ergo menses partus Hippocrati lunares consequutorij.

Rursus inquit, iuxta eandem versionem Calui, quam sequitur Doctor meus insignis Iacobus Segarra libr. 3. de nat. fac. ca. 3. *Si verò sexaginta minus vnò, proximè circitérve duo menses perficiuntur.* Si igitur duo menses perficiuntur sexaginta diebus vno dempto: ergo huiusmodi menses solares non erunt, cum solaris mensis tricenos contineat dies, cum horis 10. ac minutis 29. vnde menses duo, præter sexaginta dies completos, continent horas alteram ferè supra vicenam. Porrò nec ciuiles Græcanici, cum hi absolutè tricenos amplectan-

ctantur soles, & per consequens absolutè pariter sexaginta dies, menses duo. Nulla igitur ratione mensis partus, apud Hippocratem solaris, aut ciuilis Græcanicus, imò potius lunaris consequutorius, vt dilucidè Galenus itidem in commentario in eundem Hippocratis librũ de septim. partu insinuat dicens, *Nam mensem nominari spatium quod ab vno Lunæ coitu cum sole, vsque ad alterum intercedit, nemo est qui nesciat.* quid vberius, aut dilucidius?

Præterea & altera ratione hoc idem lubet ex Hippocrate demonstrare citato loco, dum scribit primis libri verbis, iuxta Cornarij versionem, ac Mercurialis, *Septimestres autem nascuntur diebus centum, & octoginta duobus ac dimidio, & insuper accedente diei particula.* Si itaque in hoc partu menses intermedij quinque, vt iam ex Hippocrate diximus completi, & ex Galeno lunares, & inter se æquales, soles continebunt 147. horas 15. minuta 20.

Primus autem mensis, quamuis ne absolutus, tamen maiori saltem mensis lunaris parte frui debet. secto itaque ipso in partes æquales, vnaquæque soles continebit 14. cum horis 18. ac minutis 22. redundans autem illud supra hanc sectam partem, saltem sesqui altera diei parte excellat est necesse, horis videlicet 16. cum minutis 30. vnde primus hic mensis fruetur diebus 15. horis 10. cum minutis 52. vltimus denique mensis, si iterum in tres æquales diuidatur partes, necessariò & hic etiam & sesqui altera eiusdem constare debet, diebus inquam 19. horis 16. cum 30. minutis. quæ omnia, ac singula in vnam redacta summam, numerum con-

ficient illum ab Hippocrate decantatum ad ſepti-meſtrem partum, continentem dies 182.cum dimidio, & altera vnà accedente particula, ſeu horis 18. ac minutis 42. per quam horarum 18. particulam ſeptimeſtris partus gaudet hebdomada 27. decretoria : cum 26. hebdomadæ completæ dies contineant 182. & per ſeſquialteram alterius diei partem iam vi illa fruatur diuini numeri ſeptenarij, ſeu hebdomadarum 27. & hinc eſt, quod ſeptimeſtris partus, & ſecundùm naturam, ac vitalis, cum procedat ab actione bene operantis Naturæ, ſeptenarios quammaximè obſeruantis.

Eſt & altera ratio, etiam ex vtroque Parente lib. 8.& octim.par.excerpta.Septimeſtris partus ex horum mente debet conſtare ad minimum media anni parte: ſed hæc media pars ſoles includit 182.cum horis ferè 15. (recepta Alphonſi regis ſententia, ceu veriori de anni ſolaris duratione, dierum 365. cum horis 5. & minutis 49. ſecundis 16.) & hæc rurſus menſes continet ſex æquales,& horum ſinguli diebus conſtant 30.cum horis 10.ac dimidia. Ergo, ſi ſolares eſſent menſes, potius ſeptimeſtris partus, ſextimeſtris appellandus; quid quod & omnes eſſent integri, vt complerent numerum dierum 182. cum horis 15. ſumma mediæ anni ſolaris partis; quod vllatenus eſt neceſſe, vt fatentur palam Principes illi Medici, & magiſtra experientia comprobat. Quare cum partum hunc conſtantem diebus 182. cum ſeſquialtera diei parte ſeptimeſtrem appellet Hippoc.cum Gal.& quinque medij tãtum neceſſariò integri, neceſſariò itidem & hi mẽſes lunares.

Porrò & ex decimeſtri partu idem poſſumus concludere; qui cum omnium ſit perfectior, quia ex diuino

diuino Dictatore lib. de sept. par. ex quadragenariis constat septem, aut quadraginta septenariis, numeri ambo quammaximè à Natura exculti, ac obseruati, sibique familiares. Septem autem quadragenarij numerum absoluunt dierum 280. quo numero decimus mensis lunaris consequutorius gaudet, absolutis ac integris nouem prioribus, quod possibile, dies continentibus 264. cum horis 14. ac minutis ferè 13. vltimo autē mense vltra mediū saltē præpōderāte, soles videlicet amplectente 15. cum horis 10. ac minutis 52. quæ si in vnā reducantur summā, numerum adimplebūt prædictū Hippocratis, dierum 280. cum hora altera, ac minutis 4. Quæ quidem decimestri partu nequeunt conuenire, si menses solares extiterint, cum menses nouē solares integri soles contineant 273. cum horis 18. & addita mox alterius mensis maiori parte, numerum component dierum 289. longè à meta Hippocratica distantem, tum à quadragenario septimo, cum potius octauo iam frueretur numero infausto.

Tandem lubet, & alia Galeni auctoritate, hoc idem demonstrare; Galenus namque lib. de Nat. hum. sen. 41. interuallum illud inter opposita tempora menses septem includere retur, eius verba perpendamus, *Vult auctor, morbos, qui in vetustatem incidunt, & non dierum, sed mensium circuitu fiunt, contrario anni tempore, eo, quo generati sunt, hoc est septimo mense finiri.* Si igitur menses septem includuntur intra spatium temporum oppositorum, ergo necessariò menses lunares, quia solares potius sex erunt; cum tropicus alter, à sibi opposito, tantum per sex menses solares distet, vti æquinoctium ab altero sibi opposito,

& cum iudicatio perfecta septenario fiat, non sexto mense solari, sed septimo lunari, absoluetur. quid quod & morbi iuxta Lunæ motum suos habent assultus, & vis decretoria ab ipsa quamprimum dependet, vt & nos diffusè lib.1.cum Galeno replicauimus. Quare partus, ceu altera iudicatio motus itidem Lunæ insequetur.

Relicto modò Hippocrate, tum Galeno, sufficientibus nobis sanè testibus, hoc idem fas, & vsu prisci illius sæculi comprobare. illud namque, etsi Idololatriæ conuolutum, & per consequens nefariis ac execrandis plenum erroribus, cum disciplinarum studiis pariter esset addictum, eorum mentes apprimè cultæ ita perficiebantur, quod plurima, nec cõtemnenda, vt omnes docent Mytologistici, sub fabularum velamine perdoctè obumbrassent. hi igitur cum affabrè recepissent, cuncta conceptionis, ac partus, vti reliqua omnia muliebria Lunam habere auctorem, hanc sub Lucinæ nomine, tanquam conceptionum, ac partuum fautricem, ac præsidem summa religione venerabantur: eidémque semestrem bouem cum filiis recenter natis, dum infantibus imponerent nomina, vnà immolabant: gratias illi agentes, quod eius ope maturè fœtus ab vtero exiuisset. De hac re plurima sanè, ac doctè scripsit Natalis Comes lib.4.mytologiæ, ca.1.tum & Adrianus Iunius medicus insignis, & bonarum litterarum vir peritissimus in elencho auctorum in Nonium Marcellum, quo loco inquit, Lunam à priscis τριόδιτιν vocari, ob varias, quas ipsa inducit figuras: mox πετπύλιον ab apertura locorum fœmineorum, cum ipsi vis magna in laxandis corporis mearibus insit. hinc sub plenilunio copiosiores fiunt vacuationes

tiones assumpto pharmaco, parciores ipsa silente. cum igitur & ipsi magna vis insit ad partũ accelerandum, proinde à Timotheo dicitur ὠκυτόκος, seu partuum acceleratrix. de hoc instituto librum conscripserat doctissimus Varro, inscriptum περὶ ἀρίστης κυήσεως, seu de optato partu. quod opus ob temporum iniurias, vti & alia plurima, non extat. ob varia itaque munera varium illa, ac diuersum sortita est nomen; Ἄρτεμις enim dicitur, eo quod Luna suo tẽpore partum facilem reddat, non vt falsò arbitratur Macrobius lib. 1. Satur. cap. 15. quasi ἀεροτέμιν, quod aëra secet. vocatur deinde εἰλήθυια, quasi parturientibus sit præstò, iuxta Sapphicum illud Horatij, in carm. secul.

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia tuere matres:
Siue tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis.

Nihilominus & Leuanam Deam Gentiles appellabant, vt D. Augustinus refert lib. de ciuit. Dei cap. 10. quæ præerat leuandis de terra pueris, vti Statinam, cui sacra constitutio infantis super terram; & cum iuuisset stantes infantes Deistatilinus Deus vocatur, eodem referente Aug. citato libro, c. 1. & Varro lib. de puerorum educ. Statanum Deum facit pueritiæ præsidem.

Quare cum apud Grecos Philosophos, ac Medicos, tum etiam apud priscos Latinos conceptionis, & partus opus sine discrimine, Lunæ attribuatur, & ad eius motum conceptionem, ac partum vnà ab eisdem moueri arbitraretur; necessarium itidem, ac ius, per eundem Lunæ motum, illa eadem pariter metiri. Vnde Hippocrates, & Galenus, quibus subi-

tum est præstandum silentium, hanc numerandi normam sunt sequuti.

Quod si occurrant dicentes, quod sol ad generationem maiorem potius habeat vim, quàm ipsa Luna, vnde dimanat illud axioma à Philosophorum Principe, Sol & homo generant hominem, & rursus lib. 2. Phys. solem vocat γεννητικὴν, seu rerum omnium & parentem, & germinatricem.

Infirmabimus ista, si dixerimus, quòd hæc, ac reliqua munera præstet Sol media coniuge Luna, cui ipse suas impertitur vires. Lunæ itaque illa proximè sunt tribuenda. quid quod & Luna cum planeta sit fœmineus, facultate humidus, rebus fœmineis, ac humidis quammaximè præest, quales principia nostræ generationis. quare hæc ad motũ mouebuntur Lunæ cuius subiacent imperio. Sed de his satis.

Conuelluntur rationes Laurentij, tum Peramati de mense solari in fœtatione.

Cap. VIII.

VT à calce ad carceres reuocemur, lubet modò doctissimi Laurentij rationes infirmare. Has omnes vno flatu hauddubiè dissipabimus, flatus erit medium illud, quo ipse Hippocratis pugnantes locos de hac re eruditè satis conciliat, dicendo, quod menses stati partus maximam sint consequuti latitudinem: vnde non sequitur, septimestris partus tres habet denarios, & quilibet horum 70. continet soles, & omnes summam efficiunt dierum 210. Ergo quilibet mensis 30. continet soles; cum

cum ſepties triginta cōficiant numerum 210. Quia ſi lunares itidem menſes obſeruemus, idem poteſt eſſe ſeptenariorum, ac decadum ſyntagma, ſi vniuerſam eius accipiamus latitudinem, ad vltimam vſque lunaris menſis metam. & proinde lib. de Principiis num. 22. Dictator ſummus ad numerorum vim ac rationem, ſeptenarij præſertim conceptionem refert, vt iidem numeri quammaximè præſtant ad omnes vitæ noſtræ mutationes: quia natura iiſdem gaudet, & ſecundùm eos, vti artifex diuinus cuncta operatur. Quare cum in omni latitudine partus cuiuſlibet, ſiue ſeptimeſtris fuerit, ſiue nouimeſtris, ſiue decimeſtris, decadum vigeat facultas & ſeptenariorum, hanc vim, ceu omni obſeruatione dignam libris citatis optimus Senex commendat: haudquaquam intendit demonſtrare tricenos, aut ſolares eſſe menſes, cum ſibi ipſi proculdubiò reluctaretur; quod piaculum.

Porrò, & eundem Laurentium & altera ratione conuincimus. Si omnes conceptionis menſes triceni, omnes neceſſariò completi; quod & Hippocrati, & eidem Laurentio reluctans: cùm nec primus, nec vltimus integer ſit neceſſe. cum igitur neceſſariò integri non ſint, nec inde valemus inferre ſolares eſſe illos, aut tricenos, cum varietas extremorum menſium variet menſuram mediorum. Aſtruit itaque Hippocrates diſtinctos illos, ac ſtatos numeros, iuxta cuiuſlibet partus terminos, vti in ſeptimeſtri 210. in nouimeſtri 270. & tandem in decimeſtri 300. vt declaret partus vim, an vitalis, vel ſecus; dependeréque iſtud ſanè ex Natura per ſeptenarios, & quadragenarios ſeriò operante. vti in chronicis morbis, idem cenſet

fieri illorum terminationes per quadragenarios.

Irridenda pariter Peramati ratio; Vteri gestatio mensem excedit, & tribus anni quadris expletur; ergo ad solem potius quàm ad Lunam spectat illa. Nam & septenarium, & quadragenarium etiam longo interuallo excedit, & tamen Hippocrates hos numeros nō respuit, quin potius ad eorum exactam vim, partionem reducit. qua fortè conuictus ratione, vtrumque planeta in hac operatione admittit ille, & futiliter, cum & hæc in se inuicē reluctentur; nam menses si solares, aut ciuiles, ne lunares quidem erunt, aut contra, cum eorum mensura diuersa, & cuiusque planetæ distincta vis, ac natura, distinctósque illi producunt effectus.

Ad Hippocratis tandem locum de octimestri partu, num. 5. quem vtrique Peramatus, ac Laurentius referunt, dicemus, hunc diminutè ab ipsis legi, *Nouilunium dies vnus est, & exactissimè mensis pars tricesima.* cùm in veteri codice Græco, vti & Mercurialis refert, sic legatur, ὅτι ἡ νουμηνίη, ἡμέρη μία ἐοῦσα, ἐγγύτατα τριηκοστημόριόν ἐστι τοῦ μηνός, αἱ δὲ δύο ἡμέραι, σχεδὸν πεντεκαιδεκατημόριον τοῦ μηνός, Idest, *Quod nouilunium, quod dies vnus existit, proximè tricesima mensis pars est: duæ autem dies, fermè quindecima mensis pars sunt.* Credendum itaque illud aduerbium ἐγγύτατα, à Cornario, Mercuriali, tum Marinello malè fuisse versum, exactissimè; & hanc versionem decepisse haud dubiè viros illos doctos Laurentium, & Peramatum, cum potius aduerbium illud, vt accuratè interpretatur tum Caluus, tum Lalamantius, idem significet, quod mox σχεδὸν, vt appositè itidem annotat Lexicon Græcum, proximè videlicet, vel fermè.

quasi

quasi dicat Hippocrates, *dies vnus, existit fermè tricesima mensis pars.* quia mensis consequutorius deficiens est, ad hoc, vt tricesimum attingat dierum numerum per horas 11. & minuta ferè 16. cuius defectus ratione, dicimus proximè vel fermè diem esse tricesimam mensis partem, vti dies duo quindecimam. Demiror itidem Cornarium, virum citra aliorum iniuriam doctissimum, & de lingua Græca bene meritum, vti & Marinellum, idem aduerbium ἐγγύτατα, quo vsus fuerat Hippocrates lib. de sept. partu, nume. 1. ibidem vertisse, quàm proximè, & accuratè, hoc verò loco exactissimè; cum longè recedant significata, & orationem reddat à vero alienam, & eidem Hippocrati proculdubio oppositam. Si enim exactissimè dies, tricesima pars mensis, ergo necessariò mensis adæquatè contineret dies 30. & huiusmodi mensis, potius Græcanicus ciuilis, non solaris, cum vltrò procedat, non lunaris, cum citrò. quare cum ex Hippocratis, & Galeni mente mensis conceptionis lunaris sit, & consequutorius, vt nuper ostendimus, interpretandum seriò illud aduerbium vtrobique quasi σχεδὸν quamproximè, seu propè, aut fermè, vti ἐγγὺς, propè etiam interpretatur à cunctis de lingua Græca benè meritis.

De caussis, vnde vitalis partus.

CAP. IX.

NOn animus nobis fuit, contentiosum hunc funem, alterno ductu distractum, quantum

ſubiecta patietur materies modò componere: tum, quia campus eſt, in quo, quamuis poſſit exultare oratio, vndique tamen ſeptus, ac vepribus veſtitus, atque dumetis: tum, quia hanc difficilem quæſtionem crebrò, & accuratè viri luſtrarunt clariſſimi, inter reliquos præſtans ille Valentinæ Academiæ coryphæus Iacobus Segarra, cuius mihi chariſſimum in ore ſemper verſatur nomen, tum eius famę recordatio immortalitati erit conſecrata. hic itaque lib.3.de Nat.fac.dum omnes illos Galeni libros exactè perluſtraſſet, hanc cap.3.diſputationem (arrepta à Galeni verbis occaſione) perbellè, ac diffuſè ſatis exagitat: ipſo prius, alter eiuſdem Academiæ alumnus Petrus Iacobus Eſteue, vir in omni ſcientiarum genere clarus, & Hiſpanorum (pace aliorum dixerim) extremum, hanc eandem commentariis illis doctiſſimis in lib.2.Epidem.ſect.3.ſen.36. ſeria diſſertatione pertractat. Eundem mox reuoluit lapidem Hiſpanus alter peritiſſimus Petrus de Peramato lib.de hominis procreat.à cap.8.vſque ad 12.Cum igitur hi, & alij ſummi nominis viri abundè hũc agrum coluerint, ſatius multò erit nos illorum potius frui laboribus, & pacatè vnà eorundem veſci frugibus. Verum cogit argumentum, cogit & verborum ſeries, ne intactam modò hanc relinquamus rem. hanc itaque per ſumma nos capita percurremus, perfunctoriè inquam.

Quæritur quamprimum, cur ex partionis menſibus (quos nuper lunares ſignauimus) ſeptimus inter priores aſſignetur vitalis, haudquaquam octauus: cur nonus vitalis ſimiliter, tum decimus, ac vndecimus. Satisfaciunt variè Philoſophi, Aſtrologi, ac Medici, iuxta ſingulorum varia principia, à quibus

bus contentiosè hæc disputatur quæstio, vti etiam & à Iureconsultis, propter varios arbitrarios Iudicum casus.

Philosophi multiiugas assignant caussas. Pythagorici ad vim numerorum referunt; quasi numeri in sui ratione vitalem vel funestam includant facultatem. Alij alias potius replicant, iuxta cuiusque mentem. Chaldæi, & Genethliaci Philosophi, vti & Astrologi ad astra confugiunt, ad vim scilicet, & varios septem Planetarum influxus.

Nullis his assentior. prioribus, quia numeri, vt sunt in numerante, cum abstracta accidentia sint, quantitates videlicet discretæ, nullam per se vim agendi queunt habere. actiones enim suppositorum sunt, hinc meritò hos redarguit Arist. tum lib. 1. Metaphys. ca. 5. tum lib. 14. cap. 3. cum omnem vim numeris, iuxta horum rationem formalem tribuerent ipsi Pythagorici. A Chaldæis, & Astrologis rursus abhorreo. nam quamuis superiora corpora per influxus quosdam inferioribus aliqua impertiri concedamus, haudquaquam hanc æquiuocam, & planetarum vicissitudinem, quam aniliter fingunt ipsi admittendam censemus. Arbitrantur autem Saturnum in mense primo, ceu primum in ordine, semini præesse, & ipsi vitam largiri: octauo, iam reliquis prætergressis iterum exultare, & vim suam pariter exercere, lethalem sanè, ac funestam, ob qualitates vitæ oppositas. & hinc octimestris funestus, & exitialis.

De Marte, vt reliquos taceam, inquiunt etiam, & eius dominium decimo repetere mense: & cum planeta flammeus sit, vnde Pyrois, iracũdus, & cruẽtus, & ab Alehocode, seu annorũ datore natiuũ

calorem supplantante, infaustus decimestris. Sed garriant hi quantum libuerit, & lyræ celestis concentu vnà delitét & ipsi. Vt autem reliqua omittamus, dilucidè quæ de mense decimo inficiunt, maximam redolent insaniam, nam, vt supra nuper diximus, decimestris omnium securissimus est, reliquis magis vitalis, præstantior, ac exinde frequentior. vndecimus contra, cui præsidem signant solē, & vitæ episcopum & parentem, rarior, infirmior, ac imperfectior. quod si vitalis, vt testatur Hippocrates, hoc ideo, quia per priores decem dies septimo adhuc gaudet quadragenario, numeris quàm maximè à Natura æstimatis. Sed hos ceu in angulo sedentes modò relinquamus.

Doctores Medici hanc serram vnà reciprocant, & varij occurrunt in huius dissertationis assignanda caussa. Quidam enim Hippocratis auctoritate fulciti, inter quos Auicenna libr. de alimento, existit, ex vario formationis tempore id autumant cótingere: dicentes, tempus motus est duplex ad tempus formationis, tempus verò partus triplex ad tépus motus. Sed cum tempus formationis varium sit, ex Hippoctate, & hoc ipsum ceu basis omnem disponat harmoniam, hinc ad eius varietatem, vniuersa itidem variatur harmonia. Quare, qui 35. formatus est sole, mouebitur ad duplum tempus 70. scilicet luce. quod tempus cum triplum sit ad partum, nascetur fœtus sole 210. vltimus terminus septimi mensis. qui motus cum harmonicus sit, & ad proportionem Naturæ, hinc septimestris partus necessariò vitalis. Idem de reliquis dicendum, vno dempto octimestri; quin hic nullum seruat harmonicum concentum circa septenarios, & quadragenarios:

natios:& proinde nec vitalis.Hæc opinio,probabilis quidem,synonymam habet causam, obseruatione notam.

Alij Medici, quorum fortè opinio longè probabilis, etiam cum Hippocrate lib. de septim. partu num. 6. 7. & 8. existimarunt partum vti quandam crisini esse.cúmque crises, in acutis morbis, vt fusè nos libro 1.replicauimus, per tetradas fiant, & hebdomadas; similiter in chronicis, cum mensem lunarem iam excedant,per septenarios itidem,& quadragenarios si salubris, ac vitalis expectetur eorum terminatio,habendum est;qualis conceptio omnis, & secundum naturam partio.Vnicè namque Natura, in cunctis suis operibus hos amplectitur numeros,& iuxta eos operari mirificè delectatur.Horum numerorum vis à Luna dependet, etsi homonyma causa: à rebus tamen inferioribus, quibus hæc vis inest numerica, tanquam à synonyma causa. Non igitur vis per se numeris inest, sed naturalibus aliis causis, quæ numeris, lege quadam, atque naturæ præscripto, gaudet.Quare partus septimestris, cum fruatur 27. septenariis, seu quinque quadragenariis, numeris quidem imparibus, & decretoriis, hauddubiè vitalis, tum hebdomadarum, quam quadragenariorum ratione. Eadem est ratio de nouimestri; cum partio fiat septimo quadragenario, & hebdomada 34.sole videlicet 270. Idem de decimestri, cum partio eiusdem fiat septimo quadragenario. Octimestris autem haudquaquam vitalis, quia partio hęc sexto accidit quadragenario.Sextus autem dies exitialis, tyrannus,funestè iudicans, vt venustè Galenus recenset lib.1. de dieb. decret. cap. 4.& hinc cunctis infelicior. Septimus contra, ceu

Tt

rex mitissimus, suauiter cuncta disponit, maximam rursus, felicem, ac vitalem in decernendo facultatem habet.

Hæc opinio nec minimam in se continet probabilitatem, non ob prædictam rationem solùm, vsu crebro & in conceptione, ac partu obseruatam, verùm & in omni huius vitæ nostræ decursu, vt accuratè ex diuino dictatore lib. de princ. nu. 22. demõstrat Macr. lib. 1. in somn. Scip. c. 6. dũ etiã extra vterum indicit, maximam inesse in septenariis vim. Hinc, inquit, septimo mense dentire incipiunt infantes, septimo anno renouantur, bis septimo pubescunt, hircescunt, venereo prolubio stimulantur, per septenarios ætatum omnis fit mutatio. Anni rursus totius vitæ, quos Chaldæi Climactericos vocant, vi quadam decretoria, septenario septimo, aut nouenario septimo, aut tandem nono nouenario absoluuntur, ceu intercalari decretorio alterius septenarij. & hi ἐννατικοὶ potiùs dicuntur, qui à nouenario oriuntur, vti ἑβδοματικοὶ, qui à septenario climacterico: de ipso anno A. Gellius lib. 15. cap. 7. noct. Attic. Mouetur itaque, suósque habet assultus Natura ad hæc sua munera obeunda decretoriis hisce diebus, mensibus, aut annis.

Hanc sententiam veritati quammaximè consonam plurimi, & grauissimi sequuntur doctores, inter reliquos Franciscus Vallesius, Hispanorum doctissimus libr. 2. controu. ca. 10. Matthæus Dresserus libr. 2. de partibus corp. hum. Iacobus itidem Segarra lib. 3. de Nat. fac. cap. 3. tum Andreas Laurentius lib. 1. Anatom. q. 37! qua sententia arbitramur nos, de hac re, subtilius hucusque

que quicquam non excogitasse humanum ingenium.

Verùm eandē nihilominus obstringillabit quispiam, hoc ductus facillimo medio. Si veritati arrideret, quod propter defectum alicuius perfecti numeri decretorij, quem in sua latitudine octauus non ambit mensis, imò septimus, nonus, ac decimus, ille funestus, vitales hi, sequeretur quòd in omni regione lethalis esset octauus: sed hoc falsum, falsum itidem vnde sequitur. Nam in Naxio, insula maris Aegæi, altera & maiori ex cicladibus octauo mense fœliciter accidit fœminas parere, vitalésque fœtus existunt. testatur hoc Plinius libr. 4. Nat. histor. cap. 12. & inde parœmia desumpta *Partus Naxius*, hanc vnà Asclepiades Baccho attribuit, eo quòd in ea octonanus fuerit natus. Aristoteles itidem libr. 7. de histor. animad. cap. 4. in Aegypto eundem fœlicem contingere scribit, ob aquas Nili, quas fœminas fœcundissimas reddere retur. Idem & in Hispania accidisse refert Auicenna, cuius regni incola ipse fuit, illius præsertim Mahometarum litterarum emporij Cordubæ, dum nefarij ipsi Barbari ditissimam hanc prouinciam occupassent. Adsunt & historici Græci, ac Latini idem affirmantes, inter reliquos citatus Plinius lib. 7. de Nat. hist. cap. 5. qui & Italicis exemplis idem lustrat. Quare cum tantorum virorum auctoritate constet, octimestrem faustum & vitalem, corruet haud dubiè opinio altera.

Expungemus hanc obiectiunculam cuncta negando. Nam proculdubiò fabulosum, in

omni regione, in omni climate, ac ætate octimestrem partum vitalem. neque experientiæ sit pernium, imò oppositum elucet: cùm & hisce nostris temporibus ne accidat quidem illis prænominatis regionibus octimestrem vitalem: neque fas est, communem aliquam modò assignare causam huiusmodi effectum prohibentem. quid quod & ceu impossibile illud testatur summus dictator libr. de principiis, num. 22. Credendum itaque, aut quod priscis illis temporibus non contigerit, cum fortè deceptæ fœminæ nouimestrem æstimarint octimestrem: aut, quod possibile quidem (& tunc, ceu prodigium habendum) alicui contigit fæminæ. verum vti rarissimum, ita ne secundum naturam, imò extra eiusdem limites æstimandum. quia, quæ secundum naturam, aut semper, aut vt plurimú saltem accidant, est necesse: & de his tantum legum sanctores suas condunt leges, haudquaquam de raris, vt in leg. ex his. D. de leg. sen. 67. Præterea idem Galenus censet, libr. 4. de rat. vict. & libr. 2. de difficul. resp. ca. 8. Physicam vniuersalem doctrinam, ne ob rarum aliquem euentum ruere, aut diffundi. cum nihil tam ratum, ac firmum in Natura queat existere (ob innumeras mutationum caussas obuersantes, quibus sunt physica omnia obnoxia) quod infringi, ac labefactari nequeat, aut aliquo peculiari casu, aut exemplo. Dicemus igitur Naturam potius obseruantem numeros synonymam, influxus verò celestes homonymam partuum vitalium, ac lethalium caussas esse, neque amplius hunc funem distrahere modò intendimus, his pauculis contenti.

De

De caußis efficientibus morbos enixarum acutos.

CAP. X.

HVc vſque prodagmata quædam expunximus, digna quidem ſcitu, ac iocunda, nec minus ad ſubſequentem diſertationem vtilia: tempus iam eſt, vt poſtliminio redeamus, & noſtri conſilij rationem ſtudioſè pariter proſequamur. Verum cum nec morborum curatio queat exactè progredi, citra eorundem abſolutam ideæ, & cauſſarum iugiter notitiam: obſtringimur nunc ad exoluendos per venæ ſectionem enixarum morbos, & de horum natura, differentiis, cauſſis, ſymptomatum diuerſitate, atque ſæuitie aliqua præfari prius. Flores quidem, qui maximas, & vberrimas fruges promittunt.

Puerperas itaque omni ferè acutorum morborum ſyndrome laceſſiri, plurimis, grauiſſimiſve, atque funeſtis ſæpe cruciari ſymptomatis & declarat ratio, & aſſiduus teſtatur cum Hippocrate vſus. Accedit quamprimum ſynocha febris, mox cauſodes, vteri phlegmones pleuritis rurſus, angina, phrenitis, conuulſio, apoplexia, lethargus, coma, epilepſia, leucophlegmatia, & alij tandem quamplurimi morbi citò ad interitum fatales. Et quamuis horum quiſque in ſua ſpecie grauiſſimus, ob cauſſæ tamen cacoethiam hæc cunctis ferè enixarum morbis communis) eiſdem lethalior amplius. Porrò & cum ferina, ac funeſta germinent ſymptomata non vulgares ſolum, verum & dexterrimi medici, in horum curatione terrentur, animus eorundem vnà frangitur. Denique, quod

quasi dicat Hippocrates, *dies vnus, existit fermè tricesima mensis pars.* quia mensis consequutorius deficiens est, ad hoc, vt tricesimum attingat dierum numerum per horas 11. & minuta ferè 16. cuius defectus ratione, dicimus proximè vel fermè diem, esse tricesimam mensis partem, vti dies duo quindecimam. Demiror itidem Cornarium, virum citra aliorum iniuriam doctissimum, & de lingua Græca bene meritum, vti & Marinellum, idem aduerbium ἐγγύτατα, quo vsus fuerat Hippocrates lib. de sept. partu, nume. 1. ibidem vertisse, quàm proximè, & accuratè, hoc verò loco exactissimè; cum longè recedant significata, & orationem reddat à vero alienam, & eidem Hippocrati proculdubio oppositam. Si enim exactissimè dies, tricesima pars mensis, ergo necessariò mensis adæquatè contineret dies 30. & huiusmodi mensis, potius Græcanicus ciuilis, non solaris, cum vltrò procedat, non lunaris, cum citrò. quare cum ex Hippocratis, & Galeni mente mensis conceptionis lunaris sit, & consequutorius, vt nuper ostendimus, interpretandum seriò illud aduerbium vtrobique quasi σχεδὸν, quamproximè, seu propè, aut fermè, vti ἐγγὺς, propè etiam interpretatur à cunctis de lingua Græca benè meritis.

De caussis, vnde vitalis partus.

Cap. IX.

NOn animus nobis fuit, contentiosum hunc funem, alterno ductu distractum, quantum

ſubiecta patietur materies modò componere: tum, quia campus eſt, in quo, quamuis poſſit exultare oratio, vndique tamen ſeptus, ac vepribus veſtitus, atque dumetis: tum, quia hanc difficilem quæſtionem crebrò, & accuratè viri luſtrarunt clariſſimi, inter reliquos præſtans ille Valentinæ Academiæ coryphæus Iacobus Segarra, cuius mihi chariſſimum in ore ſemper verſatur nomen, tum eius famę recordatio immortalitati erit conſecrata. hic itaque lib.3.de Nat.fac.dum omnes illos Galeni libros exactè perluſtraſſet, hanc cap.3.diſputationem (arrepta à Galeni verbis occaſione) perbellè, ac diffuſè ſatis exagitat: ipſo prius, alter eiuſdem Academiæ alumnus Petrus Iacobus Eſteue, vir in omni ſcientiarum genere clarus, & Hiſpanorum (pace aliorum dixerim) extremum, hanc eandem commentariis illis doctiſſimis in lib.2.Epidem.ſect.3.ſen.36. ſeria diſſertatione pertractat. Eundem mox reuoluit lapidem Hiſpanus alter peritiſſimus Petrus de Peramato lib.de hominis procreat.à cap.8.vſque ad 12.Cum igitur hi, & alij ſummi nominis viri abundè hũc agrum coluerint, ſatius multò erit nos illorum potius frui laboribus, & pacatè vnà eorundem veſci frugibus. Verum cogit argumentum, cogit & verborum ſeries, ne intactam modò hanc relinquamus rem. hanc itaque per ſumma nos capita percurremus, perfunctoriè inquam.

Quæritur quamprimum, cur ex partionis menſibus (quos nuper lunares ſignauimus) ſeptimus inter priores aſſignetur vitalis, haudquaquam octauus: cur nonus vitalis ſimiliter, tum decimus, ac vndecimus. Satisfaciunt variè Philoſophi, Aſtrologi, ac Medici, iuxta ſingulorum varia principia, à quibus

bus contentiosè hæc disputatur quæstio, vti etiam & à Iureconsultis, propter varios arbitrarios Iudicum casus.

Philosophi multiiugas assignant caussas. Pythagorici ad vim numerorum referunt; quasi numeri in sui ratione vitalem vel funestam includant facultatem. Alij alias potius replicant, iuxta cuiusque mentem. Chaldæi, & Genethliaci Philosophi, vti & Astrologi ad astra confugiunt, ad vim scilicet, & varios septem Planetarum influxus.

Nullis his assentior. prioribus, quia numeri, vt sunt in numerante, cum abstracta accidentia sint, quantitates videlicet discretæ, nullam per se vim agendi queunt habere. actiones enim suppositorum sunt, hinc meritò hos redarguit Arist. tum lib. 1. Metaphys. ca. 5. tum lib. 14. cap. 3. cum omnem vim numeris, iuxta horum rationem formalem tribuerent ipsi Pythagorici. A Chaldæis, & Astrologis rursus abhorreo. nam quamuis superiora corpora per influxus quosdam inferioribus aliqua impertiri concedamus, haudquaquam hanc æquiuocam, & planetarum vicissitudinem, quam aniliter fingunt ipsi admittendam censemus. Arbitrantur autem Saturnum in mense primo, ceu primum in ordine, semini præesse, & ipsi vitam largiri: octauo, iam reliquis prætergressis iterum exultare, & vim suam pariter exercere, lethalem sanè, ac funestam, ob qualitates vitæ oppositas. & hinc octimestris funestus, & exitialis.

De Marte, vt reliquos taceam, inquiunt etiam, & eius dominium decimo repetere mense: & cum planeta flammeus sit, vnde Pyrois, iracũdus, & cruentus, & ab Alchocode, seu annorũ datore natiuũ

calorem ſupplantante, infauſtus decimeſtris. Sed garriant hi quantum libuerit, & lyræ celeſtis concentu vnà delirét & ipſi. Vt autem reliqua omittamus, dilucidè quæ de menſe decimo inficiunt, maximam redolent inſaniam, nam, vt ſupra nuper diximus, decimeſtris omnium ſecuriſſimus eſt, reliquis magis vitalis, præſtantior, ac exinde frequentior. vndecimus contra, cui præſidem ſignant ſolē, & vitæ epiſcopum & parentem, rarior, infirmior, ac imperfectior. quod ſi vitalis, vt teſtatur Hippocrates, hoc ideo, quia per priores decem dies ſeptimo adhuc gaudet quadragenario, numeris quàm maximè à Natura æſtimatis. Sed hos ceu in angulo ſedentes modò relinquamus.

Doctores Medici hanc ſerram vnà reciprocant, & varij occurrunt in huius diſſertationis aſſignanda cauſſa. Quidam enim Hippocratis auctoritate fulciti, inter quos Auicenna libr. de alimento, exiſtit, ex vario formationis tempore id autumant cōtingere: dicentes, tempus motus eſt duplex ad tempus formationis, tempus verò partus triplex ad tēpus motus. Sed cum tempus formationis varium ſit, ex Hippocrate, & hoc ipſum ceu baſis omnem diſponat harmoniam, hinc ad eius varietatem, vniuerſa itidem variatur harmonia. Quare, qui 35. formatus eſt ſole, mouebitur ad duplum tempus 70. ſcilicet luce. quod tempus cum triplum ſit ad partum, naſcetur fœtus ſole 210. vltimus terminus ſeptimi menſis. qui motus cum harmonicus ſit, & ad proportionem Naturæ, hinc ſeptimeſtris partus neceſſariò vitalis. Idem de reliquis dicendum, vno dempto octimeſtri; quin hic nullum ſeruat harmonicum concentum circa ſeptenarios, & quadragenarios:

narios:& proinde nec vitalis.Hæc opinio,probabilis quidem,ſynonymam habet cauſam, obſeruatione notam.

Alij Medici, quorum fortè opinio longè probabilis, etiam cum Hippocrate lib. de ſeptim. partu num. 6. 7. & 8. exiſtimarunt partum vti quandam criſini eſſe.cúmque criſes, in acutis morbis, vt fusè nos libro 1.replicauimus, per tetradas fiant, & hebdomadas; ſimiliter in chronicis, cum menſem lunarem iam excedant,per ſeptenarios itidem,& quadragenarios ſi ſalubris, ac vitalis expectetur eorum terminatio,habendum eſt;qualis conceptio omnis, & ſecundum naturam partio. Vnicè namque Natura, in cunctis ſuis operibus hos amplectitur numeros,& iuxta eos operari mirificè delectatur.Horum numerorum vis à Luna dependet, etſi homonyma cauſa: à rebus tamen inferioribus, quibus hæc vis ineſt numerica, tanquam à ſynonyma cauſa. Non igitur vis per ſe numeris ineſt, ſed naturalibus aliis cauſis, quæ numeris, lege quadam, atque naturæ præſcripto, gaudēt.Quare partus ſeptimeſtris, cum fruatur 27. ſeptenariis, ſeu quinque quadragenariis, numeris quidem imparibus, & decretoriis, hauddubiè vitalis, tum hebdomadarum, quam quadragenariorum ratione. Eadem eſt ratio de nouimeſtri; cum partio fiat ſeptimo quadragenario, & hebdomada 34.ſole videlicet 270. Idem de decimeſtri, cum partio einſdem fiat ſeptimo quadragenario. Octimeſtris autem haudquaquam vitalis, quia partio hęc ſexto accidit quadragenario.Sextus autem dies exitialis, tyrannus,funeſtè iudicans, vt venuſtè Galenus recenſet lib.1. de dieb. decret. cap. 4.& hinc cunctis infelicior. Septimus contra, ceu

Tt

rex mitissimus, suauiter cuncta disponit, maximam rursus, felicem, ac vitalem in decernendo facultatem habet.

Hæc opinio nec minimam in se continet probabilitatem, non ob prædictam rationem solùm, vsu crebro & in conceptione, ac partu obseruatam, verùm & in omni huius vitæ nostræ decursu, vt accuratè ex diuino dictatore lib. de princ. nu. 22. demõstrat Macr. lib. 1. in somn. Scip. c. 6. dũ etiã extra vterum indicit, maximam inesse in septenariis vim. Hinc, inquit, septimo mense dentire incipiunt infantes, septimo anno renouantur, bis septimo pubescunt, hircescunt, venereo prolubio stimulantur, per septenarios ætatum omnis fit mutatio. Anni rursus totius vitæ, quos Chaldæi Climactericos vocant, vi quadam decretoria, septenario septimo, aut nouenario septimo, aut tandem nono nouenario absoluuntur, ceu intercalari decretorio alterius septenarij. & hi ἐννατικοὶ potiùs dicuntur, qui à nouenario oriuntur, vti ἑβδοματικοὶ, qui à septenario climacterico: de ipso anno A. Gellius lib. 15. cap. 7. noct. Attic. Mouetur itaque, suósque habet assultus Natura ad hæc sua munera obeunda decretoriis hisce diebus, mensibus, aut annis.

Hanc sententiam veritati quammaximè consonam plurimi, & grauissimi sequuntur doctores, inter reliquos Franciscus Vallesius, Hispanorum doctissimus libr. 2. controu. ca. 10. Matthæus Dresserus libr. 2. de partibus corp. hum. Iacobus itidem Segarra lib. 3. de Nat. fac. cap. 3. tum Andreas Laurentius lib. 1. Anatom. q. 37! qua sententia arbitramur nos, de hac re, subtilius hucusque

que quicquam non excogitasse humanum ingenium.

Verùm eandē nihilominus obstringillabit quispiam, hoc ductus facillimo medio. Si veritati arrideret, quod propter defectum alicuius perfecti numeri decretoiij, quem in sua latitudine octauus non ambit mensis, imò septimus, nonus, ac decimus, ille funestus, vitales hi, sequeretur quòd in omni regione lethalis esset octauus: sed hoc falsum, falsum itidem vnde sequitur. Nam in Naxio, insula maris Aegæi, altera & maiori ex cicladibus octauo mense fœliciter accidit fœminas parere, vitalésque fœtus existunt. testatur hoc Plinius libr. 4. Nat. histor. cap. 12. & inde parœmia desumpta *Partus Naxius*, hanc vnà Asclepiades Baccho attribuit, eo quòd in ea octonanus fuerit natus. Aristoteles itidem libr. 7. de histor. animad. cap. 4. in Aegypto eundem fœlicem contingere scribit, ob aquas Nili, quas fœminas fœcundissimas reddere retur. Idem & in Hispania accidisse refert Auicenna, cuius regni incola ipse fuit, illius præsertim Mahometarum litterarum emporij Cordubæ, dum nefarij ipsi Barbari ditissimam hanc prouinciam occupassent. Adsunt & historici Græci, ac Latini idem affirmantes; inter reliquos citatus Plinius lib. 7. de Nat. hist. cap. 5. qui & Italicis exemplis idem lustrat. Quare cum tantorum virorum auctoritate constet, octimestrem faustum & vitalem, corruet haud dubiè opinio altera.

Expungemus hanc obiectiunculam cuncta negando. Nam proculdubiò fabulosum, in

De caußis efficientibus morbos enixarum acutos.

CAP. X.

HVc vſque prodagmata quædam expunximus, digna quidem ſcitu, ac iocunda, nec minus ad ſubſequentem diſertationem vtilia: tempus iam eſt, vt poſtliminio redeamus, & noſtri conſilij rationem ſtudioſè pariter proſequamur. Verum cum nec morborum curatio queat exactè progredi, citra eorundem abſolutam ideæ, & cauſſarum iugiter notitiam: obſtringimur nunc ad exoluendos per venæ ſectionem enixarum morbos, & de horum natura, differentiis, cauſſis, ſymptomatum diuerſitate, atque ſæuitie aliqua præfari prius. Flores quidem, qui maximas, & vberrimas fruges promittunt.

Puerperas itaque omni ferè acutorum morborum ſyndrome laceſſiti, plurimis, grauiſſimíſve, atque funeſtis ſæpe cruciari ſymptomatis & declarat ratio, & aſſiduus teſtatur cum Hippocrate vſus. Accedit quamprimum ſynocha febris, mox cauſodes, vteri phlegmones pleuritis rurſus, angina, phrenitis, conuulſio, apoplexia, lethargus, coma, epilepſia, leucophlegmatia, & alij tandem quamplurimi morbi citò ad interitum fatales. Et quamuis horum quiſque in ſua ſpecie grauiſſimus, ob cauſſæ tamen cacoethiam hæc cunctis ferè enixarum morbis communis) eisdem lethalior amplius. Porrò & cum ferina, ac funeſta germinent ſymptomata non vulgares ſolum, verum & dexterrimi medici, in horum curatione terrentur, animus eorundem vnà frangitur. Denique, quod

neç minus eſt, & vehementiæ morborum, cauſſarum cacoethiæ, ſymptomatum feritati, inextricabilis mox accidit, eorum curandi methodus, tum & ob ingentem affectuum iliadem, languorem pariter virium, à partus ſummis cruciatibus exolutarum, tum ob puerperium, aut imminutum, aut omnino acciſum. Cuncta igitur hæc rimari ſeriò, replicare ſedulò tenetur artifex, vt exactè inuia, ac difficilis hæc procedat curatio, Delio haud dubiè indigens natatore. Cæterum cum omnis ſanatio à cauſſa exordiatur, & hæc in enixis, ceu peculiaris, cunctis ſit puerperium: huius idea quamprimum inquirenda.

Hæc igitur antecedens cauſſa, Græcis προηγουμένη, in qua omnes enixarum morbi conueniunt, omne illud excretum eſt, quod tenetur, poſt nixum fœtus, excerni, per dies triginta in maſculino partu, & per quadraginta duos in fœmineo proſiliens: coaceruatum tamen, ceu inutile fœtui, ac fœtæ, per totum grauidationis tempus. iſtud λόχιον Græcis appellatur. Multorum affectuum hæc materies parens ſit, ſi imminutè, aut ſupra modum diffluat, aut omnino circuncidatur. Adhærent huic, ex aliquorum ſententia, & aliæ cauſſæ, morboſa videlicet corporis diſpoſitio, aut eiuſdem apparatus morboſus, ſiue à laboribus, ſiue à partus ſimul doloribus germinatus, vitium præterea vteri in conformatione, & aliquæ tandem procatarticæ cauſſæ, antecedentes & abditas concitantes, verùm hæ ad priores reduci valent. nam apparatus morboſus, proinde ſit cauſa, quia aut ſupprimendo, aut minuendo, aut vltra modum lochion vacuando, corpus enixæ diſponit, vt in eo

noui

noui germinentur affectus: idem rurſus, & vitium illud vteri in formatione. nec cauſſa externa habilis in noſtrum corpus agere, quin abditam cauſſam ſuſcitet, quæ præſens, illud afficiat. & hæc cauſſa neceſſariò in enixis lochialis materies. Quare in hac luſtranda cauſſa totis viribus incumbendum. Aſtruit hoc idem dictator ſummus, dum libr. 1. de morb. mul. à nume.58 ad nume. 82. omnes enixarum morbos cōnſulat hac vnica præuiſa cauſſa ſanare. Et cum hæc, (vt nuper diximus) trifariam lædat; cuiusque læſionis differentiá, admirabili (vt ſibi moris eſt) perquirit methodo. De acciſo binas ſignat ipſe cauſſas, æſtum ac phlegmonem vteri, ſiue ab vlceribus, putredine, aut altera cauſſa obortum: rurſus & eius oris cum ſtomacho conniuentiam, aut occluſionem. de hac conniuentia illud dictum ab Hippocrate lib. 5. Aphor. ſen. 51. *Quæ ventrem ferunt, iis vteri os conniuet.* Quod ſignum pathognomonicum & vnicum conceptionis eſt, vt & Paraphraſtes Galenus in eius ſententiæ commen. acutè inſinuat, videlicet, ſi citra duritiem, immiſſo obſtetrix digito, conniuentiam inuenerit: quia vtero ſecundùm naturam, nuſquam inſtituta eſt conniuendi conſuetudo, niſi ſuſcepto ſemine: quia ſtatim eo ſuſcepto, & amplexu fouet, & os conniuet. Ab aliqua autem præter naturam cauſſa, non ſolùm conniuet à partu, & vteri os, & eius ſtomachus, verùm facilè omni ex parte ipſe concidit. ratio caſus, & conniuentiæ eſt, quòd cum à grandiuſculo fœtu, quammaximè vterus dilatetur, aç præter modum diſtendatur, mox à violento illo motu, quo ad

fœtus exclusionem expultrix facultas accingitur, iam depulso, in sese, ac in rugas quasi contractus collabitur, vnde ipsius osculum vnà conniuet, & fit obliquum. hoc enim apud Hippocratem sonat verbum ἰδνοῦται, obliquatur. Vterus itaque in accisis puerperiis afficitur, præsertim vt similaris pars, ab æstu, & inflammatione, rursus, & vt organica, idque triplici illo modo ab Hippocrate descripto lib. 1. de morb. mul. num. 3. occlusione, obliquatione, & contractione, morbis quidem in figura, ac situ, vti altero in intemperie. hi itaque morbi etiam auctores fiunt aliorum grauissimorum morborum, quamuis per accidens, in quantum videlicet detinent excrementum illud, materies, in qua consistit vis efficiens procreandi morbos, puerperium inquam, quod ex naturæ instituto per vterum repurgandum erat. Vterus itaq; malè affectus caussæ principium est morborum, qui puerperis accidunt.

De caussis accisi, aut imminuti lochij.

Cap. XI.

CVm lochia præsertim tempore à mensibus distinguantur, cum vtrunque excrementum, eodem etiam & ab eodem Hippocrate lib. 5. Aph. sen. 28. nomine condonetur, γυναικεῖον, inquit Galenus in com. *appellauit ea quæ mulieribus per vterum menstruis purgationibus, & à partu vacuantur.* quàuis propriè illa ἔμμηνα, hæc καταμήνια vocentur, muliebritas vtrunque latinè; vsu tamen receptum est, promiscuè apud Græcos muliebria cuncta, & mansiones ipsis dicatas γυναικεῖον nominare, vt

inter

inter reliquos Andreas Tiraquellus peritissimus Iureconsultus,& qui inter reliquos fortè familiam ducit lib. de leg. connub. à num. 21. vsque ad 24. in lege 10. lustrat perbellè.

Mancus haud dubiè videtur Hippocrates in assignandis accisi, aut imminuti puerperij caussis; dum tantum quatuor illas nuper in superiori capite recensitas, lib.1. de morb. mul. nu.3. astruat. Nam quæ caussæ accisorum mensium eædem proculdubiò & lochiorum, cum vtrorumque eadem sit ratio. quare cum plures ab illis assignentur à Galeno caussæ mensium circuncisorum, tum lib.3. de causs. sympt. ca.4. tum & vtriusque symptomatis lib.5. Aph. sen. 28. & 57. necessariò & eædem in accisis lochiis æstimandæ. octo illæ à Galeno citato lib. de causs. sympt. adnumerantur, quarum aliæ ad vterum, vt similaris pars, ad eundem aliæ vt organica, ad contenta rursus aliæ, & aliæ tandem ad vniuersum corpus spectant. quæ ad vterum, vt pars similaris pertinent, non solum est illa, quam supra Hippocrates recenserat, intemperies, inquam, vteri calida, æstus, & inflammatio, verum & eiusdem vteri substantiæ modus, si densus, si solidus, & durus per se, vel per accidens fuerit. Ab vtraque caussa vasa ipsius vteri coarctantur, comprimuntur; hinc circunciditur fluxio, omnino, si in totum coarctentur vasa partium, si minus comprimantur, & tertia exoritur huius symptomatis caussa à prioribus duabus distincta sanè. Porrò ob vitium vteri, vt organica pars, supprimuntur menses, aut ob vitium in formatione, exilibus & angustis formatis vteri vasis: aut ob generatam in eorundem vasorum cauitate obstructionem, citra defectum aliquem in fluxuris hu-

moribus, aut itidem horum culpa, quia multi, crassi, aut lenti. & hinc aliæ tres exurgunt caussarum differentiæ. Denique totius corporis, & venarum vteri vitio, idem concitatur affectus: illius quamprimum, si diu multum fuerit mulier exercitio, ac laboribus fessa, aut tenuissimo victu vsa, aut aliò humores irrepserint: alterius tandem, si robusta fuerint vasa, ita vt omnem ad se humorum confluxum respuant, nullatenus quidem admittant. Longè igitur plures caussæ, quàm quæ à Dictatore recensentur.

Reapse huius rei, ne difficilis sanè ratio: quia Hippocrates eo loco, ne lege aliqua obstringebatur, vt cuncta illa seorsum enarraret, cum ipsi sufficeret, præcipuas, aut enixis peculiares, ac frequentiores enumerare caussas, inflammationem, conniuentiam, occlusionem. quid quod & Galeni reliquas vtrique statui communes, fortè ad illas tres reduci posse arbitramur. vnde Laconicus Hippocrates, vt sibi moris est, breui ista sylloge, cuncta illa restringit.

Occurrit modò anilis difficultas aduersus Galenum, cum vterus languidus à natura sit, & ad recipiendum potius habilis, vti penu à Natura statutum, ad omnem totius corporis fœminæ colluuiem expurgandam, ne quidem illi robur validum, humorem ad se confluentem aliò transmittere valens. Satisfaciemus, Galenum, robur illud ipsius vteri corpori non tribuere, sed vasis eiusdem: quæ, ob fibras transuersas illud præstare posse, nullus non concedit. Neque admittimus nunc alteram responsionem, Galenum ibi supposuisse robur vteri à medicamentis adstringentibus, ac roborantibus contra-

contractum; ceu externa sit caussa, & fictitia quidem ad Galeni mentem.

Ab his igitur caussis accisi lochij in vtero non solum morbi germinantur, verum & in aliis corporis partib⁹, vt insinuat perdoctè Dictator li.5. Aph.sen. 57. dicens, *Subsidentibus menstruis accidunt ab vtero morbi.* Galenus in commentario, illud ab vtero eleganter sic interpretatur; quod excrementa illa in vtero retenta, morbos non leues temporis progressu pariant; ex quorum pręsentia & contumaciores fiunt primarij affectus, aliorum germinatrices. producunt itaque ex Galeno menses retenti (& quod de mensib. idem de lochiis habendum) phlegmonem, erysipelatē, schirrum, cancrum, & hi rursus morbi, contumaciorem reddunt suppressionem, ex qua contumacia, ducto in sympathiam corpore affectus alij exoriuntur toti corpori communes, febris, anasarca, & alij huiusmodi. Hæc autem incommoda, ab immodicis mensibus ne accidere quidem posse, testatur cum Hippoc. Galenus, vti nec puerperiis immodicè emanantibus; & proinde ad menstrua abundantia illud non adiunxit *ab vtero*: hæc enim immodica (nisi habeant aliquam permistam qualitatem) nequeunt generare in vtero, aut ab vtero morbos, cum ibidem non remorentur. quibus non genitis, nec corpus reliquum ducetur in consensum, quamuis per accidens calore natiuo dissipato, & vnà hepate refrigerato, etiam ex Galeno lib.1. de nat. fac. capite octauo, anasarca, vel leucophlegmatia gignatur. verum affectus hic per se, ne ab vtero quidem exortus, & consequenter, ne ab vtero morbus vocandus; cum in vtero permanens non sit affectus

aliquis, ad cuius consensum vniuersum ducatur corpus. quamuis in vtero sit illius sympromatis in excretis caussa, quæ per accidens, & alium producere affectum est habilis.

Subsidentis lochij caussis expositis, iam imminuti caussæ nos aduocant. hic affectus eisdem ferè gaudet caussarum generibus, sola tantum maioris, & minoris ratione distinctis. hoc innuit palam Galenus citatis commentariis, dum differentias has, & earum caussas inter se mutuò confundit: cominus accisionem mensium modò purgationem parcam appellat, iam rursus puerperij defectum, mox suppressionem, iam tandem aliquando eiusdem paucitatem. Hippocrates prius ipso, in eadem stat sententia, si verba eiusdem attentè perscrutemur. lib. itaque 1. de morb. mul. num. 64. tres imminuti puerperij assignat caussas, angustiam oris vteri, distortionem eiusdem, seu diuersionem in aliquam partem, & partis alicuius vteri conniuentiam ab inflammatione: quas ad binas illas priores accisi puerperij facilè quis reducet, vti angustia, & distortio ad occlusionem; hæ namque, quia meatus occludunt, reapse supprimunt, sin minus occludunt, minus itidem supprimunt, & tunc huiusmodi puerperij imminuti auctores fiunt. relinquitur deinceps conniuentia, caussa quidem vtrique affectui communis. hæc enim maxima si fuerit, in totum vtramque supprimit excretionem, sin minor imminutam parat. Dubium igitur non est, apud vtrosque Medicos duces, easdem esse vtriusque affectus caussas, sola præmissa maioris & minoris distinctione. Verum & huius rei adhuc manifestus astipulator Galenus est, lib. 3. de sympt. causs.

cap.

c. 4. qui cum accisionis mensium referat caussas, hęc retur, *Minus excernit easdem ob caussas, sed remissiores, quam pro naturali consuetudine.* Imminutum igitur puerperium, medium quoddam habet inter suppressum, & aliud quod secundum naturam: vnde & remissiores caussæ, extremis. minor angustia, minor & distortio in diminuto: maxima conniuentia, maximáque occlusio in acciso. Insinuat hoc idem & Hippocrates, dum de distortione loquens dicat, *diuersio in aliquam partem*; quasi dicat, diuersum partim os vteri: quia si in totum distorqueretur, supprimerentur haud dubiè etiam in totum lochia.

Inflammatio conniuens aliquam vteri partē, altera caussa diminuti puerperij, ad æstum, seu vteri phlegmonem spectat; eôdem itidem adhibito discrimine maioris, & minoris affectus. nam maxima inflammatio vniuersum vteri corpus afficiens, in totum lochia circuncidit: redderentur namque per partem inflammatione immunem. minor autem inflammatio, nec vniuersalis, quod si vniuersalis, remissior tamen, diminutum faciet puerperium, cum huiusmodi inhabilis omnimodam germinare conniuentiam. Sed cùm Natura medio, ceu ipsi chariori, impensè delectetur, extrema, ceu noxia respuat, confirmante istud diuino Parente lib. 2. Aph. sen. 51. hinc & morbi fiunt non fluentibus lochiis, & iidem excitantur eisdem imminutè, aut plus iusto fluentibus. hanc veritatem lustrat Præceptor lib. 5. Aph. & lib. de genitura. sen. 57. Recessus enim eâdem ratione se habet ad minus, vti idem ad plus: cum medium exactum vtrumque æquè respectet extremum: iuxta illud etiam axioma Geometricum, omnes lineæ ductæ à centro ad circunferentiam in

circulo sunt æquales. quia punctus, qui centrum, & exactum medium, æquè distat à qualibet circuli circunferentiæ parte.

De caußis immodici puerperij.

Cap. XII.

Replicatis iam subsistentis, ac imminuti puerperij caussis, occasio nihilominus postulat, & easdem immodici assignemus modo; cum & hoc suos pariter germinet præter naturam affectus, nec dignatione reliquis aliis minores. quid quod & fatalem prorsus interitum breui temporis interstitio aliquando portendat. D ctator summus lib. 1. de morb. mul. num. 67. exuperans lochion duplicem in se continere caussam scripsit, amplum videlicet, ac dilatatum vteri osculum, & quarundam venarum eiusdem vteri ruptionem. Mauricius Cordæus vir sanè doctissimus, & huius libri Hippocratis insignis paraphrastes, quem sola doctrinæ notitia vnicè diligo, hic inquam sic locum interpretatur: *hiantes venas ad vterum intrà pertinentes, quæ multum, & liberaliter vacuent:* & hoc, verbum illud καταῤῥήγνυσθαι vnà cum Galeno libro aduersus Iulianum significare ciuiliter contendit. Prætereà, quod anastomosis, haudquaquam ruptio huius affectus sit caussa, etiam idem Galenus citata sæpius 57. sententia li. 5. Aph. innuere videtur, dum dicat, *Potest itaque & vasorum ad vterum pertinentium osculis nimium patentibus &c.* quo loco illud ἀναστομωθέντων, potius oscula patentia, non rupta vasa astruit quidem. Porrò & ibidem alteram adiunxit & huius affectus

fectus caussam, vltra illas priores Hippocratis, sanguinis videlicet vitium, aut in qualitate calida, aut tenuitate substantiæ excedente, aut citra eiusdem excessum, existente adhuc sub conuenienti Naturæ symmetria, verùm propter cachexiam, vniuerso corpore grauato, & mox expulsam ad vteri vasa: quæ caussa, ceu fœminis maximè frequens obseruanda venit. hanc nos caussam facilè assequemur excreti natura æstimata, substantia videlicet eiusdem, colore, inspectione habitus ægrotantis.

Sed ad Cordæum reuertamur, cum vteri vasa valeant proculdubiò rumpi, vti & quæ in pectore sita sunt, aut naribus, deneganda haud dubiè hæc caussa non est, ceu non possibilis, nec tollenda à numero earum, quæ immodicum queunt efficere puerperium, vt seriò nos consuluisse Hippocratem arbitramur. Quare illud καταῤῥήγνυσθαι apud Hippocratem vtrumque poterit significare, aut ῥῆξιν, seu Celsi ῥηγμοχασμὸν, apertionem vasorum à ruptione, aut ἀναστόμωσιν, apertionem oris eorum citra rupturam. Neque his reluctatur Galeni illa interpretatio libelli aduersus Iulianum, nam quamuis lib. 5. Aph. anastomicam apertionem concedat, non tamen proinde alteram, quæ ex ruptione fit, respuit, quod facilè erit, ex eiusdem Galeni mente demonstrare; huius verbis, & sententia vtar, ex lib. 3. de causs. sympt. ca. 2. petita, in quo dum hæmorrhagiæ ideas describeret, sic infit, *At muliebre profluuium (vt iam diximus) non toto genere, sed tunc solum præter naturam est, cum quantitatis modum excesserit. Horum omnium caussa trifariam distinguitur, quippe vel facultas ora vasorum aperit, vt in sanguinis fluore è narib. videre est: vel sanguis ipse malè affectus est, aut va-*

sorum aliquod malè affectum. Sanguinem malè affectum dico, vel cum adeò vitiosus est (Græci cacochymon vocant) vt vasa quibus continetur erodat: vel adeo est auctus, vt à vasis contineri non poßit, atque hic, vt vas ipsum rumpere potest, ita vasorum ora aperire potest. At vasa malè affecta dicuntur, si vel molliora, vel duriora, vel tenuiora fuerint. Ex his palàm elucescit, vteri reliqua, nihil minus obnoxia esse ruptioni, quàm anastomosi, ac erosioni. quid quod & sicuti muliebre profluuium à qualibet harum triplici caussa concitari potest, similiter & immodicum puerperium ab eisdem exoriri caussis rationi sit consonum. his proculdubiò breuiloquus adrisit Hippocrates, dum verbo illo καταῤῥήγνυσθαι omnem apertionem venarum, siue per anastomosin, ruptionem, aut erosionem fiat, insinuare visus fuerit. cum hauddubiè hæ omnes immodici puerperij sint germinatrices caussæ.

Cum igitur à prouida Natura stata lege sit sancitum, per vterum, ceu conferentem locum, & per singulos menses periodicè, & à partu omnem redundantem in corpore sarcinam deponere; háncque in hac actione, vti in reliquis, semper affectare medium: cum nimium, seu quicquid à medio, intra suam secundum naturam latitudinem recesserit, naturę certum indicere bellum passim experiamur: proinde hanc lochiorum vacuationem modum seruet ius est, vt ne excessu, vel defectu, morborum sit ferax.

Qua ratione ab excessu, vel defectu puerperij morbi oriantur acuti.

CAP.

CAP. XIII.

IN caussarum inuestigatione passim Mæandri se offerunt multi, Nisei pariter difficiles. Sed cum viri illustres, illi inquam, qui gloriosum trophæũ reportare statuunt, omnem contemnant difficultatem, horum exemplo quotiescunque materies occasionem præbuerit, strenuè præripiam. Adest igitur modò explorãdi occasio, cur puerperia, quæ morborum vnicam assignamus enixis efficientem caussam, si excedant, vel deficiant morbos generẽt acutos. quod est causæ rationem rimari. Excedentium quamprimum rationem innuere videtur dictator summus, & lib. 1. & 2. Aph. sen. 3. dicens, *Extrema vacuationes periculosæ.* rursus sen. 51. *Semel multum, & repente vacuare periculosum: omne siquidem nimium naturæ inimicum.* Cum itaque nimium omne Naturæ euersor, destructor, & omnis extrema, ac multa vacuatio pariter periculosa, ceu potis eandem euertere: quanto magis puerperij excedẽs, seu extrema vacuatio, in qua sanguis funditur, nectar viuificum, succus omnium naturæ charior, vitæ thesaurus? Promittũt igitur quasi certò extremi hi fluxus, ac subitò fatalem iam iam aduenientem mortem. nam huius vacuationis ratione, in primis hypothymia prehendũtur fœminæ, mox & syncope, statim consequitur mors; cũ exantlato corpore, exsolutis vnà spiritibus, dissipatis viribus ab extremo puerperio in agone conflictẽtur, animam agãt. conuulsio rursus ab eadem, inanitione consequuta excitatur, vt perdoctè bonus Senex lib. 5. Aph. sen. 54. testatur. Quod si extrema fortè non fuerit, exsoluit saltem calorem natiuum, nec minima dissipa-

tur ſpirituum copia. hinc cachexiam in corpore introducit, marcorem, ac denuò hydropem.

Præterea à puerperij defectu, ſiue omnino ſint accisa, ſiue imminuta, morbi nihilominus exoriuntur acuti, quia in earum corpore excrementa detinentur funeſta, neceſſariò ita oblędentia, quod in dies enixis ferinos, ac lethales germinent morbos, præſertim ſi principes aliquas obſederint partes. iſtud inſinuant Medicinæ duces, Hippocrates imprimis libr. Coac. prænot. numer. 3. dum dicat, *Quæ ex partu multa repentè concitata ſupprimuntur, difficilia ſunt.* his rigor hoſtilis, & alui turbatio. Rigor itaque hoſtilis ac funeſtus accidit, quia circumciſus humor metaſtaſim facit ad diaphragma, & caput, neruos feriens, vt idem aſſeuerat illa hiſtoria vxoris Philini libr. 1. Epidem. com. 3. ſen. 21. Alui rurſus turbatio, quia recurrit humor tenuis ad hepar, & hoc perennem profuſionem ſubeſt, cũ acceſſione grauiſſimorum ſymptomatum, & viriũ languoris. Galenus porro idem ſtruit lib. 3. Epidem. comm. 3. ſen. 73. dicens, *Omnis præter naturam menſium ſuppreſſio offendit, tamen non perinde, vt ſi à partu ſupprimantur, offendit.* Cauſſam ſignat ibidem, quia hæc ſuppreſſio, non abundantiam modò, verùm inſignem etiam humorum prauitatem parit, cum meliorem ac dulciorem ſanguinis partem ad ſe fœtus alliciat, vt ea nutriatur, deteriorem autem, ceu ipſi inutilem, reſpuat. quæ deterior, mora, deterior ampliùs fit. In hac denique ſtat ſententia tum lib. 1. Epidem. com. 3. ſen. 21. tum libr. 1. Prorhet. com. 2. ſen. 48. & lib. de Atra bile ca. 8. quibus locis affirmat palam nũquam exquiſitè inculpatum eſſe enixarum ſanguinẽ. Quamuis huic ſententiæ

tentiæ obstare videatur Hippocrates, cum id cũctis peculiare esse, presse neget lib. de nat. pueri, nu. 12. & sanam proponat enixam, cui redundans illud sola quantitate peccet. vnde inquit, *quæ sana sunt, & sunt futura, earum sanguis, veluti victimarum procedit, & congelatur statim.* Hæc cum obseruasset doctissimus Mauricius Cordæus comm. 3. in libr. 1. de morb. mul. Hippocrati hærens, cuius tunc tutelam profitebatur, noluit Galeno assentiri. Verum nos hanc controuersiam sic iudicamus rescindendam, dicendo, Hippocratem exemplar nobis proponere, dum hanc sanam mulierem statuit, cuius quidẽ comparatione reliquæ magis, vel minus sanæ dicentur. vti de temperamento ad pondus arbitramur, hoc enim, cum non consistat, aut instantanea saltem eius existentia, vt exemplar tamen hoc nobis proponit Galenus lib. 1. de Temp. ca. 8. cuius relatione disparamus nos reliquas temperamentorum ideas.

Quare Galenus supra statum mulieris permanentem æstimat, & hunc omnino inculpatũ nõ admittit. ceu nequeat existere fœmina inculpabilis vitæ, iuxta illud satyrici Accurtij in leg. ex his. D. de leg. dicentis, *Non esse legem de bonis mulieribus faciendam, quoniam raræ sunt.* Sed hunc Diodorum, crebrò cæspitantem relinquamus modò: cum in multitudine copiosa sint, quarum inculpabilis vita, mores integerrimæ, & omnium ipsæ virtutum sint candidum exemplar. Concludamus itaque cum Galeno, ad vnguem inculpatam fœminam physicè non dari, ob multas, ac varias obuersantes caussas, sanguinem valentes partim corrumpere, ineuitabilem aërem, diuersorum

ciborum vſum, vitam ſedentariam; pathemata occurrentia varia, quibus ipſæ quàm maximè ſubiiciuntur. hæc enim omnia valentia quidem ſunt,& potenter ſanè, optimam corporis, & humorũ vnà ſtructuram labefactare; quaſi ſit ferè impoſſibile inculpatus omnino adſit ſanguis: quamuis ſenſus iudicio huiuſmodi æſtimetur. Sanguis igitur victimarum Hippocrati, ceu medium ſtatuitur:& quæ enixæ quàm maximè ad hoc acceſſerit, & ſana vt nunc, & in futurum cenſenda, cum quàm minima in hoc ſanguine inſit excrementorum copia. Illud autem medium aſſignat Hippocrates;quia ad victimas inter reliqua animantia, illa à Gentibus ſeligebantur & pinguiora, & obeſiora,vt diis ſuis, ſeu potius dæmonibus immolarent:vti itidem Catholici præſtabant antiquitus, vt ſummo Deo, ac vero placerent; iuxta illud Protomartyris diuini Abelis, vt ſacra teſtantur eloquia Gen.4. qui vt vero, ac immenſo Deo omnium creatori fieret charior,de primogenitis gregis, & de adipibus eorum Domino obtulerat in ſacrificium. Quare his ſubſtitutis, verè quidem vtrique affirmant; cum Hippocrates illum ceu exemplar ſtatuat, Galenus autem à parte rei omnino inculpatum non recipiat enixarum ſanguinem, imò aliqua ex parte neceſſariò vitioſum admittat, quod eſt quàm certiſſimum:quamuis ſenſus iudicio huiuſmodi aliquando non appareat. Sed ad penſum redeamus.

Cùm in enixis ſupprimitur ſanguis puerperij, nequeunte natura illũ ob obicem aliquem præter naturã reddere(iam ibi ſtabulatus,vt lib.6.Epidem. cõ.1.ſen.2.Galen.ſcripſerat,in eo inflãmationes syſtrophicas germinat;iam mox putreſcens ſynochos

conci-

concitat putres: in quo, si fortè redundarit bilis, causodes potius exoritur. quod si hæc bilis & acris fuerit, & mordax, & per vteri substantiam transfundatur, vlcera hauddubiè pariet ibi praua, & cacoetha. Synochus febris in mensium ac puerperij accisione generari dicitur, quia vterus plurimis, nec non capacissimis, inter reliquas nostri corporis partes abundat tubis, à quibus fit irriguus: his autem repletis, ac distensis pariter, & ab eadem mox plenitudine, vnà ventillatione prohibita, necessariò huiusmodi febris idea accenditur. & hoc commune habet hęc peculiaris synochus, cum altera, quæ toti corpori fit communis, & quod à plenitudine fiat, & citra ἰδίαν, seu priuatum putredinis larem in vtero. In hac febris specie, vti in causode, exputrescêtibus humoribus in vasis vteri, maxima vaporum calidorum excitatur copia, & per arterias percurrendo, suo quasi nutu, cum à natura sublime petant, in caput subuolant: & cum præsertim arteriæ quædam, per collum ab vtraque infundibuli parte perreptent, recta in sinciput discurrunt, & à vaporibus illis calefit syncipur, & dolore maximo vnà vexatur. testatur idipsum Senex optimus, tum & eius interpres Galenus eodem libr. 6. Epidē. com. 1. sen. 2. quid quod & sæpe, quod magis est, eosdem calidos vapores, ceu præuios, per quandam quasi anadromen humores aliqui tenues, ac calidissimi, phrenitidis, ac conuulsionis feraces, insequuntur.

Porrò in inflammationis exortu, aut alterius cuiusque prædictarum febrium ideæ, à calore in parte accenso affecta, humores rursus attrahantur, & ibi, siue sit ὑστέρα, siue pars aliqua inflammatione

obsessa, ex toto corpore cum impetu confluunt: ex qua commotione humorum (quá lib. 1. de morb. mul. numer. 67. Hippoc. Τάραξιν vocat) & acutior multò exardescit febris; & celerius humoribus per lumbos discurrentibus, rigor validus suscitatur, intensùs iugiter in præcordiis dolor vrget, tam à calore, quàm à distensione, ac vellicatione illarum partium obortus. Venter præterea intumescit, & ad epigastrium potissimùm dolet, sub quo vterus, oppressa pars iacet. Neque altera signanda caussa, prætet lochiorum accisionem, & sanguinis in grumos coalitum: qui trombi inæqualiter cum vasa distendant, vt diuinus innuit dictator libr. 1. de morb. mul. num. 75. ferinos, ac molestos suscitat dolores: vt itidem in quibusdam virgunculis apparet, tenuia & stricta vasa habentibus, mensurni fluxus tempore.

Verum si humores hi in vtero non fuerint stabulati, sed accisi potius refluì, cum nullæ aliæ partes aut capaciores, aut ad susceptionem aptiores vicinis, abdomine inquam, cruribus, hepate, ac liene, ceu magis spongiosis, ac laxis: hinc in abdomen translati, ac lumbos, rigores germinant, & dolores iugiter cum quodam grauitatis sensu. Si mox in crura coxendicum dolorem: & si amplius in inferiores articulos refluant, non leues ibi gonagricos, aut podagricos dolores concitant. Cæterũ si turgens ille humor, hepar repat per phlegmonem in eo, quod si biliosus fuerit, & potius ad os ventriculi cõfluxerit cardiogmonẽ hauddubiè gignet. Quod si per vniuersum corpus errantes humores diffluant, in toto itidem corpore ab eisdem enixa lancinabitur, dolebit, compungetur: & si fortè

fortè ad ventriculum diuertant, anorexiam pariēt. Et cum aliquando cor, vitæ metropolim & arcem appetere, ac ferire præsumant, cacoetham qualitatem iam adepti, aut per seipsos, aut per tetricum aliquem eleuatum vaporem syncopem generabunt, aut funestam inferent vim, ac lethalem. sin verò, ob eius caliditatem, ac tenuitatem, per quandam metastasim, partes petat superiores, vt Galenus cum Hippocrate libr. 1. Prorhet. commentar. 2. senten. 48. & libr. Coac. prænot. numer. 3. insinuat, in caput locatum, ibi grauissimorum morborum fiet parens, ac lethalium sæpe apoplexiæ, epilepsiæ acutissimæ, conuulsionis, phreniridis, lethargi, melancholici delirij catalypsis, & aliorum, iuxta partis affectæ, & humoris ideam. tenuior autem, & calidior, saltem in his gignendis affectibus aurigæ munus præstabit. Porrò si idem iste lochialis humor in faucibus firmetur, anginæ aliquam speciem haud dubiè pariet: sin in pectus ruat, ad membranam videlicet costas succingentem, exquisitam fortè pleuritidem, ad intercostales autem musculos notham suscitabit. sin tandem ad ipsum pulmonem, aut cruentum germinabit sputum, apertis per anastomasim, vel diapædesim vasis, vel erosis: aut in eorundem pulmonum substantiam imbibitus, perineumoniam. quæ omnia, iuxta optimi Senis Σχάσιαν, libro de virginibus, & eisdem virgunculis accisis mensibus, & turgētibus persępè accidunt, etiam laudabili existente sanguine, soláq; multitudine errāte. Si itaq; tot calamitates cōtingūt virginib., ex sola laudabilis sāguinis accisione, quid enixis infœlicib. fiet, dū lochia ipsa ferè

ſemper aliqua inſequatur praua, ac deterrima qualitas? Nonne ex his quaſi certò fatalem prædicemus mortem? quid mirum, cum & iſte humor, ex Galeno libro de Atra bile cap. 8. perſæpe naturam contrahat humoris atrabiliarij, cuius effectus atroces, diri, ferini, hoſtiles. Redundantiam huius humoris palam declarant inter reliqua vrinæ, cum hæ fuliginoſum quid contineant, tum nigram fuſurã præmonſtrent. Habemus hiſtoriam de hac re apud Hippocratem, lib. 3. Epidem. com. 3. ſen. 73. ægr. 2. Mulieris cuiuſdam apud frigidam in Thaſo decumbentis, quæ has minxit vrinas, & ſimul mœrore confecta obiit.

Nequit igitur quiſpiam mirari, quod ex tam prauo humore in corpore retento, tot, tanta, támque grauia inſequantur mala, noxáve funeſta: cum & ſuo quaſi nutu principes partes petat, quæ citra maximum vitæ diſcrimen alieni ac praui ſucci recurſum ne ferunt quidem. Quamobrem horum omnium affectuum hæc eſt vnica, & antecedens cauſſa, puerperium, aut prauam, aut ſæpe atrabiliariam ac malignam referens ideam. qua prauitate, aut cacoethia acutorum, ac funeſtorum morborum fit ſanè ferax. Hi itaque morbi modò in conſultationem veniunt, cum ad eos ſanandos principatum teneat venæ ſectio, de qua nobis nunc conſilium methodum tradere, in cunctis fœminarum morbis ſanandis, illa indigentibus.

De caußis febrium à partu contingentium.

CAP. XIV.

FRequentiſſimus morbus vtrique ſexui febris, frequentior tamen ipſis enixis, cum vix vlla ſit (etiamſi fœliciter illa pariat) quæ ab eius tyrannico redimatur impêrio. cunctis námque ferè, aut à laboribus partus, aut à lactis ſaltem ſubitanea generatione, aliqua ſemper febris accenditur idea. Illis autem, quibus ſubſiſtit lochion (vt nuper diximus, & Hippocratis declarant Epidemicæ hiſtoriæ) non quæuis accenditur, verum aut ardentiſſima ſynochus, aut æſtuoſa cauſodes. Seriò igitur de hac re nobis nunc ſermo erit; & quia ad noſtrum quammaximè inſtitutum ſpectet, & vnà Horatij Augenij viri hac noſtra tempeſtate clari doctrina nos cogat. hic itaque tomo 2. epiſt. Med. libr. 11. in quadam epiſtola ad eius generum Ludouicum Pichinū reſcripta, plurima ſanè refert tanto viro indigna, cum veritati, & Hippocratis doctrinæ proculdubiò reluctentur. Hunc quamprimum in iudicio aduocatum liberè audiamus, vt mox doctrinæ veritatem exploremus, & ius dicamus. huius hæc ſunt verba, quibus & ſuam orditur epiſtolam,

Puerperis tres febrium ſpecies contingere ſolent, vna quam puerpera vitare nulla poteſt: duæ quæ ex accidenti prorſus contingũt. nequit euitari febris à lactis generatione procreata. & hæc magis inter ephimeras reponenda eſt, quia fit ab inflammatione, & motu caloris, ac ſpirituum ſubitò (quod Græci ἀθρόως dicũt) ad lactis generationem confluentium ex transmutatione ſanguinis. ita profectò in omni tranſmutatione ſub-

stantiarum febres contingunt, vt in pure conficiendo constat, quæ biduo, aut quod longius est triduo euanescunt. Aliæ febres, quæ ex accidenti cōtingunt puerperis sunt in duplici differentia: aliæ enim sunt morbi, aliæ se habent vt symptomata. & hæ rursus aut eueniunt benè secundum naturam expurgata fœmina, aut nequaquam repurgata: his & febres morbus, vt synochus putrida, & febris symptoma, ab inflammatione vteri contingere possunt. & vtraque febris necessariò à sanguine puerperij retento ortum habet. illis autem benè expurgatis etiam febres succedere possunt, quæ nullatenus à retentione puerperij dependentiam habent. sed ex mala humorum præparatione qui occasione partus putrefacti febrem putridam efficiunt, plerumque continuam, & acutam, aliquando intermittentem. & harum minera non in vtero consistit, sed vel in venis maioribus, vel minoribus, vel extra venas. & hac res illustratur duabus Hippocratis historiis, vxoris Philini, quæ cum filiam peperisset, & secundum naturam fuisset purgata decimoquarto à partu die, igne correpta cū rigore fuit: & alterius vxoris Dromeadæ, quæ etiam filiam enixa, & aliis omnibus secundum naturam factis, secunda vix rigor accepit, & febris acuta. His itaque non à retenta expurgatione lochiali, sed ex mala humorū præparatione febris hæ superuenere. Hactenus Augenius.

Hæc, quamuis in citata epistola sparsim fuerint dictata, eadem tamen hac serie rescripsimus, ne plurima excremus à nostro consilio aliena. En igitur Augenij rationū momēta, è plumbo, an è vitro? Nec refellam quidē, nisi, libeat mihi paullisper hūc mimicum risum ridere. Sed iam cū obstringillare homini amico nihil iuuet, res hac præmissa hypothesi appendenda. Per tempus partus omne illud intelligen-

ligendum, quòd à calce nixi interest ad puerperij vsque carceres. quã tẽporis latitudinẽ eleganter descripsit Hippocrates lib. de Nat. fœtus, mox & eandem admittit Augenius eodem tomo 2. Epist. Med. lib. 12. in qua latitudine amplectenda saltem minor illa portio, quam sufficere ad congruã purgationẽ demonstrat citato loco Hippocrates, quæ in masculino nixu ad vicesimum vsque producitur solem, in fœmineo ad quintũ vsque supra vicesimũ, vltra quos carceres citra enixæ periculum, circuncidi ne posse quidẽ lochia, fatur Hippocrates, haudquaquã autem infra. etsi quibusdam fœminis, aut propter plethoram, aut multitudinem aliquam, aut cacochymiã amplius protrahãtur puerperij metæ ad tricesimum, vel quadragesimũ secundum solem, iuxta sexus nati distinctionem: vltimi sanè & absoluti salubrium omnium enixarum termini. Cęterum modò minores illos obseruemus, & vnà in tres cũ eodem Augenio diuidamus hebdomadas, quarum priores æquales erunt, inæqualis vltima.

Iuxta hanc hypothesim manifestò Augenij subruitur febrium diuisio in tres classes, alteram per se, reliquas ex accidenti. In primis itaque arbitratur, ex his febribus alteram exoriri posse, etiam repurgata iam enixa secundo, vel decimoquarto sole: & istud Hippocratis exemplis astruere conatur. sed hęc meræ nugæ, vt mox infrà demonstrabimus fusè. Verũ & diuisio illa febrium trimembris, futilis, ac lubrica: vanũ rursus, febrem ex lactis generatione obortam, propriam cunctis enixis, ac ineuitabilem credere. cuius rationes, cum non sint à Dea Pithia, exsoluentur facilè. Irretientes verò hos veritatis obices, in hunc modum quamprimum explodimus.

Duplici saltem ratione febre, in lactis prima generatione, omnes non prehenduntur enixæ, aut quia sanguis haudquaquam ad mammas ascendit, aut si fortè ascendat lento tamen gradu, ne affatim sanè. vtrumque primiparis contingit assiduè, vt cottidiana demonstrant exempla; tum & his, quæ venas tenues & strictas habent. porrò neque his ascendit, quæ quamuis assiduè pariant, lactare tamen recusant, ceu otiosæ ac delicatæ, immò statim à partu, tanquam hircanis tigribus ferociores, nutricib. sæpè malis moribus præditis, proprios infantes, quos non puduit in vtero gerere, peruersè commendant. Tunc enim oblita quasi natura, aut quia ingratis seruire nefas, sanguis suum iter retorquet, & relictis aridis ac sterilibus vberibus ad inferiora iterum recurrit, & per vterum abundè natura repurgat. Hæc, præter rationem qua gaudent, assidua firmantur obseruatione, ac vsu; quę nos aliquando didicimus, & ab aliis pluries etiam recepimus. Quare si in plurimis enixis, aut quia sanguis lactis materies non ascendit, aut quia affatim ipsa non ruit, nulla febris accenditur, ineuitabilis, aut propria non erit hæc cunctis enixis febris idea.

Præterea expungenda caussa febrium, quam signat Augenius in prima lactis generatione, trãsmutationem videlicet sanguinis in hac, vti in omni substantiarum metamorphosi idem contingere astruit. Augenius reapse Orestis modò nobis somnium narrat, ceu alter Thesalus, vt retur lib. 1. meth. ca. 1. 2. & 3 Galenus. Quis namque, mi Augeni, affirmauit vnquam in omni substantiarum transmutatione febrem oriri? viden' amabò, an in conuersione

ſione alimentorum in chylum, huius in ſanguinẽ, ſanguinis in ſingulas noſtri corporis partes, aliqua accendatur febris? obſerua rurſus an in ſanguinis tranſmutatione vtriuſque in ſemen huiuſmodi gignatur? & vt in eodem exemplo commoremur fortè per totum biẽnium, aut amplius, dum continuata ſerie in lactentibus ipſis, ex ſanguine fit lac, hanc perpetuò, aut forſan per aliqua interualla accenſam rimatus es? certè ſi iſtud contigiſſet, & improuida eſſet Natura, quod abſurdum, & infœliciores fœminę cunctis, quod piaculum. Deteſtanda hæc tua Augeni opinio, & omnino abroganda.

Febris itaque in enixis, non ob tranſmutationem ſanguinis in lac accenditur: ſed ob modum: quia videlicet ſanguis multus affatim irruit ad ipſa vbera, vnà cum non minima ſpirituum copia, & tunc ob velocem, ac maximum concurſum, tum nimiam vaſorum plenitudinem, quaſi ibi ſtabulatus calorem contrahit, fitque præter naturam amplius exardeſcens, qui per arterias cordi communicatus mediãtibus ſpiritibus, citra aliquas fuligines putres, (non enim ibi putredinem concipit ſanguis, qualis in inflammationibus concipitur) ſymptomatica illa febris gignitur, diariæ redolens naturam, & fit affectio διαθέσει φλεγμονώδει ſimilis. Reſpuenda mox illa de febrẽ in puris tranſmutatione inſtantia. Videremur namque in illud Empedoclis errorem incidere, appellantis lac ipſum pus. quem perdoctè Ariſtoteles arguit lib. 4. de Gener. anim. c. 8. Quid quod & puris materies ſemi mala, ſeu ſemiputris iam eſt, ſecus autem lactis. calor namque naturalis dum in illam materiem operatur, vt vincat, ac concoquat, ab eâdem rurſus ob ſe-

miputrẽ substantiam necessariò calidi ac putres vapores eleuantur; proximæ sanè febris efficientes caussę,iuxta illud Hippocratis lib.2.Aph.sen.47. *Dũ pus fit,dolores ac febres occidunt, magis quàm ab ipso confecto*. In putridis itidem febribus, dum alteratur, ac transmutatur putridorum humorum substantia, in putredinis lare, à calore vincente (quorum subtilior portio, quasi illam coctionem subterfugiat, materia fit contenti, in vrina ęgrotantium apparentis) febris quidem augetur multum,& vterque calor tũc vegetior fit,& per fuligines putres ad cor ascendentes eidem cordi calor communicatur,& fortiora fiunt omnia, iuxta illud Hippocratis oraculum lib.2.Aph.sen.30. *Circa initia, & finem morborum remißiora sunt omnia, in vigore vehementiora*. neque aliam ob caussam, vt interpretatur Galenus in commentario,nisi quia vigor,sub quo comprehenditur & augmentum,coctionis tempus est, cuius ratione vegetior redditur febris, & sæuiunt symptomata, vt vigiliæ,dolores,implacida & irrequieta corporis iactatio,afflictio,sitis,& alia huiusmodi. Quare in lactis generatione, cum non fiat transmutatio ex materie semimala, aut semiputri, non orietur quidem febris,ob transmutationem, cum actio itidem sit omni ex parte secundum naturam. quod si materies semiputris, aut semimala, pus potius,quàm lac, dulcissimum infantibus nectar gigneretur: cum iuxta efficientem caussam conueniant ambo, & solum per disparatas materies illarum fiat distinctio.

Porrò arguendus est Augenius; dum insinuet febris caussam in lactis generatione, dicátque, *fit ab inflam atione & motu caloris, ac spirituũ subito (quod Græcè*

Graci ἄνθρακον dicunt) ad lactis generationem confluentium ex transmutatione sanguinis. Nam si ab inflammatione, non systrophica, verum phlogosi, & inde hæc febris ephimera, vt doctè ibi censet Augenius, qua ratione Græci hanc inflammationem ἄνθρακον appellabunt? quę arguit maximam inflammationem systrophicam à materie vsta, & atra, carbonem accensum repręsentante, vnde nomen? nam ἄνθραξ idem quod carbo. quare res disparatissimæ. Sed ad diuerticulum reuertamur, ad scopum propius accedentes.

Hic idem deinceps Augenius, ex febrium illarum ideis, quas per accidens enixis euenire scribit, alteram constituit earum, quæ non à retentione puerperij, probè iam repurgatis enixis, oriuntur: verum à mala humorum, ac corporis dispositione. & has continuas aut intermittentes admittit, neque ὅλως intra vterum collocat. lustrat hanc doctrinam duabus pariter Hippocraticis historiis. Cuncta ferè hęc quàm absurda sint, promam diffusè, & per partes diducam. Inprimis ruit omnino basis rationis Augenij, hincque necessariò & totum ædificium solo æquabitur. Arbitratur itaque enixam benè, ac secundum naturam iam repurgatam esse secundo à partu die, iuxta historiam vxoris Dromeadæ, aut decimoquarto iuxta alteram Philini. Deceptus haud dubiè verbis Hippocratis dicentis, *secundum naturam facta purgatione*; aut rursus, *cunctis factis secundum rationem.* Verum si attenta mente æstimemus illam, quam paullò suprà, ex Hippocrate, ac etiam ex eodem Augenio tradidimus hypothesim, manifestam habent redargutionem. Nam si ex

Hippocrate citra maximum enixæ periculum circuncidi nequit lochion infra vicesimum, aut quintum supra vicesimum, promiscuè, qua ratione secundo, vel decimo quarto sole, eodem restricto, existimabit Augenius, aut quiuis alius, fœminam abundè, ac secundum naturam repurgatam fuisse? Si igitur infra illos terminos accisum fuerit lochion, febris superueniens ab eius suppressione, vti citima caussa, suum haud dubiè habebit exortum: cum & per totum illud tempus, sufficientem enixa contineat materiem, quam natura conferenter solet expurgare, & retenta grauissimorum fit ferax affectuum. His fidem præstruit tum Franciscus Vallesius, tum & Hieronymus Mercurialis, dum has historias interpretantur perdoctè. Irridendus itaque Augenius, quod hac tenui aranearum tela sit tam deformiter irretitus, verbis videlicet illis Hippocratis: nisi fuerit ipse innouandi studio commotus, vt apparet ex ingenij eiusdem καινοτομίᾳ. Longè igitur abest, quod Hippocratis hæc verba illud insinuent. Nam, cum dupliciter lochion obseruetur, aut in quantum discretum, aut continuum; quando secundo à partu die, cæteris ritè consecutis, seu ex præscripto naturæ enixam repurgatam fore scripsit, de purgatione illa intellexit Hippocrates, quæ quantitatem respectat continuam, seu quæ metitur temporis duratione; tempus continua quantitas est: non autem eam, quæ consistit in certa mensura, ac pondere: quæ mensura vicesimo absoluitur die, aut vicesimoquinto. Quare & primo, & secundo die vxor Dromeadę ritè, ac secundum naturam repurgata fuit, vti Philini primo, & secundo, ad decimum quartum vsque, iuxta quantitatem debitam latitudini

dini temporis illorum dierũ, non autem iuxta mẽ-ſuram expurgandi puerperij, reſpectu humoris videlicet retenti quantitatem. quæ quantitas repurganda metas prædictas requirit, ne affatim Natura omnem deponat ſarcinam. hoc enim moleſtum ipſi. cum etenim ſubitas, ac magnas reſpuat vacuationes, teſtante ſummo dictatore lib. 2. Aph. ſen. 51. proinde omnem illam molem retenti excrementi ſenſim vacuare intendit, & per vices; vnde partitur hanc in dies plurimos, vt maiori cum tollerantia, ac ſuauior multò procedat. Neque vllatenus vno aut altero abſoluit ipſa die, vnde quæ per ſingulos affluunt dies, ſi procedat ritè, & ſecundum naturam ac rationem fieri autumandum, reſpectu tamẽ illorum dierum, haudquaquam totius ponderis humoris, quod per longam illam temporis latitudinem ſtatuit repurgari. Requiritur enim ad inculpatam lochiorum purgationem, non ſolum excreti qualitas, & copia, verum & excretio vtramque ſeruet periodum, & modum. Quis namque mentis compos vxorem Dromeadæ omnem lochiorum congruam quantitatem, & omnem redundantem ſarcinam, per dies viginti quinque ex præſcripto Naturæ ſaltem expurgari debitam, altera tantum die illam reddidiſſe credet? ô deliramenta, ô meræ nugæ! immò nec puerperij copioſa profuſio primis exorta diebus, ſi repentè ſupprimatur, in vicem ſubit quantitatis analogia, debito omni purgamẽto, etſi minori, ad puerperij tempus exactum. Quotieſcunque itaque ſupprimitur lochion infra illas Hippocratis metas, & vel febris, vel quiuis alius morbus acceſſerit, horum proculdubiò cauſam retentum puerperium exiſtimandum: vti hiſce enixis,

ex huius ſubſiſtentia ac reſtrictione contigiſſe certò credimus. cum étenim ab Hippocrate in illarum recenſendis hiſtoriis, nulla fuerit mentio facta de copioſo, vel imminuto fluxu, vltra illos ſoles, quos ex præſcripto naturæ repurgatas ſcribit; firmiter credendum ac verè, illud lochion non decurriſſe amplius, & ſuppreſſionem, affectuum illorum extitiſſe auctorem.

Denique conuellendus Augenius, dum febres, (de quibus nunc ſermo) à puerperio ne ortum quidem trahere arbitratur: verùm à mala humorum diſpoſitione à laboribus partus contracta: & hac rurſus extra vterum putredinis larem ſentit exiſtere. Nec mirum totum corruiſſe ædificium, ceu ſupra infirmiſſimam conſtructum baſim. Qui enim ſentit, altero tantum ſole enixam fuiſſe ſobriè, & ſecundum naturam repurgatam: quid mirum, ſi morbi acceſſum poſt alterum hunc diem à retento puerperio exoriri neget? & per conſequens, neque mineram putredinis in vtero contineri: cum iam abundè fuerit vterus repurgatus, per illud breue temporis interſtitium. Detegitur hîc error ex his, quæ nuper diximus: ſi enim puerperium redundat, quia ſuppreſſum, hac nobis palam ſe offerente cauſa, nec ius aliam anilem augurari: verum acquieſcamus, & ſeriò huic præuideamus fas eſt. hoc idem dictator ſummus infinitis penè declarat locis, libro præſertim 1. de morb. mul. num. 69. & 70. quo loco, puerperium non in vtero ſolum firmatum morbos germinare, verum & acciſum alias appetens partes, ſuámque ibidem firmans ſedem, grauiſſimos nihilominus effœtat morbos. Præter ſummũ hunc precceptorem, hoc idem aſſiduus vnà demonſtrat vſus.

Si igi-

Si igitur humor iste quarto, aut quinto, aut alio quouis sole, intra legitimi puerperij termini latitudinem, per quandam anadromen, latus sursum obstructiones extra vterum pariat, putridæ aliquam accẽdens febris ideam: aut rursus pectus irrepserit, membranámq; costas succingentem (à Græcis ὑπεζωκότων dictam) inflammatione obsedens: aut tandẽ caput, ibíq; phrenitim excitarit: quis amabò in dubium vertet, (quamuis humor ille, relicto vtero, sedem mutauerit) ab eadem lochiali caussa, hos ac reliquos affectus gignere paratus, ortum non traxisse? Peruersè itaque, ceu incautè potiùs Augenius illas febres, quas per accidens enixis contingere retur, infra legitimos terminos optimè ab excrementis partus expurgatis accẽdi censet: quia vti impossibile, iuxta discretam quantitatem, secundum rationem, secundo, septimo, aut decimoquarto absolutè enixam, esse repurgatam: ita impossibile morbum in ea temporis latitudine superuenientem, originem nõ duxisse ab illa lochij caussa efficiente. Quid quod & quo citius fuerit accisum, & minus repurgata enixa, & tanto certius æstimanda illa caussa, ceu præsens. hoc perbellè videtur lustrare Hippocrates lib. 2. Epidem. sect. 3. in illa Stymargi famulæ historia: cui, cum statim à partu, ob accisum puerperium tremores per vniuersum corpus accidissent, quamprimum, non solum caussæ, videlicet puerperio, verum caussæ principio, scilicet vtero præuisit. vtrumque simul præstitit secando infernas venas, & ab vtero, qui lochion ad vniuersum transfluxerat corporis habitum, seu ad carnes (vt cum Hippocrate loquamur) reuellat ac vacuet. Admirabilis sanè, ac diuina methodus. Neque alibi

ab vtero morbi mineram aucupatur, secus quàm augur iste Augenius.

Tandem, postquam generum suum sic strenuè armatum nobis proponit Augenius, & ad bellum mox instruit: iam, ceu nouæ hæresis auctor gloriatur, non omnem inflammationem à fluxione tentari: quia in enixis, vteri inflammationem haudquaquam à fluxione, verum à sanguine in eiusdem vteri corpore retento, & iam multò antè sensim fluxo, germinari censeat. Quæ an vera, suo loco disseremus, dum de vteri inflammatione à nobis infrà sermo erit vberrimus.

De duratione puerperij.

CAP. XV.

CVm omnis præter naturam res ametria sit, opposita pariter salubri, ac naturali statui (oppositorum autem disciplina eadem cum sit, testante Arist. lib. 1. Top. cap. 8. & 30. sect. problem. 7. & 11.) hinc ad scientiam causarum præter naturam accisi lochij, operæpretium est, oppositi status prius innotescat natura, quæ in symmetria cõsistit, natura, ac dignitate itidem altero prior. Enixis itaque symmetria conseruatur quammaximè, expulsa omni excrementorum colluuie, quæ fœtationis ratione in vteri præsertim vasis per longam illam moram accruatur. Natura namque, scribente Galeno lib. 2. de feb. diff. cap. 5. suis semper vsa viribus, arte prouida, quod alienum est, omnia intendit, exactè, & sub symmetria de ponere. Status igitur secundũ naturam ac salubris est, in quo, stato tempore, omnis illa depletur lochialis colluuies. tempus autem illud à natura statum, quod nunquam

nunquam tranſgreditur ipſa explorandum, & ceu ſymmetrica regula ſtabiliendum, vt dilucidè omnis dignoſcatur receſſus. Natura, cùm ſummi opificis ſit pediſſequa ancilla, eiuſdem itidem ſeriò inſequitur veſtigia. & cum Deus O. M. cuncta ſub pondere creatit ac menſura, eadem lance Natura cuncta diſpenſat. hinc, & in puerperis lochion rectè metitur, quantitatem nimirum eiuſdem menſuralem, quantitatem pariter, & durationem temporis, denique nec eiuſdem excreti qualitatem negligit. Cæterum cum lanx Naturæ moderatum ſymmetrum, quod ceu medium ſemper exoptat: quidquid ab hoc medio, ceu moderato (ſub certa tamen latitudine) receſſerit, & extremum cenſendum & hauddubiè præter naturam. Medio igitur quanti, ac qualis puerperij, latitudinē quandam proinde indixit Natura, nec minimam ſanè: vt ne ab indiuiſibili puncto recedentes fœminæ, quā primum in exitioſam affectuum charybdin inciderent. Hanc latitudinem conſtituunt tum latiſſimæ humani tēporamenti differentiæ, ætates variæ, corporis tum formationes ac figuræ diuerſæ, diſſimiles iugiter conſuetudines, etiam in reddendis lochiis, nixus diſcrimina ob varietatem ſexus, tum tandem & regionum diſtincta climata, quibus diſtincta pariter temperies, & alia huiuſmodi. Rurſus, & hæc latitudo, & hoc alterum præſtat beneficium, quod quæ huic enixæ ſecundum naturam, alteri ſecus præter naturam potius, aut contrà.

Hæc verò medij ſymmetri latitudo, quantum in ſe capiat vtilitatis, tantum nihilominus includit difficultatis: non ſolum ad inueniendum peculiari cuique naturæ medium, ſecundum naturam adę-

quatum, verum ad hoc idem commune, ac vniuersum adipiscendum, cunctis simul indiuiduis naturis, iuxta prædictas mox proprietates, adæquate conueniens. sed, quod ne lubet quidem nobis à priori demonstrare, tecmarsi, & à posteriori præstare forsan facilè. Peripatetica methodo istud prosequemur, prius de quantitate differendo, mox de qualitate.

Quantitas itaque puerperij (vt nuper diximus) duobus æstimatur modis, aut temporis duratione, aut mensuratione excreti lochij: seu vt quantitas continua, aut vt discreta. continuam vocamus illam, quæ in duratione consistit temporis; cum tempus altera species quantitatis sit continuæ; discretam verò quæ in varia lochiorum mensura: & hæc per rationem numerabilem ad quantitatem discretam spectat: & ita hæc conuenit etiam orationi, quæ syllabis mensuratur longis, aut breuibus. pondus itidem quatenus consideratur vt mensura, & quantitatis habet modum, dicetur etiam quantitas & discreta: quia constat ex variis, ac distinctis partibus, drachmis, vnciis, libris. quæ omnia quatenus in vnam conueniunt magnitudinem, ex Arist. libr.5. Metaphy. cap. 13. ad continuam quantitatem spectant, verum quatenus ex diuersis partibus aggregatis cõstant numerabilibus (ratio quidem quantitatis discretæ) ad eandem quantitatem discretam. Porrò & hæc puerperij quantitas per se sumpta (duratione temporis omissa) duobus & aliis modis obseruatur, aut vt est continua, multa vel pauca, aut vt est numeri ratione discreta, respectu pluralitatis, à vicibus desumpta, quibus expurgatur. Prior autem modus nobis nunc magis obseruan-

seruandus venit. Sed methodos has Logicas consulto nunc omittamus.

Optimus, & admirandus Senex libr. de nat. pueri num. 10. & 11. circulari quadam ratione, & artificioso consensu lochiorum durationis tempus intendit demonstrare, ex tempore formationis fœtus in ipso vtero: vti rursus hoc idem tempus, ex obseruatione temporis durationis puerperij: quasi Natura hæc vtraque munera typicè operetur semper, ac infallibili norma has, ceu statas ac certas semper obseruet periodos. Inquit itaque, *Oportet purgationem reddi in toto puerperij tempore, & foras exire, ac respondere pro dierum ratione, ac proportione.* Cum igitur fœmineus partus quàm longissimè duobus supra quadraginta diebus coarticulationem accipiat primam, quod præter Hippocratem testatur vnà Galenus lib. 2. de semine ca. 4. & 5. Masculinus autem vt plurimum triginta, eãdem recipiat, quam πρώτην πῆξιν libr. de sept. partu num. 6. & 8. & eodem lib. de nat. pue. num. 10. vocat Hippocrates. quæ articulatio prima, potissimũ partium spermaticarum est, hepate, & corde demptis: cum & sub eadem temporis latitudine quamprimũ & hæc discernantur. harum itaque omnium rursus quãuis distinctè prima quasi articulantur rudimẽta: vltima nãque tertio, aut quarto iuxta sexus fœtus distinctionẽ absoluitur mẽse; tũcque moueri simul incipit fœtus. Simili itidem ratione, quasi talionem rependat natura, in nixu fœmellæ, lochion quã lõgissimè eosdẽ cõtinebit carceres, quadraginta duorũ dierũ: maris autẽ triginta. dicuntur hi termini ab eodẽ Hipp. citato li. de nat. pueri n. 10. & 11. absoluti, tardissimi, & perfecti, quos progredi malum, vti

attingere haudquaquam necessarium: cum in fœmineo nixu sæpe dies sufficiant quinque supra vicenos, in masculino verò integri viceni. Hanc eandem mensuram dierum constituit & libr. 1. de morb. mul. num. 98. Alteram tandem encyclij partem assiduis Hippocrates lib. de sept. part. nume. 8. comprobat experimentis, ex plurima abortuum obseruatione petitis. fœminas námque ante quadragesimum secundum solem coarticulatas esse, nec eo modo, quo diximus, vlla testantur experimenta, vti nec mares, ante tricesimum.

Summis igitur encomiis prædicanda venit insignis Naturæ harmonia, eiúsque ineffabilis concentus. Nam vti intra primam hebdomadam (vt nos lib. 2. cap. 14. & 17. cum Hipp. & Arist. diximus) genitura adhuc vita non fruitur, neque sanguinis ferè quidpiam allicit, vt nutriatur: testante námque Hippocrate citato sæpius lib. de nat. pue. numer. 14. quid nutritione est opus, vbi nullus partium exhaustus similiter primo à partu septenario, vt satisfaciat detensioni illi, dum nullus partium exhaustus, vberior multo sanguis ab vtero prosiliit. Hanc satisfactionem Hippocrates, eodem libro, numer. 12. ἀνταπόδοσιν vocat, quod nomen deductionem interpretatur Marinellus, accuratiùs Mercurialis, repensionem talionis; veluti accuratissimè itidem sacra vulgata in diuinis oraculis retributionem, dum Lucas sacer, cap. 14. ac diuinus Paullus ad Rom. cap. 11. eodem vterentur vocabulo. quæ diuina interpretatio longè mentem Hippocratis, ac sententiam illustriorem reddit. nam vberior ille fluxus puerperij per priorem hebdomadam, quasi retributio quædam est, alterius detentionis sanguinis, sub

ſub priori altero conceptionis ſeptenario. Natura igitur, harmonia gaudens, à partu retribuit, quod in fœtus nutritione, ſub prioribus illis diebus abſumendum erat. quod ſi fortè à partu huiuſmodi non fiat retributio, quaſi impedita natura, malè agitur cum enixa. Sed concentum proſequamur: cum poſt priorem hanc hebdomadam ſanguis ſenſim alliciatur, paucúmque genitura ſugat, formationis potius operi intenta Natura: quæ formatio, iuxta ſexus diſtinctionem, triceſimum, vel quadrageſimum ſecundum ſolem conſtitutum habet terminum: pari ratione per totum hoc idem tempus, retribuendo minori illi abſumptioni (cum maior coaceruetur ſanguinis copia, quàm requiratur ad minorem illam inſtitutionem.) lŏchia percurrunt, & non amplius: cum mox, & vberior fiat partium nutritio, ſoli auctioni fœtus iam coarticulati intenta pariter natura, vt idem dictator ſummus accuratè innuit libr. 5. Aphor.ſen. 14.& ita à partu nulla retributio, quæ reliquis à prædictis conceptionis temporibus ſatisfaciat.

Infirmat hanc doctrinam Auctor libr. 1. de diæta, numer.21. dum eloquitur, *Non in æquali temporis ſpatio omnes fœtus exornantur, ſed alij citius, alij tardius, prout ſinguli, & ignem, & alimentum fuerint nacti. Alij itaque in quadraginta ac tribus diebus ſcaturiunt, ac formantur, aliqui in quatuor menſibus &c.*

Huic auctoritati, iuxta Galeni optimam cenſuram, tum libr. de aliment. fac. cap. 1. tum libr. 1.de rat. vict. ſen. 18. nos ſatisfaciemus dicendo, hunc librum tantum abeſſe, Hippocratis germa-

num esse, quod ipso Hippocrate indignus sit, cum ænigmaticus, obscurus, & alienis ab Hippocrate sit refertus locutionibus. Apparet idipsum nunc, dum præter Hippocratis mentem, carceri fœmineo alterum addiderit solem, & formationis primæ carceres nihilominus cum vltimis fœdè confuderit. Aristotelem iugiter, virum perspicacem miramur, cum libr. 5. de animal. generat. cap. 6. affirmarit marem ipsa fœmina calidiorem, & in vtero mobiliorem, tum intra parentis ergastulum celerius multò ipsam perfici: postea, quasi sui oblitum libr. 7. de animal. historia, cap. 3. hæc, ceu priori opposita recensere, *Purgationes autem accedunt plurimis, cum conceperint ad tempus quoddam, scilicet, triginta dierum, maximè si concepta fœmina est: quadraginta si mas. A partu etiam purgationes eodem dierum numero consequi volunt, quamquam non æquè ita diligenter eueniunt.* Concordes fient loci, si vltimum hunc corruptum ac deprauatum dixerimus, inuersos vnà sexuum terminos, quod ex serie verborum innotescet palam, cum præcedentia, tum subsequentia verba, haud dubiè à nostro summo dictatore mutuatus sit, vt & idē ipse innuit verbo illo *volunt* virum autem hunc ineffabilem, diuinum, & vt appositè censet Lipsius cent. 2. Epist. 48. excedentem humanum fastigium, quem itidem omne sęculum admiratur, ac suspicit. Aristoteles, arrogantia victus, ne nominare quidem ausus fuit. Rursus, & quod corruptus sit locus, ex eo fit manifestum, quod hæc doctrina à cunctis ferè Philosophis recepta sit, fatentibus planè tardius multo fœminam in vtero efformari ipso

mare.

mare. & cum purgationes conceptionis temporibus correſpondeant, idem iugiter affirmante Ariſtotele, neceſſariò autumandum, hunc potius illud idem ſentire cum ipſo Hippocrate.

Doctores quidam claſſici Ludouicus Duretus in Hipp. coacas præl. tract. 3. ſen. 4. tum Ioannes Lalamantius in lib. Hip. de octim. partu n. 15. in 5. ſchol. puerperij durationem etiam ad dierum numerum typicæ menſtruæ purgationis referunt, retribuendo cuilibet diei nouenarium alterum. vnde quę per biduum purgantur in lochiis reddendis, ſoles exigunt decem & octo, quæ per triduum 27. & ſic de reliquis. Verum hæc opinio mihi magis videtur acuta, quàm vera. inuertit namque Hippocraticos fines, & aſſiduo reluctatur experimento. è ſtudioſorum igitur mentibus ceu futilis obliteranda.

De menſura, ac pondere lochiorum.

Cap. XVI.

EXpoſito puerperij durationis tempore, potiſſimum iuxta inſignem Hippocratis doctrinam, neque Ariſtotele, aut vſu reclamante; longius modò pergere lubet, doceréque eiuſdem puerperij quantitatem, ſub menſurali ratione, ac ponderis. Huius quantitatis definitio, altera longè difficilior eſt, cùm illa, ſub vno ſaltem claudatur ſtato termino, hæc altera multiplici, quotus ferè indiuiduus fœminarum numerus, quid quod nec ſinguli diſcreti dies eandem inter ſe harmoniam ſeruant, cum variè, ac inæqualiter

moueatur natura, iuxta varias occurrentes caussas, siue prophases, siue abditas. Signat tamen quandam mensuram, artificio plenam dictator summus lib. 1. Aph. sen. 2. & 13. & lib. 3. de humer. sen. 17. hanc, Galenus in com. libri de Humoribus omnem vacuationem complecti cēset, tam quæ arte fit, quàm quæ à Natura molitur. Libella autem hæc est, quòd quæ vacuantur non metiamur multitudine, sed si qualia oportet vacuentur, atque facilè id ægri ferant. Sub hac, plurima reducere expedit, puerperæ videlicet temperamentum, ætatem, partionis numerum, an primipara vel secus, nati sexum, & naturam, puerperij partem temporis, puerperæ vitæ præcedentis institutum, ac consuetudinem, anni tempus vrbis clima, ac regionem, statum cæli, & reliqua. cuncta enim hæc augere, vel minuere puerperij mensuralem quantitatem, nemo est qui dubitet. iuuencula namque in primo pubescentis ætatis limine, primipara, aut quæ in vltima pariendi iam consistit ætate, pituitosa itidem, venásque strictas habens, vti quæ vltra modicum latitudinis puerperij parcissima, seu quæ tenuissimo vtitur victu, quæ sub opora, vel autumno degit, quę inclementem incolit regionem, etiá sub quolibet extremo, quæ iugiter masculum enixa fuerit: hauddubiè huic fœminę, cunctis his, aut maiori ex parte concurrentibus, cum minima in corpore redundet sanguinis copia, & minora fluent lochia, etiam & vtriusque quantitatis ratione: vti contrà, quę oppositis fruetur conditionibus, copiosiora potiùs.

Cęterum si æstimemus accuratam hanc libellam, iuxta vtramque conditionem, seriò à Sene obseruatam,

tam, hanc perbellè omnem puerperij quantitatem explorare, quasi certò videbimus. quamprimum illud qualia, humoris insinuat speciem, siue quantitate ponderosa, siue qualitate tantùm peccantem. euphoria, vacuatam iam eandem secundum naturam quantitatem ostēdit: cum moderatum, & quod secundum naturam euphoriam tantùm inducat. Hinc Galenus lib. 1. Aph. sen. 3. inquit, *Et vt in vniuersum præcipiatur, ægrotantis vires spectare, & solerti coniectura æstimare oportet. & quoad sustinere, nec dum fatiscere videbuntur omne studium, & operā conferre ad exuperantis humoris vacuationem.* In hac igitur sententia maximè in cunctis vacuationibus euphoriam commendat: háncque summoperè Naturam cauere, dum non impedita operatur, est quàm quod certissimum. sagax enim est, prouida, suauis.

Præter hanc elegantem libellam, vt vndequaque fiat hæc doctrina perfectior, Naturæ ordo in reddendis lochiis pariter obseruandus. quia hæc vacuatio retribuit & compensat omnem illam collectionem, & accumulationem mensium typicorum, qui per totam conceptionem circunciduntur. hoc enim sonat συλλοχείας, quasi ἀθροίσματα, vt in libello Interpret. Vocum Hippocratis Galenus refert: sumpta metaphora, inquit, ἀπὸ τῶν λόχων συνειλεγμένων, seu ab his qui in exercitu congregati, & collecti sunt. Cum itaque huiusmodi sit ineffabilis ille Naturæ ordo, vt sub primo septenario nihil, aut quàm minimum sanguinis ad se genitura alliciat, ita in partu talionem rependens, sub prima hebdomada grandis, copiosáve lochiorum fit emanatio. Rursus, quo maior sensim fit intus suctio, ad por-

tioné augmenti embryonis per ſingulos ſoles, ad vltimam vſque coarticulationis metam: ſimiliter ſenſim etiam per ſingulos ſoles ad carcerem vſque puerperij procedit, decreſcit iugiter ipſa purgatio. tum iuniores paucioribus, ſeniores pluribus repurgantur diebus. quibus omnibus, quanto citius circunciditur lochion, tanto periculoſius laborant. In abortu eadem eſt æſtimanda norma, dummodò tēpus connotetur conceptionis. nam minori exiſtente fœtu, parcior, per minúſque temporis interuallum purgatio expectanda: ſecus autem grandiore exiſtente: dummodò altera non occurat præter naturam cauſſa.

Pondus omne menſurale collectiuè totius durationis lochiorum definit Hippocrates lib. de Nat. puer. nu. 12. librarum fermè triginta in nixu fœmineo, in virili autem duodeviginti. & in vtroque partu ait, & ſanguis concreſcat oportet, & in fruſta prorumpat. ſit igitur ſimilis victimarum ſanguini, vt ſupra ex eodem Hippocrate lib. 16. c. 65. diximus, vel ſyncerus vt Aëtius, vel vt Ariſtoteles li. 7. de hiſt. an. c. 1. & lib. 2. de Gener. an. cap. 4. cum Hippocrate quaſi recens occiſi animalis. Morboſis mulieribus modum non ſeruat, verum ſæpe parcior, & qualitate deterior. Vt cuncta hæc dilucidiora reddat Hippocrates, ad ſpecifica vſque deſcēdit, tum citato lib. de Nat. pueri, nu. 12. tum lib. 1. de morb. mul. & cuiuſque diei doſin menſuralem aſſignat puerperij ad Atticam heminam alteram, ac ſemiſſem, primis ſaltem diebus, paullò plus, aut minus, pro temporis puerperij ratione, donec illud ad incitas ſit redactum. Quare hęc erit libella ſecundum naturam ſanarum mulierum, & quæ ſanæ futuræ ſunt, cum mor-

morbosas variè se habere censendum sit.

Cæterum vrget modò non leuis difficultas, cur interpretes in his Hippocratis locis vertant Atticam hæminam, cum apud Athenienses mensura hæc, vti nomen, nullatenus fuerit in vsu: quid quod & Hippocrates potius dixerit πλῆθος Ἀττικῆς κοτύλης ὅλης καὶ ἡμισείας τὸ πρῶτον. *Copia Attica cotyla vnius & dimidia primũ.* Si igitur cotyla, mẽsura nota & assueta Grecis; cur vtuntur hemina, nomine potius, ac mensura Romana, & Græcis ignota? Dicent fortè, quia hæmina Romanorum maximè inter reliquas mensuras ad naturam Atticæ cotylæ accedit: & hinc interpretes quotiescunque cotylam reperiunt apud auctores Græcos, hæminam interpretantur, nobis magis vulgarem, ac notam. Ioannes Marinellus, & Hieronymus Mercurialis Hippocratis peritissimi interpretes, meo quidem iudicio, duplici aberrant nomine, primo, quia impropriè vertunt pro cotyla hæminam, res & nomine, & re distinctæ Græcis itidem inusitata, imò & incognita mensura. vnde cotylæ potius nomen tenebantur seruare, vt quidam seriò interpretantur. Secundo, quod, posito, pro cotyla vertant hæminam, haudquaquam ius, Atticam iungere, cum nullatenus hæc mensura Attica, sed Romana potius.

Cotyla itaque mensura Attica est, quam Gorræus doctissimus lib. definit Med. τὸ K. in voce κοτύλη capere affirmat τέταρτα δύο, hoc est quartaria duo, siue Italicas vncias mensurales nouem, quæ ad septem cum dimidia ponderales reducuntur. hoc confirmat Galeni auctoritate desũpta ex li. 5. de cõp. med. secund. gener. Ait deinceps cotylã à Græcis, etiam & alio homine vocari τρυβλίον, & ἡμίξεστον,

seu sextarius dimidius. & cum ξέστης sit sextarius, qui continet duas cotylas, haud dubiè ἡμίξεστον, seu semis sextarius erit cotyla vna, quæ cotyla, etiam præter Gorræum, testante Francisco Vallesio, diligentissimo illo opere de ponderibus, & mensuris, cum vncias nouem mensurales Italicas capiat, quãdo Hippocrates dixit, fœminas per singulos dies primæ saltem hebdomadæ puerperij cotylam vnam cum semisse reddere, intelligendum, quod purgabunt per singulos hos dies vncias tredecim cum semisse mensurales Italicas. Hícque sensus huius Hippocratis loci de Nat. pueri, & alterius de morb. mul. legitimus, atque germanus.

Cæterum, & hæmina Latinorum, vt nuper diximus, etiam re à cotyla distinguitur, cum ex sententia clarissimi viri Iacobi Syluij, vnicè in arte Pharmacopolię eruditi, tum & Francisci Vallesij citato nuper libro 3. de simpl. ad compos. prępa. mensura sit vncias decem Italicas continens. Idem sentire videtur Iacobus Hollerius com. in sen. 57. lib. 5. Aph. Verũ alij sentiunt contrà, vt & Georgius Agricola li. 1. & 2. de pond. & mens. qui arbitrantur, vncias potius nouem continere, vti & cotylã Græcorum, & illud nomen deriuari itidem à Græco vocabulo ἥμισυ, seu sextarij dimidij mensurâ, auctore Festo. Cum autem sextarius ex libra vna & semisse constet, hæmina necessariò vncias tantum nouem continebit. Idem approbat & A. Gellius lib. 3. noct. Attic. cap. 14. cum dicat hæminam quartarios capere duos ex Volusio Metiano, seu sextarium medium: quilibet autem quartarius vncias continet quatuor cum semisse. vti sextarius libram vnam cũ semisse. Quare hæmina vncias nouẽ tantum capiet:

vti Atticorum cotyla. Verumtamen potius Syluio assentirer, & hanc decem continere crederem, vti & doctissimus Vallesius eo libro accuratè demonstrat. qui simul apprimè ex Galeno, & aliis classicis viris docet vnciam cótinere drachmas octo, drachma scrupulos tres, scrupulus grana viginti quatuor: vnde drachma continebit grana 72. haudquaquam, vt vulgus pharmacopolarum grana 60. & vncia drachmas nouem. Quæ deprauata numerandi cósuetudo ab illa dimanauit Salernitana schola, in tenebris olim sedente, dum adhuc clarissima Græcorum luce non frueretur, nisi mediante obscura, & opaca Arabum caligine. Hæc perfunctoriè sint dicta, cum & non minimam exoptent moram, nec leue requirant iudicium.

An termini ab Hippocrate præscripti de lochiorum duratione, metis opponantur à sacro Moyse signatis in diuinis oraculis.

Cap. XVII.

Summus dictator Hippocrates, natus ferè in miraculum, cuius pariter insignis doctrina ab omni sæculo, ceu diuinum oraculum exculta, & semper recepta semper, & vbique fuit, vltimos hic enixarum (vt crebro replicauimus suprà) tricesimum solem in nixu masculino, aut secundum supra quadragesimum in fœmineo, consultò statuit carceres. Infallibilis autem, ineffabilis, ac diuina sapientia hos eosdem, ceu claudicantes expungit, respuit: dú Moyses cœlesti quodam afflatus spiritu, quo inef-

fabile illud Pentateuchon opus exarauit, libro inquam illo, quo Leuitas instruit ca. 12. distantissimos eius de puerperij assignat terminos. Hic igitur insignis Philosophus, & vt Clemens testatur Alexandrinus illustris pariter Medicus: non doctrina solũ labore parta in inclytis Aegyptiorum litterarum emporiis, incomparabilis fuit vir, verum & altera altioris ordinis ab inaccessibili & sacro lumine dimanante, infusa, cuius nutu Hebræis, quorũ Princeps fuit, diuinã, ex Numinis præscripto, sãxit legẽ *Mulier si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstrua. & die octaua circuncidetur infantulus: ipsa verò triginta tribus diebus* (iuxta vulgatam, & septuaginta interpretationem) *manebit in sanguine purificationis suæ, omne sanctum non tanget, neque ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies suæ purificationis. Sin autem fœminam pepererit immunda erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.* Hactenus diuinus Moyses.

Ad huius diuinæ legis perspicatiorem intellectionem quædam sunt quamprimum exponenda, ac lustranda. Apud ipsos Hebræos immundum, ac separatum res quidem erant distinctæ: in menstruata verò, ac puerpera simul concurrebant. de menstruata liquet in eodem Leuitico cap. 15. & 19. de enixa autem hoc eodem 12. capite. Menstruata modò relicta, puerpera & immunda, & separata erat in masculino nixu per priores septem dies, in fœmineo vltrà, per quatuordecim videlicet soles. Et quia immunda, interdicebatur ei rerum sacrarum

crarum

bratum communicatio, ingressus nimirum in sanctuarium, & post templi ædificationem etiam in templum, vsus itidem carnis sacrificij. quæ immundicies producebatur ad vltimum vsque puerperij terminum à sacro Moyse statutum: quadragesimum videlicet in masculino nixu, octuagesimum in fœmineo. Istud, verba illa declarant, *omne sanctum non tanget, neque ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ.* Implentur autem dies hi triginta tribus diebus in masculino nixu supra primum septenarium, vti sexaginta sex supra secundum itidem septenarium. Porrò dicebatur separata per priores septem dies in virili partione, sicuti in fœminea per quatuordecim. Et quia separata, per hæc tempora interdicebatur similiter ei profana communicatio cum hominibus: nec enim alicui cibum, aut potum cum illa sumere ius erat, quin simul pollueretur & ipse, nec eius vestes contingere, aut vir eius ad illam accedere. hæc videntur innuere verba illa, *Iuxta dies separationis menstruæ.* quasi per dies illos septem, aut quatuordecim non solum immunda sit, verum & separata, & se abstineat ab omni hominum communione.

Ex hoc itaque diuino oraculo (cui tanquam pij, & orthodoxi firmiter semper adhærere volumus, omni spreta, ceu vacua humana sapientia) fit palam vtrosque reales puerperij limites, etiamsi vtroque nixu maris, ac fœminæ distinctissimos fuisse signatos à sacro Moyse, quam à summo Medicinæ Parente Hippocrate. In maris namque portione puerperij primum septimo finiri, & vltimũ 40. in fœminæ autem primum itidem vt vltimum

80. sanxit accuratè sacrarum litterarum Auctor. Hippocrates verò contrà, primum in vtraque partione, sub primo septenario claudi perhibet, vltimũ in maris 30. in fœminæ 42. sole terminari nihilominus consultò decernit. Neque audiendus modò Abulensis Hispanus doctor clarissimus, quem sequitur Ioannes Pineda libr. 1. de rebus Salomonis cap. 10. dum arbitratur vltra priores illos terminos primi, & secundi septenarij enixam lochia ampliùs non reddere: sed vltimas alteras metas à diuino Spiritu ob moralem tantum significationem constitutas. Error dilucidè detegitur, tum à Sacri oraculi verbis, *Manebit*, inquit, *puerpera in sanguine purificationis suæ ad* 40. *vel* 80. *dies*. Si igitur in sanguine purificationis manebit ad illos vsque terminos, propter quem sanguinis fluxum immunda: ergo vltrà procedet sanguinis fluxus, supra illos priores terminos, cuius ratione indiget reapsè ipsa puerpera purificari. tum conuincitur Abulensis & Hippocratis testimonio, & totius insignis Medicorum scholæ, & ipsius etiam Aristotelis auctoritate, nec non & reliquorum Philosophorum doctrina, vsu iugiter quotidiano, ac frequenti experimento, cum in his quæ sanæ sunt, ac futuræ tales, admittant illi, & nos experiamur, per plurimos dies à decimoquarto sole semper lochia reddi, & vberrimè sanè. Quare ex his liquidò constat, aduersari hanc Hippocratis doctrinam, in terminis puerperij assignandis diuinæ Sapientiæ.

Cæterùm huc vsque (liberè testor) me quemquã non inuenisse, aut inter sacros Theologos, aut summos Medicos, qui hunc nodum, intricatum sanè exolueret, disparia hæc in vnum redigeret sensum.

omnes

omnes quidem eundem intactum reliquerunt, vno dempto Francisco Vallesio, doctissimo Hispano, qui in hoc difficili euripo fluctuat valdè, iactatur, procellosísque agitur tormentis. perperam námque libro illo cap. 18. qualitate graui de sacra Philosophia, hæc disiuncta componere intendit: immò fœdere relicto, vnà & Hippocrate, rei iam grauitate conuictus, omni rursus humano robore destitutus ac expes, ad sacram confugit anchoram: & quasi profugus, inchoato prius bello, aliis committit victoriam, aut pudore fortè suffusus, cautè aufugit, aras petit. Præterea Ludouicus Duretus vir apprimè doctus, commentario illo aureo in Hippocratis Coacas prænot. lib. 3. tract. 3. in sen. 4. postquā ostenderit durationem puerperij pendere ex duratione typici mensurni fluxus, ita vt cuique ex his dici nouenarium alterum respondeat in lochiis: tādem in hæc prorumpit verba, *At verò sanctissimus Moyses edicto Dei sanciuit, vt mulier menstrualis cōtineat se in menstruis septem dies: propterea autem quadraginta in puerperiis.* Verum hæc, præterquam quod nostrum nō attingunt scopum, plurimis quidem scatent erroribus. Inprimis, anilis illa harmonia, vt suprà iam ostendimus: mox nec septem nouenarij harmonici numerum adimplent quadragenarium, cum constituant potius 63. terminos vltra quadragesimum nixus masculini, & infra 80. fœminei. Tandem cum disparati sint termini puerperij, iuxta nati sexus diuersitatem, haudquaquam in typicis mēsibus vlla potest adesse harmonia, nullúsve concentus huius termini vinci per nouenarios, cum alteris binis ac diuersis puerperij. Argutula igitur chimæra, nugæ meræ.

Ego, etsi in hac humana rerum omnium caligine cum reliquis sim ignarus: qui sperem, me cæteris anteire. tamen diuino afflante Spiritu, cuius nutu, testante pio nostro Damasceno in prom. lib. 1. can. omnis sermo gratiam recipit, discum hunc ponderosum, impellere vltrò conabor. Neque audaciæ, aut temeritati tribuendum, cum studio tantum veritatis allectus, cuius plenitudine iudices exardesco, hoc sim difficile aggressus iter. Si metam attigerim, viderint sapientes, si quid autem istis rectiùs ipsi nouerint, impertiantur rogo, sin minus his mecum fruantur, donec ipsis altera lucescat dies. Rem ordiamur.

Hippocratis doctrina, Apollineæ scientiæ celebris gloria, supra statam Cyllenij quadraturam, ceu augusta, ac immobilis per omne sæculum stetit semper intrepida, ruinam ipsa contemnens omnē. concinnitas eius tanta, quod illud appositè Lysiæ Atheniensis Architecti minori de caussa attributum, huic nos ascribamus, ruituram siquidem vniuersam eius structuram, si vel verbulum vnum, tāquam lapillum detraxerimus. Quare, & firma de lochiorum duratione Hippocratis sententia, stata ac certa eorundem mēsura. Roborat nihilominus eandem (præter circularem superiori capite traditam rationem) quotidiana olim exempla, ad hęc vsque nostra tempora confirmata. neque vllibi, aut aliquo orbis climate, aut regione, sanam enixam, aut in futurum sanam obseruatum, Hippocratæos carceres fuisse transgressuros. quamuis propter aliquam pręter naturam caussam illos amplius protrahi aliquando, credamus. Cum itaque assidua hæc experientia, & rerum omnium sit magistra, &

vim

vim demonstratiuam habeat, cum ex ipsa principia eliciantur, immobilis exinde, ac firma vndequaque stabit Hippocratæa sententia, iuxta eius mentē exposita, quod de terminis sanarum, & quæ huiusmodi futuræ sunt, solum intelligatur. Præclara quidem Hippocratis doctrinæ eulogia: à quo, vti à reliquis idololatris Philosophis illa cuncta, quæ vera dixerunt, tanquam iniustis possessoribus, vindicanda censet, & seriò, iubar fulgentissimum Augustinus diuinus libro secundo de doctrina Christiana.

Cæterum dum diuina, ac sacra eloquia augustissima, & infallibilia, & infallibili, ac omni sapiente principio emanantia, 2. Tim. 3. 2. Petri 1. de eorum veritate, quis ambiget? de firmitate, quis dubitabit? Quare explorandum, qua ratione hæ contradicentes sententiæ veræ, Omnis lochialis purgatio nixus masculini tricesimo clauditur sole: & omnis eadem ad quadragesimum potius producitur, non tricesimo terminatur. Intrita res, ardua sanè!

Hanc rem, etsi difficillimam, nos, post aliquot labores, & ingentes elucubrationes, facilè modò exoluemus, si dixerimus, Hippocratem metam tantum attigisse mulierum sanarum, & huiusmodi in posterum, earum inquam, quæ sub sanitatis latitudine continentur. Sacrosanctam autē Scripturam, non has tantum, verum & reliquas, eas inquam, quæ morbosæ sunt, & quæ futuræ. Hippocratis illud, ex eiusdemmet verbis constat, tum li. de Nat. pueri num.10. tum libr.1. de morb. mul. nu. 98. Mos autē sacri eloquij dilucidè aperitur Leuitici c.15. si alterū caput eiusdē Leuitici perscrutemur, in

quo idem Legis sanctor Moyses statuit, purgationis mensium typicorum terminum, septimum diem; per quos & immunda erat fœmina, & separata. qui terminus, iuxta Hippocratis doctrinam, libr. 1. de morb. mul. nu. 15. & lib. 6. Epidem. com. 1. sen. 7. Aristotelem itidem lib. 7. de hist. animal. cap. 2. non sanarum tantum, verum & sterilium, & morbosarum: cum sanæ, ex eodem Hippocrate tertio, aut ad summum quarto sole suum claudāt terminum. Si igitur in mēsurno fluxu, meta, quam astruit Spiritus Numen, sanas, morbosas, ac steriles comprehendit, simili haud dubiè ratione sub carceribus puerperij tandiu productis, & sanas, & morbosas comprehendet enixas. Huius autem rei haudquaquam difficilis ratio, etsi moralis.

Deus O. M. simplicissimum ens, purissimum, omnem respuens à se grauitatem, cum in cunctis creaturis maximam requirat, & exoptet simplicitatem, puritatem, atque munditiem, vt ne Angeli quidem, ante eius Thronum puri adhuc reperiantur, iuxta illud Diuinissimi Dionysij li. de Ecc. ca. 5. Hierar. *Quippe in quo purgandi spiritus, altissimo litentur more*: nihilominus cùm inter reliquas creaturas vnicè hominem affectet, philanthropia exardescat, hunc eisdem dotibus insigniri prorsus desiderat. Innuit hoc idem apertè (vt ne ab instituto recedamus) dum Hebræis per Moysem infinita ferè præcepta sanxerit. quæ quamuis videbantur redūdatia, tamen ob duplicem potissimum rationem illa conferebant, fiebántque illis opportuna. Et quia, vt tetur D. Thomas 1. 2. q. 99. ar. 3. ad 1. cum actus humani se extendant ad cultum diuinum, proinde ceremonialia hæc conducebant præcepta, vt in diuinum

num cultum affabrè instituerentur, placentésque fierent Dęo. Istud indicat palam hoc enixarum pręceptū, quo, abstinentes enixæ sanctuarij ingressum, se Deo peccatrices innuebant, actus quidem Altissimo gratissimus. hinc idem Dominus per Ezechielem dixit, *Et pollui eos in muneribus suis*. quod idem Angelicus doctor citato loco interpretatur, *pollutos ostendi, cum offerrent omne, quod aperit vuluam propter delicta sua*. Rursus apposita erant tot illa præcepta, quia vt eleganter demonstrat idem diuinissimus Dionysius citato nuper lib. cap. 3. par. 3. vetera illa, diuina Iesu Christi futura opera præcinebant: quasi disponentia ad perfectam generis humani salutem, quæ per Christum Dominum futura erat. Itaque ceu adumbrationes quædam erant legis futuræ Gratiæ, in qua summa requiritur cordis mundities, sub figurata illa corporis puritate. Hanc maximam legis gratiæ cordis mūditiem, dum contemplasset insolens, quantum acutus Auerrhoes, ineptè, sicut plurima alia dixit, legem hanc impossibilium esse; vti accuratè alterá, quam ipse sordidè profitebatur, porcorum. nam aliud non est infœlix illa, ac sordida Mahometanorum secta. Verum enim verò nos fœlicissimi, ob immensam summi Dei clementiā, ac bonitatem, sub hoc dulci, ac suaui viuimus iugo, *& omnia* cum Apostolo ad Philip. 4. *possumus in eo qui nos confortat*. cui sit salus, honor, virtus, gloria in secula seculorum, Amen.

Ordinabatur igitur veteris illa lex, seu cum Epiphanio sanctissimo, in serm. pal. legalis illa hyems, ad alteram istam gratiæ, & ad floridissimum hoc verni tempus: vti hæc rursus ad illam supremam, ac cælestē vitam. Et cum illud, ad quod ordinatur,

ac dirigitur res, lógè sit prçstátius, ac vnà perfectius. hinc in illo priori ænigmate corporali subfigurabatur, ceu in archetypo sinceritas hęc, & mūdities cordis legis gratiæ, confirmante istud domino, Matth. 5. ac dicente, *Beati mundi corde, quoniam Deum videbunt.* vltimum sanè bonum, ad quod diriguntur præcedentia. Quare archetypus ille, operæ pretiū erat, omni ex parte demonstrasset exactam hanc, & absolutá cordis munditiem. Et proinde ineffabile decus, per hunc Legislatorem Moysen, illum præscripsit diutissimum puerperij terminum salubres enixas, tum insalubres, amplectentem: vt definito vltimo illo carcere, proculdubio mundè se præberent coram Domino in sanctuarij ingressu. Omnisapiens itaque Deus summa sapientia cuncta prouidet, & eius vnà ancillæ Naturæ operibus seriò præuidet: quæ cum variis obiiciatur mutationibus, tum propter alterabilem corporis materiem, motus varios, locorum ac temporum diuersas cōstitutiones, & alia plurima nobis obuersantia, quæ sæpissimè nostrum immutant corpus, in morbosumve redigunt statum: hinc diuino illi cōditori, haud quaquam terminum alterum secundum naturam, mox ab Hippocrate assignatum, ne statuere quidem placuit: immò, & alterum astruit, & insalubrē vnà continentem: ne vlla ratione pollutæ, ac immundæ starent ante Dominum.

Non opponitur igitur Hippocratis doctrina, diuinis eloquiis: quamuis ab vtrisque tam disparati, ac varij signentur carceres. In primo autem puerperij termino struendo ambo conueniunt, cum vtriq; septimum eiusdem definiant solem. hoc solo intercedente discrimine, quod diuina sapientia in nixu mar-

maris hunc potius, in fœminæ verò vltrò, & decimum quartum assignet: Hippocrates sexus confundit, cum nulla apud ipsum sit facta mentio de ipso decimoquarto. Cæterum eius doctrina huic termino suffragari videtur, dum fœminea cuncta intra vterum tardiori multo gradu moueri scribat, ad quarum concentum lochiales res pari passu ambulare itidem arbitretur. Quamobrem nulla ratione discors magni dictatoris doctrina, cum ineffabili ac perenni sapientia. quia reapse Hippocratæi termini secundum naturam, & tantum eosdem limites generationis fœtus secundum naturam respectant. etsi inter hos, testante Aristotele lib. 7. de hist. animal. capite tertio exacta non sit æqualitas temporum, cum variè in his se habeat Natura. Sed quid Aristotelem commemoro? cum & ipsemet Hippocrates, ipso prius, idem fateatur lib. de alimento, dum de hac subiecta materie, quatuor referat opiniones, & tandem concludit, *Non est, & est.* quasi dicat, in difficili huius diexodi labyrintho, cum variæ occurrant opiniones, non est forsan verum, quod isti sentiunt, & est possibibile aliquem eorum veracem esse. Perfectè autem solus ille rem assequitur, qui fœtum plasmauit. De hac nostra interpretatione possunt erigi aliquæ aliæ caussæ, sed quia morales, à nostro consilio alienæ, qui solas exploramus physicas; hinc illas, silentio obuoluimus.

Cur stati signentur puerperij carceres, tum à Sacro Eloquio, tum ab Hippocrate.

CAP. XVIII.

POstquam concordem ostendimus Hippocratem, cum diuina Sapientia (neque aliud erat sperandum de viro, quem Deus summa prouidentia exemplar vniuersæ Medicorum scholæ proposuerat orbi); superest modò caussas signemus, cur termini, & à sacro Eloquio, & ab ipso Hippocrate præscripti, stati, neque alij dispares. Hippocratæos, ceu secundum naturam quamprimum rimemur. Hic igitur lib. de septim. partu, num. 6. conceptionem, partum, & abortum, eodem tempore iudicari, quo morbi, sanitas, & mors venustè eloquitur. Sed hæc, diebus, seu septenatiis, mensibus, & quadragenariis, & annuo nihil minus iudicantur spatio, etiam iuxta Hippocratem, & vnà Galenum lib. 3. Prognost. sen. 10. Ergo conceptio, partus, & abortus, hebdomadis, mensibus, & quadragenariis decernũtur. Vti itaque acuti morbi per septenarios iudicãtur, chronici per menses, quadragenarios, & annos: similiter conceptio, partus, & abortus, per eosdem gradiuntur terminos. Vnde lochia, partum respectantia, prima inquam illa, primo itidem, aut altero claudentur septenario: vltima, si masculinus nixus, mense potius: quia post septenarios, mensis consequitur; sin verò nixus fuerit fœminæ, cum huius sexus res omnes intra vterum tardius moueantur, hinc harmonicum puerperium amplius protrahetur, & eum post mensem subsequatur quadragenarius, etiam quadragenario claudetur illud. Hæc est horum

horũ terminorũ ratio. Sed iẽ hanc lustremus ãplius.
In hac historia menses, haud dubiè lunares intelligẽdi, cui res omnes fœmineæ subiiciuntur:& inter lunares consequutorij, in quibus Luna omnia zodiaci segmenta percurrit, mox iterum consequuto sole cum ipso coit, quasi contineat temporis mensuram à coitu ad coitum, quæ continet diebus 29. cũm dimidio, minutis quadragintaquatuor & tribus ferè secundis. propter quæ minuta & secundas vltra diem mediũ, iam lanx vltra ęquilibrium, ad tricesimum vergit diem. vnde tricesimus per hãc rationem potius dicetur lochiorum terminus Hippocratæus, haudquaquam vicesimusnonus. Rursus cur hic mensis, meta statuatur puerperij, non peragratorius, videtur facilis ratio. quia hic mẽsis, quarti septenarij terminus; ratio autem septenariorum amittitur, cum vltrò procedat iudicium. vnde fiet in altero productiori mense lunari consequutorio crisis lochiorum, in nixu masculino: eo præsertim, quod & hic mensis muliebria ista, conceptiones, ac partiones dispenset. Verum cum fœmineæ res (vt nuper diximus) lento moueantur gradu, & fœta maiori redundet excrementorum colluuie, dum fœmellam gerit, tum quia sexus frigidior, atque humidior:& ob minorem, atque languidiorem natiuum calorem, minor itidem absumitur excrementorum copia: tum quia vtero gerentes per totũ grauiditatis tempus, vt plurimum, deterius se habent, & inde maior aceruatur eorundem congeries. quare vlterius procedant lochia ius est: attingent igitur quadragenarium; terminus alter criticus, post mensem, & vltimus morborum acutorum ex decidentia. quo termino haud dubiè indiget enixa

ad vniuersam conceptionis sarcinam penitus deponendam: vti & humores multi, & crassi, morborum acutorum ex decidentia feraces, ad absolutam coctionem, huiusmodi itidem indigent termino.

Difficultas occurrit non leuis, quare supra quadragenarium binos alteros Hippocrates addiderit dies, cum & quadragenarius simpliciter morborum sit terminus? An quia fœminea, vti pituita, per paria mouentur? quadragenarius namque impar, ceu sexti septenarij terminus, vti vicesimus tertij, ex vtroque Medicinæ parente. Vltrò igitur procedit lochion, & primo mox pari clauditur, secundo videlicet, supra quadragesimum sole. nam fœminea, ceu frigida, & humida, ex Hippocrate lib. de Nat. pueri, num. 14. eodem motu, quo pituita cuius itidem fruuntur temperie, mouebuntur. vnde cum respuant lochia quadragenarium, ceu imparem, primum subsequentem parem amplectentur. qui numerus, vti reliqui pares, ex accurata Pythagoreorum sententia fœmineus est; cum & res omnes fœmineæ pari claudantur numero, si temperiem seruarint frigidam, & humidam, aut facultatem eandē.

Porrò & eadem arte definiendi carceres sacri Eloquij. horum, primum quadragenarium signat, in nixu maris: quia cum morbosarum statum ille complectatur, & hic numerus, limitem sanatum Hippocratæum superet; necessariò cum sit vltra mensem, ad quadragenarium protrahendum: meta quamprimum consequens mensem.

Rursus, cum lochiorum terminus, in nixu fœmellæ, Hippocraticus, qui & secundum naturam, per soles binos excedat quadragenarium primum, & necessariò sit amplius per quadragenarios computan-

putandum; binos in salubris status ad secundum vsque quadragenarium saltem producēdus, cum nulla sit inter hos extremos intermedia mora. Fidem fidei Hippocratis struit diuinissimus Galenus lib. 1. Epidem. com. 3. sen. 22. dum historiam vxoris Epicratis, quæ & filiam pepererat, & acutè laborabat, interpretatur, & finem sententiæ imponens Hippocrates inquit, *Quadragesimo die pauca vomuit, biliosa. Indicata est, & ab igne liberata prorsus octogesimo die.* Galenus com. in hęc verba, sic fatur, *Interea loci vsque ad quadragesimum diem ægrotabat: prorsus verò est liberata octogesimo. quare fac memineris, id quod experimenta attestantur, diem quadragesimum, & octogesimum decretorios esse.* Ex horum igitur doctrina latè, longéque patet veritas nostræ elucidationis. quod enim Hippocrates, & Galenus de diebus morbi critici, in hac referunt historia, proculdubiò etiam ex eorum mente dicendum, & de diebus fœtationis, ac puerpęrij criticis, cum eundem seruent vtraque tenorem. Quare sicuti huic enixæ, febre laboranti crisis quadragesimo incœpit, diu eo die biliosa pauca vomuit, & absolutè octuagesimo fuit iudicata: similiter, quæ enixa sub primo quadragesimo lochion terminauit, amplius procedens, quasi morbosa, ad secundum protrahit, & octuagesimo tunc, limite certo, illud circunscribit; terminus status præter naturam, in quo liberantur morbosæ, vti sub quadragenario sanæ, & quæ sanæ futuræ. cum in vtrisque necessariò, ceu extra mensem, crises fiant per quadragenariōs, huicque doctrinæ præstruenda breuiter fides.

Neque hinc autumandum, enixam omnē has metas actu attingere sit necesse, sed potentia tantum quasi termini isti vltimi sint, ad quos protrahit qui

O admirabilis corporis mundities, exactissimum symbolum puritatis cordis ineffabilis legis gratiæ!

Verum lubet modò corollarium quoddam texere, cum Petrus Garsia Carcero, Doctor Complutensis nobis ansam dederit. hic namque disput. 68. in libros 6. Galeni de loc. affect. cap. 5. frigidè, vti & alia contendit probare mensurni fluxus typici limitem, ad solem vsque decimum quartum deduci. & opinionis robur (vt eius fert sententia) consistit in illo sacro oraculo Leuit. cap. 12. in quo Spiritus Numen iuxta ritum fluxus mensurni, etiam enixá per binas hebdomadas immundam iudicat, innuẽs manifestò menses posse protrahi ad decimumquartum solem, cum ad instar horum, quotiescunque mulier fœminam fuerit enixa, per alios quartodecimos soles puerperia reddat. Mox & doctissimum demiratur Vallesium istud negligentem, & septimum tantum solem statuentem illorum carcerem, iuxta descriptum masculinum nixum. Nos verò hunc Garsiam non demiramur solum, verum irridendum arbitramur, cum inciderit in foueam, quá ipse fecit. Si enim Spiritus Numen, infra cap. 15. (vt nuper diximus) dilucidè, distinctè, ac planè, mensurni fluxus septimum solem vltimum assignat terminum, quando rem hanc ex instituto tractat: cur igitur nodum amplius in scirpo quærit, lucem in meridie? Sed ex eo magis deridendum censeo, quod mensium terminos distinguat ad distinctionem sexus: quasi mensurni fluxus, alij masculini, alij fœminei. O quisquiliæ, ô meræ nugæ! Quæ enim conuentio puerperij mulierum marem, aut fœminam enixarum, cum ipsis typicis mensurnis fluxibus, in quibus nullatenus aliqua occurrit, aut occurrere

sas sexuum distinctio? Quare verba illa sacri Eloquij de discretione lochiorum ad discretionem nati sexus, aliò sunt referenda, vt nos suprà, & fortè seriò sumus interpretati, etiam iuxta dictatoris mentem. Puerperia itaque harmoniam seruant, cū his, quæ in vteri claustro ab initio conceptionis contigerant, potissimum in deductione mensurni sanguinis ad partus alitionem, & auctionem. cúmque in masculino partu fluxus mensurni sanguinis per septem sileat soles, hoc silentium rursus compensatur in puerperio altero septenario, & ita per hoc temporis interuallum vberius fluit lochion. cúmque mox in fœmineo, ob sexus frigiditatem, geniturae imbecillitatem cum huius sexus omnia tardius procedant in vtero, ille idem fluxus per binas hebdomadas pariter sileat; retribuitur illud idem silentium, in nixu, altero copiosiori lochio, & per alteras iugiter binas hebdomadas. haudquaquā autem sacrum oraculum typicas mensurni fluxus periodos, quas per singulos, menses retribuunt mulieres, respectat sanè. esset enim istud somnium planè.

Hæc doctrina cum quouis nectare sit suauior, & quouis sole illustior adscripsi libenter, & vnà rescindendum discrimen, offensaculum tollendum sensi. Verum quia iam in portum (vt reor) appulimus, consistere modò decernimus.

De varia lochiorum natura, ac qualitate secundum naturam.

CAP. XIX.

NAturæ Genius Aristoteles libr. 5. Metaphys. ca. 13, & 14. accurata methodo quantitatis disputationi, alteram citimam fecit qualitatis: quamuis

nis lib. Categ. de relatis ca. 14. alteram inter vtráque collocarit, & fortè propter rationes à Porphyrio, ac Simplicio non ignaue assignatas. Nos igitur exacta eâdem ducti methodo, puerperij quantitate exposita, qualitatis rationem inscribendam mox censemus. Qualitatum autem dissertatio tanti momenti (cum rerú naturæ, tum essentiæ occultentur nobis) quod, quá proximè rerum omnium ideas digito quasi insinuent, illæ seu naturas abstrusas demóstrent. Hinc καταχρηστικῶς qualitates Medici, naturas appellat, quasi nobis sint naturæ magis expositæ, ac manifestiores: haudquaquam has præsumunt, qui rectè philosophantur, rerum esse formas essentiales. benè quidem easdem replicant, ceu proprietates ab essentia fluentes, cognitu ferè impossibili ipsa essentia. Quare cum frustrà quærerentur rerum formæ, ac essentiæ, ceu abditæ, & inaccessibiles, consultò medici qualitates has sub ratione naturæ inquirunt, amplectuntur. vnde serió Galenus temperamenta rerum vocat essentias, natura quidé inuestigatione haud quaquam difficilis. sententia, & verbis Galeni vtar, ex li. 1. de vsu part. c. 9. *Insunt autem primum & maximè*, corporibus inquam, *temperamenta, quippe quæ propriam particularum substãtiã complent: corpus enim tale natura est, propterea quod caliditate, frigitate, humiditate, siccitate siccõmistũ est. nam carni esse carnem, & neruo neruum, & aliorũ vnicuique id esse, quod est, ob qualitatũ quatuor prædictarũ certã quãdã tẽperaturã cõtigit. Hæc igitur eis secũdũ substãtiæ rationẽ in sũt.* Eãdẽ tuetur sẽtẽtiã iterũ Galenus cum Hip. tũ li. 1. de nat. hum. sen. 15. tũ lib. ꝙ animi mores c. 3. & lib. 8. meth. c. 1. Quare semper in eadem stat sententia, quasi medico sufficiat hanc

naturam rimari: reliquam negligere, cum fortè Atlanticum mare coryla exſorbere ſit poſſibilius, quam illa abolita dignoſcatur. Iſtud porrò vberius luſtrat prooemio in lib.1. Hipp.de hominis natura, in quo cum tres ſtatuiſſet Naturæ ſignificationes, hanc vltimam tandem indixit, quam ſenſilem appoſitè naturam appellat. Hæc igitur naturæ cognitio, in omni Medicinę parte apprimè conducibilis, in Terapheutica, quia ignotus nequit ſanari morbus: ad huius cognitionem peruenimus exactè, cognita eius cauſſa, vti morbi, & cauſſarum naturam aſſequimur, cuiuſque ſedulò exploratis qualitatibus ceu ſignis. dependet itaque totius morbi cognitio, ex harum ſenſilium naturarũ dignotione, quæ vti ſigna morborum quaſi indicant eſſentias: inde Græci παθογνωμικά, ſeu morbum indicantia appellant, vt Galenus tetur lib.1. Aph.ſen.12. Cùm igitur enixarum morbi, vt plurimum cauſſam habeát puerperiũ: huius ideá, ac qualitates rimandas omni ſtudio arbitramur. cognita namq; cauſſa, cũ omnis nata ſit producere ſimilem ſibi effectũ, innoteſcet pariter & morbi idea. verũ, vt quod præter naturá eſt nobis aperiatur, oportet prius, quod ſecundũ naturá, dignoſcere, quaſi iſtud ſit norma Leſbia, & extremorum regula. De hac re perfunctoriè aliqua diximus ſupra: exactius tamẽ lubet eadẽ percenſere, ceu res magni momenti ad futurá diſputationem.

Sũmus dictator, cũ admirabili artificio gynæcio cuncta tractarit, vti & reliqua: proinde hunc, ceu ducem in cunctis imitandum nobis proponimus. Hic itaque de hac noſtra hypotheſi, ſic eloquitur lib.de Nat. pueri, num. 12. *Commotus autem ſanguis*, partus videlicet tẽpore, *primũ quidem exit calefactus*

lefactus, deinde post fœtum sanies cruenta, & crassa, & quæ sit perfusa cum multo sanguine. Mox interiectis quibusdam pauculis lineis, ad vlteriora iam procedens inquit, *Exit autem sanguis, si quidem mulier valetudine fruatur præsenti, etiámque futura, qualis à victima, ísque citò concrescit. Quod si nec mulier tã sana sit, nec sanitatem consequutura, tum purgatio parcior, & specie quidem deteriòr, & quæ nec citò concrescat.* Ex Græcis auctoribus eandem amplectitur doctrinam ab ipso Hippocratico fonte haustam Aristoteles lib.7.de histor. animal. cap.2.vt ex Arabibus, horum Princeps Aben Seni lib. 9. de Animal. ex noctericis autem, vir doctrina grauis Mauricius Cordæus com. 3. in libr. 1.de morb.mul. num.43.

Cæterum Galenus doctissimus haudquaquam assentitur Hippocrati. mirandum sanè, cum húc, ceu Numen quoddam in cũctis veneretur semper. Arbitratur itaque etiam in muliere sana, & talis futura exquisitè inculpatum haudquaquam esse sanguinem lochij, nec sanguini victimæ similem, nec vndequaque perfectum. Mentẽ aperit suam lib. de Atra bile, ca.8.lib.1. Prorhet.com.2. sen. 48. & lib. 1. Epidem.com.3.sen. 21. Huius vltimi loci lubet modò rescribere verba, *Illud in omnibus mulieribus, quarum impedita est à partu purgatio, sciendum est, & memoria tenendum esse, quæ in extremum morbis discrimen veniant perpaucas autem quæ modicè infestatæ sunt, propterea quod plurimis vterus inflammatur: quibusdam in ipso partu sanguis effusus diuersa sit qualitate, his biliosus, illis melancholicus, aliis virulentus, aut pituitosus, aut mediocriter bonus: sed exquisitè inculpatus haud vnquam, nã eius optima portio, in fœtus incrementum est absumpta. demonstrant*

eius naturam symptomata, quæ consequuntur cohibitā à partu purgationē. Adhuc apertius hoc idem libr. 5. Epidem com. 3. sen. 73. insinuat, dicens, *Menstruorū suppreßio offendit, tamen non perinde, vt si à partu supprimantur officit: quod non abundantiam modò, sed insignem etiam humorum pariat prauitatem. Nā meliorem sanguinē ad se fœtus nutrimenti caussa alliciēs, relinquénsque deteriorē, caussa est vt prægnantes prauis humoribus impleantur, quos à partu vacuat natura.* Ex his igitur locis, vti & ex reliquis citatis liquet Galenum sentire omne lochiō insigniter vitiatum. cuius vitij alteram signat caussam, suctionem videlicet, partis vtilioris sanguinis ab ipso fœtu. huic nos & alteram adiungere fas, moram, inquam, eiusdem sanguinis per longum illud conceptionis interstitium, in ipso vtero. Mora námque illa tranquilla rei calidæ, in loco calido, putredinis quidē auctor est: iuxta illud Vatis Horat. eloquiū, *Putrescunt enim ni moueantur aquæ.* Neque hanc caussam reliquit Galenus intactam, dum libr. 3. de loc. affect. cap. 7. in mensium restrictione melancholicum fieri sanguinem ab ipsa astruat. incrassatur námque is, quotiescunque liberè non ventillatur, ac mox putrescit. Hoc itaque in omni lochio contingere insinuat apertis verbis citatis locis Galenus, cum puerperij ideam, ad humoris pariter melancholici naturam quā proximè vergi affirmet. neq; perperā.

Inter hos Medicinæ insignes antistites, quos modò oppositos contemplor, constitutus, quò me vertam nescio. Hippocratis doctrina tantum in se cōtinet splendoris, quod omnes exoluat tenebras: tātū rursus firmitatis, quod omnem contemnat ruinam. Galenus porrò, ceu Phœbea lampas, nihilominus

lucet

lucet in meridie. Antiquorũ noctes abstergit, crepuscula pariter insigni splendore doctrinæ lustrat. Vtrique igitur, ceu altera Numina, amplectẽdi, venerandi, verũ modò dispares ne opinemur; cũ Hippocrates exẽplar tãtũ proponere intendat, cuius ratione & optimum omne dicitur puerperium, bonũ, vel minus bonum: malum rursus, aut deterius. neque dũ proponit, sibi cordi est, an existat illud actu, an secus. Pari passu Galenus temperamẽtũ ad pondus admittit, vti & corpus εὔκρατον quæ exquisitè inculpata reperiri actu, ne concedendum, aut saltẽ si existant, instans tẽporis perdurare, fatendũ. Sensus itaq; iudicio existere actu potest lochiõ, in muliere perfectè sana, & quæ huiusmodi est, futura, quod haud dubiè accedat maximè ad sanguinis inculpati victimæ bonitatem. Sed cum ista in natura rarissima, hinc frequẽtissima potius cõtẽplatur Galenus, & prauitatẽ aliquã semper in puerperio inesse pro certo arbitratur. Imaginariũ igitur illud Hippocratis lochion, verũ, ceu norma, arte dignum: frequẽtissimum autẽ Galeni aliud, cum reapsè omne lochiõ, & quasi ex necessitate aliquid cõtrahat vitiũ, criminatur enim necessariò sanguinẽ, deteriorémve reddit fœtus, dũ ad se dulciorẽ, & meliorem eius partẽ allicit. Hinc accuratè Ioãnes Riolanus vir sanè doctus li. Physiolog. sect. 7. c. 9. Plinium, & Ferneliũ carpit, cũ maleficia quædã mẽstruo sanguini tribuãt, quæ fortè lochiis, ob eorũ prauitatẽ deberi, fit credibile, nam menstruus sanguis quãtitate potius, lochia itidẽ qualitate, etiã in sanis fœminis, inutilia fiũt, & aliquãdo maligna, vt idẽ Riolanꝰ cõ. in li. Fernelij de hominis procreatione dẽmõstrat. Etsi frequẽtissimè vtraq; vacuatio inutiliũ, ac qualitate

peccantium excrementorum contingat, affirmante Galeno lib. de Atra bile, cap. 8. & lib. 2. Prorhet. sen. 48. etiam ex Erasistrati sententia, hunc laudans, ex eo quod lib. 2. de feb. veterum more has vacuationes, purgationes exactè appellet, vsu pariter receptum ad hæc vsque nostra tempora. purgatio autem de vacuatione dicitur rei inutilis qualitate peccantis, qualis propriè quæ per cathartica fit: adæquatum planè auxilium cacochymiæ. καθαρτικὸν autem nomen à καθάρσει, seu purgatione, quæ latè omnem vacuationem amplectitur humorum qualitate inutilium, siue per vterum, siue per aluum, vrinas, vomitum, aut aliam quamcumque partem, ac meatum fiat. de vtraque muliebritate testatur Hippocrates lib. 5. Aph. sen. 60. & 61.

Deinceps præter has à Galeno modò assignatas caussas sunt & aliæ, nec minoris notæ, quæ partim ineuitabiles, ac valentes optimam criminari sanguinis symmetriam: & harũ ratione, ne actu quidem exquisitè inculpatum sanguinem, sub aliquo habitu existere arbitramur. hæ sunt aeris nos ambientis naturæ diuersæ, excrementorum prouentus, varia pathemata, quibus nos obiicimur, in grauidis itidem anxietates plurimæ, fœtationis ratione, dolores anxiferi, prauorum alimentorum esus, ob picam, qua laborant, otium, & vita sedentaria, & alia plurima, quæ sinceritatem, ac puritatem sanguinis omnino vitiant & corrumpunt.

Quare si numquam, aut saltem perquam rarissimè huiusmodi inculpatus sanguis, ob tot aduersantes caussas, in hoc enixarum proluuio, prosiliit: sanæ fœminæ, & quæ sunt futuræ tales neque hunc inculpatum proculdubiò absolutè attingent, quã maxi-

maximè tamen ad hanc integritatis ideam accedēt. hanc rem insinuat iugiter Galenus, dum ipsius lochij quasdam tradat differentias, & alteram earum sanguinis mediocriter boni statuat, quasi hæc, quā minimè ab illo exquisito recedat medio. apparet namque in ipsa tuberrimus sanguis, victimæ sanguini similis, cum aliqua tamen fœculenti, crassique humoris permistione, per primos saltem septē à nixu diebus, aut amplius, quo magis illa sana fuerit, & talis futura: vltra autem hos dies, vt plurimū fœculentior dimanat sanguis.

Doctissimus Cordæus com. 4. in libr. 1. de morb. mul. num. 62. aliter hanc discordem harmoniam componere intendit, dum Hippocratem loquutum fuisse de sanguine censeat, qui à toto funditur corpore. hic, in laudabili, & exquisitè sano corpore, laudabilis, & inculpatus exquisitè, vti sanguis è victima: Galenum autem de sanguine tantum, qui in vasis vmbilicalibus, ac secundinarum concluditur, qui ater, ac fœculentus, & quàm primū post cruenta aquosa statim vnà ferè cum ipsismet secūdis emanat. Reuera hallucinatur vir hic scientissimus, nam & inartificiosum esset, hunc solum, quātitate paucum, tempore breui, ac ferè instantaneo prosilientem, aduersus Hippocratem, fœculentum assignare, huiúsque tanti viri oppugnare opinionem, quem ipse, ceu diuinum reueretur semper. Dixisséque potius, verè Hippocratem affirmasse sanatum sanguinem inculpatum, eo dempto exiguo, qui cum secundinis profluit. longè autem diuersa scripsit, dum neget simpliciter inculpatum seruari sanguinem, cum fœtus dulciorem partem sugat, sibique alliciat, respuat inutiliorē, crassiorē,

ac fœculentioré, qui per tam diuturnū conceptionis tēpus vberrimus cum sit, ne in vasis illis vmbilicalibus, ac secundarum recondi, ac stabulari fit possibile:imo nec ipsius vteri: sed in vniuerso corporis ambitu.reliquum igitur proculdubiò Galenus respectabit proluuium.

Moschion auctor Græcus parte 1. harmon. gynæc. lochiorum tres constituit differentias, sanguinis alteram, & hanc vberrimè fluere scripsit in nixu, iam alteram sanguinis fœculenti, & hanc in minori quantitate dimanareretur, tertiam tandem purulenti excrementi seu potius ichoris. His verbis apertè innuit lochion per totum durationis tempus distinctam seruare naturam. quasi sub primo septenario sanguinis optimi repręsentetur idea; culpati iam mox, ac fœculenti vltra illum terminum, cum crassus, ater, ac fœculentus tunc temporis, vnà cum multa ichorosa substantia sanguis dimanet permistus, & in minori quàm prior quantitate. tandem in minori adhuc quantitate prosiliit, qui vltimò ichorosus, ac putridus. Verum hæc omnia, secundum magis, & magis, cunctis ferè accidere enixis, cottidiana attestatur experientia. Itaque puerperium sanatum, & quæ huiusmodi sunt futuræ, sanguinis inculpati ferè tenetur repręsentare ideam, ad nigredinem tamen aliquantulum vergentis, vt ne exquisitè sanguinis victimæ referat naturam. qui præter colorem rubrum, quo secundum naturam afficitur, aliis itidem illustratur dotibus, substantiæ, videlicet, mediocritate, cuius ratione fit fluxilis. & mox coagulatur statim, odore rursus optimo, fluxibilitate denique facili. hæc autem cuncta sua fruuntur latitudine, iuxta varias temperamento-

rum

rum, ac ætatum enixarum ſecundum naturam differentias, partus ſexus diſtinctionem. nam bilioſa puerpera, ac iuuenis flauiorem continebit ſanguinem; melancholica, & adulta craſſiorem, ſubnigriorem. pituitoſa rurſus craſſiorem, cum rubedine quadam tendente ad albedinem. vti ſanguinea exquiſitè rubrum; quæ, cum vt plurimum εὔκρατον, & εὔσαρκον aſſequatur corpus, & lochion reddet omni ex parte reliquis præſtantius, & inculpatius.

Præterea etiam in hoc proluuio obſeruandus modus, quo ſanguis ipſe proſiliit. nam quando ſanguis ſecundum naturam & optimus citra dolorem, aut aliud quoduis ſymptoma promanabit, ac in ea quantitatis mediocri menſura, qua ſuprà deſcripſimus, cap. 16. rurſus & typicè fluet, ea arte ac ſerie, quam nuper iuxta Moſchionis mentem retulimus, vt maior fluat copia per primam hebdomadam, minor per ſecundam, & minor adhuc per tertiam, ad vltimum vſque carcerem. ſola ea præmiſſa obſeruatione, quod ſub primo ſeptenario ſanguis, lochij materies per quandam anadromen ad mammas recurrit, vt lac fiat, fœtus in lucem editi appoſitum alimentum. qui aſcenſus, quibuſdam altero ſole, aliis tertio, aut quarto contingit. affatim ad ſeptimum vſque, vel nonum ſolem irruens: ſub quo tẽporis interuallo, iam alio verſum intenta natura, in minori multò copia vertuntur puerperia, vt prȩter experimentum inſignis docet Galenus lib. 14. de vſu part. c. 8. cõmunem autem materiem eſſȩ lochiorum & lactis, crebrò replicat Galenus, & citato nuper loco, & li. de venæ ſect. c. 5. aduerſus Eraſiſtratũ.

Quare hæc natura ſenſibilis puerperij ſecũdum naturam; quod ſanguinis ferè inculpati referat ideam, ruber ſit videlicet, cum aliqua ſubnigri

coloris permiſtione, in conſiſtentia mediocris, & fluxus ſtatim concreſcat, citra dolorem ac moleſtiam, & æqualiter iuxta diuerſas *puerperij partes* per ſingulos dies reddatur. Quæ cuncta diuinus dictator lib. 2. Prædict. num. 33. menſurno tribuit fluxu typico, cuius hæc ſunt verba, *Interrogare enim mulieres etiam oportet de menſtruis purgationibus, an omnibus menſibus compareant, & an copia ſatis magna, & an boni coloris ſint, & æquales in ſingulis temporibus, & in iiſdem menſium diebus: ſic enim hoc fieri optimum eſt.* Hæc itaque infallibilis quaſi norma vtriuſque excretionis ſecundum naturam, hæcque vtriuſque excreti natura. Neque, vt Galenus appoſitè retur li. 2. Prognoſt. ſen. 11. aliud fuit ex natura, temporibus Hippocratis, & aliud in conſuetudine hocce noſtro ſæculo. Natura enim quædam res ordinata eſt, & cum ſuperat materiem, quibuſdam certis ac ſtatis proportionibus, definitiſve periodis, eiuſdem perficit motiones. verum ſi huic præter naturam aut rationem accidant aliqua, ordinem eius aliquando perturbantia, id materiei potius tribuendum, quaſi ab ipſa impediatur eius actio, aut ipſa haudquaquam vincente eam, & ſuis proportionibus prohibita dimoueri.

De ſignis demonſtrantibus qualitatem præter naturam lochiorum.

Cap. XX.

SIgnorum doctrina momenti maximi ad Medicinam faciendam, ſiquidem inter reliquas vtilitates, inter commoda cuncta, quæ nobis ipſa præbet,

bet illud quamprimum, nec leue, quod nos quasi manu ducat, dirigat, doceat, qua ratione abditos exploremus affectus, latentes rimemur caussas, abstrusa quæque ac recondita innotescant. Lustrat hanc veritatem Galenus lib. Artis Medicę, c.7. dum postquam signa in tria diuiserit genera, salubria, insalubria, neutra mox referat, *Quæ insalubria sunt & morbum præsentem, etsi occultum, annuntiant, futurum prædicunt, & præteritum rursus in memoriam reuocant.* Cæterum hæc doctrina quantum venusta, tantum vtilis, imo & necessaria, & quantum necessaria, ac vtilis, tantum præ se fert discriminis, atque laboris. Nam cum Medicinæ scientia longè, latéque vagetur, iuxta illud diuini dictatoris lib.1. Aph. sen.1. *Ars longa*, inter cunctas ac varias eius partes, nihilominus & hæc astuosa, immensa, profunda, difficilis, assequitur istud, præsertim ex coniecturis, quibus persępe vtitur: tum quia præcepta haudquaquam Polycleti, verum Lesbia potius metiuntur regula; in qua præposterè, & caussæ potius per effectus dignoscuntur. De Lesbia regula dixerat lib.5. Ethic. cap.10. Aristoteles, ad lapidis figuram transmoueri, neque permanere regulam. Incerta itaque, & fallax, quia innititur itidem fallaci experimento, & difficili iudicio. Theoremata igitur, atque huius partis præcepta etiam testante Galeno lib. 4. Aph. sen.2. ceu à posteriori cognita, vim ferè præceptorum amittunt; quia, de quàm plurimis, quę in hac parte tractantur, impossibile legem condere, ac illa sub canone vniuersali recondere. hoc quamprimum experimur assiduè in hac signorum doctrina. nam cum affectus sæpe nos lateant, eorum rursus caussæ nobis occultentur, per quædam signa exter-

na,prædictorum affectuum germina & effectus, in illorum nos cognitionem venimus. vnde hæc cognitio, tantum abest scientifica sit, quod sæpe, vt coniectrix potius ęstimanda,infirma,ac imperfecta. Exemplum illud Galeni peritissimi viri, inter reliqua totam hanc rem penitius lustrat,dum, vt idem ipse fatetur lib.2.de loc.affect.ca.1.cum præstans esset ingenio, ob signorum clumbem doctrinam in seipso decipitur, & dolorem colicum, quo ipse vexabatur, æstimauit nephriticum. sunt enim in plurimis morbis signa communia, quorum ratione, eorundem morborum iudicium paratur difficile. tanta est huius nostri ingenij ruditas, tanta mentis caligo, à Protoplasto nobis in pœnam peccati,hęreditario quodã iure deriuata. Perfectissima itaque & vndequaque absoluta Deus O.M. scientia fruitur, in suis ineffabilibus abstrusa thesauris,scribente Angelico Thoma 1. p.q.14.art.1.& 4. Angelis vtrisque rectam concessit opinionem: hominibus autem,hanc eandem,&lubricam,&ambiguam.hinc fortè,nec immeritò Antiqui Philosophi nostrum scire, opinari vocarunt.

Cæterum,vt pensum nostrum,ea qua nobis licet humana lege exoluamus, illud quàm primum in memoriam est reuocandum, quod prius insignis Galenus citato lib.Artis Medicæ ca.75.scripserat,signa insalubria (de quibus modò nobis sermo)pręsentem demonstrantia affectum, in duplici differentia esse, alia enim sensui subiiciuntur, facta permutatione à naturali statu in magnitudine,colore, figura,numero,situ,duritie,mollitie, caliditate, aut frigiditate,&c. alia mox visum effugiunt, sed ex læsis actionibus,excretis tumoribus,& doloris specie

nos

nos iudicium ferimus. vtraque differentia ſerò nobis æſtimanda, etiam ad ideam, & puerperij præter naturam qualitatem exactè dignoſcendam, ſenſifica videlicet, & altera diſcurſiua, quę artificioſa coniectura planè perficitur. Nã cum lochiô hoc pręter naturã, tum quantitate tũ qualitate multiplicium, grauiſſimorum, ac ſæpe lethalium ſit ferax morborum: & cum morborum curatio iugiter perficiatur, affabrè cognita eorundem cauſſa: proinde tenemur ſedulò illud inquirere, quot modis à naturali ſtatu dimoueri valeat. Et cum effectus cauſſarum efficientium pręter naturam morbi ſint, vti & horum ſymptomata, hinc vtraque contemplanda, vt qualitatis puerperij abſolutam, quantum poſſumus, cognitionem conſequamur.

Verum, vt facilius priora innoteſcant, operæpretium erit luſtrare prius, puerperium morborum efficiens cauſſa, quot modis valeat vitium aliquod contrahere in qualitate. Puerperium igitur, cum nihil aliud, quàm menſurnus ſanguis, ob conceptionem redundans, ac in venis, pręſertim vteri ſtabulatus, quem à partu Natura per eandem vteri viam retribuere intendit, ex eiſdem haud dubiè conſtabit quatuor humoribus, animalium omnium ſanguine præditorum propriis elementis. Quare, vti in vniuerſa maſſa illi ſe habent, ita in ipſo puerperio. in illa, modò hic, modò alter excedit humor; ex quorum exceſſu, hoc, vel illo modo ſanguis denominatur, cum modò pituitoſus, modò bilioſus, modò tandem melancholicus appelletur. iſtud idem pariter in lochiis accidere ius eſt. An detur ſanguinis cacochymia, qui-

dam vertunt in dubium, nos hanc libenter negamus, cum ſemper aucto ſanguine, & reliqui mox cum eo augeantur humores ſit neceſſe. vnde appri-mè, neque à Galeno, aut alio quouis, benè de hac re ſentiente, aliqua aſſignatur febris differentia, ab hoc quarto humore exortum trahente; cum neque ſanguis quartus humor ſincerus in corpore reperiatur; vnde ſynochus à ſanguinis maſſa potius ſuum habet ortum. Admittimus tamen ſerum cruentum, ab hoc quarto humore ſecretum, iuxta Hippocratem lib. 6. Epidem. com. 2. ſen. 38. lochion igitur poteſt emanare, exiſtentibus cunctis quatuor humoribus, ſub proportione aliqua attemperatis, vel citra hanc attemperationem exuberante bile, melancholia, pituita, aut ſero illo cruento: quatuor ſanè cacochymiæ differentiæ. Illud neceſſariò ſecũdum naturam, reliqua fieri poſſunt præter naturam, quotieſcunque à naturali ſymmetria decedunt, iuxta latitudinem cuiuſque temperamenti ad iuſtitiam.

Puerperij differentias videtur etiam Galenus connumerare lib. 3. de ſympt. cauſſis, ca. 4. dum excretorum ſpecies recenſet in muliebri profluuio. huius hæc ſunt verba, *Eſt autem perpetuò quod euacuatur, tale ſpecie, quale eſt quod in animali redundat: aliud rubrum, ſanguinis ſanies: aliud album, à pituita: aliud pallidum, quod eſt bilioſum.* En etiam ex Galeno ſanguinis ſaniem, ſerum inquam illud cruentum. Sed cum hic affectus, de quo ibi eſt ſermo, ſit profluuium muliebre, affectus ſanè prçter naturam, tum morbi ratione, tum excretionis, & excreti; per quam vltimam rationem nihilominus ab immodicis mẽſibus diſparatur. cum in his excretum ſecũdum naturam ſit, ſanguis videlicet, in profluuio autem muliebre

liebre quilibet humor sua qualitate inutilis : & proinde etiam in hoc affectu huius cruenti ichoris fit mentio, quē à sanguine maximè distare insinuat palàm Galenus libr.3. de causs. symp cap.2.dum excretionem, quæ fit per diapedesim connumerandam non esse inter sanguinis excretionis species, ex eo probet,quia in hac, quod excernitur seri potius cruenti speciem referat.sanguis namque fibrosus cum sit, & crassus, per poros tunicæ, venarum transfundi,ac percolari nequit. Hinc apparet liquidò Christum dominũ in illo tristissimo agone,hoc potius cruẽtum serum sudasse quàm ipsum sanguinem, vt accuratè Archiater noster diuinus, ac pariter doctissimusLucas illâ particulâ *sicut*,ibidẽ demonstrauit,cap.22.dicens, *Et factum est sudor eius,sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*, quẽdam nãq; respectum illâ particulâ, *sicut*, diuinus auctor innuit, neque Hebræismum censendum,cũ lingua Græca etiam sacrum scripserit Euangelium neque fas,viribus saltem naturæ,sanguinem,crassus humor cum sit,ac fibris constans, traiici posse per venarum poros,& cutis meatus, & sudorem parare; qualis fuit sudor ille in Iesu Christi Domini agonia. hanc doctrinam iugiter confirmat Aristoteles & lib.3.de hist.animal.& lib.3.de eorundem partibus cap. 19. cum cruentum potius serum sudari posse, haudquaquam sanguinem scribat.hæc obiter.

Præterea has per vterum excretorum differentias,vnà cum Galeno, & Paulus refert,& Aetius,ille lib.3.ca.63.serm.8.hic tetrabibli 4.ca.65. qui quãuis inter se conueniant, cum nullam ibidem excreti melancholici mentionem faciant: dissident tamẽ

partim à Galeno, cum præter illud album excretum à pituita ... n mox adiungant aquosi excreti differentiam, à serosorum humorũ superfluitate. Verum, si fortè aliqua sit hæc, potius ad alteram pituitæ referendum esse, fuit arbitratus Galenus. receptum namque omnem humorem crudum sub pituitæ amplecti latitudine. aut forsan dicemus, hos auctores illud perlegisse in aliquo Galeni exemplari, cum eorum verba ad vnguẽ sint ex Galeno transcripta, etsi Archigenem citet Aëtius.

Verum non leuis exoritur difficultas, cur horum nullus nigrum excretum ibidem à melancholia recenseat, frequentissimum sanè in vtraq; vacuatione, præsertim in ea, quæ à nixu fit, vt suprà ex Galeno diximus ... d, quod & humor iste restrictus, & in vtero st... atus carcinomatis, & scirrhi parens fit. Porrò manifestò Hippocrates lib. 1. de morb. mul. nu. 6 hoc excretum admittit, dicens, *Si veri purgatio ... si puerpera eruperit. siue à pharmacis, siue sua sponte, quandoque nigra depurgantur.* conspurcat igitur & lochion vtraque melancholia.

Satisfaciemus his, si Galenũ dixerimus nõ teneri ibidẽ oẽs recẽsere excretorũ differẽtias: tũ & hæc per se nota negligere, tã quia alibi de eadẽ fuit facta mẽtio & lib. 5. Aph. sen. 36. lib. 3. cõ. 3. sen. 73. & 6. Epidẽ cõ. 2. sẽ. 38. & tãdẽ li. de Atra bile, cõ. 2. sẽ. 38. ca. 8. quo loco Erasistratũ laudat, q; vrinã reddi nigrã in restricto mẽstruo affirmarit, & tũc meli⁹ sanè se habere fœminam. in hac igitur sentẽtia apertè innuit mẽstruũ ab hoc humore melancholico quàm maximè cõspurcari, cum eo restricto, & mox eodem per vrinas profuso leuari fœminã scribat. Porrò est & altera ratio, si cruẽti seri, bilis, atque pituitæ particeps

ceps lochion, quia in melancholiæ, alter, ex quatuor humoribus naturam hominis necessariò constituentibus, vt ipsemet cum Hippocrate ex instituto demonstrauit lib.1.de Nat.hum. sen.7. & 8.

Ad Aëtium, & Paullum rursus dicemus hos sub illo aquoso excreto, quod ceu quartum à pituita distinguunt, haud dubiè humorem intellexisse melancholicum, nec forsan perperam, cum melancholici serosum & aqueum sanguinem referat & Hippocrates, aut alius quiuis auctor antiquus lib.4. de morb. num. 2. lienem (penu melancholici [illegible]) locum; ac sedem appellauit aquæ. hinc videre est à nimia potus copia hunc præter modum in tumorem attolli, quasi sit potus receptaculum, si inquam probè aqua exota, vrinæ sanè materies, per renes non reddatur, tracta. Hanc doctrinam iugiter approbare videtur Naturæ Genius dum lib. 4. meteor.cap.7. & lib. præsertim 2. de part. animal.cap. 4. ceruorum, & damarum sanguinem (pauida & melancholica animalia, vti lepores, & cuniculi) non coagulari affirmet, quia aqueus & frigidus cum sit, fibris caret, quarum ratione coalitus fit. Ipso iam Aristotele prius idem recenserat summus dictator lib. 6. Epid. sect.2. sen.38. dum pauidorum animalium sanguinem ichorosum statuat. Verum non est, quod in his demonstrandis amplius immoremur. reuera namque melancholici frigidi & sicci cum sint, à languido illorum calore & imminutæ, & imperfectæ fiunt coctiones, vnde & plurima coaceruantur excrementa cruda, sanguis itidē semicrudus seruatur, tenuis, & ichorosus.

Quare, cum cōmunis materies typico mensurno fluxui, muliebri profluuio, & puerpio, vti & cōmu-

ne nomen his, γυναικεῖα, seu κυρίως καὶ κατ' ἐξοχὴν, muliebria inquam, omnia illa in se continentia: quibus vitiis potest infici communis illa prædictarum excretionum materies, eisdem potis quælibet earundem, tam in qualitate, quàm quantitate. cumq; variæ sint *ideæ* humorum præter naturam, quas abūdè Galenus lib.2.de senat.fac.ca.12.recenset, pari ratione & eisdem cunctis, & lochiorum materies conspurcabitur. sin autem ab horū diuersitate ac natura varia, accidatur lochion, & grauissimorum affectuum fiet parens, tum varia, atque diuersa, iuxta cuiusque vitiosi humoris ideam, necessariò excitabitur in puerpera, morborum itidem acutorum idea. quod refragatur Hippocrati lib.1.de Nat.hum.sen.6. *Nunc autem*, inquit, *multa habentur: multa namque in corpore insunt, quæ cum à se mutuò præter naturam calefiunt, refrigerantur, siccantur, & humectātur, morbos pariunt. Quare plures morborum species, plura item remedia ipsorum habentur.* Hæc neq; de nudis intemperiebus tantum intelligenda, verū & de his, quæ ab humorū influxu pariter fiūt, seriò Galenus in cōmētario interpretatur. diuersi igitur fiūt affectus, à causarum diuersitate.

Sed tandem propius ad capitis institutum iam deuenire fas est, & vnà methodum exercere dignosticam, qua peruenire possimus ad perfectam qualitatis puerperij dignotionē, signis potissimū à posteriori petitis, à morborū videlicet natura, & symptomatū: neglectis modò reliquis, q̄ nobis à priori eandē rem poterant insinuare, ceu infidis. hæc autem sunt, quæ ab enixæ natura, seu temperamento, habitu, actionibus, moribus, consuetudine, antè actæ vitæ ratione, ætate, anni tempore, cœli statu, de regione desumuntur, ex Gal. lib.4.aph.sen.2.

quamuis horum omnium æstimatio magni momenti sint ad faciendam medicinam: tamen exquisitè, ac tutò morbi ideam,& eiusdem priuatam materiem, in qua existit efficiens vis morbi, non declarant, vti morborum accessiones, & constitutiones, tum eorumdem pathognomonica signa, ac epiphenomena, & syncdrcuanda vt perbellè, & eleganter diuinus dictator demonstrat. lib. 1. Aphor. sen.12. & Galenus lib.6. Epidem com. 3.sen.14. quo loco inquit, *Nempe dictis signis omnino qua significantur, eueniunt: rebus autem non accidunt signa necessariò.* Signis igitur maxima præstruenda fides, præsertim tecmeriis,seu syllogisticis: ex quib. haud dubiè explendescit idea morbi, tum eius caussæ.

Porrò omittimus modò & altera signa, à sensu petita, quamuis suo loco omni obseruatione digna; illa inquã,quorum mentio fit apud Hippocratẽ lib.1.de morb.mul.nu.23.& 38. eadémque iugiter recẽset Aetius ex Archigene tetrabibli 4, serm.4.ca. 65. Eliciuntur effabrè signa hæc ex linteorũ lineorũ intinctione in ipso puerperio, quib. linteis mox arefactis, si simplici aqua eos eluerimus, à maculæ tunc colore in linteo remanente, proculdubio redundãtis humoris venerabimur dignotionem. obseruatis singulorum humorum tum secundum naturam,tum præter, variis colorum ideis: quas obiter examinat lib.2.de nat.fac.ca.12.& lib.6. Epidem. com. 5. sen. 14. cum proprium de hoc argumento cum Praxagora conscripsisset librum. Verum cum nobis mens sit, etiam de morbis agere à lochiorum suppressione exortis, in quibus nec ista experiri lubet,etsi certa, ac demonstratiua signa:proinde pripra illa exploranda, & quotiescunque eorum aderit

copia, amplectenda, & æstimanda, nec ad alia transeundum.

De ratione signorum, & vsu, naturam accisi lochij in specie ostendentium.

Cap. XXI.

CVm omne accisum puerperiũ, altero ex quatuor modis labefactari valeat, eiúsque pariter lædi œconomia, videlicet aut totius sãguinis vitio, vtriusque bilis culpa, aut tandem pituitæ: à quibus mox vitiis diuersi, ac graues itidẽ exoriuntur morbi: replicanda proinde, sedulóque, ac serio perpendenda signa quæ nos manu ducant ad harum rerũ absolutam dignotionem. Hoc nobis lubet modò, tũ methodo ac ratione, tum Hippocratæis exemplis, vsus rationem habentibus, lustrare & expolire. Nam vti Vulcani arte è Iouis cerebro Minerua prosiliit, sic methodus vsu, & exemplis accuratè perficitur. Cum itaque sanguis dignitate reliquos præcellat humores, de ipso quãprimum sermo erit, hac solũ præmissa hypothesi. Morbi ex restrictis lochiis germinati, aut sedem habent in ipso vtero, altera parte corporis consentiente: aut rursus aliæ partes ab vtero idiopathicè afficiuntur, in vtero tantum existente caussæ principio. de vtraque differentia erit dissertatio, verum de priori, ceu instituto magis peculiari prius.

Vterus cũ duobus præsertim lacesciri possit modis, aut vt similaris pars, aut vt organica: signa pariter recensenda, quibus vtrasque morborum ideas, & germinantes eorumdem caussas comparemus. Quotiescunque igitur febres apparuerint calidissimæ, & acutę, vnáque sincipitis adsint dolores, & in lingua nigricies, vterum, vt pars similaris itidem la-

laborare, cum Hippocrate Galenus insinuat lib. 6. Epidem.com.1.sen.2.& com.5.sen. 14. quia inflammationis systrophicæ haud dubiè illa sunt signa à sanguine trahentis ortum. Hic nãque solus phlegmonum auctor est, vt retur Galenus passim, & libr. præsertim 2. ad Glauconem cap. 1. Quare adstante hoc affectu, restrictum puerperium sanguinis ideã redolere ius. His & alia adiunxit signa Paullus lib. 3.c.64.& Aetius tetrabibli 4. serm.4.ca. 83. dolores circa pubem ardentes, seu potius cum ardoris sensu, tum circa lumborum, ac ventris regionem inferiorem: oris vteri conniuentiam, ita vt si digitus ab obstetrice intrò submittatur, ad tactum illud durum occurrat, clausum, feruens, ac retractum; si in ipso præsertim ore, seu vteri stomacho exorta fuerit inflammatio, aut saltem mox eisdem partibus communicata. Si autem superior tantum vteri pars afficiatur, ventris dolor illud ostendet, vt ne cõtactũ quidẽ foras admittat. Sin autẽ anterior, eiusdem ventris dolor declarat, vnà cum dysuria, aut stranguria, compressa nimirum, ab eadem inflammatione obsessa parte, vesica. Sin verò posterior infestetur, & lumborum dolore corripientur enixæ, & stercus compresso recto intestino retinebitur. In inflammatione autem laterum vteri & inguina apparent distenta,& crura grauantur, ægréque mouentur. In hoc tandem affectu inordinatè horrent, & perfrigerantur extrema, tum ventriculi orificiũ in consensum vnà ducitur. Illa duo priora signa, communia quidem internarum omnium inflammationũ, non solũ eandẽ præmõstrãt, verum & pergrãdem, & adhuc maiorem si vnà delirium adsit,& dentium stridor; quia vtero cõsentit

cerebrum, pars quidem princeps, ob cuius præstãtiam germinata illa symptomata, funesta, vt plurimùm censentur. In inflammatione parua, ne aliqua ex his apparent signa. Nobis modò in animo non est cũcta referre signa affectus indicantia, imò illa tantum, quæ ad nostrum spectant scopum, atq; hæc perfunctoriè itidem.

Præterea infligitur vterus, vt pars organica, à puerperio acciso sanguineo, quotiscúmque vehementes, seu ardentes apparuerint febres, simul cum dolore sincipitis, ob calentium vaporum ascensum ad caput, absque vllo tamen comitatu signorũ nuper suprà memoratorum, doloris inquam imi ventris, aut lumborum, vrinæ itidem aut stercoris suppressionis. Febres itaq; illas, à sanguine in vteri vasis putrescente oriri, est quã quod certissimũ. Sunt enim synochæ hæ, vt apposité lib. 6. Epidem. com. 1. sen. 2. interpretatur Galenus: quæ vti ex eodem Galeno lib. 9. meth. ca. 3. ex sanguine replente, & obstruente capaciora saltem vasa gignuntur, ita repletis, & obstructis vteri venis, maximam iugiter capacitatem obtinentibus, hanc eandem febris speciẽ certò germinari, autumandum.

Ex signis itaque pathognomonicis, quæ morborum ideas declarant, tum ex epiphenomenis ac synedreuondis, quæ easdem confirmant, & ex morborum simul dispositionibus circa singulorum tẽpora, absolutè nos ad perfectam restricti lochij naturæ dignotionem, accedemus. Inflammationis nãque phlegmonosæ idea innotescente, quod nequeat nisi à solo sanguine gigni cognita rursus synochæ febris natura, ab eodem humore necessariò ortum trahente, venas vnà corporis maximas, & capacissimas

mas & replente,& obstruente abundè satis,ac certò dignoscemus, ac prædicemus ipsis præsentibus, caussam efficientem horum affectuum sanguinē esse restrictum,& quātitate peccātem,& simul feruēti qualitate noxium. Lustrat hanc doctrinam Galenus clarissimus libr.1.Epidem. com.3.sen.21.dicens, *demonstrant naturam suppreßi puerperij symptomata, quæ consequuntur cohibitam à partu purgationem &c.* Accuratè symptomata inquit, quia hæc morbi germina cum sint, ipsis cognitis, plantæ simul, cuius sunt germina,statim,ac necessariò,cognoscetur idea. vnde symptomata, ceu legitima morborum, &eorumdem caussarum signa,ideas eorumdem infallibiliter denuntiantia,æstimanda seriò.

Porrò cum maximè ad sanguinis feruentis naturam accedat bilis, cum facilis sit horum succorū metamorphosis,hinc vtrorumque humorum signa haud difficilè confunduntur. tradēda igitur methodus, qua res disparemus. Relictis modò signis cōmunibus,alterius cuiusque humoris redundantiam demonstrantibus, ex priuatis signis naturam colligemus suppressi lochij,ad bilem iam vergentis,hęc autem sunt pathognomonica, & epiphenomena symptomata, signorum vicem habentia. Si igitur febris acuta, & astodes appareat, rigores pariter, ac vigiliæ,sitis itidem inexhausta,conuulsiones,deliria,cephalalgia ingens,cardiogmon, cum hæc redundantis bilis haud dubiè sint effectus, biliosum nihilominus accisum puerperium esse, eædem fidē facient. Quod si maior ardoris, & tensionis sensus circa imum ventrem, ac lumbos accidat, vterum per se lacessiri,intelligemus.Et vt rem exemplis lustremus, adest elegans historia apud Hippocratem,

lib.1.Epidem.com.3.sen. 21. Philini vxoris, quæ cũ filiã esset enixa, decimoquarto à partu die acuta febre & cum rigore apprehensa fuit, & omnia nuper à nobis descripta symptomata superuenere insuper, & vicesimo tandem sole supremum confecit diem. Paraphrastes insignis Galenus in eius sententiæ commentario, omnia illa symptomata biliosi redundantis succi indicia esse asseuerat. Altera mox nobis occurrit historia, apud eundem Parentem optimum lib.3. Epidem.com.2.sen.7. cuiusdam apud Pantimedem abortientis fœminæ, cui cum plurima ex dictis fuissent subsequuta symptomata, febrẽ ardentem vnà comitantia, septimo tandem sole vltimum egit diem. De ipsa iugiter idem Galenus in commentario, *Consentaneum igitur est, in tota corporis mole huic mulieri biliosum fuisse aceruatum humorem.* quem in vteri vasis larem putredinis obtinuisse, & reliquas partes corporis per cõsensum laborasse, ex eo credẽdum est, quod enixa suppressum quàm primùm habuerit lochion.

Melancholicus præter naturam succus, biliosum consequitur: in quem, ceu symbolum facilis conuersio. Iste, hos graues germinat affectus, febrem quamprimum acutam, ferocitatem habentem coniunctam, impetum, audaciam, furorem, ac morositatem. deliria itidem ferina, tetrica, & tacita, mœtũ iugiter atque mœstitiam, insomnia his similia. in partibus muliebribus, lumbis, ac toto ventre dolores concitantur non minimi. quæ omnia naturã sequuntur succi atrabiliarij. nam in ipso humore summa sunt omnia circa feritatem, vt videre est in plurimis Præceptoris oraculis, lib. præsertim 4. Apho.sen.21.22.24. in coacis prænot. & Prorhet. Ista haud-

haudquaquam de melancholico ſucco ſecundum naturam habēda, cum hic ab altero pręter naturam tantum diſtet, quantum ferrum frigidum à candenti. Horum itaque diſcrimen æſtimandum conſulit Galenus lib.6.Aph.ſen.53. Et doctrinam hanc exemplis exornat dictator ſummus lib.3.Epid.com.2.ſē. 8.& 9. dum Oecetai vxoris abortientis narrat hiſtoriam, & alterius rurſus enixæ in foro Mendacium decumbentis. quarum illa ſeptimo obiit die, hæc 14. Verum in his atrabiliarium redundare ſuccum, ac reliquos vna vincere, ex eo potiſſimum colligitur, quod vtrique alui excrementa atra, fœtida, ac virulenta apparuiſſe recenſcantur ab Hippoc. vrinæ ſimul nigrę, horrores iugiter, mœtus, ac triſtitia, ſymptomata ſanè ab humore melācholico neceſſariò germinata. Galenus itidē huic adſtipulatur doctrinæ, dum lib.3.Epid.cō.3.ſen.86.ęgrot.15. quandā delirantem fœminā contēplatus, aut multū loquētem, aut mox perpetuò tacentē, retur hæc ſymptomata præ ſe ferre melācholiæ cum bile miſtionem. deliriū enim illud garrulū cauſſam habet bilē, ſilētiū atrā potius. Deinceps & hæc valebimus nos & altera inſigni Hippocratis hiſtoria illuſtrare; deſumetur ex eodem lib.3.Epidem. com.3.ſen.85.ægrot. 14. mulieris, inquā, Cyzici, gemellas enixæ. hęc cum minus eſſet purgata, horrida, & acuta febre die primo à nixu, ποτόχος, vrinę apparuerunt tenues, nīgræ, & oleoſę: cōuulſiones tādē. cum partiū extremarum frigiditate, quo die mors ſimul ſubſequuta eſt. Sed iam clariſſimū Galenū, hanc hiſtoriam appoſitè explanantē audiamus: *Non tantum quia non probè fuit à partu purgata, ſuperfuit huic mulieri ſanguis magis melancholicus (qua cauſſa erat cur initio tacita eſſet, &*

tetrica, nec posset perduci ad animæ æquitatem: & postea multum deliraret, vt valdè insaniret) verum etiã propter difficilem enixum inflammato vtero febris est aucta. Ex his Galeni verbis fit palam symptomata illa manifesta signa esse redundantis atræ bilis: quãuis hîc, succum hũc, sanguinẽ melancholicum vocet. Est namque lippis, & tonsoribus notum hos succos assiduè nomine confundere, vt inter reliqua apparet lib. 1. Prorrheth. comm. 1. sen. 18. quo loco melancholiam, bilem flauam exustam vocat, quæ propriè atra bilis appellanda. quid, quod, nec humor melancholicus frigidus cum sit tetrica illa, ac ferocia deliria gignere valet, nisi aduratur humor & pręter naturam fiat, vt idem Galenus ostendit citato lib. 1. Prorrhet. com. 1, sen. 14. dicens, *Melancholiam, ecstasim, idest mentis motionem, aberrationemque intelligere oportet vehementem, & ferinam, qua irrigante cerebrum assata flaua bile oritur: nempe & ex hoc commentario permutari eam in nigram didicimus.* Adest modò quædam dissonantia in Galeni verbis, dum hîc, & in altero comm. in sen. 8. eiusdem libri, tremores oriri affirmet, non à qualibet phrenitide, verùm à vehementissima: libro autem 3. Epidem, comm. 1. sen. 1. cum Hippoc. referat, Pythioni febre acuta laboranti tremorem contigisse paruo existente delirio. quo loco Hippocrates, vt hoc delirium minimum annotet, vsus est vocabulo λῆρος, à verbo ληρέω deducto, quod est nugari, seu vt Galenus in commentario interpretatur modicè desipere. rursus & istud, & altero exemplo firmare liquet, cum fœminam viderimus nos acutissima correptã febre, citra delirium tamen, cui septimo die vehementissimus accedẽs tremor, per tresque perdurans soles,

ſoles mox decimo propinato à nobis cathartico, v-berriméque fluente aluo, & ab illo ſymptomate liberata fuit,& ſanitati pariter reſtituta.En tremores in acutis febribus & cum minima deſipientia, & citrà.Conciliabimus hæc,ſi dixerimus,hoc nomen *tremor* Græcis itidem τρόμος comprehendere apud Antiquos, etiam & ſæpe κατοχρηστικῶς apud neotericos varios motus deprauatos, vt refert Galenus lib. 1.de cauſſ.ſympt. cap.8.tremorem inquam propriè dictum, conuulſionem ſeu conuulſiuum motum, rigorem, & palpitationem, fortè horum confuſio procedit, quia omnes hi, vitiati motus ſunt inſtrumentorum eorundem, quibus arbitrarij ſanorum motus obeuntur, vt dixerat: idem Galenus lib.de tremo.palpit,ca.2.quamuis reapſe per diſtinctas rationes formales inter ſe diſtinguantur, vt dilucidè replicat Galenus,tum citato de trem.lib. & lib.2.de cauſſ.ſympt.c,1.cum igitur tremor tot in ſe affectus alliciat,varias,atq;diſtinctas obtinẽtes cauſſas,nihil mirum ſi impar videatur Galenus,cum lib.1. Prorrhet. ſumat tremorem pro conuulſione ab inanitione,excitata à magna illa cerebri inflammatione, vehemens delirium parere ſimul nata libro autem 3. Epidem, pro tremore vero, excitato à grauante multitudine, vt palàm teſtatur in eius ſententiæ commentario: vti & alteri fœminæ, quæ nobis occurrit ſananda,ab eadem multitudine vires grauante tremor ille accidit, qua ablata,ſtatim ceſſauit.nihil minus & illi Stymargi famulæ tremores contigerunt,cui itidem, venæ ſectione ablata multitudine,vt ſcribit Hipp.lib.2. Epidem ſect.4. & declarat Galenus lib.de trem.palp.cap.3.omnino, ac quamprimum ceſſarunt tremores, vniuerſum corpus oc-

cupantes. Quare audiendus non est Vallesius, qui in Pythionis historiæ comm. 3. Epid. sect. 1. neglecto Galeno, censet Pythionis tremores, non veros, verum conuulsios esse motus; quia staret adhuc prima difficultas, & Galeni dissonantia. nam quamuis ab humore acri, etiam & à vapore vellicante neruorum principia possit fieri motus cõuulsiuus, haudquaquam credendum à minima inflammatione, ac nugacitate, harum ratione germinari posse, cum vtraque summa requirantur, vt fiat inanitio, & conuulsio. Neque ratio Vallesij vlla, quia Galenus inquit, *die sexta sputa habuit varia, & subrubra, & deinde subcolla citra difficilem respirationem fuisse collecta excrementa multa prima, & suprema intercostalia, qua nascuntur nerui manuum: quæ enim fingi potest maior conuulsionis occasio, quàm excrementa, quà nerui oriuntur*. quasi hũc tremorem efficere non possit multitudo grauans vires, vt passim videre est, & Galenus accuratè & citatis 3. Epid. & lib. de trem. demonstrat. Sed hæc missa faciamus.

Ad pensum redacti obseruandum preterea est, quod melancholia, quæ enixis redundat, necessariò præter naturam, quia adusta, & atra potius bilis. proinde huius tãtum signa à nobis tradenda, haudquaquam alitrius secundum naturam, quę ceu mitis, nec valet acutos procreare morbos, aut sæua, ac immorigera symptomata. quod discrimen iugiter adest, etiam inter atræ bilis species; cum ea, quæ à sanguine assato, vel exusta melancholia oritur, minus multò gignat ferinos, atque malignos morbos, tum symptomata: quæ autem à bile flaua, cum & acrior, & mordacior, & deteriores ac sæuiores germinet morbos, tum & funestiora symptomata. Ratio autem, ob quam lochia in atram vertantur

bilem, illa præsertim, quod allecta à fœtu dulciori sanguinis parte, reliquum per totum conceptionis tempus in vasis vteri stabulatum, & calorem quendam acquirit pręter naturam, citra febris accensionem, sensim vniuersum illum sanguinem exurere, & in atrã bilẽ conuertere valens. vnde enixis morbi acutissimi accidunt, sæua simul ac hostilia symptomata, tetri illius humoris genimina. Et hoc forsan innuit Galenus, dum lib.3. Epidem. com.3. sen.73. scribat, *In vniuersum verò melãcholicus apparet sanguis, quem à puerperio euacuant.* Neque altera potest assignari efficiens caussa melancholici huius excreti, quam assatio, & vstio sanguinis, ob inculcationẽ malè vẽtillati: cuius ratione calor concipitur prętér naturam. Exinde, & illa quæ gemellas peperit, eodẽ 3. Epid. com.3. sen.85. tacita apparuit, & tetrica (morosã, Græcè δυσάνιος vocat Hipp. alterã ibidẽ mulierẽ Thasiã) effectus sanè huius atrę bilis. Et hęc sũt, q̃ spectãt ad cognitionẽ accisi puerperij melãcholici.

Restat denique referre signa, quibus pituitosum lochion occultatum cognoscamus. Quotiescunque itaque enixis febres increbuerint, tum lentæ, tum absque vllo calore acri, tactu persceptibili, quam lib.3. Epid. comm.3. sen.86. Hippocrates febrem ad manum tenuem vocat; sopores rursus acciderint, comata, nec non & aliquando conuulsiones, & anhelationes: color iidem vniuersi corporis habitus fœdus, & albicans fuerit, cum quadam faciei, ac infernarum partium tumore, aut iam cachexia laborent, aut potius leucophlegmatia: palpitationes nihilominus contigerint, torpor pariter, vrinæ insuper iumentorum similes, tunc haud dubiè pituitam redũdare palam, húncque humorem crudum, tantorũ malorũ auctorem certò ęstiman-

dum. His adridet Galenus lib. 1. Epidem. comm. 3. sen. 21. dum Philini vxoris historiam illustrasset; *At verò*, inquit, *conuulsiones, & palpitationes, & similis vrina iumentorum crudi ea sunt, & crassi species*. Nulla se offert peculiaris de hoc humore, apud Hippocratem enixarum historia. sed vniuersam hanc doctrinam assiduus comprobat vsus. plurimæ namque passim nobis se offerunt, anasarca, aut leucophlegmatia laborantes, iam à grauiditate; quibus accedit mox; etiam in partu cephalalgia ingens, anhelosæ insuper fiunt, suspiriosæ, fœdatur vniuersus corporis habitus, torpet corpus, ac vnà grauatur. quid, quod, & quibusdam ex his conuulsiones succrescunt ferinæ; quas ferè omnes, huius symptomatis sæuitie, terram petere assiduè comperimus; neque vllam, à primo inuasionis insultu tricesimam superare horam, sumus experti. Dum hæc scriberemus (proh dolor) altera, post plurimas, se nobis, obtulit sananda parturiens, ex infima plebecula, & primipara, adolescentula, 18. adhuc non attingens annum. hæc sub nono mense, instante iam partu, cunctis illis affectibus supra nuper commemoratis simul præcedentibus, conuulsa, epilepsia inquam acutissima correpta, & semper aphona, etiam per interstitia periodorum, hora à primo insultu decima octaua, per quandam quasi redintegrationem annorum, vitam sibi charissimam, cum inexorabili morte, acerbè commutauit. plurimis à me sedulò, & maximis sanè adhibitis auxiliis, extremis hisce morbis conferentibus, penitus frustratis. Cuncti illi affectus palàm huiusce crudi, ac pituitosi humoris præ se ferebant maximam redundantiam, vt ne vllus quidem dubitationi relinqueretur locus. Firmat

mat porrò iudicium, anteactæ vitæ consuetudinis obseruatio, an itidem fœmina fructuum immaturorum vsu se repleuerit, an verò & largis, ac intempestiuis aquæ potionibus, an in otio degat, deses, ac sedentaria. hæc namque crudos, ac iugiter plurimos in illarum corpore effœtant pituitosos humores.

Quamuis peculiaris, & exacta (vt diximus) aliquà non existat apud Hippocratē historia: tamen quasdam ipse replicat, in quibus proculdubio crudus hic humor, reliquis promistus, suos pariter germinet effectus, suáque priuata symptomata. Adest quàprimum illa vxoris Epicratis lib. 1. Epidem. com. 3. sen. 22. cui ab hisce humoribus frigidis, & crassis plurima sunt exorta symptomata, vt rigores bis citra febrem, coma, turbidæ, ac crassæ vrinæ, dolor in latere grauis, tussis simul, porrò & morbi eiusdē constitutio eandem insinuant causam, cum & diuturnus, ac chronicus fuerit morbus, octuagesimo videlicet die solutus, humoris crassi melancholici, aut pituitosi fœtura. Sed modò Galeni censuram, hanc rem probè confirmantem, sedulò attēdamus, *Nos ostendimus*, fertur, *hunc rigorem, quem febris non sequitur, frigidorum esse & cruderum succorum prolem atq. idcircò magis nunc, quam olim existere, quod tota viuendi ratio labore vacans* (ἀταλαίπωρος enim legendum cum eodem Galeno lib. 2. de causs. sympt. ca. 5. & lib. de tremore, ca. 7. quia deses hæc vita corpus cruditatibus multis replet, haudquaquam laboriosa.) *vnà cum balneis à cibo contrahere humorum copiam consueuit. Videtur & Epicratis vxor eorum humorum plena fuisse.*

Præterea occurrit & altera historia lib. 3. Epidem.

com.3.sen.73.Mulieris cuiusdã apud frigidã aquã in Thaso decũbẽtis.quæ cũ filiã fuisset enixa , quia refrigerata(vt Galenus innuit in commentario)in secundam incurrit valetudinem, sæpe comatosa,tusses multæ humidæ, & assiduæ simul acciderant , & tandem hęc octuagesimo sole è viuis excessit. Symptomata hæc crudum ac pituitosum humorem caussam habuisse,nullus inficias ibit. quamuis hãc, permissionem aliquam aliorum humorum melancholici,aut biliosi contraxisse, credamus:cum altera,in eadem historia annumerata symptomata , penitus illud declarent.

Tandem in morbis, in quibus in vtero tantum adest caussæ principium,& tamen ab vtero peculiarem ac statam habent sedem,quàm maximè vt ideã consequamur puerperij,illorum natura perquirenda,& sęriò rimanda:vti , si fortè puerperium per anadromen caput repat,ibique idiopathicum germinet affectum,phrenitidem inquam,lethargum apoplexiam. ex signis propriis cuiusque,causas,& affectus singulos demonstrantibus , naturam puerperij hauddubiè consequemur. Hæc , cum diexodica,ab scopo nostro alieno,& ad libros præsertim aureos, omni encomio iugiter dignos , quos de locis malè patientibus conscripsit Galenus , Lectorem replicanda remittimus:tum ad alios quosque, tum Græcos, tum Latinos de hac subiecta materie commentarios perdoctè edentes mittimus. Præposito sibi discrimine , quòd sęriò idiopathicos à sympathicis separent affectus:& inter reliquos auctores summũ dictatorem amplexentur, qui lib. 1. de morb.mul. perdoctè inter cæteros,morborum syluam,ac caussarum iliadem,vnà cum eorundem curatione, multis se-

is septa discriminibus, à restricto tamen lochio ortum trahentium, exactè recenseat: à numero videlicet 58. ad numerum vsque 83. iuxta doctissimi viri Ioannis Marinelli accuratam versionem, & interpunctionem per numeros. qui liber itidem, ceu germanus Hippocratis à plurimis recipitur, & à Mauricio præsertim Cordæo viro clarissimo, & de re Medica bene merito, à quo perbellè ac doctè, doctissimis illustratur commentariis. deinceps & hoc idē diuinissimus præstat Galenus, lib. citato de loc. affect. 6. cap. 5. dum de affectibus mensurni sanguinis accisionem consequentibus disputat. Libeat igitur nobis modò his finem imponere, & aliorum frui laboribus.

De prognostico in genere affectuum à puerperio trahentium ortum.

Cap. XII.

QVantum ad curationem conferat diuina prædicendi doctrina, & optimus Senex lib. 1. Prognost. sen. 1. docet, & Galenus pariter testatur passim, & lib. meth. 10. cap. 6. com. 2. lib. 1. de iis quæ in Medicatrina fiunt, lib. 1. de rat. vict. com. 3. & copiosè lib. de const. Art. Med. cap. 18. cuius libri hîc subscribam verba, *de præsagiis igitur posthac verba facturi sumus : quoniam tum ad alia quædam, tum ad curationem potißimum conducunt.* Hippocrates insuper, cum citata prognost. sen. tres huius artis prognosticæ commemoret vtilitates, hác, ceu reliquis adhuc præstantiorem recenset, vt curatio, videlicet, optimè moliatur, *Medicinam autem optimè fiet*, tetur, *si antè præsenserit quid euenturũ sit cuiq; affectui.* Prænoscẽdo etenim Medic⁹ ex præsẽtib. metastases,

& futuras affectiones præcauebit sedulò, aut ne fiant, aut si fiant, remissiores multo existant. quod præstantius foret, ex Galeno, cum Hipp. citata sententia, libro introduct. quam prorogare, aut iam factum, & permanentem morbum infirmare, ac minuere, aut penitus exoluere: quia maiorem, & dexteritatem, & sapientiam arguit illud. quid quod & morbus, dum hominem iam exercet, difficilius expungitur, altero nondum aut saltem quàm minimum inuadente, cum arbor tenella facilius supplátetur adulta. Hanc prouidentiam sine præsagio aggredi tum inutile, tum ferè impossibile. Hinc doctissimus Galenus lib. de curandi rat. ca. 7. per venæ sect. imperat Medico, prius hac diuina arte illustrari, antequam morbos imminentes, ac futuros per venæ sectionem anteuertere sibi cordi sit. Quare prædicendi ars φιλότεχνος, ad rectè, methodicè, ac citra errorem (ἀναμαρτήτως vocant Græci) curandum, non solum vtilis, verum & necessaria quidē, tum ad præsentes sanandos, tum etiam & ad futuros præcauendos morbos.

Cum igitur nos de morborū acutorū curatione in enixis simus disputaturi, operæ pretium duximus in hac tam insigni, & operosa Medicinæ parte haudquaquam claudicare: imò aliqua de ipsa modo præfari seriò, quantum patietur scopus. Rem à rei definitione exordiamur, ex Galeno lib. 4. de præsag. expulsib. ca. 11. elicita. Præsagium futuræ rei, per ea quæ apparent prædictio est. seu prænuntiatio venturæ rei ex præsentibus signis, tum indiciis sese offerentibus. Indiget itaque præsagium signis, & indiciis, quæ sæpe confunduntur. Signa triplicia, pathognomonica, epigenomena, & epiphenomena: quæ

quæ speciem ac ideam illa, hæc morem, motúmq; morbi demonstrant; iuxta clarissimum Galenũ lib. .Prognost.sen.39.& ex obseruatione petuntur, vti ndicia, ceu certiora ex demonstratione. vnde accedit discrimen, cum indicium sit perpetuum,& vnũ aliquid semper & indicans, & declarans, atque id ine fallacia: signum verò etsi vnum aliquid indicet, ebus tamen necessario non accidit: quamuis quæ ignis ipsis significantur, omnino eueniant, vt Galenus docet lib.6. Epidem.com.5.sen.14. nec proinde perpetuum, & infallibile semper, sed vt plurimũ ab illis significata contingunt. Huius farinæ sunt igna ferè omnia ab Hippocrate tradita in cunctis oraculis ad hanc præsagiendi artem spectantibus, am libris Aphoristicis, quàm Prognosticis, atque Coacis, quorum finis μοχθηρὸν clauditur, aut κακὸν lictionibus, aut θανατμόν. Secũdum autem magis,& nimus illa signa dicuntur praua, exitiosum dicẽdo, exitiosius aut exitiosum valde. quæ omnia signa propriam vim retinent secundum genus, non autẽ ecundum magnitudinem. cum nullum signũ bonum ad genus vnquam euariet malorum, aut contra. In cunctis itaque illis oraculis, in quibus ex signis præsagitur, vt plurimum illa euenire censendũ st, non autem semper, & ex necessitate. in reliquis verò quæ ex indicijs quidpiam demonstratur, illud emper, & perpetuò ita contingere autumandum, qualia sunt coctionis,& cruditatis indicia, vt perdoctè exponit Galenus in illo doctissimo commentaio in sen.39.lib.3.Prognost.Indicia præterea ex pulsibus etiam petuntur, ex quibus certò præsagimus, ac citra fallaciam, vt quatuor illis libris de præsag. ex pulsibus omni eruditione refertissimis eleganter

& futuras affectiones præcauebit ſedulò, aut ne fiant, aut ſi fiant, remiſſiores multo exiſtant. quod præſtantius foret, ex Galeno, cum Hipp. citata ſententia, libro introduct. quam prorogare, aut iam factum, & permanentem morbum infirmare, ac minuere, aut penitus exoluere: quia maiorem, & dexteritatem, & ſapientiam arguit illud. quid quod & morbus, dum hominem iam exercet, difficilius expungitur, altero nondum aut ſaltem quàm minimum inuadente, cum arbor tenella facilius ſupplātetur adulta. Hanc prouidentiam ſine præſagio aggredi tum inutile, tum ferè impoſſibile. Hinc doctiſſimus Galenus lib. de curandi rat. ca. 7. per venæ ſect. imperat Medico, prius hac diuina arte illuſtrari, antequam morbos imminentes, ac futuros per venæ ſectionem anteuertere ſibi cordi ſit. Quare prædicendi ars φιλότεχνος, ad rectè, methodicè, ac citra errorem (ἀναμαρτήτως vocant Græci) curandum, non ſolum vtilis, verum & neceſſaria quidē; tum ad præſentes ſanandos, tum etiam & ad futuros præcauendos morbos.

Cum igitur nos de morborū acutorū curatione in enixis ſimus diſputaturi, operæ pretium duximus in hac tam inſigni, & operoſa Medicinæ parte haudquaquam claudicare: imò aliqua de ipſa modo præfari ſeriò, quantum patietur ſcopus. Rem à rei definitione exordiamur, ex Galeno lib. 4. de præſag. expulſib. ca. 11. elicita. Præſagium futuræ rei, per ea quæ apparent prædictio eſt. ſeu prænuntiatio venturæ rei ex præſentibus ſignis, tum indiciis ſeſe offerentibus. Indiget itaque præſagium ſignis, & indiciis, quæ ſæpe confunduntur. Signa triplicia, pathognomonica, epigenomena, & epiphenomena: qua

quæ ſpeciem ac ideam illa, hæc morem, motúmq; morbi demonſtrant; iuxta clariſſimum Galenũ lib. 3. Prognoſt. ſen. 39. & ex obſeruatione petuntur, vti indicia, ceu certiora ex demonſtratione. vnde accedit diſcrimen, cum indicium ſit perpetuum, & vnũ aliquid ſemper & indicans, & declarans, atque id ſine fallacia: ſignum verò etſi vnum aliquid indicet, rebus tamen neceſſario non accidit: quamuis quæ ſignis ipſis ſignificantur, omnino eueniant, vt Galenus docet lib. 6. Epidem. com. 5. ſen. 14. nec proinde perpetuum, & infallibile ſemper, ſed vt plurimũ ab illis ſignificata contingunt. Huius farinæ ſunt ſigna ferè omnia ab Hippocrate tradita in cunctis oraculis ad hanc præſagiendi artem ſpectantibus, tam libris Aphoriſticis, quàm Prognoſticis, atque Coacis, quorum finis μοχθηρὸν clauditur, aut κακὸν dictionibus, aut θανάσιμον. Secũdum autem magis, & minus illa ſigna dicuntur praua, exitioſum dicẽdo, exitioſius aut exitioſum valde. quæ omnia ſigna propriam vim retinent ſecundum genus, non autẽ ſecundum magnitudinem. cum nullum ſignũ bonum ad genus vnquam euariet malorum, aut contra. In cunctis itaque illis oraculis, in quibus ex ſignis præſagitur, vt plurimum illa euenire cenſendũ eſt, non autem ſemper, & ex neceſſitate. in reliquis verò quæ ex indiciis quidpiam demonſtratur, illud ſemper, & perpetuò ita contingere autumandum, qualia ſunt coctionis, & cruditatis indicia, vt perdoctè exponit Galenus in illo doctiſſimo commentario in ſen. 39. lib. 3. Prognoſt. Indicia præterea ex pulſibus etiam petuntur, ex quibus certò præſagimus, ac citra fallaciam, vt quatuor illis libris de præſag. ex pulſibus omni eruditione refertiſſimis eleganter

Galenus docet. posito nãque pulsu constanti, forti, & ordinato, necessariò indicabimus, ac perpetuò vires robustas: quia hæc indicia cum caussas amplectantur continentes, necessariò infallibilia. Hoc tamen obseruatione dignum est, quod ad optimum præsagium, tum signa, & indicia, propria potissimũ æstimanda esse: nam plus facit ad præsagiendam mortem, vnum signum propium, malum, quàm ad salutem plurima bona communia: vti, si symptomatica ratione accidãt aliqua propria signa, vt vacuationes aliquot nulla subsequuta eorũ symptomatum ac morbi remissione, etsi adsit magna naturalis œconomiæ integritas, nihil spectãs ad caussæ morbificæ coctionem, malum prædices, ac fortè mortem, si funesta illa. vnde videmus plurimos ægrotantes mori, cũ coctionis signis in vrina, & alui excrementis, non victa materie morbi caussa, aut sæuiente morbo, ac vnà symptomatis. quæ ne remittũtur quidem, imò succrescunt, aliquibus mox accedẽtibus symptomacis vacuationibus, quibus criticis exolueretur planę morbus. Signa itaque elucẽt in actionibus, excremẽtis, & qualitate corporis, & omnia affabrè ęstimanda, vt optimè pręsagiamus: & inde exurgũt triplices illæ signorum ideæ, coctionis, & cruditatis, salutis & mortis, & futuræ crisis. Quare in optima pręsagione aduocãda ἀφόρισμα anus illa Stoicorũ fatidica, quã vt nuper diximus, ad prædicẽdũ quã primũ cõmẽdat sũmus dictator. hęc à diuino Augustino li. de spiritu, & anima, acutè definitur, *Notio futurum pertractans euentum: perpẽdendo ex præsentibus futura.* Verum, cũ futura hæc, per consilij tantum oculũ videantur, vt apprimè Aristoteles epist. ad Alex. refert, in illud cõsiliũ ducẽda signa, & aduocãda indicia, vt promiscuè replica-

tis, & certò futura videantur, & seriò simul prospiciãtur. hoc .n. inito consilio, cũcta benè disponẽtur à Medico, & munietur præclarè, vt omnẽ aduẽrãtẽ dexterè respuat ipse calamitatẽ, hostiúmve occurs⁹.

Prę̄sagiũ itaque ex tribus potissimũ desumitur fõtibus, ęgro, morbo ac symptomate; sub morbo eius caussã vnà amplectimur. Ex morbo, ac symptomate persæpe clarè eius caussa dignoscitur, quæ proculdubio aliter nos lateret. cognita rursus eius natura, per suos iterũ effectus ab eadẽ elicimus prę̄sagium, vti vnũ aliquid semper indicãs. caussæ nãque cognitio, cum pariat scientiam, cæteris & præstantior, & perfectior. *Nescimus verũ citra caussam* dixerat lib. 2. Metaph. Arist. cap. 1. Explorandæ igitur caussæ.

His modò substitutis, iam præsagiendi artem in enixarũ morbis exercere ius. illa ex suis fontib. haurietur. ægrota enixa, morbo acuto vnà cũ sua caussa, ac symptomatis. Istud sub vniuersali doctrina exagitabimus, cũ in specie recẽsere, & nouũ, & immẽsum redderet opus, & à nostro abesset scopo. Circa ægrotã plurima æstimanda, sexus imprimis, qui ceu frigidus & humidus, maximã in corpore seruãt excremẽtorũ colluuiẽ: rursus & ob eãdẽ rationem mare imbecillior; vis .n. omnis, ac robur à calore. deinceps obseruãda eiusdẽ sexus victus rationis incõstantia, intẽperãtia, otiũ seu vita sedentaria ac deses, plurima animi pathemata, à quibus assiduè iste lancinatur sexus. Ex qua iliade facilè prædicere licet, huius sexus morbos & grauiores, & vehementiores virilibus. inter quos sæuiores adhuc, ac perniciosiores puerperarum: tum quia propter grauiditatis diuturnam moram stabulatus sanguis aduritur, putrescit: tum quia lautior earum vita, ac deses, & ob picam, qua sæpe afficiuntur, praui

vtuntur escis, & inde deterrimis replentur succis. Hæc cuncta, cum morbi antecedentem caussam, & magnam, sua qualitate, ac copia certò efficiant, ac funestam tum hostilem sæpe, quid mirum si puerperarum morbi, inter reliquos muliebres, à tanta germinati caussa, vehementia, atque sæuitie, reliquos antecellant, superent? Omittamus nunc signa, & indicia, ex cuiusque peculiari natura desumpta, habitu ægrotantis corporis partibus, reductiuè ex decubitu eiusdem, angustia, iactatione, & aliis ab Hippocrate consulenda, libris Prognost. coacis, & Aphoristicis, in quibus Præceptor sua dexteritate cuncta replicat. Verum illud in mentem reuocare lubet, fœminas, etsi plurima illa sibi habeant aduersantia, vt plurimum à grauioribus liberari morbis, ipsis viris: & quia locum à natura destinatũ habent, & capacissimum, per quem secũdũ naturã typicè per singulas lunationes repurgẽtur, & copiosè itidem, etiam in vtraque valetudine: tum quia assuetæ mulieres magis sunt laboribus, morbísque variis, cum sæpe ab eisdem infligantur. comprobatur hoc idem tum vsu, tum ratione, innixis Physico illo aximate, ab assuetis nulla passio.

Explorata ægrota, iam conuertamur ad ea, quæ ipsi præter naturam accidunt, morbum, eius caussã, symptomata. Sub his cõtinetur obseruatio magnitudinis eorumdem, vehemẽtiæ, cacoethiæ, & hisce mox rebus oppositorum. symptoma, hoc sibi peculiare habet æstimandum, multitudinem, varietatem. Cunctis his igitur sedulò perpensis, præsagiẽdum puerperæ vitæ discrimen, ac acerbam penitus mortem, quotiescumque vehementiora, copiosiora, ac deteriora fuerint prædicta, ex quibus signa, & indicia

indicia eliciuntur prognoſtica.& eo magis,ſi partẽ aliquam principem morbus occuparit acutus, ab vtero facta palindrome, vt ſæpe videre eſt. Hanc doctrinam ἐναργῶς ἱερῶς, eleganter Parens comprobat optimus. libro etenim 1.& 3.Epidem.nouem refert enixarum hiſtorias, quarum tres ex abortu laborarunt, reliquæ ex legitimo partu, & ferè omnes periiſſe teſtatur, & quæ incolumes, ad extremum vſque vitæ laborarunt, & iam exſpes ab Orco redemptæ. Præter exempla, idem præceptis lib. de nat. pueri num.13.dicens, *Si enim non purgetur mulier à purgationibus, partus morbus magnus ipſam corripiet, & periculum vitæ incurret: niſi citò curetur, & quis conuenientem ipſi purgationem inducat.* Huius tanti mali cauſſam inſinuat Galenus lib. 3.Epidem. com. 3.ſen.73.puerperium, cum non officiat ſolum abundantia, verum etiam & prauitate, ac ſæpe virulentia, ſi probè non expurgetur. Hinc illud catholicum & inſigne ſanxiuit prognoſticum lib. 1. Epidem. com.3. ſen.25.ægrot.4.ob eius & grauitatem, ac integritatem dignum cedro, illius hæc ſunt verba, *In omnibus mulieribus quarum impedita eſt à partu purgatio in extremum mortis plurimas venire, perpaucas verò admodum quæ modicè infeſtatæ ſunt ab illo diſcrimine liberari.* O admirabilis vtriuſque Parentis ἀκολουθία! Galeni ratio, qua motus, iſtud erexit oraculum, ſtata, ac firma. argumentatur enim, & concludit, illata ratione à minori ad maius, oratoribus, atque dialecticis frequenti. Si enim menſtruorum acciſio maximè offendit, cum eius materies ex priori conſiſtat ſanguine, quanto magis puerperij lędet circumciſio, cuius materies ſemper aliquod in ſe contrahit vitium, dictatore Galeno, & per ſæ-

pè maximum; cum ſit quaſi fæx, ac putioris, ſeu vtilioris ſanguinis recremẽtum, ab ipſo fœtu prius attracti,& longa mors mox corruptum. Quis igitur non credet,morbos à tã effera ,ac maligna cauſſa germinatos,maximum in ſe periculum non contrahere,fatalémve interitum non minari? Iterũ eãdẽ doctrinam firmat Dictator ſummus lib.1.Prorrhet. com.2. ſen. 48. quã rurſus, ceu ratam repetit & lib. Coacarũ prænot.nu.3. circa finẽ.Hippocratis modò vtar verbis, *Quibus ex partu prodeũt alba, his verò ſuppreßis cũ febre ſurditas, & dolor acutus ad latus fit,mẽte mouentur,& perniciosè habent, & lethaliter.* Viden' amabò,qua ratione colligat,ab eadem cauſſa deſumpto indicio,ex reſtricto videlicet lochio,quã lethales, ac funeſti enixarum ſint morbi.Catholicã hanc eãdẽ ſententiã præbet Galenus,cõmentario in alterũ Prorrheticũ oraculũ,dicens,*Nõ enim in albis ſolum, ſi eorum, quæ à partu vacuantur, retentio fiat, praua eſt tũ cauſſa,tũ nota,verũ quoque in biliosis, & ſanguine ipſo:nẽpe λοχία purgatio eſt,atque etiã ex nominis ratione purgatio alienorũ; quæ geſtationis vteri tempore in venis aceruata ſunt: abſumpto quidem in fœtus alimentum vtili, qui in ipſis erat, ſanguine, ſed permanente vitioſiore, qui ſingulis menſibus antea per vterum excernebatur.* O ſententia tanto ingenio digna! Hollerius com.in li.2.Coac.prænot.ſect.3.ſen. 17. illud λευκὰ,ſeu alba,ſic interpretatur,quod puerperis alba primum, mox rubra prodeant. & ſi ante iuſtam purgationem alba illa ſubſtiterint, in corpus refluunt,putreſcunt,& commota imbecilliores partes inuadũt. Rurſus à putredine febris,ſurditas,& delirium, quia rapitur in caput lochion:lateris dolor, quia aliquid vitij eò transfluxit. Et ex his omni-

omnib. exitiũ puerperæ denũtiatur. Hæc Hollerius. Quæ quãuis partim vera, & partim aliquã in se includant probabilitatem, illa tamen quæ à Galeno recensetur lib. Prorrhet. tract. 3. sen. 15. lib. coac. 3. (quam vnà Duretus doctissimus amplectitur interpretationem) ceu vniuersaliora, ac veriora retinenda censemus. Fulcitur hoc prognosticum oraculum illo Hippocratis axiomate libri 1. Prorhet. quod deteriores multò sint vacuationes omnes quæ cœperunt, & prorsus mox cessarunt, quàm quæ nullo pacto aliquandiu apparuerint. Si igitur deteriores, ergo affectus, ex lochiorum accisione vacuari prius cœptorum, exorti, & lethaliores, quàm qui ex omnimoda restrictione, nullatenus expulsione tentata. Hinc alba illa à partu prodeuntia, móxque statim occultata deteriores, ac sæuiores germinabunt affectus. Illud porrò accedit, quod omnis palindromes, quam praua & maligna concitat cacochymia, funestior: & inde nata affectio grauius multò inferat malũ, quã primigenia. Præterea, quod de prima illa alba vacuatione à partu nequeat intelligi, vt Hollerius sentit, ex eo fit euidens, quia hęc tum exigua & parui momenti, tum secundùm naturam, instantaneum ferè perdurãs tempus, statim à nixu apparẽs, vt idem scribit Hollerius. Vnde, ceu pauca, & instantanea, sub illarum potius genere vacuationum æstimanda, quæ nullo morbo apparent. Quid quod & hæc excrementa, quàm primum nixũ consequentia, falsò appellat alba, cum potius cruenta quædam sanies sit, ex Hipp. lib. de nat. pueri, nu. 12. Longè igitur distat Hollerius à dictatoris mente, si attẽtè perpendamus verba, *Quibus ex partu prodeũt alba* &c. quasi certò statuat, quib. fluere per aliquod

tempus sanies aliqua solet cruda, ac pituitosa, mox supprimatur &c. & vt Hippoc. per eundem interpretemur, altera sequens fidem fidei alterius struit, *Salsuginosa,* inquiens, *in grauidis, molestias post partum denuntiant ab albis purgationibus mordacibus* &c. Quæ Hollerius de salsa interpretatur pituita, ac seriò, res quidem longè diuersa ab illo altero excremento albo, seu cruento potius, quamprimum secundum naturam à partu apparente. Insinuat itaque in his oraculis summus dictator, salsuginosam pituitam (cuius fluxionem, purgationem albam in vtraque vocat sententia) si à partu producta circuncidatur, mox febrem accendere, sui caput repat surditatem, aut dementiam, sin pectus pleuritidem germinare. qui morbi, iuxta Præceptoris dianoiam ab illa suppressione consequuti, funesti haud dubiè, & ad interitum fatales. Prędicenda igitur mors, quotiescunque hoc album excrementum, seu salsuginosus iste humor pituitosus, in grauidis coacernatus quamprimum à partu emanans statim accidatur: tanquam epiphœnomenon signum sinistri ominis, comitans pariter perniciosos illos affectus, à praua illa germinatos materie.

De prognostico morborum iuxta peculiarem puerperij ideam.

Cap. XXIII.

CVm omne præsagium præteritorum, atque pręsentium indigeat cognitione; cum ab ipsis signa desumantur, atque indicia: & præsentium cognitio, nihil aliud, quàm affectuum inuentio, vti præ-

præteritorum, caussarum affectus inducentium (præcedunt enim hæ ipsos affectus, & ab ipsis sæpe recedunt): hinc & futurorum tantum est præsagium, & à præteritis, atque præsentibus illud elicitur. De ipsis morbis tria Medicis potissimum præsentire mens est, an ad exitium, vel ad salutem erumpāt: rursus quo tempore eueniat: denique quisnam mortis vel salutis modus. Nunc, reliquæ partes neglectæ, tantum priorem replicabimus, ceu magis ad nostri consilij rationem spectātem, idque iuxta variam puerperij ideam, quod morborum omnium caussam constituimus efficientem. Itaque ex affectibus præsagiuntur illa omnia, & ex ipsis morbi genus, & facultatis imbecillitas, vel robur dignoscitur: quæ si conferantur inuicem, futura optimè præsentientur. Morbus igitur cognoscitur ex loco affecto, & eius affectu, vti facultas ex commodo temperamento, vel intemperie corporum solidorum. nam si imbecillitates quædam ob spiritum animalem accidant, breues sunt illæ, & symptomatum ratione consequuntur. quæ itidem si conferantur, & facultas vigorū morbi sustinere valeat, oportet hominem esse superstitem, si nullum sit extrinsecus erratum: sin verò sit impar, moriatur necesse est. Quare cui mensura facultatis ad vnguem perspecta, locúsque affectus, & eius affectus, cum sua caussa, hic haud dubiè ad futura præsagienda peritissimus. Hæc mutuata à clarissimo Galeno lib. 4. de præsag. ca. 11. ex pulsibus. Rem ordiamur modò.

Varia cum sit puerperij idea, potis varias, & specie distinctas effœtare morbos; ex cuiusque harum, peculiare nihilominus elicietur præsagium. cum

ctos hos explorabimus, nunquam à summi Praeceptoris latere recedentes. Hic itaque de vtroque bilioso puerperio huiusmodi sanxit praesagium lib. 1. de morb.mul.num.43.Primis diebus,dum haec muliebria fluxerint leuius feret mulier, quia noxia hęc materies foras expurgatur.Nam vacuatione opportuna, & tempestiua rei noxae, semper Natura leuatur. Verum si parca postea reddatur vacuatio,quàm è re illius sufficiens fuerit copia, deterius necessariò se habebit enixa, commoto, ac rursus retento humore illo detestabili. Hoc proculdubiò innuere voluitHippocrates verbis illis,*postea grauiꝰ,& minꝰ purgatur*:cũ hauddubiè,ex eo quod minꝰ purgatur, grauius habeat:& rursus ex eo quod grauius habet, iterũ disponatur corpus, ad hoc vt purgamẽta haec, &pauciora sint,&deteriora:à quib.,biliosa,ac deteriora cum fuerint, & morbi exorientur acuti, celeres,ac breues: cum effectus semper naturam imitentur efficientis caussae.Ex morbis igitur his vehementibus,atque saeuissimis,aut mortem citam, aut saltem sterilitatem praedicemus, si praesertim ab huiusmodi acribus excrementis in vtero gignentur vlcera. Caeterum,cum secundum naturam foeminis à partu & latiores fuerint viae, patentioresve canales,quam in toto reliquo tempore,hinc si enixis,ex voto puerperia respondeant, inoffenso cursu, ac citra molestiam,hae citius à morbis vindicantur, quã reliquae : cum maior sit puerperis opportunitas commutationis in meliorem statum.Verum si contra, aut penitus retineantur accisa, aut parcius ipsa repurgentur,citius itidem multò ab eisdem moriẽtur. ratio, quia saeuiores sunt morbi, & grauiora symptomata à restricto puerperio, quã à restricto men-

mensurno sanguine, ob deteriorem qualitatem caussæ efficientis, absumpto frugi sanguine ad fœtus nutricatum: & præsertim, si accisum lochion biliosum fuerit, qualitate calidum cum sit, mordax, ac effrænatum. Quod si, iuxta terminum Hippocratis, à nobis suprà statutum circuncidatur lochion istud, mortem portendit: sin verò vlterius fluxerit, aut in morbos incidet enixa incurabiles, aut cõtumaces, aut sterilis fiet ipsa. Deterius autẽ dicitur lochion, quotiescunque vltra modum, vel parca manu fluxerit, vel etiam ex natura sua prauæ fuerit qualitatis, & cum molestia, ac dolore vnà reddatur. quæ omnia atram quàmprimum insequuntur bilem, mox efferam flauam, cuius in atram facilis mutatio.

Pituitosum mox sequitur lochion. huius præsagium elicitur ex eodem Hippocrate, eodem pariter lib. 1. de morb. mul. num. 45. & est huiusmodi, In purgatione pituitosa à nixu, parturiens patietur ea omnia, vti cui pituitosi prodeunt menses. verum breuiori illa ægrotabit tempore, per rationem supra assignatam, quia puerperis latiores ac patentiotiores sunt viæ. præterea eadem pericula, & signa, & transmutationes morbus habebit, ac in pituitosis accidunt mensibus. de quibus vberè Hippocrates eodem libro num. 21. loquutus est. Dependent enim eodem modo, partus purgamenta, ac menses pituitosi, cum eiusdem sit naturæ efficiens, caussa, & eadem affecta pars. hinc & eadem inducet pericula; eadem & signa, ac transmutationes. Sed cum in enixis patentiores fuerint riui, breuiori etiam tempore laborabunt: & è conuerso si

accidatur lochion, seu moram diu traxerit, morietur, inquit, in quadraginta quinque diebus, etsi huiusmodi pituitosum purgamentum prodierit enixæ mox. qui terminus vltimus ferè in fœmineo nixu. quasi velit innuere Hippocrates, quod pituitosa hæc lochia, vt plurimum contingunt in partione fœtus fœminei: quasi sequantur sexum hunc frigidum, & humidum: vti biliosa partum masculinum, calidioris naturæ, ad bilis qualitatem hic, quàm maximè accedens. Proinde vtriusque humoris promiscuè, eundem purgationis ac mortuis statuit carcerem.

Offert se modò leuis difficultas, cur lib. de morb. mul. num. 12. dictator distinctos statuit lochiorum carceres, à libro de Natura pueri, num. 43. cum ibi in masculino partu alterum diem supra tricesimum, in fœmineo autem tres supra quadragesimum secundum solem addiderit.

Verum hanc controuersiam sic rescindendam sentio, quod hauddubiè error fuerit in codice Græco, cum legendum sit in priori numero li. de morb. mul. *θνήσκει ἐν τριήκοντα ἡμέρῃσι*, id est, *moritur triginta diebus*, neglecto illo, *καὶ μιῇ* & *vna*. rursus numerum alterum sic habendum, *θνήσκει ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι*, id est, *moritur in quadraginta diebus*, omisso illo *πέντε* & *quinque*. innotescit palam error iste, cum manifestò alteri loco reluctetur eiusdem libri, num. 98. in quo dilucidè illos eosdem vtriusque puerperij assignat fines, quos & in altero legitimo opere de Natura pueri idem descripserat Hippocrates. Quare ne imparem tantum virum admittamus, potius errorem in textu concedemus, & redundare sanè illa verba. Sed ad diuerticulum redeundum.

Si

Si fortè, quasi præter spem, mulier hoc suppresso pituitoso lochio, ab Orco liberetur, tamen sana non fiet, cum à principio tumeat, & morbus hic iugiter erit illi grauis: minatur namque ipsam hauddubiè in aliquam hydropis speciem incidere, eam præsertim, quam vocant leucophlegmatiam, à copia & qualitate itidem humoris exortam, calorem vniuersi corporis obruentis, iecoris præsertim, cuius œconomia vitiatur, & inde mali cõsistit origo. Cæterum si restricta fuerit salsa pituita, aut descenderit potius, mordax cum sit, & acris, idem quod de bilioso humore iudicium feremus, cũ & vlcera, & febres, & alia valeat ipsa concitare damna.

Omnia igitur hæc incõmoda à qualitate peccãte puerperio germinãtur, si aut omnino accidatur, aut parcè fluat. Ex quibus prædicere lubet, quãuis ratione illud vitiosum existat, tum nec sanã esse puerperam, nec de futuro talem: tum nec (cum sint cuncta pręter naturam) moderata puerperia, sed aut imminuta, aut supra modum emanãtia, & specie quidem amplius deteriora, neque vllatenus citò concrescere, vti optimus sanguis citò concrescere solet. Ab inculpato verò puerperio nihil ex his pędicendum est, quia ceu secundùm naturam, nequit quidpiam vitiosum per se fœtare, etsi per accidens potis, vt quando à partus violentia, ac immorigero labore in vtero phlegmone excitatur, aut vberè ruens, & in culcatum synochæ febris auctor fit. Primum illud sub vniuersali prognostico videtur accuratè Præceptor includere, dum lib. de Nat. pueri nu. 12. dicat, *si mulier quo tempore vterũ gerit, morbo aliquo nõ cõgenito laboret, cũ à puerperio purgatur, perit.* Qua sẽtẽtia palã videtur demõstrare, grauidas à prauorũ

excrementorum retentione laborare; quæ mox si puerperij tempore diminutè, ac parcè prosiliant, cõmota quidem, & deteriori qualitate contracta, fatalis quidem interitus auctores fient. Et quod magis est, nec ista valent opportunè, ac commodè in partu repurgari, quia à copia, ac illorum vitio natura grauata, nequit amplius illa vincere, ac superare. Impeditur namque natura semper, prohibetur à suis functionibus, tum & ab ordinatis ac typicis motibus vnà perturbatur, quotiescũque ab eâdem, non fuerit victa officiens materies. irritata verò, (vt in symptomaticis cunctis excretionibus videre est) intempestiuè, ac inordinatè mouetur semper. hinc, quæ hac arte procedit purgatio, funestum quidpiã prædicit, vt plurimum. Ratio in promptu. qui in intempestiua, imperfecta, ac imminuta purgatione tantopere agitantur humores, quod alibi refluxi, ad partes videlicet principes grauissimos ibi, ac funestos pariant morbos. contra verò optimè habent puerperæ, quando lochia naturæ, reguntur imperio, exitum vnà habent, citissimum, liberalem, liberum, vt ne quicquam supersit reliquiarum. testatur istud dictator summus libr. Coac. prænot. dicens, *Salutare est, muliebria non cohiberi.* Idem lustrat exẽplis libr. 1. Epidem. com. 1. sen. 68. dum describat ægrotantes plurimos, qui larga, ac profusa intercedẽte vacuatione, ac potissimum sanguinis ab epidemicis, & aliis grauissimis, atque funestis morbis fuêre liberati. tandem tertia Thasi tempestate, de enixis sic eloquitur, *Plurimæ autem grauem partũ habuerunt, & à partu in ægritudinem inciderunt, quæ quidem potissimum moriebantur, vt Telebuli filia, quæ sexto à partu die defuncta est.* Huius effectus

nulla

nulla alia ſanè poteſt aſſignari cauſſa, quàm quod coaceruata plurimorum, ac prauorum humorum copia, nulláque mox à partu, eorumdem larga ſubſequente profuſione, aut per vterum, quod enixis, ceu ſecundum naturam commodius multò accidit: aut ſaltem per ſeceſſum, aut hæmorrhoidas, aut aliam quamcunque conferentem partem, neceſſariò ipſis retentis, plurima inſequantur incommoda, vt morbis mortiferis, ac funeſtis defungantur.

De præſagio morborum in abortiētibus, iuxta peculiárem lochiorum ideam, ac de primiparis.

Cap. XXIV.

Abſoluta puerperarum prognoſi, aliqua nunc de abortientibus præſagire ius. Et vt ab Hippocrate ductore optimo non recedamus, nullam intactam relinquente Medicinæ partē, de abortiētibus ſic fatur libr. 1. de morb. mul. numer. 98. *Eadem verò ſunt affectiones ex puerperij purgamentis, & ei quæ fœtum corrūpit, & legitimè parienti. Si menſtruum corruperit fœtum, & quæ corruperūt magis periclitantur. corruptiones enim grauiores ſunt, quam partus. quia vi aliqua fit, & omne violentum malum, & naturæ inimicum. in his enim periculum eſt ne vteri exulcerentur, aut inflāmentur. Hoc autem eſt periculū &c.* Ex hoc amplißimo quidem Hippocratis oraculo, plurima eliciuntur ſcitu digna, quāprimum maiori cū periculo abortientes laborare, quam quæ legitimè, ac ſecundum naturam, iuxta menſiū terminos à natura ſtatos pariūt: & inter reliquas, illæ præſertim periculosè agunt, quæ quarto, aut octauo

abortiuntur mense (liceat nobis modò octauũ mẽsem inter abortiuos recẽsere): si morbi tamẽ vtrarũque, in specie pares obseruentur, tam qui pręsentes, quam qui futuri. Deinceps etiam ex illo oraculo infertur, abortum (ceu quidpiam violentum) grauiorẽ, ac vehemẽtiorẽ ipso partu esse: cũ Natura à violentis quammaximè labefactetur causis. Tertiò neque illud negligendũ, quod Hippocrates retur, & à partu & abortu, si vlcera fuerint contracta, maligna illa quidem, ac periculosa: periculosas etiam amplius, & ab his caussis excitatas inflammationes.

Verum arduum illud apparet, quod scribit Hippocrates lochiorum ratione affectiones easdem esse in legitimè parientibus, ac abortum passis. cum abortus crebrò, infra primam, aut alteram typicam mensium periodum accidat: sub quo tempore aut ferè nullus, aut minimus adhuc sanguis colligitur, ac retinetur: aut si fortè retentus, ob minimam moram nullum adhuc vitium contrahere fit possibile, sed exquisitè potiùs inculpatus, vti reliquus, per singulos menses prosiliens. Quare ne probabile quidem, ab hoc inculpato sanguine easdem specie, eâdem itidem vehementia, ac cacoëthia affectiones exoriri, quas valens germinare, fœculentum, ac tetricum legitimi partus excrementum puerperij.

Duplici responsione his satisfaciemus, aut dicendo, Hippocratem loquutum non fuisse de his abortibus, qui prioribus mensibus accidunt, sed de reliquis vltra tertiũ mensẽ cõtingentibus, grãdiusculo iã existente fœtu; in quibus grauiditatis ratione praua seruantur excremẽta, & sanguis stabulatus culpa-

culpatur, vitiúmque contrahit. Aut rursus intellexisse eos abortus, qui à prauis quibusque humoribus concitantur, & eorũ ratione, vti efficienti caussa validissima fœminæ ipsę abortiuntur, haudquaquã ab aliqua altera ꝑcathartica caussa. in his itaq; supponimus prauorum humorum redundantiam, & maximam cacochymiam, valentem sanè eosdẽ specie, ac vehementia effœtare morbos; sicuti puerperium illud legitimi partus. quæ explanatio magis Dictatori adridet.

De prędictione primiparatarum, est quod modò tãdem aliqua cum Hippocrate recenseamus. Hic itaque lib. 1. de morb. mul. nu. 97. & lib. 1. de nat. pueri num. 11. sic scribit, *Cæterum maximè laborant, ac dolent in partu, & partus purgationibus mulieres primiparæ, & quæ rarius pariunt magis dolent, quàm sæpius videlicet parientes.* Textus Græcus sic habet, Μάλιστα δὲ πονέονται αἱ γυναῖκες ἐν τῷ τόκῳ, &c. id est, *maximè autem laborant mulieres in partu.* Nescio quo fato Marinellus, & Mercurialis illud πονέονται simul vertant (cum res distinctæ sint) laborant, ac dolent: quamuis verbum illud vtrumque significet. vnde doctissimus Gorræus Annotat. 24. non legit, non dolent, sed non laborant, non ægrotant, cum sæpè illud verbum sumatur pro νοσέεται, seu ægrotare, vt videtur innuere idem dictator summus lib. 1. de morb. mul. num. 1. dicens, Γυναῖκα ἄτοκον ἐοῦσαν, ἢ τετοκυῖαν, χαλεπώτερον καὶ θᾶσσον ἀπὸ τῶν καταμηνίων νοσέειν. Idest, *Mulierem quæ non peperit, quàm quæ peperit grauius, & citius ægrotare.* quo loco non πονέειν, dolere, verum νοσέειν, ægrotare potius dixit, ad maiorem distinctionem rei. Verum ad pensum redacti, rationem reddemus illius Dictatoris prognostici, quod

mulieribus, quæ sæpe parere consueuêre, cum vteri partes, & quæ his subiiciuntur patentiores sint, & vasa itidem magis hiantia, à singulis præcedentibus partubus concessum, & facilior nixus, & copiosiora, ac vberiora lochia; minúsque mox dolebunt hę, laborabũt, aut ægrotabũt (si cuncta hæc coniũgere lubet.) Porrò primiparæ contrà, ídque per oppositam rationem, quia minus patentia vteri loca, minus laboribus assuetæ, minus reserata vasa, hinc magis dolent, minus purgantur, magis laborant, & ægrotant.

Tandem, vt his colophonem addamus, partus peculiaris sexus, peculiares, ac dispares exigunt prædictiones, hinc fœmellæ partus difficilis multò laboriosior, & grauior: quia enixa maiori quidem redundat excrementorum colluuie, maiori pariter premitur cacochymiæ onere, fœculentiori sarcina. frigidus nãque hic fœtus cum sit, sexus ratione, & minus multò absumit, & per consequens corpus multis replet excrementis. Et cum lochiorũ purgatio tenetur talionem rependere, & copiam illam omnem retrimentorum deponere: inde maiori indigent enixæ purgatione, circa quam actionẽ multoties, ac sæpe peccant illæ. vnde fœminea partio, periculosior prædicenda semper. Hoc idem eleganter Hippocrates, & historiis illis Epidemicis, comprobat, & vnà lustrat Galenus in earumdem commentariis.

De prędictione peculiari singulorum affectuum, enixis superuenientium, ne quidem ad nos spectat modò pertractare, cum illi accuratam requirant tractationem, & diexodicam, ob rei difficultatem, & grauitatem. sola hac nos vniuersali prædictione simus

ſimus contenti, iuxta noſtram hypotheſim, quatenus enixarum morbi à communi cauſſa, lochiis videlicet reſtrictis, aut imminutis ſuum habent exortum, ſuam iugiter fœturam.

De computandi ratione morbos enixarum opiniones variæ.

Cap. XXV.

ARduus, & vndequaque difficilis fœmineus ſexus. huius tanta, ac tam multiplex contemplatio, quod indies ab eâdem, grauiſſimorum virorum ingenia torqueantur, exerceantur. Quamprimum, ſi mores perpendamus, quis huius ſexus & implicitas, & labyrinthæas ingredietur vias? cum ſit mutabilior Luna, & ventis mobilior, vt Titus recenſet Calphurnius. Eclog. 3. Proprietates inſuper & actiones ſecundum naturam ſi rimemur, quis quæſo huius ſexus inſcrutabilia Naturæ arcana explorabit? quis, etſi alter Argos, eius præuidet recondita ſecreta? Teſtatur illud præcipuè ineffabile Naturæ miraculum, conceptionis inquam, in vteri fœminarum clauſtro. partus nihilominus, ſtupor Sapientum, & immenſum rerum abditarum, atque ſacratum oceanum. teſtatur itidem tenor tum admirabilis menſurni ſanguinis periodicus typus. & adhuc multò magis artificioſa repenſio talionis, retributionis lochiorum, iuxta eorumdem menſuram, ac durationem. Quod ſi huius ſexus præter naturam inueſtigemus καὶ χαλεπὰ ξυνιέναι, vt Hippocr. libr. 1. de morb. mul. numer. 87.

retur, difficilia illa, & ardua, & ad intelligendum & curandum. Perarduum namque morborum, ac symptomatum huius sexus caussas, rũ essentias dignoscere: perarduũ de eisdẽ ferre iudiciũ, prognostica fari. perarduum nihilominus in hoc naufrago mari in portum curationis, sine aliquo metu penetrare. perarduum denique (vt instituto insistamus) priorem morborum enixarum indicare terminum, à quo, & dierum decretoriorũ omnis dependet ratio, & hinc deinceps omnis exacta medendi methodus. Quare in hoc errare, est in portu impingere. Heu vitæ fatum! cui annexum, angi & dolere in omni sorte: cum & noster etiam dexterrimus Argonauta Tiphys expedire se ab hoc naufragio nequeat; quem multi, & fortè frustrà, ab hac pressura liberare conantur. Nos libenter ab his Nisæis caueremus, nisi rapidus instituti ventus vrgeret.

Methodus itaque sanandi morbos enixarum acutos nos cogit, vt quamprimum carceres statuamus ad rectam computationem dierum morbi, vnde, & victus rationis dependet optima institutio, & remediorum opportuni temporis indagatio. Dictator summus, postquam per vitæ longum tempus prouidè, ac sedulò obseruasset cuncta, quæ ad faciendam Medicinam erant opportuna, tandem stylo ferreo eadem, sub diuinis quibusdam oraculis cedro dignis, æternitati consecrauit. hinc, de hac nostra instituta graui difficultate, lib. 3. Prognost. sen. 10. hanc sanxit legem, *Pari modo in mulieribus iudicationes fiunt à partu.* Clarissimus Galenus hoc idem propria firmat manu, sigillo munit, oraculũ illustrat dicens, *Principium numerationis erit, non*

quo

quo die cœperint febricitare, sed quo pepererint: in quibusdam igitur circa secundum, aut tertium incipiunt diem à partu, ex quo multi numerant futuram indicationem, sed res non ita se habet, sed ex quo pepererint, numerationem fieri oportet dierum. Vidistin' viros istos percelebres, sibi inuicem pares? Hanc legem, ceu inuiolatam Principes etiam Arabicæ familiæ obseruarunt, Halypater lib. 10. Theor. cap. 8. Rhois filius lib. 4. collect. c. 40. & Senis etiam filius, vt Bellunensis in suis annotat glossoriis: quamuis nostri codices oppositam potius referant sententiam sen. 2. 4. tract. 2. ca. 1. Amatus autem Lusitanus cent. 1. curat. 34. Bellunensis lectionem admittit, & ex Hebraico eius auctoris textu refert, cui ceu perfido Hebræo, & linguæ perito non minima adhibenda fides. Plurimi itidem & classici viri hanc accuratam sententiam strenuè amplectuntur.

Verum, huius Hippocratis oraculi, & caussam, & rationem signare, tam difficile censemus, quantum in ea inquirenda veritate cordati viri laborarunt: immò quantò ipsi eandem intenderunt elicere, tantò in omnibus illis, vt est in prouerbio, trabem inuenêre. Si etenim nos dixerimus, proinde à partu computandum, quia eius ratione lochia commouentur, totius mali origo, & eiusdem antecedens caussa: tunc rationem habebimus nobis oppositam, & simul Hippocratem reluctantem. Ratio imprimis, ex Galeno libro Artis Medicæ cap. 88. sumitur, quæ sanè parui momenti non est. Tunc incipit esse, & existere morbi, quando actu, ac primò actiones læduntur, ac manifestò itidem. Sed sæpe actiones manifestò non læduntur à partu, verũ tertio, aut quarto sole; Ergo non à partu, sed ab altero

die,

die, in quo actu, ac manifestò actiones læduntur incipit esse, & existere morbi. Ergo & ab ipso die numeratio morbi. illud enim quod actu non existit, dinumerari nequit; cum tempus mensura sit rei actu modò existentis, haudquaquam futuræ. Quare si in puerpera manifestò actiones non læduntur, nisi tertio, aut quarto sole à partu, computatio potius à die læsionis manifestæ, quando videlicet morbus iam actu existit, & corpus præter naturam afficitur, ac recedit à sanitatis latitudine, exercenda: nullatenus autem ab aliquibus symptomatis morbos antecedentibus, quæ potius dispositiones sunt futuri morbi, & illos annunciantes, veluti neque à caussa aliqua manifesta, aut procathartica.

Præterea, & Hippocrates hanc eandem videtur admittere opinionem, dum lib. 1. Epidem. in tribus enixarum historiis non à partu exordiatur computũ, verũ à manifesto morbo. Altera harũ historia est Philini vxoris, cõ. 3. sen. 21. cui 14. à partu die febris manifestò cum inchoasset, ab eodem fuit facta dinumeratio. Huic & à suppressis lochiis morbum ortum traxisse testantur Hippocratis verba, quamnis per priores dies optimè ipsi respõ lissent. Altera historia Epicratis vxoris est, cõ. 3. sẽ. 22. quæ secũdo à partu die fuit febre correpta, à qua itidẽ sũpserat Hippocrates cõputationis initiũ. Altera tandẽ vxoris Dromeadæ, cõ. 3. sẽ. 23. cui itidẽ secundo à partu die febris fuit accensa, hanc præcedente rigore, à quo, haudquaquam à partu dinumerationem inceperat; quod apparet ex eo quod dixerit, secunda à qua riguit. Nec minus & hanc à restrictis lochiis laborasse autumandum: etsi omnia primo

die

die ſecundum rationem ſe habuerint. Nam & ſecundo à partu die morbo prehenſa, animam egit ſexto: quia per hos dies morbo, neque optimè, neque ſecundum rationem fuit repurgata. Conſtat igitur ex his manifeſtum diſſidium in Hippocratica doctrina, cum quod ipſe lege ſanxerat, ſit tranſgreſſus prius exemplo: quod homines, cum Lactantio malunt magis quàm verba.

Hanc rem cum in animo voluerent claſſici quidam doctores, aporiati, in varias, atque diſtinctas perducti ſunt opiniones, cũ alij prognoſticam, alij Epidemicũ, alij rurſus miſtam quandã amplectãtur doctrinam. Inter eos, qui prognoſticam vnicè inſequuntur, adſunt viri quidam Hiſpani, grauiſſimi ſanè, Franciſcus quamprimum Valleſius lib. 10. controuerſ. capite 4. tum lib. 3. Prog. comm. in dictam ſen. tum commentariis in eaſdem tres Epidem. hiſto. Idem Ioannes Brauus comment. in eandem prognoſt. ſentent. Amatus etiam Luſitanus cent. 1. cur. 34. Ex Italis præterea clariſſimi adſunt doctores, Hieronymus Mercurialis comm. in dictas Epidem. hiſtorias, Horatius Augenius ſecundo tom. epiſt. Med. lib. 11. & Alexander Maſſaria; capite decimotertio cuius gynæcion opuſculum, ab eius diſcipulis reſcriptum, mox typis mandatum, ad noſtras manus peruenere, dum hanc quæſtionem literis mandarem: opus ſanè doctum, verum minori lima politum, & ab eius auctoris ſtylo graui alienum; vti mox & alterum editum opus practicum, tanto auctore planè indignum. Omitto nũc cõciliatorẽ, differ. 106. qui certa adhibita diſtinctione eãdẽ ſeruat. Inter hos autem non leue diſcrimen

eſt,cum horum quidam ſimpliciter eandem admittant, & accuratè, inter reliquos occurrit Amatus, tum Maſſaria.alij vt conciliator, præmiſſa, vt diximus,diſtinctione,in partum naturalem,& non naturalem, quem difficilem potius Brauus appellat. Sentiunt itaque hi,quod morbi, qui ab aliquo partus vitio contracti producuntur,cum ſint difficiles, ſeu non naturales, à die partus ſunt computandi, haudquaquam reliqui, cum partus ſint ſecundum naturam; vnde à die inſultus manifeſti potius morbi.

Verum irridendi ſunt doctores hi, ex eo, quod palàm citatas Hippocratis verbis oſtendimus, neceſſariò partus ratione etiam laborarunt, aut quia ſuppreſſa, aut imminuta illarum lochia: accedente morbo quibus non obſtantibus, naturales cum eſſent partus,ſi Præceptoris verba replicentur, cum dicat. *ex præſcripto naturæ*,aut *cætera quæ ritè conſequuta ſunt*. dinumerauit Hippocrates harum puerperarum morbos, non à partus, ſed à morbi inſultus die.Quare Hippocrati non ſatisfaciunt, neque diſſidium dirimunt: verum hærentes prognoſtico oraculo,ceu probabiliori,aut potius veriori, liberè loquuntur, nec verè,quamuis & ipſi, illa præmiſſa diſtinctione, vtramque partem tueri poſſe arbitrentur:quæ futilis;cum & in naturali partu,à morbo,ibi dinumeret Hippocrates.

Christophorus Auega Hiſpanorum alumnus, mediam quandam inſequitur opinionem,dum cōmentario in citatam prognoſticam ſententiam diſtinguat febris ipſius, ſeu alterius cuiuſuis morbi obſeruationem, à criticorum dierum computatione,quæ partui quidem debetur.hunc,iuxta hanc di-

ſtinctionem

ſtinctionem Ioannes Brauus ſequitur etiam comment. in eandem ſen. tum & Ioannes Heurnius eôdem loco. Cæterum cuncta hæc (pace tantorum virorum dicam) acuta ſunt figmenta. nam obſeruatio naturæ morbi, in morbum videlicet acutum, aut peracutum, nihil facit ad conſtituendos decretorios dies, bene tamen ad prædicendam breuitatem, aut tarditatem iudicij. quo enim acutior, & celerior mouebitur morbus, tanto citior erit iudicatio. verum nunc celeritatem, vel tarditatem iudicij non exploramus, ſeu vltimam morbi terminationem, ſed primum carcerem, ſeu initium, à quo tenemur morbi gradus computare, & eo inuento vltimum mox præſcribere, haudquaquam retrò. Obſeruatio igitur à morbi idea auilis, & elumbis in hac hypotheſi: cū nullatenus nos manu ducat ad hunc primū computationis terminum inueniendum, à quo omnis dependet decretoriorum dierum computatio, vt idem paullò infrà fatetur Auega, cum ſcribat, *Morbus igitur, quippe febris oſtendit citam, aut tardam iudicationem: dies autem erit is, qui à die partus facta cōputatione fuerit iudiciarius. quod ſi in ipſo non fiat, fidum non erit iudicium.* In reliquis, cum prædictis conſentit doctoribus, cum arbitretur & ipſe, quod ſi morbus ſuperuenerit ſexto, aut longius à partu, iam tunc computationem faciendam eſſe nō à partu, ſed à morbi inſultu, neque ſperandum iudicium ab eo partus die accepto principio. Cuius opinionis hanc aſſignant illi rationem; quia vbi poſt partum ſequitur febris intra primam tetradam, iam motus ille humorum febrem hanc germinantium, motum inſequi, fit probabile in ipſo partus die concitatum, haudquaquam ſi vltiò proceſſer

rit, extra videlicet primam illam partus tetradam.

Sed vti inanis illa opinio, ita & ratio futilis, immò & Dictatori reluctans. Verum quamprimum assignent nobis rationem, ob quã, magis morbi sub tetrada prima contingentes respectent partum, quàm reliqui? Ne vlla quidem. Nam morbi omnes, saltem sub minori puerperij latitudine ab Hippocrate assignata, necessariò partui tribuendi: idque, aut ob morbosam aliquam dispositionem in corpore enixæ relictam à partus laboribus, accrescentem sensim, ad terminum vsque sensibilis morbi, aut propter restrictum penitus, imminutum, aut fortè immodicum puerperium, caussam sanè antecedentem omnium morborum, sub illa latitudine succedentium, aut propter vtramque rationem. Quare consequenter, ceu (vt cum Logicis loquar) inchoatiuè nec remotè omnes morbi à partu, tanquam à legitima origine: hincque necessariò & computandi eorum dies. Rursus & Hippocrati reluctatur hæc opinio, si eius exempla perpendamus; ipse namque morbos, intra primam tetradam exortos, quàm vltrò, etiam & qui in secunda hebdomada, omnes inquam à morbi insultu dinumerat. istud videre est in vxore Epicratis, quæ secundo à partus die in morbum cum incidisset, & altera Philini vxore cum decimoquarto potiùs, non à partu, verum vtrisque, à morbi potius insultu numerandi arripuit occasionem. Respuenda igitur opinio.

Ludouicus Lemosius vir doctus, & in illustri Salmaticensi literarum Emporio Medicinę olim professor lib. 5. de optima prædicendi rat. ca. 6. plurimis aliis prius eneruatis opinionibus, tãdem suam proponit,

ponit,hypothesi itidem quadam pręmissa,nimirum quod partus omnis sit morbus,& hunc per lochiorum purgationem iudicari.quod si partui,ceu morbo,febris,aut alter quiuis morbus accedat,tunc iam connexum esse affectuum arbitratur ipse; & horum vnusquisque propriam per se habere crisin,vti in aliis contingit complicatis affectibus, retur. quare vterque affectus,inquit, peculiarem habebit dinumerationem. & proinde Hippocrates aliquando,vt in Epidemicis historiis videre est,computandi sumpsit exordium à morbo, aliquando, vt in prognost. oraculo,à partu.

Hæc Lemosij opinio, cum illud catholicum destruat oraculum, stare vllatenus nequit: infirmabimus eandem paullò infrà,ex instituto.

Proponitur vera sententia de ratione computandi enixarum morbos: & aliorum conuellitur opinio.

CAP. XXVI.

AD hunc difficilem soluendum nodum, & intricatam explanandam difficultatem, nemo vnquem (meo saltem iudicio) accessit propius,quã Lusitanorum doctissimus Amatus.Hic inquam,neglectis Epidemicis historiis,& relicto Hippocratis dissidio,Prognosticum tantum amplectitur oraculum, & ceu Polycleti regulã idem nobis seriò proponit.Neque dissidium Hippocrati vitio vertendũ, quia cũ ipse,ex Galeno lib. 2. de diebus decret.c.6.libros Epidemicos prius scripsisset,quã prognosticos, plurima quidem in illis infirma,impolita,informia exarata fuere,quæ quispiã verius abiecisse,quã pepe risse Hipp. æstimabit.Inde,q̃ in vsu Medico,sola ille

bi ſub hac latitudine (quæ neceſſariò requiritur vt ſecũdũ naturã purgetur illa) à partu exoriatur haud-dubiè ſuumq; habẽt ortũ. firmat Hippocrates hanc ſẽtẽtiã citato loco, dicẽs, *Citra tamẽ periculũ fuerit, etiã ſi in viginti diebus mulier purgetur.* quaſi haud-dubiè periculum habeant, quibus ante hunc carcerem reſtringitur lochion. Aequè autem ſit morbi cauſſa, ſub quolibet ſole illius interualli accidat acceſſio: neq; magis ſignãdus quartus, quã ſeptimus, neque hic magis quã decimus quartus. cũ, vt ſana ſit & talis futura, illos ſaltẽ purgationis terminos compleat ſit neceſſe, & vltimos alteros, ſi aut parcè proceſſerint lochia, aut maxima redũdarit enixa humorũ colluuie. Sed cũ hæc purgatio, in qua cõſiſtit efficienter ſalus, aut ægritudo ipſi enixæ, initiũ ducat ab ipſo partu, cũ tũc cõmoueatur, vt proſiliat: hinc morbi omnes enixarũ neceſſariò ab eodẽ partu cõputãdi veniũt. Cũ igitur nobis innoteſcat hoc cauſæ principium, partus quippe, à quo lochion, morborũ antecedens cauſſa, ſi præter naturam ſe habeat: proinde & ab eodẽ principio cõputãdi morbi. quãuis eiuſdem morbi ſẽſifica notitia, per aliquot dies differatur, & actio ab hora partus iam inſtãs latiter, occultetur. Quod autẽ morbi cauſſa ſimulata, in noſtro corpore queat per plurimos dies occultari, apprimè demonſtrat Galenus cõmẽtario illo doctiſſimo in hiſtoriã illã incipiẽtis phrenitici lib. 3. Epidẽ. cõ. 3. ſen. 75. cuius hæc ſũt verba, *Neque ſicuti ipſorũ* (morborum videlicet) *generatio ſubita eſt, ita & generationis cauſſa: ſed pedetentim in corpore cauſæ, quæ ſunt excitandis huiuſcemodi malis, creſcunt: quod morſis vſu venit à rabidis canibus. nam apertum eſt, quod canis venenum (licet in morſis non oria-*

tur , nec conquiescat) nullam sui ipsius notam prodit multis interim proximis mensibus &c. Hanc doctrinam vnicè amplectitur doctissimus Thomas Rodericus Aueiga , & variis comprobat ipse modis, commentariis in lib. 4.de loc. affect. cap.8. nec non & citato loco Amatus , etiam & consensu acutissimi Rhois filij lib.3.Collect. ca.9. cum igitur caussæ principium innotescat, ipsa actione latitante,etiam manifestato effectu,sensibili videlicet morbo, ab illo principio numerandi rationem inchoabimus. Hoc vsu frequentissimum fit in vulneribus, in quibus non à die febris superuenientis , conuulsionis , paralysis,aut delirij,verum à puncto inflicti vulneris , computatione facta , crises accidunt. Et hunc serium vsum comitatur ratio. Nam cuncta illa,ceu emanantia à primæuo illo morbo , separata non sunt ab ipsa origine, videlicet à vulnere:immò essentialiter coniuncta. vnde cuncta illa eandem habebunt computandi rationem , quam origo ipsa tenet. Similiter igitur in partu,cuncta quæ accidũt per totum puerperij tempus,ceu à partu emanantia, vti à propria origine,æstimanda:tum quia ipsi coniuncta sunt , tum quia inchoatiuè (vt ita loquar)in ipso partu continentur. Quare à partu fiunt iudicationes,vt Dictator scripserat, ceu cunctorum origine,& consequenter à partu desumenda computandi norma , haudquaquam ab exorto mox sensibili morbo.

Verum si arguant,vulnus reuera morbus, partus haudquaquam. quare ab illo rectè iudicationes, carceres , ac fines morborum , & rerum omnium præter naturam : à partu nulla ratione,cum res secundum naturã , & ipse potius metaphorica crisis.

Satis-

Satisfaciemus dicendo, partum in genere, quatenus fœtus productio, ſcopus naturæ ad ſpecierum conſeruationem, rem ſecundum naturam eſſe, in particulari autem reſpectu rerum concurrentium, circa hanc, vel alteram fœminam, aliter ſe habere poteſt, ac præter naturam fieri. occurrunt namque plurima in indiuiduis partionibus, quæ etſi actu morbi non ſint, cauſæ tamen potentia eorundem ſunt, quæ paulatim ac ſenſim ſuccreſcentes actu fiunt morborum cauſſę, ſenſibiliter actiones lędendo, & tanquam ab origine, affectus ab ipſis exorti emanant, & vnà continentur in partu. Affectiones autem, quaſi quidpiam præter naturam redolentes in partu ſunt, tum diſpoſitio illa morboſo à partus laboribus contracta, intemperies itidem aliqua, etſi minima in vteri lateribus orta, vnitatis aliqua ſolutio, quam vehementiſſimi illi partus dolores declarant palàm, tum tandem lochiorum aliquod vitiũ. hæc igitur omnia, vti à quodam origineo fonte, à partu dimanant, & per conſequens ab ipſo principio dinumeratio dierum petenda, vti in vulneribus diximus. corpus enim enixæ æſtimandum, vt reapſe morboſum, quamuis ſub latitudine adhuc ſanitatis contineatur. in qua latitudine obſeruantur morbi aliqui exigui, ſeu minimi receſſus, qui aut inſenſiles ſunt, aut remediorum adminiſtratione non indigent, cùm ſola natura illorum ſit medicatrix, vt docet Galenus per libros 6. de tuend. valet. Et cum ſit corpus in potentia proxima, vt in manifeſtum, & magnum morbum incidere valeat, hinc ſubſequuti morbi actu, priuatam non habebunt dinumerationem, verum ab illa priori cauſa, ceu origine, computandi potius.

Hinc infirmatur ratio, Galeni iugiter testimonio munita, quam suprà ca. 25. replicauimus. nam quamuis admittendus syllogismus, quatenus morbus reapse affectus est, & res permanens, & Medico sanandus subiicitur, tunc enim suum esse habet, quando actu ac manifestò actionē lædit: tamen inchoatiuè hic idem morbus suum esse recipit à causæ principio certo, stato, ac sensibili, & tūc ab eodē principio computatio præstanda, in reliquis verò occultato principio ceu nullius momenti, haudquaquam. Et cum partus, causæ quidem origineæ rationem habeat, valentis morbum germinare, si fiat à quopiā interno, vel externo errore præter naturā: proinde partus accuratè dicetur primū morbi principiū, & mediatè, seu remotè efficiēs causa illi⁹ à quo hauddubiè dies morbi veniūt cōputādi, dummodò ipse exoriatur in illo puerperij interuallo, & à partu ortū trahat. In partu nāq;, post fœtus, & mēbranarū expulsionē, quāprimū natura accingitur ad illius fœculētæ materiei, in vteri præsertim vasis stabulatę sarcinæ siquidē inutilis, vacuationē: idq; sub quadā certa harmonica ꝓportione per septenarios, aut per quadragenariū: quę materies, si restringitur, grauissimos, hostiles, ac sæuos parit illa morbos. vnde partus, meritò horū principiū, ceu cōmouēs humorē, antea quietū, & mox citimā eorūdē morborū causā, & cōsequēter terminus à quo cōputandi morborū dies. quid, quod, & in partu occurriūt plurima, enixā disponētia ad noui morbi introductionē, à quib. dispositionib. necessariò illi cōsequūtur, testante Galeno lib. de differēt. sympt. ca. 6. & inde à primo ad vltimum à partu, ceu origine, numeratio deducēda. Neq; ad hunc cōstituēdū numerationis terminū, admittēdā arbitramur partus distinctionē

in facilē & difficilē, aut in naturalē & nō naturalē: cum omnis, secundum magis & minus omnia illa incommoda nuper recensita contineat (vnico illo dempto immaculatæ ac Deiparæ virginis, in secucula benedicto.) cum ἀδύνατον sit ipsi Naturæ, partes vteri compactæ, ac ipsi subiectæ, tum pubis ossa per ineffabilem synthesin connexa, citra grauem laborem, aut dolorem itidem vehementem, disparentur; appendices rursus venulæ à matricis acetabulis diuelli: à fœtus denique calcitratione ingenti, vterū citra acerrimum doloris sensum non labefactari. Quare partus omnis, etiam secundum naturā difficilis, omnis dolorificus, & anxifer, sub quadam verò latitudine. Porrò omnis naturalis, & facultatis respectu, & excreti; quamuis sub modi ratione aliquando præter naturam fiat, quando exiliit fœtus in pedes, aut in nates, aut prius alterū extrahit brachium. verū & in omni, triplicis illius substantiæ, maximè inter se distinctę, vacuatio fit, fœtus videlicet, membranarum, ac puerperij. Nulla itaque exors doloris, si mente integra fuerit, ac sensibus; cum testante Galeno lib. 3. de nat. facul. ca. 12. omnis partus vehementissimos ipsius fœtus consequatur motus, ex quibus aliqua semper in vtero cōcitatur intemperies, aliqua itidem solutio continui, quæ si non morbi actu, saltem proximè ad hunc statum accedunt, de quibus affectionibus apud Galenum fit mentio libro Artis Medicæ, ca. 88. & intra sanitatis latitudinem adhuc contineri docet, donec sensibiliter lædantur actiones: tunc enim iam ad therapeuticam, ceu morbi, necessariò spectant. Quamobrem, cum omnis partus necesse sit inchoatiuè, seu tanquam principium, omnes illas affectiones con-

tinens, amplectatur eadem : ab ipso pariter omnes morbi necessariò computandi.

A quo partus instanti computandi enixarum morbi.

CAP. XXVII.

CVm parturitio,(à qua seriò cum dictatore cõputandi enixarũ morbi, vt nuper ostendimus) maximam in se continere valeat latitudinem, à tẽpore nimirũ illo,in quo quàprimũ facultas vteri expultrix,& vnà fœtus , ciuiliter contendunt,illa on' deponere,hic luce frui, ad terminũ vsque huius cõtentionis,seu ipsam fœtus emanationẽ.Ciuilis autẽ illa contẽtio, ob diuersas occurrẽtes caussas,iã breui tempore clauditur, per alterum videlicet solem, iã mox producitur,& fit longæua,per tres aut quatuor, aut plures extensa.Hinc exurgit non leuis difficultas, an quando à partu dixerimus computãdos esse enixatum morbos , intellexerimúsne per partũ illud primum instans, in quo iam accingitur natura,vt fœtum in lucem edat, quando videlicet sensibiliter percipiuntur labores partus : an verò alterũ instãs in quo prosiliit actu fœtus. Nam,nisi hæc accuratè distinguantur,in graues deducemur errores.

Frãc. Vall.li.10.cõtr.c.4.tũ Lud.Lem.li.5.de opti. prædicẽdi rat.c.6. statuũt hãc cõputationẽ nõ à pũcto nixus, dum fœtus in lucem prodit , verũ à puncto,in quo cœperit enixa parturire , seu iam partus doloribus vexari , exigendã. Vallesius firmat hanc opinionem ratione,& auctoritate Hippocratis,hęc desumitur ex historia vxoris Philini , quã decimo quarto die febricitate inquit,& purgatã ex præscripto naturæ,quia naturalis partus.illa sic habet,Morbi puerperarũ caussam antecedẽtem habent lochia, ergo dinumerãdi morbi, à motu materiei.mouetur ũt in illo iã instãti,in q uo accĩgitur natura ad fœt'

expulsionem, qꝑ aliquib. cõtingit per tres aut 4. dies ante fœt⁹ nixũ, ergo ab illo instãti numerãdi morbi.

Lemosius porrò & eandem opinionem Auicennæ contendit roborare testimonio lib. 3. p. 21. sect. 2. ca. 6. rursus & Hippocratis historia illa vxoris Epicratis, 1. Epid. com. 3. sen. 22. quam inquit, apud Archigetem ægrotare instante iam partu, & tertio die peperisse. Ex his infert his verbis Lemosius, *Vides quo pacto Hippocrates totum doloris tempus partum appellet, siue vnam, siue plures dies duret?*

Nobis oppositũ sentire mens est, & fortè seriò. nã partus nõ tãtum est dũ natura adoritur fœtum, vt expellat, & fœtus cõmouetur vt luce fruatur, verũ & adnectit editionẽ fœtus, imò & istud magis propriè, cum partus nõ solũ significet actionẽ, verũ & per se fœtum, vt apud omnes Latinos & iureconsultos videre est. Quid quod & in partus primo illo instanti non cõcurrũt omnia illa quæ superiori capite numerauimus, disiunctionẽ partium compactarum vteri, cõnexionis ossium pubis, diuulsionẽ acetabulorũ, & alia, nec itidẽ eiusdẽ fœtus editionẽ ac puerperij, quare sub illo instãti nõ part⁹, verũ actio ad partũ, fit. caret .n. expulsione fœtus, quod scopus Naturę in hac actione, caret rursus & expurgatione lochiorũ, altera post fœtũ, ad salubrẽ seruãdũ enixæ statũ. quæ expurgatio, & puerperio, vnde puerpera, statos signat carceres, & morbi deniq; in in eius latitudine cõtingentes, pariter puerperales. Quare cũ hoc puerperiũ vltimum claudat terminũ, necessariò & priori suũ tribuet initiũ, à quo primo omnis dimanat in puerperis cõputandi ratio. hanc rẽ neq; Galeni auctoritate fraudemus oportet. hic itaq; com. in citatã Hip. prognost. sẽtẽtiã sic eloquitur, ἀλλ' ἀφ' ἧς ἀπεκυήσε, τὸ συναριθμεῖν δεῖ ἑξῆς τῶν ἡμερῶν.

Sed ex quo pepererint numerationem fieri oportet dierum. quo loco manifestò innuit, cum dixerit ἀποκυήσωσι pepererint, absolutam intellexisse operationem non incipientem, dixisset namque tunc, ἀποτίκτειν. Sed ex quo incipiunt parturire, aut partus doloribus vexari dinumerandum est, de tempore videlicet præsenti infinitiui, verũ cum de præterito perfecto modi subiũctiui loquatur, reapse absolutam, & iam factam insinuat operationem, à qua perfecta, ex eius mente hauddubiè est præstanda numeratio.

Denique lubet modò & satisfacere auctoritatibus, ac rationibus Vallesij, tum Lemosij. in primis illa historia vxoris Philini nihil ad rem. nam non probat hæc historia, nisi à die febris, non à die partus dinumerasse Hippocratem. Rationi satisfaciemus negando priorem consequentiam. nam non ex eo numerandi morbi à motu materici, quia hæc caussæ antecedentis rationem habet, cum requirantur & alia plurima, quæ non concurrunt in priori illo instanti partus, seu motus materici. quid quod, nec materies ipsa in illo instãti mouetur, cũ omnis conatus sit ad expulsionem fœtus, ad quã commotionem mox, etsi per accidens, & materies illa vnà commouetur: per se autem excluso fœtu, cũ tunc intendat natura à sarcina illa emxam liberare. Porrò & instans illud primum nobis occultum est, & abditum, cum etiam per mensem lancinentur grauidę aliquando, mox per plurimos aliquot dies existimantes ob dolorum vehemẽtiam, iã instare partum, & cõsequitur deinceps per tempus tranquillitas, & iterum rursus angores repetunt, & tandem partus. decipiuntur itaque persæpe, vt quotidiana demon-

demóſtrát exépla, neque ipſis innoteſcit palam, ſed obſcurè potius hoc inſtans, partus principium. Qua ratione igitur, à dubio, ancipiti, & incerto principio fas erit augurari dictum computum?

Sed Lemoſium tandē oppugnemus. Inprimis auctoritatem Auicennæ, ceu vacuā, & elumbem modò explodimus, neque hunc nobis ad imitādū proponimus: verū veneres Atticas, & Græcorū cādidiſſimā doctrinam vnicè amplectendam contēdimus, Arabuncæ noſa poſtpoſita ſecta. Sentiat igitur ille, eo quo ſibi licuerit modo. Sequelā autē ex Epicratis vxoris hiſtoria non refellā, quin prius libeat hūc inimicū riſum paulliſper ridere. Vides amabò Limoſi hanc Hippocratis hiſtoriā directè potius aduerſum te facere? Inquit nāque Præceptor hāc fœminam partui vicinā, inſtāte videlicet partu, haudquaquā adhuc actu parturiētē, ægrotare, fortiter rigere, & altero die ſimiliter. tertio die filiam peperit. Secundo poſt partum febris acuta acceſſit, & reliquos dies à morbo numerauit, ad diē vſque octuageſimum, in quo perfectè iudicatā eſt. viden' igitur hanc, ante partionem, inſtante tantum partu malè ſe habere, & non ab illo rigore per triduum partū præcedente, neque ab ipſo partu, verum à die ſecundo poſt partum, in quo febre fuit apprehenſa enixa, exorditur ille numerationem. Captabat igitur dictator ſummus in hiſce hiſtoriis Epidemicis, vt accuratè refert Valleſius citato loco controuerſ. experimenta, quibus ſententias poſtmodū in libris Aphoriſticis, ac Prognoſticis conderet. Quare ibi ſe habuit vt obſeruator, hîc verò vt Præceptor & legis ſanctor. vnde colligendum, quanti maioris momenti ſint illa oracula, ipſis hiſtoriis.

Expunguntur Lemosij rationes de eadem computandi norma.

CAP. XXVIII.

VT omnis tergiuersandi locus cunctis sit præcisus, dissipatis iam suprà diuersorum opinionibus, reliquum est & Lemosij funditus pariter euertamus. ipse namque inter reliquos maximè rem parat difficilem, & eandem varijs ambagibus implicat. Φθινοπώρων igitur virulle, & prognosticam admittit sentētiā, & supra hanc basim perperā Epidemicas historias architectatur. verum anile iacto fundamento, corruit omne ędificiū. Supponit enim quāprimū, ac falsò, omnē partum morbum esse, & simul ex Galeno crisim appellari, ac propriè. Ex his rursus lepidè infert, *si crisis partus, ergo morbus*. ô Salmāticēsis theatri lumē maximū, si caducū nō fuisses.

Hæc cuncta subuertere intendimus modò, ídque citra Herculis opem: quo facto, nulla mox Lemosij ratio, nulla opinio. In primis partum non esse morbum, ex eo palàm videtur constare, quia actio secūdum naturam, & vteri, & fœtus, arguens maximā supremi Naturæ Auctoris, tum sapiētiā, tum & potētiam. Morbus nec actio, immò affectus, & terminus actionis, & primò, ac per se actionū lęsarū caussa, nec rursus res secūdū naturā, verū præter. Quáuis verum, in instrumētis, à quibus actiones emanāt, ex Galeno li.3. de nat. fac. ca.12. tum opera naturalia, tū affectiones, tū morbi singuli ad portionē fieri. vnde in organis, à quibus hæc naturalis, & ex præscripto naturę cómoda fit partus actio. aliqua potest (vt suprà ostēdimus) reperiri affectio: repatitur .n. persæpè natura. Sed hæc affectio ne morbus quidem necessariò: etsi hunc connecti facilè posse credamus, cū disponat partes corporis ad eius introductionē.

Hinc rem hauddubiè voluit insinuare Galenus, dum vtatur tribus illis terminis, in se inuicem distinctis, opere naturali, affectione, morbo, quos illustrat lib. pręsertim de sympt. differentiis, c.6. docet namque ibi omnem sanguinis excretionem toto genere esse præter naturam, ea dempta quæ per vterum fit: quia in hac & excretū secundum naturam, & actio solius naturæ opus, & tēpus pariter opportunum; non solum quia typicè, verū vt Galenus ibi exponit, quia expurgatur à natura, id quod molestū, siue quantitate, siue qualitate, siue vtroque modo illud fuerit vnde excretiones hæ, tam mensurni sanguinis, quam lochiorum toto genere secundum naturā, vti reliquę omnes sāguinis toto genere pręter naturā, ob oppositas caussas. Sed tamē, quod tēpus opportunum faciat illud, quod quidem præter naturam esset, secundum naturam fiat, & sit affectio, haudquaquam morbus, ex eo apparet, quia etsi vacuationes hæ aliquem semper sequantur morbosum affectum, vti narium hæmorrhagia, aut hæmorrhoidum: in quantum tamen expurgatur illud quod naturæ molestum, & in tempore simul opportuno, cum conferentia, ac tollerātia, criseωs inquam ratione, hæ non præter naturam, ac morbosæ, sed simpliciter affectiones dicentur, & naturæ opera. Contra verò fient præter naturam, quando oppositè simul occurrunt. Quare, vt ad scopum redeamus, cum in partu reperiatur tempus opportunum, tam respectu termini, quàm excreti; aliter enim non partus, verum abortus: rursus cum & commodum, ac vtilitas (ponderosum cum illud, ac iam molestum vterus expellat, etsi cum dolore, ac labore) partus nullatenus morbus, neque actio præter naturam: verum solius naturæ & actio,

contrà, aliqua præter naturam accidant, aut actio sensibiliter fuerit læsa, tunc partus potius affectio præter naturam appellabitur, & in morbum proculdubiò terminabitur, ceu parens illius.

Porrò, quod partus propriè non sit crisis, sed metaphoricè, alter error Lemosij, ex eo constat, quia ex Galeno libro primo de cris. capite primo hęc definitur, *mutatio subita ad salutem*, quasi crisis sit morbi terminus, & mutatio status insalubris in salubrem. & cum conceptio morbus non sit, nec quispiam vnquam circa istud delirauit, proinde neque partus, conceptionis terminus, propriè crisis. quia vtraque sub latitudine hauddubiè continetur sanitatis per se. hócque prudenter sagax Natura prouisit. Metaphoricè igitur crisis dicitur, quia vti hac media, in meliorem ac perfectiorem statum fit mutatio, sic partus ratione, & fœtus, & fœta in meliorem ac perfectiorem reducuntur statum: cum ille ab obscuro carcere liber luce fruatur, qua nihil iucundius, hæc verò à molesto pondere immunis reddatur.

Quare si neque partus morbus, neque crisis, quali veterno fuerit correptus Lemosius, nescio; dum ex his inferat, quotiescunque partui aliquis superuenerit morbus, iam affectuum adesse connexionem: à quibus, ceu pręter naturam distinctis terminis, & distincta, ac diuersa erit computandi ratio. Reapse vir iste, vti duplicem statuit carcerem computationis dierum, sic duplici errat nomine. nam si morbus partus, qua ratione crisis? cum hæc sit potius alterius terminatio, & actio emanans à natura: vti morbus affectus potius, & terminus affectionis, dependens à caussa præter natu-

ram. Deinceps si crisis partus? qua ratione à crisi exorietur computatio dierum decretoriorum, & numerabit quis morbos, & erit hæc crisis ad alteram crisim? partus igitur terminus erit conceptionis, & metaphorica crisis. Verum, cum per hanc crisim tria expellantur foras, fœtus quamprimum, chorion cum appendicibus, & lochia. prioris expulsio simplici nixu contingit, alterius, vt plurimum consequitur statim, & ita hæc crisis breui clauditur temporis interstitio: vltimum illud, quod expellitur, lochion inquam, longissimam temporis requirit intercapedinem, intra quam, testante Hippocrate lib. de nat. pueri numer. 10. puerperales accidunt morbi. Ex hac itaque vltima crisis parte potissimũ, cum virtute contineat caussam morborum succedentium antecedentem exordienda computatio: à partu verò, quia lochia continet, & ipsis suam tribuit originem. quorum itidem lochiorum vltima meta æstimanda, vt innotescat, an huiusmodi excretio secundum naturam, vel secus. cum scribente eodem dictatore, citato lib. de nat. pueri, numer. 10. protoganda ad vicesimum in masculino nixu, vel ad quintum supra vicesimum in fœmineo, si sana fuerit fœmina, & sana in futurum. Sin autem Lemosius velit hos lochiorum dies obseruare, vt res secundum naturam, tunc potius consulendi, ea, qua nuper diximus arte, haudquaquam vt morbus connexus, aut vt quidpiam dependens à morbo, ceu eius germen. quia huiusmodi excretio, nec morbus, ceu actio, nec illius appendix, ceu dependens à partu, actione itidem secundum naturam. quod si præter naturam fiat, & morbi alicuius necessariò germen erit, & aliorum morborum efficiens caussa.

Anilis

Anilis igitur Lemosij doctrina, & meræ nugæ; cui soli ambitiosè, vt ipse gloriatur, sibi visum est, huius difficultatis apicem attigisse. Hærendum itaque Hippocratis prognostico oraculo, hærendum clarissimo Galeno; qui ambo, in connexu morbi cum ipso partu, vnicum statuunt ac simplex principium, à quo computãdi dies, partum videlicet: quia morbus inchoatiuè à partu, tanquam à sua origine ortum trahit. Quid quod & in connexis affectibus, vnum ab altero dependente & in fieri, & conseruari, haudquaquam expectanda duplex solutio: quia vti vnica eorum est numerandi ratio, ita vnicus finis, vnica & simplex terminatio eorundem: methodus pariter curandi vnica, prophylactica tamen & curatiua implicita. nam dum partus caussæ præter naturam rationem habet, morbum germinantis, ipsi debetur προφυλακή, præcautio, & ab ipso inchoandum, mox ad morbum conuerti oportet. Et istud commune habent affectus omnes, seu morbi, caussam habentes præsentem, qui sanè vnica soluuntur methodo, ex duplici parte constante, preuisiua, quę caussam respectat, & curatiua, quæ morbum.

De Artificis scopo, & Artis fine quo ducimur ad comparandam methodum morbos curandi enixarum acutos.

Cap. XXIX.

Disceptatis iam suprà quibusdam, quæ ceu prodidagmata ad perfectam morborum enixarum curationẽ erant profutura, ac opportuna: tẽpus est, eò quò nos instituti ratio ducit, seriò conuertamur. Curatiuum igitur pensum, modò euolua-

mus oportet. Cæterum, vt in hac via non deficiamus, & methodo procedamus optima (qua duce rationalis Medicus, ceu rutilante astro ardua quæque calcabit intrepidè) operępretiũ duximus nos quamprimum, & quod primum in intentione, & quod vltimum in opere ſedulò inquirere, & inuentum, ceu ratum ac firmum denuò ſtabilire. In mente namq; cuiuſuis prudentis viatoris ſtatim ſe offert primum propoſitum, cuius ratione illud, quamuis laborioſum, iter aggreditur. hoc inquam, quod & ſcopum appoſitè vocant, & in artificis mente illicò repræſentatur, illud idem eſt, quod in arte fit vltimum. rurſus & quod in analytica methodo vltimum, primum in curatrice, acclamante Galeno lib. 11. meth. ca. 10. cum illa ab effectu progrediatur à citimis ad remotas vſque cauſſas, hæc contrà à primis cauſſis ad vltimos vſque effectus. Hæc curatrix methodus compoſitoriam redolet, ac imitatur methodum, vti altera reſolutoriam. illam totis viribus ſeruandam Medico in cunctis morborum curationibus præter Galenum clariſſimum, monuit vnà Naturæ genius lib. 7. Metaphyſ. ca, 7. quod & exemplo idem Galenus luſtrat, eodem citato lib. 11. Methodi. Quare cum in hoc libro 3. nobis ſit mens acutos enixarum morbos rationali methodo exoluere, hoc idem hauddubiè huius methodi erit primum propoſitum, & Artificis vnà ſcopus, præmiſſa in eodem iterum Medici intellectu & altera analytica, quę propriè diagnoſticam Medicinæ partem reſpectat, & explorat.

Verum cum intellectus hic noſter, & prius, & facilius, confuſa tamen quadam cognitione vniuerſum cognoſcat, vt quoddam totum, & confuſum; vt

accu-

accuratè, ex Aristotele interpretatur Simplicius, com. in lib. 1. Phys. ca. 1. quia simul & illud natura notius. simili ratione, hoc primũ propositũ, quod se Medici menti offert, quædam est, ac confusa, seu communissima morbi notio, vnà cum eius caussa, si hanc præsentem habuerit. sub qua eâdem vniuersitate cognoscendi, & morbum hunc auferendum esse pręcipit, ceu rem præter naturam, & hoc itidẽ per sua contraria, ceu efficientia sanitatẽ. Hęc prima indicatio in hac curatiua methodo, quę & indicãtẽ, & indicatũ amplectitur, cõmunissima, & inartificiosa. Sed cum progrediatur hæc methodus ad deliberationem vsque priuati, & indiuidui auxilij per varias, ac peculiares indicationes, aduocatis vnà scopis, experientiam respuit, ex Galeno lib. 2. Methodi, ca. 7. vti & præter hunc analogismum, ex auctore libri ad Thrasib. ca. 10. & 11. Quamuis & ista, nec à suo iusto loco rationalis Medicus repellat, verum nec confundit, cum & seorsim singula probè examinet, quando videlicet indicationis nullus locus.

Communissimus itaque scopus in curatrice methodo, si cum Auctore ad Thrasyb. ca. 11. loquamur, res nocens, & res iuuans in vniuersum, in quæ mẽtis oculos intendimus, seu primi indicantis morbi, rei quidem nocentis, & primi indicati eius oppositi, & iuuantis, notionem vniuersalẽ. quæ notio minima, inartificiosa; cum & in omni arte prima iudicatio omnib. insit à natura hominib., testãte aduersus Thesalũ acutissimo Galeno li. 6. Meth. c. 1. & 2. Hinc Medici munus erit (cũ longè ab ignara distet plebecula) scire quibus rationibus, quáve arte sibi propositum consequatur finem, per agendorũ

insinuationes,per quæ agenda, analytica methodo seriò perueniet ad infimas vsque rerum insinuationes. quæ infimæ indicationes Medico rationali methodo vtenti magis propriæ, ac vtiliores dicentur, cum vniuersalis altera cuiuis è plebe peruia sit, ac communis.

Quamobrem nos, sectam hanc rationalem diuinissimam æmulantes, methodo per indicationes parta, morborum acutorum, curationem puerperis contingentium, tradere nunc accuratè, quantum fas est, intendimus: vnde in illa prima, ac communissima notione pedem sistere ne lubet, imò vltrò progredi, & primum alterum propositum, rationalis methodi insequendo viam, quammaximè proprium sedulò inquirere. hoc præstabimus, morbi quamprimum obseruata natura; quæ in hac nostra hypothesi, sub genere magnarum causarum insalubrium reponenda hauddubiè. Et cum in his cunctis sit fiens, & factum, vtrumque valdè æstimandum. cuiusque horum per se simplex adest notio, si connectantur composita, cum fiens causam insinuet efficientem, factum verò morbum. quæ obseruatio magni momenti est, cum ad curationem quammaximè spectet morbum à sua caussa distingnere: quia illi simpliciter curatio, huic verò præuisio, præcautio, seu prouidentia. quid quod, nec factum soluere possibile, quin efficiens, aut fouens caussa prius tollatur.

Quare cũ morbi hi omnes acuti puerperarũ, caussã proculdubiò sibi cõiũctam habeant, aut efficiẽtẽ aut saltẽ conseruantem; & hanc vnicã agnoscamus, puerperiũ videlicet. in his morbis proinde cõpositam nos habere apprehensionẽ, est morbo inquam, & e-

& eius causa necessariò arbitramur. quo primo inuēto proposito, seu indicāte connexo, morbi magni cū sua causa magna, vt absoluta existat medēdi methodus, iā rurs⁹ ad aliud trāseūdū, ad adæquatū scil: indicatū, ad caussas inquā salubres, q̄ iuuātes ac valētes quidē morbū vnà cū sua caussa remouere. Sed cū morbis cūctis causā habentib. adnexā, humores, vacuatio illis caussa salubris, ceu opposita; iuxta illud Senis optimi lib. 2. Aphor. sen. 22. *Quicunque morbi ex vacuatione fiunt, repletio sanat, & ex repletione vacuatio.* proinde de vacuatione, ceu indicato deliberandum. Et cum hi morbi magni & acuti, ex hypothesi, magnum nihilominus indicabūt & auxilium: cum virib. & facultate istud, morbo debeat necessariiò ęquiparari: magnū igitur vacuans. quod ex Galeno passim duplex tantū, venæ sectio, & purgatio. proinde aduocatis horū auxiliorū scopis, tum ęstimatis reliquis inferiorib. indicationib. de altero horū cōueniētiori, cōsultò deliberabim⁹. Hoc dilucidè summus dictator illustrat, tū lib. de nat. pueri, nu. 13. dicēs, iuxta nostrā hypothesim, *si non purgetur mulier à purgationibus partus, morbus magnus ipsam corripiet, & periculum vitæ incurret, nisi citò curetur, & quis conuenientē ipsi purgationē inducat.* tū rursus lib. 1. de morb. mul. nu. 66. *Quandoque*, inquiens, *nō exit puerperij purgatio, sed mulieri mortem portendit, nisi quibus breui venam secet, aut ventrē emolliat.* In his igitur locis eleganter Præceptor declarat, quid rationali Medico sit quamprimum ante oculos sibi proponendum, morbum videlicet magnum, cum sua caussa, puerperio videlicet occiso, tum oppositam eiusdem vacuationē, quā duplicē cōstituit, venæ sectionem, & purgationem. accuratè autem

de hiſce vacuantib. auxiliis decernit, quia pro certo ſtatuit, puerperium iſtud vnicam eſſe efficientem cauſſam horum acutorum morborum, ſi reſtringatur. hæc nãque acciſio repletionem inducit, repletio vacuationem indicat, & magnam, qualis illis paratur auxiliis, quia magna ſupponitur cauſſa, ex magnitudine præſertim germinati effectus luceſcente. Porrò cum per eumethodum quãprimum cauſſæ ſit præuidendum, proinde Hippocrates huic quam citò occurrendum cenſet, magnis illis auxiliis, quia morbi magni cũ ſint, & acuti, niſi citò curentũr aut ſecando venam, aut purgando, proculdubiò puerperæ incurrent in maximum vitæ periculum. Idem iſtud licet & Hippocratis exẽplo confirmare; deſumpto ex libr. 2. Epid. ſect. 4. dũ famulæ Stymargi refert hiſtoriam. huic igitur, cũ filiam peperiſſet, vteri oſculum fuit contortum, & inter coxendicem & crus dolor deſcendit, & ab hac cauſſa circunciſum puerperium, rurſus vniuerſum corpus ab eius acciſione tremores detinuit: quæ, ab Hippocrate tali ſecta vena, fuit à morbo illicò liberata. Reddens rationem Præceptor, quare venã tali ſecuiſſet, inquit, *Sed ad cauſſam veniendum eſt, & cauſſa principium.* quaſi dicat, cauſſa, videlicet puerperij detentio πρόφασις tremorum, inſinuabat eſſe vacuandum, magnitudo morbi vnà cum ſymptomatis illius vehementia, illicò: προφάσιως τὴν ἀρχὴν, occaſionis, ſeu cauſſæ principium, quia vteri os erat contortum, obſeruato ſitu partis affectæ, ex talo ſanguinem eſſe hauriendum. Sola itaque methodo rationali ductus citra analogiſmum, aut experientiam iſtud præſtitit ſeriò ſummus dictator. obſeruato namque vrgenti ſymptomate, ſtatim deuenit

in

in caussæ efficientis cognitionem, & eius caussæ principij. quæ caussa cum esset accisum lochion, corpus peragrans, hoc illicò vacuationem indicare existimauit, & cum hoc æstimasset sanguinē esse puerperalem, in quo adhuc idea sanguinis seruatur vacuationem per venæ sectionem decreuit, auxilium quod tutò, citò, ac æquè illud vacuare potens est. præterea cum obseruasset, & huius caussæ principium, luxationem videlicet vteri in coxendicem, claudentem eiusdem vteri os, & vacuationem lochiorum prohibentem, quod innotuit ex dolore inter coxendicem & crus descendente, apprimè sumpta indicatione à parte primò laborāte, & vrgentis illius symptomatis caussæ principio, in rectum vsum illius auxilij deuenit, & venam tali secare iussit. Cęterum cum hic scopus vtendi modi, iam à communi altero scopo, & primo nobis proposito longè recedat, ne ab instituto abalienemus, cōcludamus modò, Artificis scopum primum esse inuenire enixarum morbum vnà cū eius caussa, & pariter illius contrarium, seu qualitatem remedij, sub ratione communi, neglectis aliis priuatis scopis, qui ad absolutam curatiuam methodum obseruandi veniunt: de quibus, in sequenti capite, vberrimus erit sermo. Nam si Artis, à nobis modò suppositæ, finis est morbos enixarū tollerre, caussam habentes, tum lochiorum accisionem, tum per consequens & eorumdem redundantiam, scopus pariter Artificis, & primum eius in mente propositum illud idem erit, quod in Arte est vltimum, videlicet idem morbus acutus cum sua caussa, ceu indicantia, & vacuatio mox, ceu indicatum, oppositum sanè illorum auxiliū, & salubris caussa.

De methodo curandi morbos enixarum acutos per venæ scißionem, deductis quatuor medendi scopis.

Cap. XXX.

VLterius iam procedamus ius est, & methodũ replicemus, ad congruum vſque ſpecifici auxilij vſum. Suppoſita itaque vacuatione magna, ceu primo propoſito, & generico indicato, ad ſoluẽdos enixarum morbos acutos, illam indicantes: (quæ vacuatio magna, tantum amplectitur venæ ſectionem, & purgationem) explorandum modò quamprimum, an in hiſce morbis ſanãdis promiſcuè his vti auxiliis liceat, an ſi forſan alterum, quale eorũ eligendũ. Dictator ſummus lib. de nat. pueri, nu. 13. purgationem videtur tantum conſulere, promiſcuè hanc cum venæ ſectione lib. 1. de morb. mul. nu. 66. Cæterum, quia Methodi vtilitas eò nos aduocat, ex Galeno lib. 6. Epid. com. 5. ſen. 1. vt qualitatem, ſeu ſpeciem remedij ſtatim inueniamus, & mox eiuſdẽ quantitatem, occaſionem, ac vtendi modum compenſemus, ex quibus omnibus curatiua perficitur methodus, ſeu remediorum congruus vſus: cũ omnis auxilij materies, ad hoc vt poſſit auxiliari, his quatuor dotibus cõſtare debeat: in ipſo primo ſpatio pedem nunc ponamus oportet, ad reliqua porrò ſenſim deſcendendo.

In curatrice itaque methodo, vt à ſuis primordiis rem ordiamur, licet perpetuò acclamante Galeno li. 4. Meth. c. 4. ab indicatione, quæ ab affectu, cui mederi paramus accipitur, nos auſpicari. dũmodò tamen, quod prima indicatio præſcribit ſperare poſſimus:

ſimus: quia vbi nulla eſt futuræ ſalutis ſpes, fruſtra auxilia quærit Medicus, ad illum profligandum morbum.

Arguet fortè quis hæc ſuperius dictis reluctari, cum quod vltimum in analyſi, in curatione ſit primum. quare indicatio à morbo prima in analyſi, vltima erit in curatione, & quæ à cauſſa ſumitur, & à cauſſæ principio, prima potius. verũ hæc nullam queunt habere dubitationem, ſiquidem, cum omnia Artis præcepta ad finem dirigantur, propter quẽ haud dubiè Artifex operatur, quamprimũ hic debet repręſentari eius menti. cũque vltimus finis curatiuæ methodi ſit morbi ablatio, meritò prima, ſeu præcipua indicatio à morbo erit, & ad hũc tollendum, vti vltimum finem omnia dirigentur Artis præcepta, vnde hic carcer, & methodi incitamentũ à Galeno appellatur li.3. Meth.c.1. & alibi. Sed cum amoueri nequeat cauſſa præſente, quin prius remoueatur & ipſa, iuxta eundem Galenum lib.7.ca.4.& 11.Meth.ca.10.& 12. cum in omni curatione ſit prius æſtimandum, an cauſſa efficiens, aut conſeruans adſit, vel ſecus fuerit abſens. ſi adſit, à cauſſa, vel cauſſæ principio potius exordienda curatio, vt citato lib.4. Meth.cap.4. idem fatetur Galenus. Huius methodi ratio, in promptu quidem, quia dum morbus fiens, neceſſariò & eius cauſſa adeſt efficiens, & tunc duo ſe offerunt ſcopi, alter morbi, alter verò cauſſæ, hæc natura prior morbo, ergo & prius indicat ſui ablationem. nequit enim vlla ratione tolli effectus, quin prius auferatur eius cauſſa: vnde curatio à cauſſa inchoanda. & hæc dicitur tunc miſta ſanatio, & innominata. Sin autem morbus per ſe exiſtat, citra cauſſam,

cum tunc vnicus sit scopus, ac simplex, ab ipso exordienda planè curatio. quia vnum propter vnā ac simplicem naturam, qua fruitur, vnum semper indicat: neque potest modò hoc, iam rursus aliud indicare. Morbo igitur simpliciter curatio debetur, ex Galeno lib.3. Meth. & lib.2. Aph.ca,1. sen.22. vti & præuisio caussæ. Quare, vt iterum postliminio redeamus, cum in morbis puerperarum acutis, à lochiorum restrictione obortis, semper vtrique adsint scopi, cogimur necessariò à caussæ scopo, vti prius prædictionem indicante auspicari curationem. Hæc caussa, ceu res præter naturam, & tollendam esse indicat, & per suum itidem contrarium, vt citato lib.2. Apho. retur Galenus, tum lib.11. Meth. sen. 22. ca. 4. Verum cum hæc vniuersalis doctrina inartificiosa sit, & anilis, & procedendum nobis quousque remedij speciem inuenerimus, valentem caussam hanc tollere: proinde replicanda hæc methodus.

Inprimis itaque methodus hæc, docet, quod ad deliberationem opportuni, & adæquati auxilij, naturam indicantis illud rimemur sedulò: & cum huius caussæ natura consistat in quadam redundātia inutilis excrementi puerperij, quod excrementū cum duplici arte emendari valeat, vel coctione, vel vacuatione, insinuante Galeno libr.11. meth. ca. 8. coctionis enim beneficio vtiles naturæ fiunt, vel saltem fluxiles, & ad expulsionem idonei parantur humores: vti vacuatione, extra partem affectam remouentur, & abiguntur, quæ duplici iterum in vniuersum conficitur arte, aut vacuando æquè humores omnes, cuius auxilij variæ recensenter species, venæ sectio, cucurbitula,

hirudo

hirudo,balneum,exercitatio,frictio,inedia, &c.vel rurſus alterum quemque humorem, iſtud inter reliqua purgatio per cathartica præſtat exactè,minus multò clyſteres : vti ex particularibus partibus errhina, & apophlegmatiſmata. Vtraque vacuatio, quoad vtendi modum, ſiue ſenſibilis illa, ſiue inſenſilis,vel à toto expetitur corpore,vel à ſingulari parte : rurſus hæc vel extra corpus humorem educit, vel ad alteram ignobiliorem transfert partem. Tandem præter hæc,& obſeruãdum venit & aliud, circa naturam huius cauſſæ, remedium indicantis, an humor ille peccans, & auxilium indicans, ſiue qualitate prauus ſit,ſiue quantitate inutilis,ſit ſolitus à natura, per aliquem ſtatum meatum expurgari.nam ſi aſſuetus, cùm inſequenda ſint naturæ benæ operantis veſtigia, & iſtud ſit in arte præſtans, haud dubiè alteratione neglecta,ac coctione,quàm primùm vacuationi inſiſtendum per partem iam à natura deſtinatam: cum tunc illa redundantia ſimpliciter vacuationem ſibi contrariam indicet,&naturæ cõſuetudo,proſequutionem. quod ſi hoc conſequi nequeat, quouis modo iſtud contingat, ſaltem motum non retorqueat artifex, verum per vicina deriuet loca.

His conſtitutis,accedat iam methodi ratio, circa noſtram hanc Hypotheſin.In ipſa,vacuationis ſpeciem decernemus, æſtimata indicatione naturæ redundantis humoris, puerperij inquam, aſſueti ſanè per vterum à natura commodè per dies plurimos à nixu expurgari. Si igitur adhuc ſanguinis ideam illud ſeruauerit,& fortè reliquos adhuc vincens humores,tunc,iuxta Galeni decretum lib.4.de tuend. valet.c.4.aptiſſimè, aliquam, ex dictis,vacuationis

ſpeciem, eque omnes redundantes humores vacuare valentem, conſulemus. ſingularem remedij materiem eligemus, ex morbi natura quáprimũ petita indicatione, mox & ex eius cauſſa, cuius naturam ſemper imitatur & ille: & cum morbum modò ſupponamus acutum, à magna cauſſa productum, inde magnum, ac celer expoſcit auxilium. quod, vnicum cum ſit, tantis dotibus præditum, miſſio videlicet ſanguinis, hoc proinde neceſſariò eligendum. præſtans quidem valenter, ac citò redundantem illam lochiorum copiam morbi acuti feracem deplere, haudquaquam retorquens motum illum ſecundum naturam puerperij à ſuo naturali meatu, ſi à partibus infernis exerceatur & illa, vt alter docet ſcopus modi vtẽdi. per quam rationem, longè alteram, quæ fit per cathartica, antecellit: cum hæc, tantum abeſt per eundem euocet meatũ, quin ab illo potius abducat. hinc videre eſt, etiam in cacochymia, non reuulſionis tantum beneficio, hoc enim cuique mentis compoti peruium, verum & vacuationis, licere vti venæ ſectione, cum in puerperis rarò, tutum habeant cathartica locum.

Doctrinam hanc nihilominus expungit Hippocrates, dum, vt nuper diximus lib. de nat. pueri nu. 13. ſimpliciter purgationẽ conſulat, & li. 1. de morb. mul. nu. 66. promiſcuè vtráque amplectatur. Reuera tamen fatendum, purgationem (etſi rarius,) etiam locum obtinere in hac noſtra hypotheſi, in ingẽti videlicet humorũ corruptela, aut maxima humorũ crudorum copia, haudquaquam ſanguine ſuã ideã ſeruante, vt in leucophlegmatia videre eſt; in quibus morbis nuſquã ius haurire ſanguinẽ. rurſus, cũ imbecil-

imbecilles valdè fuerint vires, & tunc clementioribus catharticis, ac sensim potius, per epicrasim fortè, sarcinam deponere licet. Denique quando nullus adest peculiaris affectus venæ sectionem postulans, nulláve adest spes, humores repurgandi per vterum, quia ceu cacochymi per quandam palindromen vergunt aliò: aut assueta fuerit fœmina, nulla, aut minima reddere lochia. quamuis & huic fas sæpè per venæ sectionem, circuncisionem illam lochiorum retribuere. Verum simpliciter loquendo, longè præferenda venæ sectio, purgationi.

Ad locum de Natura pueri dicemus, Hippocratem ibi vsum fuisse vocabulo χάθαρσις, quod & apud eundem Hippocratem omnem vacuationem, tam humoris qualitate, quàm quantitate inutilis, siue arte, siue natura molitam, significat; vnde lib. 5. Aph. sen. 60. & 61. etiam ab ipso dictatore de menstrua dicitur purgatione, vti & de hac, & de altera quæ à partu fit à Galeno, & lib. de atra bile, c. 8. & lib. 3. Epi. com. 3. sen. 73. Amplectetur itaque Hipp. eo loco omnem modum, quo nos valebimus suppressum lochion emendare; inter quos primatum tenet venarum inferiorum sectio, quia recto tramite, ac proximè ab vtero, ac vicinis partib' restrictum lochiorum sanguinem haurit. qua non conferente, mox ad ea, quæ ventrem emolliant, ad cathartica inquã, cõuertemur. hoc manifestò idem Præceptor innuit, vt hunc, per ipsummet interpretemur, dum citato lib. 1. de morb. mul. n. 66. referat huius χαθάρσεως conferẽtes modos: inter quos primas tenet venę sectio tali, mox mollitio vẽtris p cathartica, rurs' clysteres &c. quasi χάθαρσις hoc loco sit oĩ arte accisũ lochion vacuare, siue sectione venę, purgatione, chismatis,

vomitione,siue concitatis hæmorrhoidibus, pessis in vterum iniectis, antidotis tandem idem pollentibus, ac fotis, quibus vniuersis auxiliis,ac variis idem præstare passim conatur dictator summus, tum lib. de morb. mul.tum lib.1. Epidem.comm.3. ægro.4.& 5.& alibi. Quare ex his habemus iam auxilij speciem inspectam, quando videlicet tundenda sit vena, quando itidem purgare fas; alter quidem,ac primus medendi scopus.

Παρέκβασις occurrit. Alexander Massaria Italorum doctissimus libello gynęció c.13.exagitat quęstioné hanc, an acciso puerperio hæmorrhoidas mouere liceat, an & purgare. partem tuetur negantem aduersus Valleriolam,& Mercatum.rationé assignat, quia hæc cum ab vtero reuellant, ac deriuent, lochiorum purgationem potius retorquent, quam ius est concitare, & omni studio prosequi tenetur Medicus.

Vir tamen iste clarissimus hallucinatur;nam prętérquam quòd Hippocrati Parenti optimo reluctatur, consulenti vsum catharticorum (vt nuper diximus) & quod magis est,etiam & vomitionem,ac sudores, ratio pariter sibi ipsi opponitur, experimento nihilominus comprobata.opponitur quam primùm,cum ipse venæ sectionem consulat,quę& reuellit ab vtero,& deriuat;& vacuat,etiam quę in malleolis exercetur.cóprobat Galenus lib.13. meth. ca. 11. dum in vteri inflammatione venarum infernas sectiones proponat, propter hunc triplicem scopum. Rursus infirmatur ratio. nam quis amabò in maxima humorum corruptela, in leucophlegmatia inquam, nullatenus sanguine suam seruante ideam,in virium itidé languore,in fœminis etiam,

quibus

quibus à natura, aut ab aliquo vitio menstrua interdicitur purgatio, aut in his tandem, in quibus aliò ab vtero succus cacochymus per palindromen irrepserit, iterque reflexerit ab vtero : his inquam infernas venas scindere fuerit ausus ? cogit itaque methodi vis cunctis his aluum emollire, aut forsan eò vergente humore, hæmorrhoidas reserare. neque mulieri quidem optabilius quicquam accidere potest, ipsis deficientibus lochiis, aut etiam mensurno sanguine, quàm si hæmorrhoide, conuenienter tamen ductæ, inutile illud eliminent: cum commodè per hanc partem deriuetur humor, & sarcina iugiter vtiliter deponatur. vnde aliquando experimur, ac sæpè, enixas aliquas, nequeunte natura onus demittere, aut multitudinem deplere per vterum, tutò, ac commodè pensare, aut ad hæmorrhoidas conuerso fluxu, aut ad aluum. Massariæ igitur opinio stat, in reliquis tantum à prædictis caussis: quia in cunctis illis prestantius multò venæ sectionis auxilium, quàm purgationis, aut fluoris hemorrhoidarum: cum illud sanè exactius naturæ consequatur scopum, & sanguinis impetum versus partes infernas perbellè dirigat.

Porrò, exposita remedij qualitate, seu inuento venæ sectionis auxilio, iam methodus amplius nos aduocat, vt ad eiusdem quantitatem, eumethodo deliberandam, conuertamur. Scopum hunc τεκμάρσι, & sola artificiosa coniectura paramus. metimur namque huius auxilij quantitatem, ex affectu præcipuè, ex eius etiam caussa, tum ex corporis viribus. Sanguinis autem missio per se, ac primò morbum, proximè morbi caussam respectat, quam in hac nostra hypothesi puerperium constituimus: ad huius

caussæ absolutam dignotionem, quammaxin spectat consuetudinem etiam in hoc reddendo l chio, æstimare. quod si ægra primipara fuer aut eius consuetudo non innotuerit, ad illa tunc Hippocratæam artem nos conferemus, qua suprà hoc eodem lib.3.ca.16.lustrauimus. cunctis gitur illis probè consultis, abundè ad redundan tiam lochiorum nos deueniemus, ex qua ad pro portionem, remedij quantitas petitur, vnà viribu consentientibus. Quare huius auxilij quantitas in dicabitur proximè, ac fortè primò à caussa morbi secundariò à morbo, ab vtrisque, ceu hanc postu lantibus, vel illam potius quantitatem remedij à vi ribus tandem, ceu consentientibus, eandem; si robu stæ ipsæ fuerint, sin minores, ad portionem saltem vitium educatur sanguis.

Occasio, tertius scopus semper adest, si adstante postulante, omne pariter absit impediens. hoc innuit insignis Galenus lib. Artis Medic. c.85. dum dicat: *si tali, ac tanta re allata egeat corpus, nimini dubium est, quin etiam in tempore opportuno afferatur occasio.* quasi in vnum coincidant indicantia qualitatem, ac quantitatem remedij, cùm ipsa vniuersali occasione. nam inuenta auxilij qualitate, venam scilicet esse secandam, & quantum per eam sit vacuandum, cum præsentia sint postulantia, & impedientium tunc supponatur absentia (nam aliter de quali, aut quanto non decernemus) necessariò & eiusdem auxilij occasio in vniuersum præsens erit. Nec moror modò an occasio distinctúsne scopus sit à quali, & quanto, vt Galenus citato suprà loco Artis Medicæ, li.1.ca.39.& 40. partem negantem tueri videtur, cum & hæc iam alibi copiosè satis disser-

taue-

tauerimus.sufficiat nunc intelligere, ad perfectum methodi vsum,perpendēdam esse occasionē,&plurimum pariter æstimandam,háncque affabrè parari ex præsentia postulantium auxilia,&eorundem impedientium absentia.

Iam tandem ad vltimum accedamus scopum, vtendi videlicet modum. qui ita difficilis, vt plurimos,ac clarissimos sanè doctores premat,& eorum ingenia assiduè pariter exerceat in vsu ipso Medico; dimicantes passim inter se,an in connexu affectuum ex superioribus, an ex inferioribus potius vasis sanguis hauriendus. eò præsertim, cum nullibi Præceptor, aut doctrina, aut exemplo rem lustret:ea sola dempta historia Idumeæ famulæ Strymargi; cui, cum respectasset caussæ principium, quamprimum tali venam secare iussit. Existente autem affectu simplici, ne difficilis quidem scopus, immò ferè omnes Doctores in vnum conueniunt scindendas perpetuò,in nostra hypothesi, infernas venas. quamuis piaculum cunctis mulieribus enixis venas quascunque scindere. Huius itaque methodi ratio ex Galeni doctrina dependet lib. 13. meth. capite vndecimo, docente remediorum vtendi modum ex partis affectę situ,&vasorum coniugio petendum. & cum in nostra hypothesi pars affecta sit vterus, pars vmbilico inferior, hominis centro, inferiores venas, poplitis inquam,aut malleoli,quarum cum vtero vicinitas maxima, ac coniugium,secandas esse eumethodus docet. hoc idem præstandum nihilominus, & motus naturæ innuit, cum & hæc bene operans sit imitanda semper.cum igitur ipsa fœliciter, ac secūdum naturam ad inferna moueatur,humores ducēdo per vterum,

eundem&nos demoliemur impetum humorũ.hoc miro artificio,venarũ infernarũ sectio præstat.Si igitur nihil,aut saltẽ pigrè,&parca manu natura respondeat, pessis nos,fotis mox, aut aliis quamplurimis auxiliis ab Hippocrate, tum lib. 1. Epid.tum 1.de morb.mul.vbertim descriptis; eandem excitabimus. his verò non proficientibus, ad vacuationem conuertemur,affinem quidem ad eius supplẽdum defectum.inter huius species, tum quia citò, tutò,iucundè,multum,& cum maxima vtraque rectitudine,opportuna sanè ad morborum præsertim acutorum solutionem, præstantior multò reliquis, ipsa venæ sectio. Cumque acuti morbi dilationem non patiãtur,multóque minus puerperarum morbi,tam propter eorum acutiem,quàm cacoëthiam, citra ingens, ac manifestum discrimen naturam nõ sustinent: proinde adiunxit Hippocrates in ea sententia,lib.de nat. pueri, num.13. *Et periculum vitæ incurret,nisi citò curetur.* quæ celeritas,ad opportunum auxiliorum tempus quammaximè respectat. nam verbum illud *curetur*, non solum inuentionem remediorum dicit,verum & eorundem vsum, ad quem vnà tempus opportunum reducitur. aduerbium autem illud *citò* respectat morbi acutiem, cui pari passu citò succurrendum, antequam inualescat,aut ęgrum ducat in perniciem.

Hæc est itaque curandi methodus hos puerperarum morbos acutos,siue pręsentes ipsi sint,siue imminentes,iuxta vniuersalem medendi rationem,ex quatuor illis scopis deductam, morbo iugiter & eius caussa in vtero actu existentibus; haudquaquam ad alias corporis partes per aliquam palindromen humore ruente, nouúmque ac idiopathicum

cum

cum ibidem concitante affectum. Quod si fortè sympathicè ab vtero pars aliqua lancinetur, cúm caussæ principio sublato, vnà tollatur reliquum, curatio ne quidem tunc inuertitur; imò vterus, ceu maliparens tantum attenditur: vt videre est in illa historia sæpius repetita Stymargi famulæ, quæ enixa cum esset, & corpus vniuersum cùm tremores detinerent, malleoli secta vena, ceu abacta iam caussa, à tremoribus eandem certò liberauit Hippocrates. quia cum primò afficeretur vterus, contorto ipsius osculo, tremores mox per consensum hauddubiè, Galeno expositore lib. de trem. & palpit. ca. 5. accidêret, circumciso sanguine pituitoso puerperij, & per corpus vniuersum oberrante, ad principia vsque neruorum delato. desumpta igitur indicatione à recenti redundantia, venam tundere Hippocrates decreuit, & inspecto loco primario affecto, vsum auxilij demonstrante, hanc ex talo præstandã, nihilominus & statuit. neglexit verò tremoris symptoma, quia eius sanatio in ablatione caussę in vtero prius sitæ consistebat. vnde hæc tali sectio, cum caussam abigeret, & directò ab vtero eandem tolleret, & corpus vniuersum vnà à plenitudine æquabiliter liberaret, testante Galeno tum lib. 4. Aph. sen. 2. & 6. de loc. affect. ca. 5 tum lib. 2. de Nat. hum. sen. 5. nihil mirum, si morborum famulæ, & illud symptoma simul omnino exolueret. quid, quod, cum in fœminis, propter vteri vicinitatem, & vasorum eius loci copiam rigores, tum tremores à lumbis exoriãtur, perductis per dorsum inde, & spinalem medullam ad caput vsque, auctore Hippocrate lib. 5. Aphor. & 6. Epidem sen. 69. com. 3. sen. 19. hinc vtero inspecto, ceu mali fonte, seriò nos ex malleolo san-

guinem hauriemus, iubente eodem Præceptore.

Tandem est & altera ratio, hanc nihilominus cōmendans venæ sectionem, cum motum semetipsa naturæ, & quò hæc vtiliter vergit, eò ducat: quo laudibilius nihil. Quamobrem Medico sedulò obseruandum in affectuum connexu, an singuli propriam habeant essentiam, an & peculiaris quælibet pars per se, vel per consensum afficiatur, an secus. nam, si altera pars ab vtero per se idiopathicè, inquam, laboret, altera potius sympathicè, hoc ipso neglecto, per prædictam methodum ad curandum primarium affectum, idiopathicum videlicet, toto studio conuertemur. Hæc methodus maximi momenti cum sit, in hac actuosa Medicinæ parte, exemplo verbum sanè efficax, vt Bernardus refert diuinus, in ser. 56. sequēti capite seriò illustrabitur, in reliquis mox rationē reddituri dè morbis connexis peculiarem, ac distinctam sedem habentibus.

Vsus prædictæ methodi in vteri phlegmone in ipsis enixis.

CAP. XXXI.

EXemplum, topicum alterum, παράδειγμα Græci vocant. quod maximi momenti in omni arte, & ad probandum, & ad lustrandum. Sermocinatrices istud perbellè demonstrant scientiæ, oratoria inquam, ac dialectica. Medicina porrò cum ars sit, & factiua, & inter omnes reliquas ceu plurimis exornata dotibus, & præstantior, & nobilior eius præcepta & exemplis confirmantur valdè, & eisdē illustiātur apposìtè. Exēpla, testante Leone magno, maximo simul Pōtifice, in serm. de Ieiun. ad vtrúq; va-

validiora multò ſunt verbis. Lubet itaque modò, methodum, quam ſuprà de venæ ſectionis vſu, iuxta quatuor medendi ſcopos, in enixarũ acutis morbis ſanandis, vbertim tradidimus, & exemplo ſtabilire, & eodem pariter aperire amplius, vt ita & maiorem adhuc illud præbeat cunctis lucem, quia ad commodum methodi vſum, exercitatio, quæ per exempla fit, ex Galeno libr. 5. de tuend. val. cap. 10. vtilis maximè. Nos igitur hanc exercebimus in ſimplici affectu, inflammatione videlicet vteri. diximus ſimplicem, non in ſuo eſſe, verum quatenus non cõnectitur cũ altero, ſpecie aut loco diſtincto affectu, eóque primario, vel per conſenſum exorto.

In vtero itaque plurimi, ac varij (vt indiximus ſuprà) & partus, & abortus ratione, aut aliàs germinari queunt morbi. inter reliquos acutie, & aſſiduitate communes ſynochæ apparent febres, tum cauſodes, ex Galeno lib. præſertim 6. Epidem. com. 1. ſen. 2. Maligna itidem vlcera cum inflammatione, aut citra, veluti tandem inflammationes etiam citra vlcera, ex eodem Galeno lib. 1. Epidem. com. 3. ſen. 21. In febrium prædictarum curatione, cum in capaciſſimis vteri vaſis putredinis adſit Lar, citra controuerſiam, quouſque ablata fuerit plenitudo, contracta ab acciſione lochiorum, tundendæ ſemper venſunt inferiores venæ, quod apprimè methodus docet præcedens: verũ in reliquis affectibus, vlceribus, inflammatione, an idẽ præſtandũ, lis adhuc ſub iudice, neque facile eſt definire. Hinc, ceu rem difficilẽ, & arduã, ſub examine proponẽdã cẽſemus, & methodi pariter metiri regula. intereſt nãq; Medico pfecto quámaximè, nõ tãtũ vniuerſalia noſcere, verũ acclamãte Gal. li. 13. met. c. 11. quãplurimũ

& assiduè in particularibus se exercere. Sed rem ordiamur.

Cũ carcer, vnde promouetur medendi ratio morbus sit. hic etenim ad auxilia inuenienda, methodi subsidium. morbi idea proinde exploranda sedulò, & æstimanda; eius inquam, quem nobis sanandum proponimus. Modò adest nobis ante oculos vteri inflammatio, quæ hauddubiè funestam Medico minatur catastrophem. Hæc igitur, si aphlogosi dispa- ramus, intemperies calida est, ab humore iugiter calido germinata. vtrumque fit præter naturam. intemperies morbus, humor eius efficiens caussa. illa, etsi cum affluxu, per se morbus partis similaris ex Galeno lib. de morb. differ. cap. 13. per accidens autem quatenus tumor, fit partium organicarũ morbus; quatenus humor ille partes in tumorem attollit, & primò actiones lædit, replendo videlicet vasa omnia, tum inania spatia loci malè affecti, cum & tunc magnitudo, & figura partis necessariò vitietur, ex Gal. lib. de mor. diff. cap. 12. Et hæc est formalis ratio inflammationis, vt retur Galenus lib. 10. Matth. cap. 6. lib de inæquali intemperie, cap. 2. & lib. de tumorib. ca. 2. Modus autem generationis eiusdem, varius à Galeno itidem assignatur lib. 2. ad Glauc. ca. 2. dũ ex instituto rẽ pertractet, dicẽs, iuxta Ak-kiæ accuratã versionẽ, *Inflãmationũ igitur, quæ in cõspicuo sunt, πρόφασις, seu caussa quædã est nõ admodũ occulta, quæ fluxio appellatur: nisi aliquãdo cũ his copulentur, quæ ab alia euidente caussa fieri videntur.* Ex his Galeni verbis, arbitramur nos, constituisse duplicem inflammationum generationis modũ, alterũ ex fluxione, alterũ verò ex cõgestione: hũc, inuito Argẽterio, apertè declarat etiã eodem lib. 2. ad Glauc.

Glauc. de abſceſſibus tractans, tum & libr. 2. de diff. feb. ca. 18. & fortè li. de cauſs. morb. c. 6. hoc autē loco, dicens, *niſi aliquando cum his copulentur, quæ ab alia euidente cauſſa fieri videntur.* quæ quamuis idē Martinus Akakia, inter Pariſienſes, citra aliorū iniuriam, vir apprimè doctus, interpretetur de inflāmationibus, in quibus fluxio manifeſtum aliud habet principium, illam cōcitans, vulnus videlicet, ſponte natū vlcus, cōtuſio, cōuulſio, fractura, ruptura, luxatio, laſſitudo pariter ex immoderata exercitatione: quæ ſanè omnia cum dolorem in parte laborante concitēt, fluxionem ſimul accerſunt. Cæterum, quamuis hæc acutè ſint dicta, tamen præter rem, cum illa omnia fluxione intercedente, inflammationes germinent, ceu proxima cauſſa: nec proinde diſtinctas conſtituunt ſpecies, cū ad vnicam, illa omnia ſint reuocanda, efficientem cauſſam, proximam, & immediatam. Quare per hanc rationem, vnica tantum aſſignatur inflammationum cauſſa, fluxio videlicet. Galenum autem præter hanc, & aliam admittere fit palàm, ſi eiuſdem capitis verba perpendamus. inquit enim, dū ad curationem progreditur, *Ita quidem ſanare oportet, quæ ex fluxione fiunt, inflammationes. quæ verò alia ex cauſſa fiunt, humectare, & calefacere nihil prohibet. Et ſi ad ſuppurationem perducere volueris, cataplaſma ex farina triticea, quæ in oleo, atque aqua ebullierit apponendū. Et ſi quando ſacrificare oportuerit, neque hoc verendum eſt. Si verò eas, quæ ex fluxionibus fiunt, inflāmationes ſcarificaueris magnum afferes malum, ac per initia præſertim. &c.* Quid dilucidius, quidve apertius? Liquidò igitur ex his apparet, vt Galenum per ipſummet interpretemur, inflammationem alterā,

ex fluxione germinari, mox alterã, citra eandẽ, seu per congestionẽ. declarant istud verba, declarat methodus. illud in primis, diuidendo inflammationũ caussas Galenus, in eã quæ à fluxione tentatur, & in alteram, quæ mox ab altera caussa: quasi sub hoc vltimo membro fluxionem certò renuat Galenus. Methodus rursus, hoc idem palam insinuat, dum in primis capitis verbis methodum exercens Galenus dicat, *Sunt autem hæc duo maxima errata* (in inflãmationũ videlicet curatione) *si nulla de toto corpore prouidentia habeatur: & si calefiat, atque humectetur etiã mẽbrũ.* quasi dicat, illud negligere, prouidentiã inquã, totius corporis, & hoc præstare, calfacere, & humectare membrum inflãmatione obsessum, maximum est erratũ in curanda inflammatione, à fluxione oborta: haudquaquam in altera sananda, quę citra hãc germinatur, vt nuper diximus ex Galeno: quia cum nulla adsit fluxio neq; prouidẽtia totius corporis, vt vacuemus ac reuellamus necessariò, neque metus est, calfaciendo & humectando partẽ, accersendi fluxionẽ. Quãobrẽ ne veritas quidẽ reclamat, dari inflammationem in propria significatione, videlicet intẽperiẽ cũ materiei coniunctione citra fluxionẽ, vti febrem ex putredine, citra eandẽ fluxionẽ, vt eleganter Galenus docet li. 2. de feb. different. & fortè putridam, non per congestionẽ, verũ per inculcationẽ citra fluxionem, vt in synocho cõtingere aduersus Praxagoram eodem loco declarat: nam congestio in vasis ne possibilis, cum humores semper æstu quodam concitentur, & huc, illúcque perpetuò commoueantur. Hanc congestionis doctrinam, præter Galenum, amplectũtur omnes chirurgiæ artis Principes, ex Medicis plurimi ac insignes, Vallesius lib. 2. meth. ca. 6. Argenterius li. 2. de

causſ. morb. c. 6. Ioannes Riolanus lib. meth. medēdi in Fernel ſect. 3. c. 3. Gabriel Fallopius li. de Tumor. præter naturā, c. 4. & alij. Galenū carpit Argenterius, vt ſibi moris eſt, quod hāc nō explicarit lib. de cauſ. morb. verū ſi æquo animo, non contradicendi ſtudio ei⁹ verba ęſtimaſſet, neq; hāc eo loco reſpuit, ei⁹ hęc ſūt verba, poſtquā de morbis à fluxione obortis ſit fact⁹ ſermo, c. 6. *Augetur verò vitiū in mēbris cum infixa ipſis excremēta putreſcūt, ac ita deteriora fiūt. quāobrē affluētē poſtea humorē, vel vtilē, ſimul corrūpūt.* dū igitur inquit infigi mēbris excreméta, nōne & hāc cōgeſtionē intellexit, quæ putreſcat? augeri affluente poſtea humore ſentit. fluxio autem fit excitato calore in parte à congeſto excremento putreſcente, & deteriore reddito; quod ſimul & affluentem, etſi antea vtilem, humorem corrumpunt.

Verū oportet modò relicta fluxione, cōgeſtionis cās obiter exponere. hæc itaq; aut fit ob imbecillitaté facultatis cōcoctricis, quę in parte reſidet: vnde fruſtratur ſanè affluentis aliméti in partis ſubſtátiā aſſimilatio, ac nutritio. aut rurſus expultricis alteri⁹ facultatis infirmitaté: dū pars nequit ſuperflua excrementa excernere. vnde accreſcit indies illorum copia, & amplius infirmatur vtraque potentia.

Relinquitur tādē his expoſitis explorare, ſub quo cauſſarum genere, vteri inflammatio à partu, vel abortu conſequuta, contineantur, ſiue hæc à ſanguine ſecundum naturā, vel pręter, à ſincero, vel adnexo cacochymiæ, ſiue à caliditate, & acrimonia excrementorum, ceu prophaſis, aut à calcitratione viuentis fœtus, corruptione eiuſdē mortui, aut ſecūdarū, ſiue tādem à difficili, ac laborioſo partu, cōcitetur. Si liceat rē attentè cōſiderare, hāc citra fluxionem exoriri prorſus ſtatuemus Nam demittitur

paulatim per totum conceptionis tempus sanguis ipse, descēdit sensim allectus à genitura, sensim mox quotidie, inutili repulso, dulciori in sui alitionem conuerso seruatur in vteri vasis, ceu in promptuario, ibidem copia, ac temporis diuturnitate stabulatur, ad puerperij vsque tempus. nequeunte autem natura hunc, per suum statum locum reddere, neque valente eundem alterare, expultrice simul labefactata, & vnà impedita ab aliqua præter naturam caussà, valens quidem est, stabulato prorsus per omnia maiora vasa, minora pariter, ac inania eiusdem vteri spatia, & putrescere, & intemperiem vnà calidam excitare, ac inde, inflammationem. Cum itaque in huius à nixu inflammationis generatione, vasa illa vteri continentia: plurima habeât excrementa infixa, adeò, vt præ multitudine maxima, tum ingenti eorumdem copia, nequeant aliunde fluxuris amplius cedere, & eadem in partibus cunctis illis stabulata & infixa abundè sufficiant maximam germinare inflammationem; hanc penitus citra fluxionem cōtrahi, fit probabile. Estque hæc inflammationis generatio, quasi analogica congestio. cum fiat nequeunte facultate concoctrice omnem sanguinis portionem à fœtu allectam, in sui alitionem cōuertere; vnde frustratur, & aceruatur in vteri vasorū prōptuario. neque expultrix quit illa aceruata excremēta per totū cōceptionis tēpus, nisi raro, expellere. vnde & fiunt huius, aut alterius morbi feracia. Quare elucet ex his perbellè, huius morbi ideam, intemperiem esse, ab humore calido exortam, haudquaquam aliunde affluxo, verū iam in parte stabulato, tum in vasis præsertim exilibus, tum in eiusdem vteri inanibus spatiis putre-

ſcente. Porrò liquet affectam partem vterum eſſe, húncque idiopathicè affici, non per omnem huius organi partem neceſſariò, cum aut eius ceruix, aut altera ſuperior pars, ſiniſtra rurſus, aut dextera, tãtum obſedi queat. quas partiales inflammationum vteri differentias, ſigna demonſtrant ab Hippocrate propoſita lib.1. de morb. mul. num. 82. tum ab Aëtio tetrabibli 4.cap. 64. tum itidem à Paullo lib. 3. ſerm. 4. ca. 83. quos doctores ſeriò conſulendos arbitramur, dum nos interim methodum curandi eundem affectum, aggredimur.

Omnis itaque inflammatio, cum cauſſam habeat coniunctam, & hanc neceſſariò calidam, ablationem per vacuationem quamprimum eandem hanc indicare, ceu res præter naturam, nemo hauddubiè inficias ibit. quæ cauſſa cũ morbum germinet magnum, adæquatè ſimul vacuationem indicabit magnam. hanc rurſus, idea præſertim diſtinguet humoris peccantis. ſanguis igitur cum ſit, aut ſaltem redundantia, in qua ſanguis adhuc ſuam ſeruat ſpeciem, decernendum potius de venæ ſectione, & eo potiſſimum, quia citò, ac tutò vacuare potis. Hæc igitur in vteri inflammatione, adſtante altero ſcopo roboris virium, ſeriò deliberanda. Porrò, cum hæc cauſſa (vt ſuprà diximus) quieta tantum præbet vacuationis ſcopum, haudquaquam reuulſionis, quæ motum, ac fluxum reſpectat. vacuatio autem cum vicinitatem, ac maximum vaſorum coniugium requirat, aperire videlicet venam, qua aperta, vacuetur ſanguis, ac ſi vena loci affecti aperiretur, proinde crurum venas haud dubiè ſcindendas ſtatuimus: cum hæ ſolæ viciniratem, & colligantiã cum vteri vaſis obtineant. quia venæ vteri proce-

dunt ex ramo vtrinque descendente per crura, quare obseruato affecto loco, & nulla altera propinquiori apparente vena, neque maioris coniugij, quàm ipsa poplitis, aut malleoli, necessariò de harum sectione deliberandum. rursus & hæc sectio, duplici nomine prodesse æstimamus, tum per se, dum morbi caussam tollit, tum per accidens, quia valens iterum lochion concitare, cum versus infernas partes sanguinem deducat, quo permoto, & deducto, maximo cum animalis commodo, ceu per canalem, ad hoc à natura destinatum, vniuersa potest morbi caussa expurgari. occasio semper adest, adstante postulante: particularis autem itidem si nullum particulare fuerit impediens; quod tantum potest in aliud tempus differre illud auxilium venæ sectionis. De quantitate nihil aliud dicendum, nisi quod auferatur materies, iuxta eius excedentem copiam, & morbi magnitudinem, æstimato pariter robore virium.

Comprobatur auctoritate, & ratione prædictus methodi vsus.

CAP. XXXII.

NE cuipiam nouum hoc, aut fortè inauditum videretur (quamuis rationem habeat fautricem, tutelarem iugiter medendi methodum) lubet modò & firmare auctoritate, & stabilire doctrina. Galenus Medicorum coryphæus palàm his adstipulatur; cuius auctoritatem non æquandam solum, verum & reliquis longè anteponendam, omne testatur sæculum. Hic itaque lib. 13. meth. c. 11. dum de varia-

variarum corporis partium inflammatione loqueretur, sic fatur, *Renibus verò, & vesica, & pudendo, & vtero sic habentibus* (videlicet obsessis inflãmatione) *eas, quæ in cruribus sunt sitæ, ac potißimũ quæ circa poplitem sunt: sin minus eas, quæ iuxta malleolos &c.* Rursus & hoc idem sanxit lib. de curandi rat. per venæ sect. ca. 18. dicens, *Porrò vteri inflammationes, magis etiam quàm renum à venis in crure sectis iuuãtur &c.* Palàm itaque ex Galeni mente, in vteri inflãmatione tantum secandæ veniũt infernæ venæ, cum superiorum nulla sit facta mentio. quid quod & ad renum phlegmonem, relatum hoc auxilium, maioris iuramenti in vterino, constanter affirmat: quasi apertè innuat nullum in hoc affectu superioris sectionis locum concedi. Et quod magis est, etiam & istud simpliciter præstandum docet, in omni vterina inflammatione, siue à fluxu oboriatur, siue citra: & seriò.

Si itaque rationalis hæc methodus, in omni vteri phlegmone accommoda, & perquam verissima: quanto magis in nostra hypothesi, constans: cum nulla fluxionis ad sit suspicio, qua cogamur, vt temerè arbitrantur quidam, eandem, tusis supernis vasis, reuellere.

Hanc eandem sententiam (etsi quibusdam, vt sibi moris est, obuolutam erroribus) inter nouatores Horatius Augenius amplectitur, tomo 2. Epist. lib. 11. Censet igitur vir iste, inferiorem illam sectionem, tantum absente fluxione, præstandam. quæ opinio, citatis manifestò reluctatur Galeni locis, de omni in vniuersum vteri inflammatione, illud præceptum affirmantibus. Errandi ansam dedit locus alter Galeni, à se malè intellectus forsan, ex lib. 13. meth. capite vndecimo, in quo ait, *Siqui-*

dem longissimè à tentata fluxione parte quod redundat reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenit. Ex quo stato theoremate, futilè infert, ergo cum in inflammatione à partu fluxio non sit, nec reuellendum per cubiti venam sectam. Imperitè itaque cōcludit, de nō assumpto in prima propositione: cum ex illa potius concludendum esset, hac altera simul præmissa propositione, sed venæ cubiti longissimè à parte fluxione tentata, vtero videlicet distant. Ergo harum sectione ad reuellendum ab vtero, vtendum. Portò tenebatur & ipse distinguere simplicē reuulsionem, quæ morbis debetur futuris, & præuisiua aptè dicitur, ab altera mista, quæ partim reuellit, ac deriuat, cum aliqua vacuatione caussæ coniunctæ, aut huic saltem proximæ, quæ pariter morbis actu existentibus aptatur, & fortè itidem curatiua dici potest, quamuis hæc innominata sit apud Galenum. Cum igitur statuamus inflammationem vteri, quæ actu existat, siue sit cum fluxione, siue citra, fiens habere, & factum, nullatenus ei simplex competit reuulsio, etsi fluxio adsit, sed altera potius, quæ vtramque illam partem respicit, quæ compescit, ac præcauet fientem, & factam partim vacuat. in qua reuulsione ne longinquitas illa distantissima requiritur, sed oppositio tantum cum aliqua distantia, & coniugium simul vasorum, vt vtrumque nihilominus consequatur; per oppositam distantiam fientis partis reuulsio, ac deriuatio, per coniugium autem fluxæ iam materiei, & caussæ iam coniunctę aut huic proximæ, vacuatio. Quare neque in nostra hypothesi, cum nullam supponamus fluxionem, neque inflammatione actu iam existente, etiam cum fluxione, supernarum venarum scissio, nullum sanè

illo-

illorum, vsum præstat. Hinc doctissimus Galenus citato nuper ab Horatio loco, cũ in particulari descẽderet, post illam præmissã vniuersalem propositionẽ, mox in omni vteri inflãmatione simpliciter statuit, venas tundendas esse infernas: Neque aliter sentire putandum ipsum Galenum comm. 1. in lib. Hippoc. de humor. sen. 13. dum dicit, *Itaque si dextra vteri pars malè affecta sit è dextro brachio, dextróque crure mittendus sanguis erit &c.* Nam cum paullò supra dixerit, *Fluentium enim adhuc humorum reuulsio: eorum verò qui iam particulam occuparunt, deriuatio medela est.* credendum haud dubiè, quando scripsit, *si dextera vteri pars malè affecta sit, è dextro brachio*, intellexisse de affectione futura, aut tantum inchoante, citra aliquã adhuc partem factam, cui vtrique affectioni fatendum, & simplicem deberi reuulsionem, & hanc vnicè per brachiorum sectionem præstari: & proinde mox inferre, *dextróque crure mittendus sanguis*, in ea videlicet, quæ actu, & simul partes habet factas, cui, *medela deriuatio*, medium vtroque extremo constans, reuulsione, ac vacuatione, & hęc commodè per scissiones infernarum venarum. Exponit amplius suam mentem Galenus, & totam hanc doctrinam lustrat, dum inquit, *Veluti in vtero, vt dixi, reuulsio erit, si venam cubiti secueris &c. Deriuatio autem erit si venas poplitis, aut malleolorum incideris.* qua vtraque explanata arte reuellendi, ac deriuandi, concludit tandem, iuxta eandem hypothesim inflammationis vteri, *Itaque si dextra vteri pars &c.* vt nuper diximus. Impar igitur sibi non est Galenus, cum idem quod docuerat in diuino illo opere librorum methodi, ad vnguem fuerit interpretatus, dum mẽtem

Hippocratis explanarit lib.de humoribus.

Præterea arguendus est idem Augenius, imò & irridendus, cum ibi tres Hippocratis referat sententias ex lib 1.de morb. mul.desumptas, quæ quidem longè ab eius recedunt mente; cum ne verbum quidem, ne per somnium, de vteri inflammatione in illis texatur oratio. insciè igitur prædicto affectui adscribuntur, quia & menti Hippocratis in eo loco, num.80.& 88.& Galeni pariter lib.13. meth. c.6. & 11.reluctentur palam: imò & rationi. Citatis itaque locis Hippocrates, tum & lib. de nat. muliebri, num.23.& 25. nulla facta mentione scissionis venæ in hoc affectu sanando, aliqua tantum consulit topica auxilia, quæ & dolorem valeant sedare, & tormina, per halitum plurima digerere, & partem simul affectam roborare, vt his, occasio pariter fluxionis tollatur ad ipsum vterum, subiacentes partes leniantur, laxentúrve, quo facto exactius naturæ puerperium in vtero stabulatum, reseratis vasis, ceu eorum osculis, aptè queat concitare, ac prosilire. Rursus & Galenus nihilominus suadet, humores ne ducendos quidem ad locum malè affectum, dum lib.13.meth.c.6.hæc subscribat, *Quippe præceptum in contrarium reuulsionis in omnibus talibus commune est. Neque igitur cum vel circa sedem, vel aliam huic vicinam partem initium phlegmones incidit alvum deiicies. Neque cum in vesica, vel cole, vel renibus est cœpta, pharmaca quæ vrinas prouocent bibendo dabis. Nec si mulieri in vtero, vel pudendo insedit, menses huic prouocabis: sed ad partes quæ maximè longinquæ sint, semper reuulsionem facies: æstimata scilicet tum phlegmones magnitudine, tum corporis totius statu.* Quamobrem cum hæc cuncta, de scissione venæ

haud-

haudquaquam affirmentur, sed aut de antidotis, siue per os assumptis pharmacis, aut de topicis, siue exterius appositis suprà malè affectam partem auxiliis, hinc vltrò postulata ab Horatio referuntur. Quid quod & venæ sectiones longè abest, si infernæ secentur, illa, à Galeno recensita, inducãt incommoda: cum ab ipso vtero reuellant, deriuent, vacuent; haudquaquam humorem ab altera parte tractum, ad vterum ipsum ducant. Quod si illud velit exequi Horatius fluxione præsente, longè iugiter ipse à veritate recedet, cum fluxio compescationem perpetuò indicet, quæ omni arte procuranda, vt nullatenus succrescat ægritudo. Per hanc insignem Galeni doctrinam pulchrè innotescet cunctis, detestando quodam errore, consulere Augenium, auxiliis tam assumptis, quàm topicis, vacuandos humores esse, vteri inflammationem germinantes, eósque per meatum à natura statutum; vti per vterum prosilire, iis, quæ menses mouere apposita sunt: quia hæc auxilia, vt apposité ibidem recenset Galenus, etiam contentos alibi humores, ad locum malè affectum haud dubiè accersunt: tantum abest eosdem abducant, ac retrahant. Respuenda igitur omnino hæc Augenij opinio, ceu à ratione aliena, & à vera methodo abiuncta.

Tandem vir iste, quamuis doctus, crassè à veritate aberrauit, cum citra discrimen, promiscuè inquam, in hoc sanando affectu vtrasque crurum sectiones proponat, cum phlegmones haudubiè in altera tãtum vteri parte cõtrahi queat: ex qua parte, tũ ob naturę rectitudinẽ, tum valorũ, exercenda tãtum scissio, quam methodum seruandã esse & sedulò

lustrat Galenus lib.13.meth. ca.11.& feriò,iuxta nostram hypothesin lib.2.ad Glauc.cap.2.& com.1.in lib.de humorib. sen.13. Idem porrò, inter plures alios consulit noster Hispanus Ludouicus Lemosius com.in lib.5.meth.Galeni, c.3.nu. 2. tum Gallorum decus Iohannes Fernelius lib. 2. meth. c.7.etsi ab vtriusque mente longè recedamus in hoc sanando affectu,vt mox apparebit.

De vteri inflammatione,an semper in ea inferiores tundenda vena.

CAP. XXXIII.

QVamquam & ἐναμιθιδίῳ, de Medicorum Phœnicis Galeni auctoritate sit satis confirmata, nostra hæc sententia,de curanda vteri inflammatione à partu,per venarum scissiones,perpetuò ex cruribus ipsis factas:tamen cum adsint doctores quidam,& classici , eandem sententiam labefactantes, oppositam erigentes, quibusdam ratiunculis fulcitam.proinde rem hanc replicare feriò, lubet modò. Inter Græcos igitur occurrit Aëtius tetrabibli 4.ser. 4. ca..& Paulus lib.3.ca.64. Porrò ex nostris Latinis,inter reliquos Parthisiensium alumnus Ioannes Fernelius lib.Methodi meden.2.ca.7. Inter hos Doctores interest non leue discrimen , cum Græci sectiones tantum cubitorum suadeant,neglectis infernis , cum harum nulla apud ipsos sit facta mentio.quos insequuntur,tum Argenterius comm.3 in Artem Med.c.99 tum Iacobus Hollerius , & Liebautius comm.in lib.6.Aph.sen.36.& 7. 48.quamuis hi methodum hanc in vesicæ affectibus exerceant,

ceant,

ceant, verum vtrorumque eadem methodus, si affectarum partium positum obseruemus. Fernelius autem contrà, cum sectiones cubitorum prius consulat, mox quamprimum ad infernarum partium conuertatur. Prætereа, & inter Paullum & Aëtium est quoddam aliud discrimen, cum ille, in omni veteri inflammatione methodum hanc, quam tradit, ad vnguem seruandam scribat: hic verò haudquáque in omni, cum excipiat illam, quæ ex abortu concitatur, tum & alteram, quæ post nimiam sanguinis profusionem.

Cæterum demirandum, quo comate, aut graui cataphora prehendantur viri hi doctissimi, cum omnino in hoc affectu sanando negligant perfacilem ac ratam methodi medendi viam, respuant insignem Galenum, cuius æmulationem gloriantur, qui pariter sua venere Attica, & acri ingenio cuncta hæc lustrat. & quod magis, adhuc mirandum derelicto hoc veritatis alumno, aliorum, ignobiliū sanè insequantur quisquilias, atque figmenta. vti videre est apud Aëtium, qui firmat opinionem auctoritate Philumeni, feruidi amatoris, & ignoti viri. Cuncti tamen doctores hi, in hoc vnum conueniunt, iuxta deliberationem sectionis cubitorum, quod hæc deliberetur ab indicatione exorta à fluxu ruentis humoris, versus vterum inflammatione obsessum: quem ad partem oppositam, & distantem retrahere, ius est, & methodo consonum. Sed cum modò nullū æstimemus nos in phlegmone à partu oborta, nulla ratio. Quid quod & ratione amplius, tum Galeni doctrina (omni ex parte illorū opinione repulsa) demōstrabimus, nihil minus & in ea, in qua fluxus adest, tundendas semper infernas venas.

Verum antequam rem aggrediamur, prius lubet Fernelij mentem aperire,& pro viri huius summa grauitate opinionem referre. Hic itaque in omni vteri inflammatione, tam quæ à partu, vel abortu, quàm aliàs, semper, vt fluxus retrahatur, promiscuè, ac citra distinctionem venas cubiti directò aperiri censet. arbitratur hunc fluxum ex supernis partibus semper exoriri, vnde versus partem mandantem retractio præstanda. neque hanc sectionem verendam statuit, ceu mensium, aut puerperij accisionis parentem, cum statim ferire infernas imperet, quarum peculiaris vsus & ab vtero deriuare, ac vnà vacuare. hac igitur neglecta methodo,seu non prius cubiti secta vena, & maiori eum impetu fluxum concitari æstimat, & consequẽter phlegmones proculdubio augeri. quare cubiti illa sectio, vniuersalis reuulsionis rationem habet, vti altera quæ ex cruribus, cum locum affectum tantum respectet,particularis. Tandem omnem hanc doctrinam hisce concludit verbis, *Quum itaque vniuersalia particularibus sint præmittenda, inflammationes quæ subter renes incurrunt, primum reuellendæ sunt, præcisa interiore cubiti vena directa,deinde reseratis inferioribus, quæ aliquam etiam reuellendi vim obtinent: has tamen tutum minimè sit primas ferire, maximè si ingens est vasorum plenitudo,fluxionísque incursio vehemens.* Hanc porrò opinionem inter reliquos ad amussim amplectitur Georgius Bertinus doctissimus sanè vir,lib. de methodo medendi 20. cap. 50. Verum quantum hæc à veritate recedat, seu ab exacta medendi methodo, singillatim demonstrabimus, & jugiter particulares Fernelij rationes artificiosa examinabimus statera:

ſtatera: quibus anilibus, ac leuibus repertis, elucеſcet quammaximè Galeni, quam nos ſequimur, ingens doctrina.

Accuſandus igitur quamprimum Fernelius, eo quod vteri inflammationes iuxta diſtinctos generationis modos non diſtinxerit, cum hunc vnicum tantum ſtatuat in cunctis, à fluxione videlicet humoris calidi. quod quàm alienum ſit à ratione, tum Galeni mente, vberrimè ſuperiori nos capite oſtendimus. cum igitur in noſtra hypotheſi abſit fluxio, abeſt & indicans reuulſionem. Quare ipſa ſola inferna ſectione contenti erimus. neque vllatenus ex ipſa metuenda phlegmonis accretio, cum vnà & hæc reuellat, deriuet, vacuet, etiam & ex parte affecta, vt cogitur omnia hæc admittere idem Fernelius, & fatetur palàm. diminutus igitur, cum hæc non diſtinxerit.

Deinceps, & in qua fluxio fit, parens mali, à vero ille recedit, ceu ab ἀμυθήτῳ abalienatus Galeni, hic namque lib. 13. meth. cap. 11. dum methodo per ſuas indicationes phlegmonum curationem exercet, ad venæ ſectionis vtendi modum accedens, quem à ſitu partis affectæ elici ſuprà iam ſcripſerat, ſic fatur, *Si caput phlegmone laboret, humeralem incidere oportet, & ſi ea non cernitur, mediam. vbi iecur, pectus, aut cor ſic afficiuntur, internam. in angina primum ex cubito, mox ex iis quæ ſub lingua habentur. in iis quæ in occipite ſunt, & eam quæ in cubito eſt, & eam quæ in fronte. Renibus verò, & veſica, & pudendo, & vtero ſic habentibus; eas quæ in cruribus ſunt ſitæ.* Hanc eandem methodum, citra aliquod diſcrimen, obſeruandam cenſet ſeriò libr. 4. de tuenda valet. ca. 10. tum

& lib.de curandi rat. per venus sect. cap. 19. Quid igitur mi Ferneli apertius? quid dilucidius amabò! Quid denique rationi magis consonum? Galenus in primis, in his inflammationibus, quas ibi sanare intendit, fluxionem hauddubiè admittit, ac palàm, eandem mox ad distantem partem oppositam retrahendam indicat: nihilominus tamen in ea quæ in vtero incurrit, nulla præmissa cubiti sectione, à partibus infernis sanguinem semper hauriendum esse docet. Probamus ex eo potissimũ, quia si altera illa sibi cordi esset, dubio procul ne silentio quidẽ illam obuoluisset. innotescit amplius, cum in reliquis affectibus, ibi descriptis, angina, tum occipitis inflammatione, varium, propter adstantes varios scopos, huius auxilij doceat vtendi modum; cum iam cubiti externam secet, vt reuellat magis, iam rursus quæ sub lingua vt vacuet: vti etiam in occipitis inflammatione, frontis deinceps venam scindit, vt reuellendo deriuet, propter vicinitatem oppositam. In vterina autem inflammatione, vti & in reliquis circa eundem positum, vnicam tantum statuit regulam, singularémve tantum signat modum: quia nulla alia methodica se offert via, per quam exactius valeamus aut reuellere, aut deriuare, aut vacuare: vti in pectoris, aut iecoris inflammationibus videre est, in quibus haudquaquam licet alteram præter internam cubiti vtiliter scindere venam. Nefas igitur in vteri inflammatione alteram secare, præter eas, quæ in cruribus sunt, aut malleolis. hæ etenim omnes commodè adimplent scopos, qui requiruntur ad absolutam horum affectuum curationem.

Prætetea

Præterea Fernelius non Galeno tantum fit obuiam, erum & rationi simul aduersatur, cum eius doctrina de vena cubiti secanda, tantum locum habeat in præcautione, futuro morbo debita, aut forè iã iã fieri, citra vllã partẽ factã. est nãq; simplex reulsio, q̃ simplex præuisio est: vti simplex vacuatio, implex curatio: morbis autẽ partim fietibus, partim actis mista, & distincta, ac innominata curatio lebetur. relinquamus modò sympathicos morbos, uibus per se nulla, ceu symptomata, curatio attriuitur. Et cum in nostra hypothesi, idiopaticam n vtero constituamus inflammationem, háncque ctu existentem, cum plurimis saltem factis partibus, cum magnitudine, atque vrgentia pariter oniunctam, in ipsa curanda, anilis, & elúbis sanè nethodus illa Fernelij: imò, etsi in vena caua pleitudo adsit, quam ipse fluxionis caussam innuit, xplodenda. huius autem diuortij hæc est ratio. In norbis magnis actu, ac per se existentibus coginur ex vi methodi, innominata illa nuper dicta, ac nista curatione vti, haudquaquam præuisiua: Sed n hac mista, misto modo nos habemus. Ergo ne præuisione tantum simus contenti. Mistus autem nodus est, vt compescamus quamprimum quod ad artem affectam fluit, & simul vacuemus aliquid e caussã coniuncta, aut huic proxima, quæ iã morũ augere habilis est. vtrunque exactè præstamus, i qualitas huius remedij, venæ inquam sectionis leliberatur, secando venas coniuges, quales in notra hypothesi infernæ sunt, etiam testante eodem ernelio. hæ namque venæ cunctis dotibus fruunur ad mistam hanc curationem: inprimis reuelunt, ac vacuant commodè à parte affecta, ob di-

ſtantiam aliquam cum oppoſitione coniunctam, mox propter naturę rectitudinem, ſi dextra dextris, & ſiniſtra ſiniſtris obſeruemus, tandem & ob vaſorum coniugium, quod præſtans valdè. Hæc cuncta æſtimanda in hac innominata curatione paſſim teſtatur Galenus, potiſſimum autem libr. 13. Meth. cap. 9. dum ait, iuxta Baſilienſem codicem Gręcum, καὶ τῆς αἰσθηταῖς ἀπορροαῖς γινομένης, ἡ μὲν δι' ἑτέρα, δι' αὐτοῦ τοῦ φλεγμαίνοντος, ἡ δι' ἑτέρα, διὰ τῶν συναναστομουμένων αὐτῷ. ſeu vt vertit accuratè Linacer, *Atque id quod ſenſibilibus effluxibus peragitur, aliàs per ipſam fit partẽ, in qua phlegmone reſidet: aliàs per ea, quæ vnà cum hac aperiuntur.* Leonardus Iacchinus lib. 9. ad Almanſorem ca. 3. malè arguit hanc Linacri verſionem, dum illud διὰ τῶν συναναστομουμένων αὐτῷ interpretetur, *quæ vnà cum hac aperiuntur.* quia inquit, vacuatio præſtanda, vel per partem ipſam affectam, vel per eam quæ affectæ maximè eſt vicina. quaſi iſtud non ſeruet coniunx vena, qua aperta, ſimul cum hac, ob vicinitatem & coniugium partis affectæ, vena, in qua reſidet coniuncta cauſſa, aperitur, & commodè tunc cauſſa hæc coniuncta vacuatur, & ſimul vicina deriuatur. Quare affabrè lib. de Tremore c. 5. inquit, *Quod autem vtero affecto; circa talum, aut in poplite, diuidere conuenit, niſi prius venarum communiones ex Anatome didiceris, haud poteris id quod dico aſſequi. Alia enim alij corporis parti vena communicat, oportétque vacuationes ſemper ex communibus moliri: nam ſi venas quæ nihil parti affectæ communicant, incideris, neque affectæ medeberis, & ſanam ſemper offendes.* Eleganter hoc loco Galenus, noſtrum comprobat inſtitutum, dum in affectibus vteri, circa talum, aut in poplite tantum, propter vaſo-

vasorum communitatem, venas scindendas iusserit. imò aliter sentientes ignorātiæ redarguit, ceu anatomes imperitos. Rursus cōmunitatem vasorū cōmendat, qua neglecta in graues syrtes incidet Medicus, cum tātum absit morbis medeatur, quòd noui potius fiat ille parens, dum sanas partes offendit. quod piaculum Medico, ex Hippoc. libr. 6. Epidem. commen. 2. senten. 16. Neque rursus sentiendum, eo loco de propria, ac simplici vacuatione fuisse loquutum Galenum, nam hæc non requirit cōmunitatem, cū nō solū vicinā partē timetur, verū eandēmet affectam. vacuatio autē, quā explorat Galenus, deriuatio potius, reuulsione, & vacuatione cōstans; quæ requiritur in morbis præsertim magnis sanādis, actu existentibus; quorum itidem mista curatio est, ex præuisione, & curatione. istud lubet ex eodē Galeno demōstrare, vt hunc per ipsummet interpretemur; hic itaque li. 2. ad Glauc. c. 2. sic eloquitur, *Cū fluxio partē influit, retractio remediū est: tū verò iam partē occupare cœpit deriuatio.* Tādē, vt vltimā huic rei imponamus manū, audiat amabò Fernelius Gal. nostrū li. de cur. rat. per ven. sect. ca. 19. sic clamantē, *Reuulsiones cum euacuatione adhiberi magis debēt in fluxionibus incipientibus.* quo loco, cū methodū tradat phlegmones sanādi, *in ijs*, inquit, *qui pati iam occipiunt*, fluxiones incipiētes reuulsione mista cū vacuatione cōpesces. hoc vtrūq; tantum præstat vena coniunx, illa videlicet, quæ partem affectam respectat, nō quæ fluxionis principiū, non quæ fluxionis causam: cum ab his reuellere simpliciter sit ex vsu, cum absit tunc vacuationis scopus. quamuis in his affectibus, in quibus humor sedem non habuerit, ac singularem aliquā partē non obsederit, consultū sit principiū fluxionis æstimare, ac ab ipso

retrahere. Superest itaque ex his, elumbem protinus Fernelij esse methodum, anilem eius de hac re opinionem: artificio autem plenam, rationíve consonam, quam suprà nos ex Galeno scriptis mandauimus, ex instituto rem tractante.

Porrò & adhuc conuellendus idem Fernelius, cum in hac nostra hypothesi nugetur sanè, venarũ infernarum sectiones, nó præmissa altera cubiti, phlegmones quidem vteri augere. Infirmabimus abundè hanc opinionem sequenti libro 4. dum illorum rationes infringemus, existimantium, plethora adstante in vena caua, sectiones infernas augere obstructiones, mensurnos fluxus circuncidentes. & cum eadem vtriusque affectus ratio, eò lectoré remittimus. Interim illud intelligat velim, si inferna sectio æquè ex vasis vteri, & vena caua sanguiné exhaurit, reuellit pariter ab vtero, deriuat, menses simul mouet, si in tempore fiat opportuno, vt est quamquod verissimum, qua ratione igitur credendum, hanc in eodem vtero sanguinem impingere, stabulare? Quid quod & quod ipse li.2.meth.ca.5.seriò Arabibus obiicit, de vtendi modo venæ sectionis in pleuritide, appositè nos, sibi quimus exprobrare. arguit hos, quia præcisam eiusdem lateris venam falsò impetum fluxionis augere existimarint: ac proinde cũ esset ingẽs plenitudo, ne fluxio germinaretur, eam primũ ex pede, mox ex cubito aduerso, postremò reliquias ex eodem latere tollere festinarút. Et cóclndit doctè, & eleganter, vt sibi moris est, aduersus hos amethodos: *Quid hoc quaeso consilij, & prudentiæ, ægrum toties torquere, quem semel possis malo redimere? Profusus ad indigentiam ex laborante latere sanguis, copiam è fonte plenissimo haurit, simulque*

mulque phlegmone obsessam partem releuat, nullum metum afferens noua fluxionis. Hæc igitur tua ipsissima verba, mi Ferneli, æstima, commoda nostro instituto. videbis herclè, tibi necessariò fatendum cum Galeno, neglecta cubiti vena, in vteri inflammatione, seriò conferendos nos esse ad infernas sectiones, quia hæ, ceu celeriter reuellentes, propter vasorum coniugium, & directionem, celeriter adferunt euidens auxilium: cum propter vicinitatem copiosè, validè, crebrò à parte affecta trahant, citra metum nouæ fluxionis, quia affabrè ab eadem affecta parte fluxum retrahunt, versus partem sectã iter reflectunt. Neque hic morbus minoris fortè momenti, quàm pleuritis.

Denique & impugnandus Fernelius ex eo, quod catholicum statuat theorema, & euidenter falsum, ex quo nihil mirum, si falsam simul eliminet conclusionem. Inquit autem, cubiti sectionem, vniuersalem facere reuulsionem, crurum verò particularem: hinc concludit, ergo cùm vniuersalia præmittenda, prius, quæ in cubito, exercenda venit sectio. O nugæ meræ! Innotescunt; quia illa dicitur vniuersalior ac maior reuulsio, quæ respectat maiorem venarum capacitatem, per quam & maior irruit fluxio, qualem præsertim æstimamus in toto corpore venam cauã. & cum crurum vasa, ac cubitorum æquè respectent huius vasis capacitatẽ, caudicis sanè totius generis venosi, & fortè longè pręstantiora quæ per crura inseruntur, si Anatomicæ demõstrationi præstruenda fides: falsum hauddubiè Fernelij dogma. Prima propositio nulla indiget probatione, cum & ab eodem Fernelio admittatur. Assumptio αὐτοψία & Galeni auctoritate compro-

babitur. Αὐτοψία quamprimū, quia vena caua à iecore oriens per dorsum ascēdit ad iugulum vsque, ibi in multos finditur ramos, septima videlicet ab ortu propago, etiam testante Galeno lib. de venarū dissect. cap. 3. & lib. 2. de rat. vict. sen. 10. ex quinto verò cubiti oritur interna vena, per axillam porrecta, vti ex sexta propagine, postquam in iugulares fuerit fissa, altera enascitur quæ humeraria seu externa cubiti vocatur. omnes itaque propagines hæ à caua ortum habent, cor iam prætergressæ. vnde cubiti interna, quā vulgò basilicam appellant, aut iecorariam, ortum trahit à quinta propagine iam suprà cor ascendente, quæ per axillam descendens in cubito apparet, & mox per vniuersam manum excurrit. Deinceps hæc eadem vena caua, dum caudicem alterum deprimit, deorsum versus triplicem ex Galeno lib. 16. de vsu part. ca. 11. & li. de ven. diss. ca. 8. propaginem distribuit, alteram ad renes, ad testiculos alteram, & tertiam ad crura: quæ vltima capacissima est, cum vniuersus ille caudex in duos æquales tubos findatur, per crura excurrendo, vtrinque vnus. Quamobrem cum poplitis venæ, tum quia capaciores, tum quia minores sint passæ interceptiones, quam quæ in cubito sunt, perfectius multò, & exactius plethoram ab ipsa vena caua minuent, & lationis, ac fluxus impetum extēplò reuellent, si oppositus fuerit motus. his & altera, quamuis minoris momenti, adnectitur ratio, quia sanguis corpus cum sit graue, suo pōdere, seu suo quasi nutu, decliuis fiet, partésve petet infernas: hinc, & multò facilius versus easdem trahetur, prosiliet. Quod si poplitis prętermissa vena (quam crederē ab ipsis chirurgis fuisse neglectā, aut ob

ob pudicitiam, aut, quod magis probabile, quia ſemper facilem, ſeu minus laborioſam ſecare affectant) alteras, quæ in malleolis internis diſſeminantur, ſciderimus, cum adhuc ſint & tubi, etſi minores tertiæ illius nuper dictæ propaginis, & à tubo venæ cauæ magis diſtantes: hæ inquam paullò plus, aut ſaltem æquè, omnem plethoram venæ cauæ proculdubiò vacuabunt, ceu quę in cubito internæ ſunt. Nulla igitur ratione credendum, plenitudinem venę cauę exactius tolli, cubiti interna ſecta vena, quã crurum. hoc enim eſſet omnino Anatomicam doctrinam ignorare: conſiderata minimum vena caua, iuxta ſuam longitudinem, à carcere partitionis in iugulares, ad alterum vſque, dum in duplicem diffinditur tubum, per crura vtrumque vnum excurrentem. Hinc fortè apparet illius methodi ratio, cur in phlegmone cruris: alterius, & internam cubiti venam eiuſdem lateris ſcindamus aut oppoſitam alterius cruris. quia videlicet ab vtriſque ęquè impetum fluentis humoris compeſcimus commodè, & quantum fas eſt, vacuamus, cum in vtriſque ſectionibus, æquè reperiantur, quę in curatiua reuulſione requiruntur, oppoſitio cum diſtantia, & aliquod venarum coniugium: quamuis iſtud exactius in ea, quæ ab altero crure fit, vt Galenus cenſet lib.13. meth.c.5. eo dũtaxat excepto, quod in illa cubiti maior ſit naturæ rectitudo, etſi in altera cruris fibrarum directio non abſit. Porrò, & præter rationem lubet & hoc idem demonſtrare & Galeni auctoritate ex eodem lib.13. meth.ca.5. libro itidẽ 6.Epid.com.1.ſen.6. & lib. tandem de curandi rat. per venę ſect. capite 11. quod æquè plenitudinem totius corporis adimat cubiti ſectio, ac crurum. Quare curandum, vt à ſtudioſorum mentibus

obliteretur illud Fernelij theorema. Si itaque vtraque valet æquè plenitudinem tollere à vena caua: ergo & vtraque æquè potis, si in eadem vena motus aderit, & eundem compescere: in vniuersum inquam, non ęstimato termino. quid quod in nostra hypothesi, in qua terminum obseruamus, per propaginem illam, quę in vteri corpus inseritur, à vena emanantem descendente per crus, præstantius multò infernæ sectiones, ab vtero ipso reuellent, deriuabunt, vacuabunt: nequeunte vllatenus, vt nuper diximus, id cubiti sectione præstare, cum nullũ intercedat consortium, inter venam cubiti, & vteri. quamuis, si fluxus à parte superiori venæ cauę procedat, hunc accuratè, simpliciter, compescere potens sit cubiti sectio. verum hęc nihil præstat in curatione, cum in hac sit locus affectus æstimandus, à quo tantum ius est reuellere, vt methodus exigit ipsa, haudquaquam à mandante.

Lustrantur difficilia quædam, prædictam Galeni methodum conuellentia, de inferna sectione in phlegmone vteri.

Cap. XXXIV.

IRretientes aliquos veritatis obices explodere modò lubet; cum itaque doctissimi Fernelij opinio, quam nuper expunximus, fautorem Galenum habeat, fautorẽ & Hippocratem, duo Artis Medicę fulgentia luminaria; lustrare modò istud ius. In primis Galenus palam, quod retur Fernelius, docet comment. in libro primo Hippoc. de humoribus sentent. 13. cuius hęc sunt verba, *Veluti in vtero,*

vt dixi, reuulsio erit si venam cubiti secueris, sic deriuatio in venas poplitis, aut malleolorum. Rursus & paullò infra, *Itaque si dextra vteri pars malè affecta sit, è dextro brachio, dextróque crure mittendus sanguis erit: si in sinistra, tum è membris iis detrahes, quæ illi recto tramite respondeant.* Præterea & Galenus ipse lib. 13. meth. c. 6. & 11. consulit Medico in phlegmonum curatione, humores caueat, ne per partem affectam ducantur, quia augeretur hauddubiè affectio ipsa. *neque enim,* inquit, *cum vel circa sedem, vel aliquam huic vicinam partem initium phlegmones incidit, aluum deiicies. Neque cum in vesica, vel cole, vel renibus est cœpta, pharmaca quæ vrinas prouocet, bibenda dabis. Nec si mulieri in vtero, vel pudendo insedit, menses huic prouocabis: sed ad partes, quæ maximè longinquæ sunt, semper reuulsionem facies.* Cum igitur sectiones infernæ, etiam ex eodem Galeno passim, menses concitent: vti succrescentes phlegmones, ac nociuæ, aufugiendæ. Tandem & illud axioma Galeni lib. 13. meth. cap. 6. maximè Fernelij partes facit, inquit autem, *Quæ verò adhuc in generatione sunt,* (videlicet phlegmones) *in his prior vacuatione, est confluentis ad affectum locum sanguinis inhibitio. inhibibituris commodè, si ipsam fluxionis caussam inuenerimus.* quasi manifestò insinuet, quàm primum præuidendum caussæ fluxionis, haudquaquam parti recipienti. Exemplo hanc rem lustrat dictator summus 2. Epidem. illa sæpius repetita historia Stymargi famulæ, cui dum inuenisset tremorum omnium illorum vniuersalium vterum caussæ fuisse principium, venam tali secare iussit, vt à loco, mali quidem origine accuratam præstaret reuulsionem. Hæc sunt modò, quæ doctrinam hanc, sta-

támqueGaleni methodum infirmare valent,obscuram quibusdam forsan reddere etiam queunt. Impendet igitur nobis & cuncta hæc replicare,exponere, lustrare: firmam hanc methodum omni arte stabilire,firmare;ne cuipiam illaoffensacula fierent, pedibus latenter exposita.

Rem ordiamur. circa primum Galeni locum ex commentario lib.de humor.supponendum,Hippocrati in illa sententia cordi esse reuulsionis tradere methodum, ac deriuationis, altera sanè reuulsionis differentia. quod interpretari Galenus contendit, ac tenetur in eius sententiæ commentario. Cum itaque reuulsio indicatum sit simplex, ac vnum, similiter vnico ac simplici gaudet indicante, fluore videlicet. huius autem reuulsionis effectus est, fluentem humorem versus partem oppositam retrahere, vti deriuationis versus vicinam, verum in totum hæc oppositionem non negligit. Quare cum hanc methodum exemplis intendat exponereGalenus,inquit,quotiescunque mens erit ab vtero tantum reuellere, simplici existente indicante fluxu,futuro,vel imminente,vel actu citra fluxam adhuc in parte materiem, cum tunc quærenda sit pars opposita, distantissima ex cubito venam proculdubiò secabimus,quia vterus pars inferna cum sit, infra videlicet hepar, aut renes constitutus, ei superna pars opposita ac distantissima sanè,erit cubitus.verum si ab eodem itidem vtero simpliciter deriuare sit cordi,cum tunc haudquaquam illa distans oppositio quæratur, sed vicinitas, (quia, vt inquit Galenus in eodem comm. eiusdem generis,cum vacuatione,ceu medium inter hanc, & simplicem reuulsionem:) proinde venas potius

potius poplitis secabimus. ad quod vtrumque munus reuulsionis, & deriuationis, prȩter pȩdictas conditiones rectitudo saltem naturæ spectatur, etiam testante Galeno eodem com.quamuis, & prȩter hanc altera vasorum æstimanda potissimum in deriuatione. Cæterum hæc nullatenus nostram ex Galeno traditam methodum, aut tantillum labefactant, cum nusquam in phlegmone vteri, actu iam existente simplex occurrat indicatio, verum & composita, propter partes fientes & factas, reuulsionem, ac vacuationem indicantes. quæ ambo simul præstare ius est, vrgente pariter in morbis magnis idiopathicis vtroque scopo. istud vtrumque, in nostra hypothesi, exactè præstare valet sola infernarum venarum sectio, quæ, ab vtero probè reuellit, probè & vnà vacuat. ad hoc enim munus obeundum, requiritur non procul, verum mediocris aliqua adsit distans oppositio, aut coniugium vnà venarũ, & naturæ rectitudo, quibus tantum venæ infernæ satisfaciunt, haudquaquam cubitorum: cum hæ, simpliciter tantum reuellant fluentem in vterum humorem, coniunctum autem, aut parti affectæ vicinum, ne retrahant quidem, aut vacuent: illæ, omnes hos adimplent scopos. Veritas huius methodi satis, ni fallor elucet ex dictis, etsi amplius & hoc idem confirmet Galenus, comment. in lib. 2. Nat. hum. sentent. 9. cuius verba, quasi ex tripode accepta, hic subscribam, *Quod verò minimè desinierit* (auctor videlicet sententiȩ) *num dolentibus iam partibus censeat procul esse reuellendos humores, vel potius sanitatis tempore: ea ratione fortè veniet reprehendendus. Et mihi quidem videtur, quod id in his, qui prospera vtantur valetudine, dictum sit: quippe*

quod voluerit auctor assuefacere humores redundantes in alias ferri partes. Hoc loco apertè Galenus suam mentem aperit, & rem exactè definit, reuellendos procul humores, dum adhuc sanitate homo fruitur, imminente inquam, vel futuro morbo; adstante autem, quando videlicet iam reuulsionem cum vacuatione exoptamus, per vicina loca, cum rectitudine & oppositione exigendum.

Porrò satisfaciemus & alteri argumẽto, eleganti illo fulcito præcepto, ex lib. 13. meth. exhausto, distinguendo assumptionem. nam infernarum partium sectiones per se tantum abest menses moueāt, quod eosdem potius ab vtero retrahant: per accidens tamen id pręstant, si ante periodum, per tres vel quatuor dies, easdem sciderimus. tũc enim aduocant sanguinem versus partes infernas, & commouent eundem, ac deducũt ad easdem partes, quo ibi apposito, cum in promptu habeat vacuaturam materiem, facilius natura suo munere fungitur, eliminat appositè eandem. Quare cum in vteri phlegmone venas infernas nos secamus, menses, aut lochion non mouemus, verum & contentum humorem in loco patiente, ac simul & fluentem per partem sectam & exactè retrahimus, & vacuamus; nequeunte hoc per statum locum natura pręstare; tantum abest, vt mensurnum sanguinem, aut lochion concitemus. quid quod & ibi Galenus de aliis auxiliis, per se id pollentibus, sibi cordi est sermonem texere: quorum auxiliorum vsus in eisdem affectibus omnino interdicendus.

Denique & alterum Galeni testimonium, ex eodem libro 13. meth. interpretabimur dicẽdo, verum quidem esse in phlegmone, dum in generatione est,

est, nullas adhuc partes factas habente, prius simplici reuulsione vtendum, ex parte inquam à qua fluit humor. verum in ea, quæ præter fientes partes, simul & factis fruitur haudquaquam: nam tunc cũ reuulsione vnà & vacuandum, munus quidem venæ coniugis. sicuti nãque in prima illa idea solus vrget reuulsionis scopus: ita in altera vterque & reuulsionis, & vacuationis, cum adsit tunc & fluens, & fluxum. quid quod & simpliciter verum, reuulsionem priorem esse vacuatione; quia indicans illam, prius, & natura, & tempore altero, vt apparet ex analytica methodo. vnde Galenus in angina, pri cubiti secat externas venas, vt à parte affecta exactius fluentem humorem retrahat, & simul quidpiã vacuet: mox, quæ sub lingua sunt venæ, scindit, vt potissimum vacuet. nihilominus tamen reuulsio illa prior, cum à vena cõiuge exerceatur, ac directò, vtrumque præstat munus, reuellit namque quod fluit, & vnà vacuat, aut quod in parte iam fluxum, aut circumcirca continetur. altera verò, quæ sub lingua est, hunc habet scopum, quod in parte affecta stabulatum, potissimum detrahat. hęc autẽ exercenda omnino absente fluxu. Cæterum hæc nulla ratione nostram ex Galeno methodum dirimunt, expungunt: quin confirmant potius, cũ in morbis cunctis, partes factas simul habentibus, necessariò & reuellere, & vnà vacuare constringamur, etiam ex præscripto Galeni. Secus autem in morbis futuris, aut vnicam tantum, ac simplicem indicationem pollentibus, fluxionem videlicet: tunc enim aut ex mandante par est, si innotescat, aut ex distantissima parte exerceatur reuulsio: vti & idem præstandum in sympathicis morbis, cum tunc ex parte primâ

riò affecta, ac per se laborante potius reuellendum. Hanc proinde insequutus methodũ Dictator summus, Stymargi famulæ venas scidit infernas; quia acerrimo suo ingenio, præuisit hanc, enixa præsertim cum esset, idiopathicè ab vtero laborasse, tremores autem illos vniuersos sympathicos iudicauit. hinc cum caussæ principiũ tremorum omniũ, vterum statuisset, ac seriò, diuina methodo, ab ipso & reuellere, & vacuare humores, illorum caussas, decreuit: puerperium inquam in vtero accisum, ac ibi stabulatũ. Ad hoc autẽ munus obeundũ accuratè, ceu acris criticus, nó solum illorũ affectuũ caussam æstimauit: quæ in corpore retenta, ceu præter naturam res vacuationem indicabat: verum & eiusdem caussæ principium, non neglexit. quod vterus cum esset (ipso nequeunte humorem illum præter naturam, ac sibi molestum continere: neq; valente itidem per statum à natura locum eliminare, accingitur mox ad eius expulsionem, & per quandã anadromen ad vniuersum corporis habitum transmittit, ad cuius transitum tremores concitantur, concussorij inquam motus) proinde sumpta indicatione à situ partis affectę, ceu caussæ principij, & reuellere, & vacuare pariter ab ipso decreuit vtero; quod vtrumq;, accuratissimè venarum infernarum scissione cópleuit. Roborát igitur hæc cũcta nostrã potius sententiam, & methodum vnà confirmant.

Quare concludamus, reuulsionem curatiuã, quæ simul amplectitur vacuationem coniunctæ materiei iam fluxæ, exercendam semper, à parte ad quam humor fluit, haudquaquam à parte à qua. esset enim tunc simpliciter reuellere potius, munus quidẽ simplicis reuulsionis præuisiuæ; quę potius futuris, aut tantum fientibus debetur morbis, vti & iis, qui per consen-

consensum fiunt:in quibus,à parte primariò, ac per se laborante,iuxta prædictam methodum, per coniugem venam, & reuellimus, & vacuamus,haudquaquam à parte sympathicè laborante.

Reuulsio per venæ sectionē,an respectet locū malè affectū sit fas,an mandātē partē,an distantissimā potius.

CAP. XXXV.

ETsi lubricæ sint ad lapsū difficultates de reuulsione,in actuosa ipsa Medicinę parte:ingrediar nihilominus,cautè tamē,lētè,aut, vt Græci vocant, ἠρέμα πόδι, idq; quātum huius nostri cōsilij ratio patietur.Premit disputationis huius ingressum vrgēs occasio; verū in his,aut aliis artis operib. citra opacas difficultatū caligines, hæc doctrina cōparetur decet impēsè.nā si reuellim⁹ ꝓmiscuè,quū deriuare i⁹,aut deriuam⁹ dū reuellere:rursus si vacuamus, dū aut reuellere, aut deriuare,aut cōtrà, (cū harū omniū actionū distincti scopi)abutimur quidē nos, & tātum abest ęgrotātes ab orco redimam⁹,ꝙ miseros eosdē, tanquam cæci,ac cæcorū ductores,ducamus in perniciem. Rem à suis primordiis ordiamur.

Venæ sectio triplici potissimū fruitur scopo, vacuādi quāprimū,qui aut sāguinis tātū quātitatē,aut hāc qualitati adnexā respectat;reuellēdi rursus, qui ingētē motū eiusdē sāguinis,maximè cōtemplatur; deriuādi tādē,qui vtrūq; respicit.Reuulsio,ἀντίσπασις Græcis,ex Galeno com.1.in lib.de hum.sen.13. futuri,aut pręsētis fluxus retractio est,& reflexio ad cōtraria loca:vnde partiū oppositionē,distātiā nō minimā, & vnà directionem requirit.Deriuatio,παρόχετευσις Græcis, medium quoddam inter reuulsionem,& vacuationem obtinens,vicinitatē quandam expostulat. Hanc eandem distinctionem inter hos

ſcopos perdoctè luſtrat Galenus tum lib.5.meth. c. 3.tum lib.2.ad Glauc.c.2.De vacuationis autem ſcopo concordant omnes pariter cum Galeno, neque hunc, oppoſitionem, aut diſtantiam requirere, verum ex affectamet parte ſanguinem haurire ſentiũt. Reuulſionẽ autẽ plurimi, etiam vtrique Medicinæ parentes, cum deriuatione confundunt ſæpè, cum re, & nomine diſtinguantur, cùm illa maximum reſpectet fluxum, altera minimum: illa oppoſitionem,cum maxima diſtantia, hæc vicinitatem,& latus.verum cùm ipſa nec mediocrem diſtantiam oppoſitam reſpuat,propter quá reuellit pariter, & reuulſio accommodè appellatur.

Cm itaque omnis reuulſio oppoſitionem neceſſariò includat,atque non mediocrem diſtãtiam, hinc non minima exoritur difficultas inter doctores, an illa oppoſitio atque diſtantia ſpectanda reſpectu partis mittentis, an verò recipiẽtis.rurſus ſi ex mittente, & hæc nulla arte innoteſcat, an à diſtantiſſima parte potius procuranda, neglecto venarum coniugio, an à minus diſtanti, dummodò æſtimetur oppoſitio aliqua directio, tum vaſorum cõmunitas. Nec lubet nobis modò aliorum referre opiniones, eſſet enim Herculeus labor, & veritatem potius opinionum caligine offundere: ſed veram doctrinam ex Hippocratis, & Galeni tantum ſacrariis hauſtam adferre,luſtrare licet.

Porrò ad perfectam huius doctrinæ dignotionẽ, amplius hæc reuulſionis diſtinctio æſtimanda. Reuulſio alia ſimpliciter dicta,alia ſecundum quid. illa præuiſiua merè,& morbis futuris, aut fieri incipientibus, citra vllam partem factam ſimpliciter debetur. nam in hac reuulſionis ſpecie, cũ humor, qui

qui in termino ad quem illabitur, nullatenus consistat, haudquaquam terminus hic spectandus, sed alter potius à quo fluxionis impetus concitatur, si innotescat, vel à parte longissima tentari solita, aut imminente, vel si corpus totum transfluẽs fuerit, exsiccando illud cũ Hipp. lib. 1. de humor. com. 1. sen. 15. seu illud inaniendo, vt nos Hippocratem interpretamur, quo depleto, & inanito, quasi materia deficiente, natura quiescit, neque amplius easdẽ tẽtat fluxiones. Altera deinceps reuulsio secundum quid, & reuulsionẽ, & vacuationẽ cõnectit, & morbis tribuitur tantum partes simul factas habentib⁹, quę cum vacuationem indicent ipsę, ceu iam quietæ, carcerẽ necessariò ad quem fluit humor, respectabunt. & quanto maior fluxi iam humoris adfuerit copia, ac vrgentior affectus, tanto magis cõtemplandus hic carcer ad quem, exquirentes sedulò ad finis consequutionem vasorum quàprimum coniugium, directionem vtráque distantiam minorem, aliquam pariter oppositionem. vena enim coniunx, atque vicinior celerius multò attrahit, vti ampla, ex Galeno lib. Art. Med. ca. 95. copiosius directio naturam habet adminiculantem, ad idem munus celerrimè exigendum. quæ omnia maximè requiruntur in morbis magnis, & vrgentibus sanandis, cum citius in his teneamur sanguinem putrem, & inquinatum ab affecta parte vacuare, quàm retrahere ex corpore reliquo. Neque tunc timenda noua fluxio, si laborans ipsa pars copiosè fuerit exinanita, cũ & distantes, depleto corpore, metu itidem indigentię, auidè proprium amplectentur sanguinem, vt ne elabi hunc sustineant. Quare reuulsio hæc duplicem in se includit scopum, respondentem & duplici alte-

ri morbi ſcopo, ex quib. duplex elicitur ēt indicatio. inprimis ineſt fluxio, q̄ cōpeſcationē, atq; retractionē eiuſdē fluētis humoris indicat: mox eſt & fluxū humor videl. iā in parte firmat⁹, hic vacuationē pariter indicat. Quæ ambo, nec ex parte laborante nec ex diſtātiſſima ſimul exequi poſſunt. nā ſi ex laborāte parte vacuationē tentes, tātū abeſt cōpeſcas, atq; fluētē humorē retrahas, qđ maiori cū impetu potius ad eādē partē, eūdē allicias. rurſus ſi diſtātiſſimam partem tundas, fortè humorem fluere paratū reuelles, fluxum, & iam in parte firmatū, quid quod & ipſi coniunctum, ne attinges quidem. Quāuis. n. teſtante Præceptore li. de Alimento, totius corporis *conſpiratio vna, confluxio vna*, & omnis venæ ſectio vniuerſum itidem vacuet corpus, tamen diſtātiſſima pars, aut nullatenus, aut tardiſſimè, aut quāminimum ſentit vacuationem: niſi & hæc immoderata ita fuiſſet, vt lipothymiam, aut ſyncopem induceret; tunc. n. horū ſymptomatū ratione vniuerſum corpus in conſenſum duceretur. Hęc porrò reuulſionis ſpecies ſecundū quid curatiua dicitur, vti & altera ſimpliciter dicta præuiſiua, nō quod vtræque reapſe præuiſiuæ nō ſint, cū & vtræque cauſam tātum reſpectent, magis vel minus fluentem, aut etiam fluxam, cui, ſola debetur præuiſio: tamē, quia illa ſecundū quid attribuitur morboſo ſtatui, morbo iam exiſtenti, ex partib. vnà factis conſtanti, cui itidē ſtatui propriè debetur ſanatio, proinde ad alterius diſtinctionē, hanc reuulſionē curatiuā appellamus, quaſi ſpectet ad curatiuā partē, vti & altera potiſſimum ad ſalubrem ſeu morborū præuiſiuam: cum verſetur circa precautionē morborū futurorū, aut ſimpliciter fientium, qui adhuc, verè morbi eſſentia non fruūtur. Præterea, & hęc curatiua reuul-

ſio, cũ adnexã habeat vacuationẽ, & ſua latitudine gaudet: nã quanto magis fluxio vrget, minori exiſtente infixi humoris copia, tãto magis reuulſionis leges obſeruandæ: quãto verò minus vrget, aut amplius morb. ſuccreſcit, tanto magis leges deriuationis, ſeu vacuationis ſeruandæ veniunt. Leges autẽ ſimplicis reuulſionis, (vt nuper dixim⁹) ſunt oppoſitio, & diſtantia, directio itidem, & vaſorum conſortium, reſpectu partis mandãtis, ſi innoteſcat huiuſmodi. Hæc eſt de hac re noſtra ſententia.

Verũ lubet modò eãdẽ & Galeni firmare teſtimoniis, & luſtrare doctrinã hic itaq. quãprimũ lib. 2. de rat. vict. ſen. 10. Sic infit, *Nos verò partẽ eã, quæ phlegmone obſidetur, tũ celeriter, tũ quã cæteras partes magis, in acutis præſertim morbis, vacuare cõtẽdimus.* His verbis dilucidè hanc methodum exponit quàuis vtatur vacuationis nomine, quod aſſiduè apud Galenum, tũ Hippocratem dicitur, tũ de reuulſione, tũ de propriè dicta vacuatione, cũ & reuulſio media vacuatione vt plurimũ exerceatur, ea præſertim quæ per venæ ſectionem fit. inquit itaque celeriter vacuandam partẽ phlegmone obſeſſam, & eò celerius, quãto morb. acutior. vnde ex fluxionis magnitudine, ac morbi acutie metiemur reuulſionis leges, diſtantiam, oppoſitionem, maius vel minus vaſorum coniugium. Si enim vt lib. de Tremore c. 5. dixerat Galenus, *venas, quæ nihil parti affectæ communicant, incideris, neque affectæ medeberis, & ſanam ſemper offendes.* quæ mala in acutis ſanãdis morbis, citiſſimam poſtulantibus curationem, & maxima, & ſæpè funeſta. vti itaque remotæ venæ, citra vtramque rectitudinem, aut tardè, aut nunquam ſunt partibus affectis auxilio, quaſi poſt bellum auxilientur, vt Galenus li. de curãdi rat. per venæ ſect.

cap.15. testatur, sic quæ magis propinquæ scinduntur, cum vtraque iugiter rectitudine, celerrimum haud dubiè, ac maximũ præbent eisdẽ morbis subsidium. Insignitur hoc idem & illo Hippocratis axiomate li.6.Epidem.com. 6. sen.5.dum, *in doloribus*, inquit *proximum ventrem purgare oportet, & sanguinis ventrem rescindere.* quasi ad curationem spectet vtrũque & purgare humorem per partem vicinam & proximam, tum venas tundere, eâdem obseruata vicinitate, cùm longinqua pars nequeat istud commodè præstare. verũ & exemplo hoc idẽ libet modò confirmare, cũ idẽ Præceptor lib. 2. de rat. vict. sen.10. pleuritico venã cubiti internã eiusdẽ lateris secare cõsulat, & sanguinẽ extrahere ad mutationẽ vsque coloris; quousque videlicet detrahatur sanguis assatus, ac putridus, in parte inflãmatione obsessa stabulatus. quasi insinuet, hoc munus distantissima vena ne præstare fas, quare vicina, seu eiusdẽ lateris eligenda, quæ per κατ' ἴξιν compescere sit habilis, per vicinitatem, vacuare commodè. Abeãt igitur cœnosi Arabes, & qui eorum insequuntur sectam, vnà cum ipsis planè delirantes. Neque amplius de hac re plura congeram testimonia, his tantum contentus.

Quamobrem concludamus, in cunctis morbis acutis, partes factas habentibus, licere nũquã à parte mittente (etsi innotescat) reuellere, aut humorem retrahere versus partem principem, si cacoethi, aut pestilentes fuerint morbi, imò longè semper ab ipsa repellere, atque retrahere, etsi pars princeps mittens fuerit, ne ibi tracta immorigera, & cacoetha materie, sua vi maligna pars illa lædatur, & de vita triumphet. Verum in futuris morbis ad distantissima

ma reuellendum, ex Hipp. libr. de hostibus, num. 13. & lib. 2. de nat. hum. num. 22. & ex Galeno itidem lib. de cur. rat. per venæ sect. c. 19. & lib. 13. meth. c. 11. tum in simpliciter fientibus, ex eodem Galeno citato nuper de curandi rat. lib. per venę sect. c. 9. quia in cunctis his morbis vnicus est scopus, & hic reuellendi. Rursus & in morbis (etsi actu existant, & partes habeant fientes) si minimi ipsi, ac lenti sint, haudquaquam vrgentes, aut cum periculo, timetur tamen in futurum ob possibilem ingrauescentiam, cuius ratione de vena secanda deliberatur, fas quidem sæpè ad distantem partem retrahere, & respicere vnà mandantem, si dignoscatur & ipsa. idem sentiendum de morbis chronicis, in quibus reuulso à mittente humore, mox ad vicinas affectui conuolandum: qûia tunc & propter morbi lenitatem, & diuturnitatem, quamprimum vacuationis scopus, non vrget.

De exacta reuellendi methodo per venæ sectionem in hæmorrhagiis.
Cap. XXXVI.

Controuersa methodus reuulsionis in ipsis hæmorrhagiis, cum dispares occurrant opiniones de hac re, etiam inter doctores classicos. quidam enim distantes, alij medio modo se habentes, alij magis vicinas promiscuè exquirunt venas. Petrus Paullus Pereda Valentinus vir alioquin doctissimus lib. 1. in Paschalium, comm. in cap. 21. in narium hæmorrhagia sananda, citra discrimen, iam cephalicam consulit secare, basilicam itidem, & si amplius reuellere, etiam crurum: idque qualibet

existente parte mandante, siue hepate, siue vtero, siue ab hæmorrhoidarum reclusione Assignat huius opinionis ratioñe, quia inquit, in hoc affectu nullus adest peculiaris connexus affectus indicans vacuationem, vnde quærenda tantum loci distantia, haudquaquam rectitudo. Fortè ad distãtissimas venarum inferiorum sectiones vt tãtum reuellat cõuertitur ductus Tralliani doctrina, qui lib. 7. dum curationem traderet reiectionis sanguinis per sputũ, vase aliquo rupto, ca. 1. sic fatur, *Iuuat ipsos nihil minus, etiam ex imis corporis partibus sanguinis detractio. Noui autẽ ego me, cũ venæ cubiti in cõspectũ nõ venissẽt, etiã ex venis in talo sectis sanguinẽ dimisisse, & multò magis profecisse. Nam materiæ ad lõginquiores partes prouocatio firmiorem multò reuulsionem efficit.* his adrisit Petrus de Peramato libr. de vacuãdi rat. cap. 28. cum dicat, etiam neglecto Galeno, quẽ citat, *Sex ergo sunt loci, vnde sanguinis è naribus fluorem compescere possimus: ex talo, ex brachio opposito, ex basilica eiusdem brachij, ex humeraria eiusdem brachij, ex vena omoplatæ, & ex parte capitis posteriore. In magna totius corporis plenitudine, à pede est incipiendũ spreta cõmunitate: si menses, aut hæmorrhoides, aut vlcus aliquod infra iecur manare solitum, supprimatur: ex experimẽto Tralliani,* &c. Amplectitur itaque promiscuè diuersorum opiniones, quas dispersas Peramatus conglutinat, ac singularũ rationẽ assignat, ac fortè citra rationem, ac methodũ, vt mox exponemus. Nec mirum in hoc incidisse barathrũ, cũ sẽtiat ad reuulsionẽ tãtũ, distãtiã obseruãdã vnde inquit, cũ Aëtio, tetrabibli 3. ser. 1. c. 45. in dysenteria ad sanguinis fluxum reuellendum, non modò brachium tundimus, verum & in ipso magis probamus cephalicã, ceu vtiliorẽ: *quoniam*, ait, *ma-*

gis reuellit ob distantiam, & insensibiliter atque furtim quodammodo sanguinem aufert cuius ratione nec venter perturbatur, nec adeo vires labefactantur. O insensibilis ratio, & furtiua doctrina! a qua & perturbatur methodus, & labefactantur ægri. quis enim mētis compos, poterit sibi persuadere, cephalicam, cum nullum valeat concitare motum, aut oppositū, aut alias, in ipsa vena caua, cum directò superiora petat, aut furtim, aut insensibiliter (hoc enim figmentum, & ad libitum dictum) sanguinem retrahere ab ipso iecore, aut intestinis? si sanguis in hoc affectu detrahitur, vt innuit Galenus lib. 4. de Articulis, sē. 40. aut vt occurramus hepati, aut vlceri intestinorum, illi, vt attemperetur, alteri, vt ne phlegmonem adiunctam habeat, aut si fortè cōcepit. sibi occurratur: qua ratione secta humeraria hæc nos consequemur commoda? cum, ex eodem Galeno (vt suprà diximus) reuulsio directionem expostulet, & cōmunitatē, cū distātia, q̄ oīa, sola adimplet cubiti internæ venę sectio, affabrè, ac celeriter reuellens.

Est & altera porrò sententia, quę & suis gaudet limitationibus, & accurata iugiter ꝓcedit methodo, innixa Galeni doctissimi, & aliorū grauissimorum doctorū auctoritatib. Hæc tamē prius ęstimāda distinctio, cū variæ affectuū ideę, disparē reddant curationē. Omnis hæmorrhagia symptoma est in excretis, hoc triplicē sequitur morbū, testante Galeno lib. de sympt. diff. ca. 6. & li. 5. meth c. 2. aut apertionē osculi vasorū, ad quā idēā refertur diapędesis, aut contundē ruptionē, aut erosionē denique. qui affectus, caussam habent antecedentem, aut multitudinē, aut qualitatē sāguinis, relicta modò procathartica. vtraque rursus caussa, aut existit in toto corpore, cuius ratione cōsequitur aliquis illorū affectuū, aut culpa

alicuius peculiaris membri consistit, quasi sit principium multitudinis, aut qualitatis sanguinis, transmittens sua vi expultrice robusta ad extrema vsque vasorum: qua vi expultrice robusta pollent sanè omnes præsertim partes principes; etiam ex sua natura. Deinceps hęmorrhagia aut pręsens est, aut futura: si pręsens rursus, aut copiosa, & vrgens, aut minima. His itaque positis, methodum iam exerceamus oportet.

Si hęmorrhagia igitur futura est, cum absit motus in sanguine, cessat & reuulsionis scopus; hic enim motum per se respicit, intendens iugiter in oppositam retrahere partem. quare per accidens tunc reuellimus, retrahendo sanguinem de futuro moturum. vt autem hæc retractio optima procedat methodo, ęstimandus terminus per quem minatur natura sanguinem excernere aut iam consueuit; vt ad partem distantissimam & simul oppositã nos retractionem optimam procuremus; aut si innotescat pars mittens, aut mittere solita, ab illo termino retrahamus, vt cursum reflectat, & versus partem oppositam dirigat iter, & minuatur simul materies, quę naturam valens erit excitare ad motum. Si igitur futura hęmorragia fuerit per nares, quę simpliciter etiam à Galeno, tum ab Hippocrate hęmorrhagia dicitur, tum si mittens pars fuerit aut hepar, aut vterus, tunc nõ ęstimandus terminus ad quem, nares videlicet, vt ab ipsis per se reuellamus, sed distantissimum, & oppositum ab illis timemur locũ, vt minus habilis fit materies de futuro vacuatura, illum petere locum, procurato distantissimo, & opposito, cruribus in quam, aut malleolis. verum si

præ-

pręsens actu hęmorrhagia, distinguenda; aut enim hęc minima, nęc effatu digna, & tunc ceu non pręsens æstimāda, proinde si innotescat motus principium, ab illo fas fluxionem reuellere. cessante enim mittente, hauddubiè cessabit & missio; cessabit autem mittere, si tollatur sibi materies, aut reflectatur ejusdem cursus. sin autem abditum sit, distantiam, & oppositionem iterum, respectu termini, per quem fluit sanguis, æstimabimus. Distantia hęc in vtroque casu copiosam valdè exoptat vacuationem, vt pertingat commotio, aut ad partem mittentem, aut ad partem illo fluore passam; verum cum citra discrimen istud exercere nequeat, testante Dictatore libro 1. Aph. sen. 3. iudicante periculosas omnes extremas vacuationes, ad moderatas, iuxta virium robur, recurrendum.

Cæterum si ingens sit hæmorrhagia, & vrgens, & locus adhuc concedatur secandi venas, ob consistens robur virium: hunc methodus postulat ob vrgentiam affectus secandam esse venam. quæ fluxionem hanc celerrimè compescere sit potens. istud solum præstat venax coniunx, quæ vtramque rectitudinem seruet, naturæ, ac vasorum, tum moderatam distantiam, cum sua oppositione. hanc in sanguinis narium fluore existimamus solam cephalicam ejusdem partis, per quam sanguis dimanat, aut fortè & illam omoplatæ venam, quam scribit Auicennas, nobis hisce temporibus secare insolitam, respuenda igitur basilica, & adhuc magis crurum, & malleolorum, ceu indirecta vasa, distantissima, & proinde tardæ operationis, quàm citissimam vrgens clamitat affectus. Idem censendum & de sputo sanguineo actu existente, in quo non solum vrgente fluore maximo sanguinis, verum etiam &

in minori secandam semper esse basilicam demonstrat ratio. in vrgentissimo quamprimum fluore, ob nuper assignatam caussam, vt celerrimè hunc compescamus per venam coniugem. in vtrisque, etiam ob imminentem alterum morbum, phlegmonem videlicet; vnde hic terminus, in quo vlcus, aut vasis apertio existit, æstimandus, à quo quàm citò, grauitas instantis morbi, aut fortè iam præsentis, nos cogit, ac vrget sanè, vt extemplò omni studio reuellamus. hoc idem accuratè Galenus demonstrat lib. 5. meth. cap. 15. consulit namque ibi non deploratos spuentes sanguinem maximè fuisse seruatos per venæ sectionem, purgationem, & per caput roborantia. & vbi moriendum ægro prorsus est, si phthoë semel exceptus sit, alienissimum à ratione esse à minoribus inchoasse curationem. quare consulit aduersus Erasistratum, maiora auxilia deliberanda, ac diligenter ac citissimè operantia, antequam videlicet deperdatur occasio, quæ volucris, ac præceps: huiusmodi sanguinis missio, & ex cubiti interna vena, ceu maximum auxilium, celerrimum pariter à pectore reuellens, pręstanda. Sed ad pensum reuertamur, & Galeni præsertim auctoritate comprobemus vrgente hæmorrhagia, viribus tamen adstantibus cephalicam semper tundendam.

Liquet quamprimum ex li. 1. Prorrhet. com. 3. sen. 53. cum dicat, *Potest autem & vehementis ipsius hæmorrhagiæ auxilium sectionem venæ dixisse: nempe & nos sæpius auxilium experti sumus, perspicuè immoderatam sanguinis lationem sistentes. Quod autem manum recto tramite nari, vnde sanguis abundè fluit, respondentem secare, manúsque eiusdem humeralem venam ferire oporteat, liquidò constat omnibus: si verò ex nare vtraque fluxerit sanguis, secare ambas nihil*

probibebit: nõ enim per eas vacuationis, sed reuulsionis gratia, sectionē facimus. Ex his Galeni verbis, quouis sole illustrioribus, cõuincitur quamprimum Pereda, qui ex eo putat eligendam esse distantissimam, quia tantum reuellere intēdimus, non vacuare, Galenus contrà, imò ex eo, quòd non vacuare, verũ reuellere nobis mens, humeralem venam scidimus. quasi ad exactam hanc reuulsionem, ac celerē, iuxta postulantem morbi vrgentiam, coniugium, ac vtraque directio optanda valdè. rursus conuincitur ex eisdem Trallianus, qui non conspectis cubiti vasis, ad inferna translatus, maiorem ex eisdem concepit vtilitatem. hoc enim destruit Galenus, & veritatem eius doctrinę cunctis hominibus liquidò constare refert. ex quibus verbis infirmatur illud insensibiliter, atque furtim Aëtij, cum palã istud dicat, si remotis viris, coniugiũ, ac vtrãque directionē potenter reuellere, cũ & immoderatã hęmorrhagiã, humeralem venã scissã sistere scribat. Nec insistendũ experientiis, vbi methodus, ac ratio aduersatur. Hinc inde idē clarissimus Galenus lib. 3. methodi c. 3. certiorē reddens Hieronē, sic fatur, *Diligēter igitur attēdas nũc velim, vt intelligas quãtũ prastet methodo quiduis, quã sola experiētia facere*. quasi multò pręstet, & tãto, quãto securior ratio, ipso fallaci experimēto. Quare & appositè irridetur Aëtius ab Amato Lusitano cēt. 2. cur 48. dũ hęc ceu anilia scribat, & à methodo aliena. & dolendũ, dũ hæc ipse scribit Amatus paullò ĩfrà cēt. 4. cur. 76. in alterã incidat ipse charybdĩ, cũ Hebręo cuidã sanguinē per narē dextrã reiectãti, vt eũdē sisteret, venã scidit repãtē inter minimũ digitũ, & anularē, in manu dextra, qui quidē surculus, ex tubo cubiti interno germinari anatomica demõstrat administratio, & proinde citra cõiugiũ, q; maximè requiritur ad exactam, ac citam reuulsionem,

& imputandum vitio tanto auctori. quamuis idem ipse, quasi recognoscens primum errorem, cent. 7. cur. 60. dum ingentissimam hæmorrhagiam alteri Hebræo sistere tentaret, plurimis ad hoc adhibitis auxiliis, tandem Galeni aduocans methodum, de sanguinis missione apposité deliberat, & vnà cephalicam tantum imperat scindere, & vnicè hanc inter reliqua solam conferre pariter fuit expertus.

Tandem vt colophonem huic disputationi imponamus, est & alius locus apud Galenum lib. de curan. rat. per venæ sect. ca. 15. vbi ex instituto, & copiosè rem pertractat, ac definit, commendans serio ex Hippocrate in omni sanguinis eruptione sistenda per venæ sectionem κατ' ἴξιν, quam magnam cōmoditatem ægrotantibus afferre censet, & infert, *Quæ verò contra sanguinem excernunt* (citra obseruationem videlicet κατ' ἴξιν) *nihil iuuare, aut etiam nocere, quod scilicet interdum citra mali leuamen vires exoluant.* hoc idem iam prius dixerat, ca. 11. *Conuenit autem, vti vidistis, non expectare donec extremum imbecillitatis vires perueniāt, sed vbi quod moderatum est, iam vacuatum esse videtur, prorumpentisque sanguinis impetus validus permanet, secare in gibbero venam conuenit dextra quidem nare sanguinem profundente è dextra manu, altera autem è sinistra.* Confirmat amplius hanc Doctrinam, & lib. 5. meth. ca. 3. cum scribat, *Quod si resolutus adhuc æger non sit, etiam vena ex eo cubito incidenda est, qui profusioni è directo respondeat.* Verum obiicient, hi tres Galeni loci tantum rectitudinem naturæ declarant haudquaquam vasorum. si verò hanc rem penitius exploremus, & vasorum nihilominus quam maximè commendant; cum priori altero loco, ex Hippocratis

pocratis mente æstimandum censeat illud κατ' ἶξιν: quod spectare hanc rectitudinem vasorum, quæ mediantibus fibris rectis potentibus multò attrahunt, omnes vnanimiter sentiunt. Explicat amplius suam mentem citato lib. de cur. rat. per venæ sect. ca. 16. dicens, *Tres enim hi sunt mittendi ex gibbero sanguinis loci, interior, exterior, medius. Interior igitur, in quibus partes quæ infra collum sunt, laborant, vtilis est. Exterior verò quibus partes quæ supra collū sunt, vt facies, aut caput si malè afficiuntur.* & cùm hæmorrhagiam supponamus cephalicum symptoma, externam hanc secandam ex vera methodo, & Galeni doctrina cogimur. quam obseruationem tanti facit eodem loco Galenus, & tam perspicuam sæpe ac celerem vtilitatem capere innuit: quòd, nō qui laborant solum, verum & familiares ipsorum sæpenumero obstupescant. Quare vtráque rectitudinem proculdubio amplectitur ipse.

Hanc sententiam plurimi ac classici doctores mordicus tenent, quamprimum Germanus ille infœlix Fuchsius lib. 1. de Medendi morbis cap. 53. rursus & Donatus Antonius ab Altimaro lib. de medendi hum. corp. malis ca. 40. Porrò & victor Trincauellius lib. 4. de rat. curandi part. hum. corp. cap. 8. affectus, tum & Amatus Lusitanus, vt suprà diximus in centur. 7. cur. 60. & alij, quos longum esset recensere. omnes itaque hi arbitrantur seriò cum Galeno, in immoderata sanguinis per nares latione, vt celerrimè fluorem compescamus, externā cubiti partis eiusdem, tundendam esse venam.

Oportet iam finem his imponentes, tum Petri Paulli Peredæ, ac Peramati opinionē conuellamus. Ille in primis arguendus est, quòd confusè tractatis

huius auxilij vtendi modū in hoc affectu, cū admittat cephalicā, admittat iugiter & basilicā, necnon & infernā crurū venam citra distinctionē aliquā. hanc vltimam, & priorem libenter nos admittimus, hāc in futura hæmorrhagia, priorē in vrgenti; basilicæ aūt sectionis, nullus quidē est locus, cum hæc, nec à parte patiēte retrahat, deficiēte κατ' ἴξιν nec à parte mitttente, cū hęc sectio media inter mittentē partē, & recepturā. quare optima retractio ab hepate, potius præstāda à parte ab vtroq. extremo iugiter distante, à crure inquā. idem de vtero, ac hęmorrhoidibus sentiendum. Ratio, qua suā tuetur opinionē anilis omnino, & Galeno manifestò reluctans. nā quamuis in hoc vsu auxilij, scopus non adsit vacuationis per se, quia sanguis foras prosiliit: tamen ad hanc reuulsionem, vt vberrimè ex Galeno diximus, coniugium vasorum necessariò procurandum, seu Hippocratis κατ' ἴξιν.

Neque audiendus Leonardus Iacchinus, doctissimus sanè vir, dū lib. in 9. c. 25. Rasis distinguat huius fluxionis caussam, quam si ruptionem statuamus & fluxionem iugiter copiosam, tunc cubiti tundendas esse censet: sin autem anastomosim; rursus distinguendum cum in eius principio, cum valdè irruit longinquas scindere arbitremur, mox eodem aliquantisper sedato, cubiti potius. quia tunc, inquit, tanta vehementia retractionis non est opus.

Cæterùm omni ex parte expungendus Iacchinus; primū, quia ad vtendi modū huius auxilij, caussas obseruet hæmorrhagiæ. nam, à qualibet caussa procedat, vnicus tantum sectionis scopus, reuulsio inquam, proinde omni hæmorrhagiæ conuenit, propter hunc tantum scopum, cum æquè moueamur

mur in omni, ab vnico indicante scopo, videlicet sanguinis motu, ac latione. neque hoc auxilio, vllatenus nobis mens est huius symptomatis nos sanare caussã, sed tãtum per se reuellere, mox ad morbi ideã cõuerti. vnde & ipsomet Iacchino testãte omni hæmorrhagiæ cõpetit sanguinis missio, seu qualitas auxilij: eius autem vtendi modus, à situ potissimum affectæ partis depromitur. Deinceps improbãdus Iacchinus, ex eo, quod in ruptione cubiti sectionem imperet, in anastomosi si valdè irruat fluxio ex cruribus, ea aũt iã imminuta ex cubito: quia, inquit, tunc non vrget scopus tãtæ reuulsionis, hęc methodus plurimis scatet erroribus. in primis, quia hæmorrhagia omnis, aut cõsequitur salubrẽ statũ, & ceu opus naturæ æstimatur, ad deplendã sarcinã aliquã, grauantẽ naturã in tempore, vt refert Galenus li. de sympt. diff. c. 6. aut morbosum statũ, & tũc dupliciter quit apparere, criticè inquã, aut symptomaticè. in vtroque statu si moderatè se habet natura, nec difficilè ferant symptoma hoc patientes, imò & conferat, tunc nec mouendum quicquam, sed æstimandum: verũ in vtroque statu si cõtra se habeat immoderatè, citra euphoriam, ac cõferẽtiã, tũc huic quamprimum prouidendũ, ceu caussæ rationẽ habenti, prouidebitur autẽ, inter alia auxilia, ceu pręstãtibus, ex Galeno li. de cur. rat. per venæ sect. c. 11. venę sectione, q̃ si seruato κατ' ἶξιν exerceatur, extẽplò, q̃ celerrimè inquã hæmorrhagiã oẽm cõpescit: & cũ hic perpetuò sit scop⁹, perpetuò hęc method⁹ seruãda. si futura autẽ timeatur immoderata, aut ob assuetudinẽ, aut ob multã in corpore sanguinis plenitudinẽ, à quacũq. hęc fiat cã, cõsulerẽ tũc herclè

ac feriò venas infernas tundere, vt plenitudinem tollerem, naturam valentem irritare ad illam expulsionem, tum vt ad distantissima loca laturum sanguinē retrahere. dum autem natura siue in tempore, siue irritata operatur, contēplarer quidem ipsam tunc, & inspecto eius impetu vltra vires procedere, cum tunc, nullus iam adsit scopus tollendæ plenitudinis, ceu iam ipsam natura tulisset, ad simplicem reuulsionem conuersus methodum directionis ac coniugij amplexus, cephalicam semper secarem cum Galeno. nec alia arte tunc, vrgente affectu, minuenda plenitudo, si fortè adsit, cum iam natura illo medio depleat, & ad eius immoderatum vsum, si fortè immoderatè procedat, nihil exactius ipsa cephalicæ sectione. Quod si pigrè se habeat ipsa natura ad plenitudinis sublationem, nec tibi fas hæmorrhagiam per nares amplius concitare, quia istud fortè arbitrio fortunæ committeres, tunc non vt reuellas, verum vt causæ & eius principio occurras, accuratè venas tundemus infernas, quibus cómodè & vniuersum corpus exoneramus, & à principio caussæ retrahemus, si forsan vterus, aut hæmorrhoidæ, tum aut hepar ipsum, ac lien. Demirandus tandem Iacchinus cum scribat, imminuta fluxione, ex cubito hauriendum sanguinem, & rationē assignat, quia tunc non vrget scopus tātæ reuulsionis. Ratio.n. hæc palàm aduersatur Galeno, vt dicimus suprà, cū hic sectiones cubiti præstādas imperet, quia celerē, ac admirandā planè efficit reuulsionē. Sed bonus aliquādo dormitat Homerus.

His nuper dictis, facilè est, & opinionē, ac rationis momentum expurgare Petri de Peramato. neq; iure iam trita, amplius immorari contendimus, cū aliò occasiones aduocent.

Explanantur aliqua dubia de reuulsione per venæ sectionem.

Cap. XXXVII.

SCopi venæ sectionis proprij, ob quos mouetur Artifex ad deliberandum de hoc auxilio, tres quidem sunt, nec multiplicandi plures; cũ omnes haud dubiè, ex Galeni mente passim, sub his tribus contineri fatendum. Arguendus igitur Mercatus, cuius ingenij καινοτομία, quartum adiunxit libr. 1. Indicat. ca. 4. & anilem, cum nec ipse, quod magis est, à vacuationis scopo hunc discriminet. Sed nugis modò his omissis, vt omnem hanc disputationem illustriorem reddamus, aliqua occurrunt expungenda dubia.

Est itaque primum. Curatiua reuulsio, vt diximus, locum affectum semper respectat, vtramque rectitudinem seruat ad vnguem, distantissimam nunquã exoptat oppositionem, verum magis vicinam. Sed hæc cuncta, etiam ex Galeno lib. 5. meth. ca. appositè soli conueniunt deriuationi. ca. 3. Ergo haudquaquã reuulsioni, aut saltem non esset distincti scopi.

Huius argumenti facilis ratio, assumptione distincta. Deriuatio namque & reuulsio illa curatiua quãmaximè conueniunt, cũ vtrique scopi reuellẽtes sint, & pariter vacuationem intendãt; cuius vacuationis ratione deriuatio vicinitatem requirit, reuulsio eandem, vt & celerius ac potentius, præter vacuationem iã fluxi humoris, fluentem reuellat, & propter hanc caussam, etiam promiscuè vtuntur his nominibus tum Hippocrates, & Galenus, vt videre est potissimum citato lib. 5. meth. 2. ad Glauc. ca. 2.

& lib.1.de humor.sen.13.quia ceu medium vtroque participat extremo. hinc curatiua reuulsio appositè altera quasi deriuatio est: cum quæ deriuationi cōueniunt, & huic reuulsioni pariter conuenire ferè experiamur.reapse autem distinguitur vtraque & à simplici reuulsione,& à simplici vacuatione.

Porrò est & alia difficultas, in morbis magnis fiens,& factum habentibus vtrumque indicans vrget. indigemus itaq;e auxilio magno vtrunque æquè præstante.hoc sola deriuatio efficit. futilis igitur reuulsio. Satisfaciemus huic, distinguendo pariter assumptionem. nam si per deriuationem, simpliciter dictam intellexerimus, falsum illud. ratio est,quia in morbis illis tria potissimū obseruamus, fluxum maximum in magnis vasis concitatum, minorē alterum parti affectæ cōiunctum,& infractum humorem iam quietum, aut in loco obstructionis in febribus, aut in inanibus spatiis in phlegmone. cum igitur per methodum cōpositoriam tolli nequeat infarctus humor,quin prius fluens cōiunctus sistatur,neq.hic rursus, quin & impetuosus alter venà flaccescat,cōpescatur.hinc cum reuulsio propriè hunc maximum respectet, primum & in curatione habebit locum.verum nec alij scopi proinde negligendi, cum & alter vacuationis iugiter vrgeat.Cæterum quoniam reuellentia in certa distantis oppositionis proportione,cum vtraque simul rectitudine sint perquirenda,ad hoc vt vtrunque apprimè consequatur, proinde nō propria deriuatione vtimur, quæ minorem illum fluxum compescere tantum est habilis,cum latera, ac vicinitatē solum requirat,verum curatiuam reuulsionem. Hæc methodus passim comprobatur per totum illud aureum opus

opus librorum medendi Galeni, priuatim & lib. 6. Epidem. com. 2. sen. 9.

Tertiò est & altera nec leuis difficultas. In opere Medico rarò, aut nunquam, omnes suprà traditas reuulsionis curatiuæ conditiones obseruari experimur. Frustra igitur assignatæ, cum sub vsu nequeant incidere. Antecedens demonstratur hisce præcipuè exemplis; Inprimis in pleuritide, etiam ex vtriusque Parentis mente venas lateris eiusdem secamus, & etiam minus distantes, ac citra exactã oppositioné. Rurs⁹ in phegmone crúris, cum etiã ex Galeno fas, venã cubiti eiusdé partis secare, q̃ nullum habet cum parte laborante cóiugium, fas itidé & alteri⁹ cruris, quæ naturæ priuatur rectitudine.

Exoluemus dicendo, hanc Galeni methodum qualibet Mercurij quadratura esse firmioré: verum ob diuersam ac variam nostri corporis formationé ne in cunctis morbis lubet illa cuncta ad vnguem obseruare: quamuis adsint opportuna aliquando, in quibus seruare omnia forsan ius, ac fas. vt in phrenitide videre est, tum in angina, in quibus morbis venas quamprimum cubitorum externas secamus, quæ sanè omnes æquè adimplent prædictas conditiones, distantem oppositioné sursum & deorsum, rectitudinéque naturæ, ac vasorum; secta enim externa vena cubiti, vacuatur iugiter vena, quę per partem affectam in capite inseritur. illa conditione potissimum reuellimus, his alteris potissimum & vacuam⁹. Verum in reliquis morbis, in quib. haudquaquam lubet ista cuncta adimplere, saltem quod possumus, præstamus: & eligimus illa omnia, quæ accedunt maximè ad illius methodi perfectionem assequendam. quare in pleuritide cum nequeamus

venam secare, quæ simul cum reliquis conditionibus, maiorem consequatur distantiam, & oppositionem, proinde seriò aliis omissis ad internam cubiti eiusdem partis accedimus scindēdā. quid quod & hæc suam habet oppositionem secundùm profunditatem intus foris, simul & moderatam distantiam, rectitudinem insuper vtramque quāmaximè. quæ omnia requiruntur in morbo magno ad celerem reuulsionem, & magnam iugiter vacuationem. Neque est in toto corpore altera, quæ istud æquè exigat. Neque audiendus Mattheus Curtius, nec rursus Iulius Cæsar Scaliger, cum illorum Rasi, Serapione, aut aliis Arabibus falsò opinantes, pleno existente corpore pius secandam internam oppositi cubiti, ne sanguis ad partem affectam trahatur, mox ad alteram accedendum.

Verum hi præterquam quod Hippocratē & Galenum oppositos habent, ratio nihilominus ex Anatomica demōstratione petita eisdem aduersatur. nequit enim vllatenus sanguis trahi ab vna pectoris parte ad alteram : si formationem azigos venæ exploremus, vt accuratè inter reliquos doctissimus Amatus docet, centur. 1. cur. 52. in scholiis, tum & Saluus Sclanus com. in lib. 1. Aph. sen. 21. & alij. rursus quia cum directio vtraque tunc abiit, nec reuulsio, nec vacuatio celeris, ac extemplò fiet; quod vtrumque huius morbi requirit vrgentia. Sed hos in suo cœno volutantes relinquamus modò, Græcorū nos candore illustrati. Caueant autem Arabum manes illorū fallacē doctrinā, periculisve plenam, vt ex instituto eadem inter reliquos acutissimo illo libello, quem Barbaromasticen inscripsit demōstrat doctissimus Leonardus Iacchinus. Sed iam Galenū audia-

audiamus,hanc Arabum, ac præsertim illorũ Principis palàm oppugnantem opinionem, infit itaque sic. commen. 1. in libr. 1. de humoribus senten. 13. Hippocratis, *Et quæcunque sanguinis profluuia directò fiunt, eam maximam afferre vtilitatem ægrotantibus affirmat.* (Hippocrates inquam) *quæ verò contrario modo fiunt tantum abesse, vt prosint, vt etiam interdum lædant: quod vires dissoluant, nec vlla morbo afferatur leuatio.* Hæc in vniuersum dicta de optima curatiua reuulsione. Sed hanc iam, iuxta subiectam materiem amplius disputantẽ, consulamus. hic itaque lib. de curan. rat. per venæ sect. cap. 16. sic loquitur. *Quin & pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit sanguinis mißio clarißimam sæpe vtilitatem attulit: quæ verò ex brachio opposito, aut omnino obscuram, aut certè post temporis interuallum.* Ecce quam dilucidè Galenus consulat in pleuritide cubiti eiusdem lateris scindere venam: quod & ratione, & longo itidem vsu eleganter comprobat. Si igitur oppositi cubiti sectio, ceu κατ' ἴξιν destituta & obscurè, & tardè affectum leuat, qui ob vrgentiam citissimam exoptat curationem, quid de temeraria altera. Auicennæ ex altero crure?

Sed omissa iá pleuritide, ad phlegmoné cruris cóuertamur. huic itaq. affectui, ꝓpter nostri corporis structurã ne fas quidẽ exacti⁹ reuellẽdo, succurrere: vnde cõsulimus cubiti venã eiusdẽ partis tundere, quæ & oppositionem distantem, vnà cum naturæ rectitudine seruat, haudquaquam vasorum coniugium, quia nulla est in corpore vena, omnes illas ad hunc exoluendum affectum adimplens conditiones, & cunctis satisfaciens, aut scindimus rursus

crus alterum; citra naturæ rectitudinem, adstante tamen oppositione, distantia, & vasorum coniugio. Quare præbuit seriò Galenus hanc methodum, vt cuncta, in artis operibus, quantum licuerit nobis ad vnguem seruemus: respectantes semper huius methodi perfectionem, ceu normam Lesbiam.

Denique circa vsum huius auxilij, quatenus simpliciter reuellit, distantes se offerunt opiniones. quidam enim vt Rondeletius, Hollerius, Peramatus, & Mercatus, tum alij, non solum vulnus imperant minimum venæ infligendum, verum & minimam explorant venam, & rursus per minimas interiectas morulas eandem digito obturantem incisam, sanguinem hauriendum censent. Rationem huius dogmatis assignant, quia hac arte exactius multò reuellitur sanguis, cum oppositis motibus illis crebris natura iam assueta, pristinum relinquat. hanc opinionem celebrant & vulgares Medici, vt summa æstimatione apud instabile vulgus pariter habeantur; hisce enim ludibriis, & quisquiliis, magis quam veritatis aut doctrinæ excellentia, popularē hanc captant auram. O miseranda sors!

Cæterum hæc opinio, quamuis classicis doctoribus adriserit, mihi autem nunquam. semper autem sequar oppositam, quam Galenū habere auctorem demonstrabo, tum interpretem grauissimos doctores meos Valentinos, Ludouicum Colladum, & Iacobum Segarram; à quorum vberrimo fonte fluētem, exhausi, vnà & à Petro Paullo Pereda lib. 1. in Pract. Paschalij. schol. in cap. 21. Insignes itaque isti viri non solum verbis id docebant, verum opere, in praxi. In omni igitur hæmorrhagia, siue per nares, siue ex pectore, aut vtero sanguis dimanarit,

illicò ſectiones imperabant magnas, & in magnis vaſis. Nec ſtabili fraudatur ratione hæc ſententia. Nam ſi in omni hęmorrhagia, vt celerrimè retrahamus concitatum fluxum, quàm maximè vtramque inquirimus rectitudinem, vt ſuperiori capite abundè ex Galeno diximus: Ergo & exequenda cuncta illa quæ extemplò illum motum reuulſiuum vtiliter poterunt adiuuare. Sed nihil æquè, ac tutius quã liber motus concitatiſſimus, ac vehemens, verſus partem oppoſitam. hic igitur omni ſtudio captandus. cum minimus ille, ac diſtans minimorum vaſorum, tum alter ſæpè interceptus digitis, haudquaquam poſſibilis, concitatiſſimum illum reuellere. quod ſi fortè valens, tardè iſtud, ac lento gradu progreditur; quod citra diſcrimen ac iacturã maximã, ne fas exſpectare. Aſſumptionem oſtendimus, quia motus ille pręter naturam ſanguinis altero ſiſtitur, ac vincitur motu: hic, vt victoriam reportet, ſaltem æquali, cum naturam habeat fautricem, aut quod certius eſt, vehementiori adhuc motu, proſequendus. magis diſtans vas, & cũ minori cõiugio, tardũ ac lentum concipit motum: ſępè interceptus, neceſſariò inefficacem, cum inferior multò ſit gradu, altero præter naturam motu, quem celerem, & magnum ſupponimus: Ergo imperanda ſectio magna, in vaſe magno, & fluxio itidem magna procuranda: habito ſemper virium reſpectu, & à nimio recedendum perpetuò.

Priores illi doctores forſan obducti ſunt in hanc opinionem, à quibuſdam Galeni locis, ex lib. quàm primum de curandi rat. per venæ ſect. ca. 12. & lib. 5. Methodi. c. 3. excerptis. priori illi, ſic infit, *Quin & reuulſionẽ non leue & ipſã auxiliũ quodque ſæpè ſecta adhibetur vena, quãto maiorẽ in numerũ particulares*

auxeris detractiones, tanto efficaciorem effeceris. Cócludent itaque ex his; quātò plures numero fuerimus nos partiti detractiones sanguinis, sæpe in sectione imposito digito, & mox per breues morulas sanguinem fuderimus, tantò prę̃stantiorem, iuxta Galeni præceptum præstabimus necessariò reuulsionem.

Verùm si Galeni mentem seriò exploremus, hos longè ab ipsius διάνοια recedere peruium fiet. Nam Galenus oculatissimus sanè vir, cum ibi occurrat mederi fluxum perseuerantem, ac vrgentem, cuius materies illa excreta sanguis est, thesaurus vitæ: cumque hunc, ne fas vnica vice ad oppositam retrahere partem auxilio, illud idem nectar viuificum profundente, cuius pręsertim subitas, & magnas detractiones ne fert quidem natura, quin fatiscat, ac prius triumphata iaceat: proinde consultò, vt alleuetur ipsa interdum, reuirescat, & vnà fluxum reflectat ac retrahat, detractiones has molitur, in vices plures partitas, ac soles. Huius vicissitudinariæ artis methodum eleganter idem Galenus declarat in nostra hypothesi lib. 5. Methodi cap. 3. dicens, *Quod si resolutus æger non sit, etiam vena ex eo cubito incidenda est, qui profusione directò respondeat. vbi paulum detraxeris, mox vnam horam intermittens rursus detrahes, post iterum, atque iterum pro laborantis viribus.* Hoc idem amplius & libro de curan. rat. per venæ sect. cap. 16. *Conari in omnibus affectibus* (reuulsionem inquam postulantibus) *præstat, post modicam sanguinis mißionem iterato mittere: interim eodem die, si ita expedire videatur, interim postridie, nisi si quando, vt antè dictum est, ad animi deliquium vacuationem ducere conueniat.* Quid dilucidiùs? cur nostræ

lumen

lumen quærunt in meridie? Quare in vtraque hac sententia, nec vulnus venæ infligendum docet minimum, minores non explorat, inflicto vulneri digitum non imponit. verum contrà, cubitorum ampla rimatur vasa, cum directione itidem, ac κατ' ἴξιν. partiri autem vacuationem iubet, iuxta fluxus vrgentiam, & robur virium. nam quamuis fluxio vrgens, ingentem ac copiosam indicet reuulsionem, quia hanc natura non sustinet, vt ipsi præuideamus, cuius indicatio dignitate præstátior, proinde quod indicat illud præter naturam, emendamus vicissitudine, quo medio recreatur natura. quid quod & fortè sæpe irritata per singulas detractiones, illud quod ad partem affectam confluit maiori cum impetu, eadem natura in oppositum locum retrahere apposite contendet. partitio itaque ac iteratio præstanda per tempus aliquod, in quo natura possit refici, per horas, aut dies, haudquaquam per momenta; hoc enim ridiculum. Et hæc est Galeni mens cũctis his locis. neque autumandum vllatenus sectionem minimam, in minori vase inflictam, auarè redditum sanguinem, celeriorem ac exactiorem efficere reuulsionem. cum etiam insinuante Galeno lib. Artis Med. cap. 95. quo maior, & concitatior fuerit vacuatio, vena ampliori incisa, tanto celerior, ac expeditior fiet fluxionis retractio.

Exoluitur Galeni dissidium de reuulsione per venæ sectionem.

CAP. XXXVIII.

APparebit fortè alicui, in Galeni doctrina adesse dissidium; húncque sibi impar esse, cum

lib.1.de humor.sen.13.sic alloquatur, *Atque Hippocrates quidem iubet reuulsionem esse ad contraria faciēdam, euacuationis verò gratia directiò*, Quibus verbis innuit haud dubiè, ad reuulsionem tantum obseruandam oppositionem, sicuti advacuationem directionem vtramque. lib. verò de cur.rat. per venæ sect.c.16.oppositum videtur sentire, scribens, *Porrò tam perspicuum sæpè, celeréque remedium, quæ è directè affectis partibus venæ secantur afferunt, vt & qui patiuntur, & familiares ipsorum sæpenumero obstupescant.* Quare hoc loco palàm, directionem illam vtramque, celerrimam efficere ac exactam reuulsionem retur: haudquaquam vacuationem.

Leuis quidem horum locorum conciliatio, præmissa distinctione reuulsionis, suprà iam tradita, in reuulsionem videlicet simplicem, seu præuisiuam, & in alteram quæ ad curationem spectat, morborum iam actu existentium; vel quatenus adnexam habet vacuationem, vel quatenus vrgentem actu fluxum retrahere contendit, citra scopum vacuationis. In libro itaque de humoribus, de priori illa simplici loquitur proculdubiò Galenus, quæ tantum distantissimam requirit oppositionem, in altero verò de curandi rat. per venæ sect. de altera specie, quæ morbos respectat actu existentes, quæ præter contrarietatem, directionem itidem exoptat. Quare libro de hum. accuratè inquit, oppositionē maximè efficere reuulsionē, quia hæc cōditio simpliciter necessaria ad simplicē reuulsionē, & ꝓprietas quarto modo. directio autē vtraque quamuis ad reuulsionē cōferat, potissimū tamē vacuationem respicit, seu citissimam vacuatiuam reuulsionem, ac velocem. de qua sanè mentio apud Galenum citato

de

de cur.rat. per venæ sect. libro. Nam venæ sectio quæ per propinquam contrarietatem fit, & vtramque simul directionem obseruat, necessariò à parte affecta celeriter reuellit humorem ibi fluentem, tum & fluxum iugiter vacuat; atque ita velociter vtrumque præstat, vt omnes astantes in stuporem quasi ducat. quod nequit vllatenus simplex præstare reuulsio, ob longam distantiam, & loci intercapedinem maximam, quæ quanto magis distans, tanto minus, ac tardius à laborante parte ac reuellet, ac vacuabit. Vasorum igitur coniugium, ac directio, cum vicinitatem necessariò includat, etsi cum aliqua distanti oppositione, & reuulsionem respectabit celerem, & pariter quamprimum vacuationem: vti & altera naturæ directio vtrique inter ministrat scopo, siue mediantibus fibris, vt censet Fernelius, li.5.meth.med.ca.5. siue aliqua alia occulta vi naturæ, cuius opera, & recta semper, ac perfecta. Quamobrem concurrētibus cunctis his conditionibus potens, vehemens, ac velox fiet reuulsio; ita sanè, quod quamlibet aliam concitatissimam, à natura irritata germinatam fluxionem, apprimè, ac potenter valeat ipsa compescere, in oppositum cursum velociter vnà retrahere. istud præter cottidiana exempla, copiosè simul declarat insignis Galenus li. de cur.rat. per venæ sect.c.11. tum & altero aduersus Erasistratū, c.8. cum dicat, *Plurimis irrestringibili sanguinis profluuio laborantibus vena secta fluxum sistimus.* Nec moror nunc, an fibræ rectæ versus partē sectam sanguinem attrahāt, vt earum munus est attrahere, an potius ex parte affecta versus partē sectā expellatur ille, ad quā sanguinis impetus cōcitatur, vt Fernelius sētit. citato loco, ꝓbabilior tamē prior

ſententia, quarum rectarum fibrarum vſus attrahere ſanè, haudquaquam expultricem iuuare. attrahunt autem rectæ fibræ partis ſectæ, vt laborantem dolore partem leniant, foueant, vt in cunctis doloribus apparere ſcribit Galenus paſſim & lib. 13. meth. c. 3. & 2. de feb. c. 15. & lib. de tumor. & de inæquali intemp. munus quidem ſagacis, ac condolentis Naturæ. quam rem appoſitè inter cuncta alia loca exponit doctiſſimus Galenus lib. 5. Aph. ſen. 53. dicens, *Hac ſiquidem ratione & dolentibus partibus ſuperueniunt inflammationes, doloris cauſſam excernere, & propulſare enitente & properante natura: quæ vt id præſtet, ſanguine ac ſpiritu dolentem locum replet.* quibus ſanè intendit eandem fouere.

Conuelluntur plurima ab Augenio tradita de reuulſione per venæ ſectionem.

CAP. XXXIX.

NEqueo diſſimulare ſilentio, quæ perdoctus Augenius de reuulſione, cùm proteruè, tum ambitioſè (abſit omni inuidiæ labe) aduerſus quoſque, nec infimæ ſanè claſſis huius noſtri florentis æui doctores, verbigeret, cachinnet. Sed quid huius æui dicam? cùm Antiſtites illos: Hippocratẽ & Galenũ temerè adoriatur & ſugillet figmentis quibuſdam, ac nugis nitidam illorum doctrinam cœno inuoluat, obſcuret: methodum reuellendi optimã, per totum eius ſeptimum de ſanguinis miſſione librum inuertere tentet, adigat. O confidentiam! verum ne me quiſpiam accuſet, me inquam hunc virum conuiciis vrgere, dum proteruè, & ambitioſè

bitiosè hanc rem tractasse dixerim, iam hunc amabò exaudiant, cap. 10. *Enitar*, inquit, *ego veritatem multis incognitam patefacere, & quoad eam fieri poterit dilucidare.* Viderisne viri ambitionem, legislatoris ritu, nouam hanc suam promulgantis sententiam? Proteruiam rursus, simulatam quidem verbis opere prosequitur cap. 12. *Verum*, inquit, *ne quispiam existimet nos proteruos esse, admittamus vltrò, quod illis placet.* Simultas porrò innotescat; cum post immensos illos labyrinthæos libros, quos de sanguinis missione condidit ipse, mox cum perbellè à clarissimis viris expuncti essent illi, iam rursus lasciuiens, illis & alios septem adiunxit libros, eosdem simul blaterans errores: & si fas dicere, cum maximo Medicæ familiæ incommodo, & totius humani generis iactura. Homines namque (proh dolor!) auidè καινοτομίαν affectant; & suopte quasi nutu ad illam prosiliunt, nouas res laudant procaciter, proteruè æmulantur. Cæterum fateor, cum illorum librorum oceanum studiosè cõtemplor: statim illud in mentem venit, quod de Lucinia Lacon quidam facetè dixerat, & argutè, *Vox es, præterea nihil.* Sed verba non vltrà me tenent: pensum ordiamur.

Postquam igitur illi rerum Medicarum accuratissimi exploratores, Hippocrates inquam, & Galenus simplicem reuulsionem docuerint ad distantissimam præstandam esse partem, mistam ex reuulsione, ac vacuatione, illam inquam, quæ morbos actu vrgentes respectat ad distantem cum directione vtraque, Horatius iste Augenius, nec quieta, quieta sinens, vtramque ad distantissima loca obeundã esse, curat audacter demõstrare: neq; istud tãtũ Galeni fretus auctoritate, verũ & aliquorũ opi-

nione ductus. Dum caput autem 14. libri 7. relego, & mente, & inimico teneor risu, vt me cōtinere vix queam. primum. quia dum refert expositionem Galeni in sententiam. 9. lib. 2. de Natu. hum. & eius opinionem palàm conuellentem, inuerecundè Galenum ibi mentiri affirmat, alibi vera proferre. Porrò & ibidem, Archigenem introducit, distantissimam pariter partem in reuulsione omni, expetentem; ita vt ne in pleuritidis quidem principio sibi liceret cubitum partis affectæ secare, verum oppositum. hunc igitur virum etsi doctissimum, cum toties Galen⁹ adoriatur, carpat, ceu acerrimus eiusdem inuasor, nullibi, inquit Augenius, hoc dogma infingit Galenus, quasi illud potius amplectatur. O insomnium, & meræ nugæ! Galenus namque millies, vnà cum Præceptore Hippocrate sectionem eiusdem lateris partis pleuritide affectæ multum diu consulit. qua ratione igitur hunc, Archigeni oppositum canenti, assentiri credendum? etsi huius viri de hac re negligat expunctionem? Deinceps in sui tutelam insignem offert Corneliū Celsum, qui tantum abest illud cum ipso sentiat, quod seriò oppositum tueatur, summum dictatorem amplexus. Sed hunc relegat amabò lib. 2. cap. 10. sic dicentem, *Neque ignoro quosdam dicere quàm longissimè sanguinem inde vbi lædit esse mittendum: sic enim auerti materiæ cursum: at illo modo in idipsum quod grauat, euocari. Sed idipsum falsum est, &c.* Oportet itaque in Augeni mendacem esse memorem.

Cæterum admittamus Hippocratem lib. 2. de Nat. hum. sen. 9. tum lib. de ossium natura, num. 13. Galenum itidem & lib. 4. meth. & lib. 13. cap. 6. reuulsionem distantissimam in inflammationum prin-

principiis consuluisse, vt tu eo recenses capite. perperam autem infers ex eo, Ergo in omni reuulsione is vtendi modus obseruandus. nam morborum principia distinctas habent partes; est enim primus morbi assultus, quando morbus adhuc nullas habet partes factas, sed totus vndique fiens est, adsunt tamen præcedentia quædam symptomata; in hac igitur principij parte, eâdem ratione nos geremus, ac in morbo futuro, cum tunc simplex tantum adsit reuulsionis scopus. quare ius distantissimas secare venas. Porrò est & alia principij pars, à termino, quando iam existunt actu partes aliquæ factæ morbi, & simul continuatur fluxio, ad terminum vsque incrementi, quando fluxio ferè in totum cessat, & inchoatur coctio à natura: in qua principij latitudine, quum adsit & fiens, & factum, & geminentur scopi, & reuellere, & vacuare iugiter tenemur; quod nulla ratione præstare potest tutò, ac commodè distantissimus locus sectus, verum oppositus cum moderata distantia, & vtraque rectitudine. Cuncti igitur illi Hippocratis, & Galeni loci proculdubiò priorem illam partem principij respectant, haudquaquam alteram, si verba iugiter replicentur. Quis etenim in actu vrgente angina, ob plurimas iam partes factas, ceu amens, cruris secabit vasa? nónne ius minus distantes scindere, & eas inquam quæ in cubito sunt, tum ex his, & illa eligenda, quæ obtineat cum vasis affecti loci coniugium, vtraque simul æstimâta rectitudine? Quid quod, etsi huius morbi principium sit vterus, menses accidens, nec tunc in primo illo morbi principio, distantissima rimâda pars, sed obseruanda pars mittens, & ab ipsa, obseruatis euen-

tis illis conditionibus commodè fluxum retrahemus. huius autem partis respectu, nec crurum venæ distantissimæ, sed accommodæ ad retractionem ab vtero. distantissimæ autem, nec à loco patiente, nec à membro mittente queunt reuellere. quod si fortè hoc præstant, pigrè id quidem, ac tardissimè, quod omnis morbus magnus valdè renuit. Quare extrema distantia non est de ratione formali reuulsionis, vt arbitratur falsò citato loco Augenius, verum simpliciter distantia cum oppositione: hæc omni reuulsioni conuenit, soli, & semper.

In hac accurata reuellendi methodo, hospes versatur Augenius, cum & eodem lib. 7. cap. 11. quadam fretus Galeni auctoritate ex lib. de curandi rat. per ven. sect. ca. 19. excerpta Matthæum Curtium arguat, probè quidem affirmantem vsum reuulsionis distinctum fieri in præseruatione, ac in curatione. Verum, vt huius viri detegatur error, lubet modò Galeni recensere verba *Quibus in corporibus nulla adhuc pars laborat, & tamen accedente vere volumus aliquam moliri vacuationem, quando fuerit ille assuetus æstiuo tempore à febre corripi, cuius fomitem subtrahere volumus, tunc qualibet pars idonea est, vt inde sanguis detrahatur: & eodem modo si quis morbo articulari, & eo passim in omnibus articulis sit solitus laborare. Sed cum timemus ne particulariter in vna quapiam particula tantum laboret, nisi sanguis mittatur: nequaquam in his eodem modo agendũ est. non enim expedit vndequaque vacuare: sed eadem ratione agendum est in his* (hîc consistit robur opinionis Augenij) *sicut in illis, qui iam labo-*

laborare cœperunt: & hac de caussa podagricos euacuamus secta vena in cubito: vertiginosos verò, & qui morbo comitiali arripiuntur in tibiis. Hæc rescripsimus iuxta Theodorici Gaudani interpretationem: cui haudquaquam altera Augustini Gadaldini refragatur. Verum enim verò si solerter, ac seriò hunc nostrum diuinum Galenum replicasset Augenius, obseruasset quidem hunc eo loco longè vtique ab ipso recedere. Rimemur quamprimum capitis institutum. in eo itaque mens sibi fuit epilogisticam methodum tradere secandi venas, & distinctum huius auxilij vsum, iuxta varias, atque distinctas occasiones, tum in futuris ac imminētibus morbis, tum in vtroque fluxionum carcere actu existētibus. Sed tamen nuper citatis verbis, methodum exercet in futuris morbis. vt autem hæc optimè procedat, docet hos morbos futuros æstimandos esse, an statum habeant locum de futuro afficiendum, iuxta assuetudinem præteritorum temporum, an secus nullum statum, sed aut vniuersum corpus, aut saltem plures, ac distinctæ fuerint partes laborare solitæ. his positis inquit, in his vltimis futuris morbis licere, cum status nullus sit ac peculiaris locus, ex qualibet parte sanguinem haurire, ex quolibet inquam tubo capaci, valente commodè corpus deplere, ac inanire. verum in prioribus, ne hoc quidem fas: sed etiam in his futuris æstimandus locus de futuro afficiendus, sicut in his futuris æstimandus locus de futuro afficiendus, sicut in his, qui actu iam existunt, seu laborare iam cœperunt, obseruamus itidem & partem malè affectam, vt ab eadem optima reuellamus methodo. non autem his verbis intendit, quod sicuti in futuris morbis distantissimam

contrarietatem obseruamus, respectu partis de futuro laboratis, ita & eandem obseruemus in morbis iam actu existentibus. Sed in vtrisque ius æstimare locum passum, in futuris distantissimam oppositionem quæramus, in fientibus actu, distantem, cum vtraque rectitudine. Et hæc est verè Galeni mens, quidquid garriat Augenius. quã ne exactè quidem attigerunt huius loci interpretes doctissimi, tam Ferdinandus Mena, quã infœlix Fuchsius: etsi longè recedant à figmento Augenij. Quare ne fas quidem conferre vtrasque reuulsiones, ita vt inter se in cunctis conueniant. nam vti reuulsio simplex respuit directiones, ita & altera mista morborum actu existentium, easdem colit, negligit distãtissimum terminum. Scopi namque distincti, & vsum distinctum faciunt. quod si in cunctis conuenissent, non essent distinctę species, aut similes, verũ eædem: quod reluctatur passim Galeno, oppositum asserenti, tum lib. 2. ad Glauc. c. 2. li. eodem de cur. rat. per venæ sect. ca. 15. & lib. 13. methodi. ca. 16.

Neque moror Archigenẽ, Aretæum, Aëtium, Arabes, & alios plurimos habeat assertores Augenius, cum nobis adsint fortissimi Athletæ, vtrique Medicinæ Antistites, Celsus itidem, Rationalis methodus, & vniuersa ferè Medicorum schola, Gręcorum præsertim scientiam sectans: quid quod & ratio, & experimentum ænei scientiarum omnium clypei, & fidei faciendæ organa vera.

Præterea Augenius lib. 7. c. 5. dũ oppositam sententiã arguat, duplici exemplo propriam roborarę contendit. Inquit itaque in sympathica epilepsia ex aura à crure ascendente, dum cauteria supra crus affectum apponimus à parte illa sympathicè labo-

laborãte distantissima, accuratè reuellimus, vti & cũ ligaturis, ac frictionibus in eadem inferna parte vtimur. Ergo reuulsio maximam semper requirit distantiam, haudquaquam minimã, aut vicinam.

Rursus, in pulmonis vlcere, à capitis destillatione salsa, contracto, dum cerata pyrotica capiti apponimus, haudquaquam tunc à capite reuellimus, imò à pulmone, cuius vlcus nos seriò curare intendimus. quare semper magnam in omni reuulsione obseruamus distantiam: neque fas vnquam in eadem parte affecta reuulsionem præstare.

Hæc ambo vnico exoluemus flatu, reuulsionis quamprimum præmissa distinctione, in vniuersalem, & particularem: illa reuulsionis propriè rationem habet, hæc verò deriuationis, cũ minimos hęc arceat fluxus, & humoris ductum cõpescat, ne amplius ad alteram partem fluat. propter quam rationem reapse reuulsoriam, & aliquam insuper expostulat oppositionem, verũ quàm minimum distantem, sed ferè vicinam potius. Exemplis itidem rem lustremus, si fluxionem ad oculos ex cerebro ruentem compescere nos intendimus, in sincipite, aut occipite seriò reponim⁹ pyrotica, ac phœnigmata, quæ hauddubiè reuulsoriam habent vim, cũ arceãt, reuocent fluxum: vicina autẽ cum oppositione, ia in capite, in quo consistit affect⁹ administrantur. oppositionis nãque species est tã antè & retro, quã intus, ac foris. Quamobrẽ his positis dicemus, in reuulsione vniuersali, de qua nobis modò sermo, distantiam ęstimandam, methodo, qua suprà ex Galeno docuimus: haudquaquam hæc seruãda in particulari reuulsione, q̃ necessariò subsequitur priorẽ

borant autem caput illa, quæcunque in suum pristinum, ac salubrem statum, illud valeant reducere, seu in temperiem, quam secundum naturã fuerit consequutum. Hæc methodus, ceu vniuersalis, omni cerebri intemperiei competit, siue calidæ, siue frigidæ, siue humidæ, aut siccæ. Idẽ & de epilepsia censendum, cum quæ idiopathicæ parti apponantur, per se, ne vllatenus quidem reuellant, sed intẽperiem potius emendant, cacoëthiam, vnde aura exoritur, exoluunt. quod propriè sanatio est. ablata igitur caussa, & sanato pariter caussæ principio, sympathica epilepsia nulla.

Abeat igitur Augenius, & ne amplius tribulos illos germinet in nitido hoc, ac feraci Medicinæ campo, neque modò intẽdimus cunctas eius agrestes plantas exterminare, esset enim in immensum, & vltra nostri consilij rationem, opus excrescere. sed hæc cursim transcurrimus, breuitati studentes, quantum consilium patiebatur nostrum. Ad pensum itaque reuertamur.

De differentiis implicatorum affectuum, & eorum curandi methodo in genere.

CAP. XL.

INtricatas dissertationes extricare, & perplexas logomachias rescindere, & obuiam fit menti, & visui palam difficile. Nam si quæ simplices sunt, per se singulæ graues, obscuræ, quanto magis & nobis difficiliores, & operosiores occurrent implicatæ? In vnaquaque re, primum artificem fieri oportere censet cum Præceptore Gale-

nus,lib.2.de Crisib.c.9.seu cunctarum rerum artis, & simplices naturas, & mox compositas sedulò explorare, argutę dignoscere, deinde aggredi sic instructos, ipsa opera. Verum cum composita æquè, ac simplicia non cognoscantur, cum maxima indigeant ipsa & acri intelligentia,nec rursus exercitatione mediocri, illa duce, & diligentia comite arduũ hoc,&intricatum iter,peruium parare studebimus,cum & perrũpat Acheronta,Herculeus labor. Polygraphotaton Galenum aduocemus, qui exercitationem meliorem, de hisce compositis affectibus, neminẽ reperire inquit,ea, quæ ab ipso docetur,libro nuper citato 2.de Cris.c.7.supposita prius simplicium dignotione.Methodũ hanc exercet ipse in febribus, idẽ tamen in cunctis morbis habendũ.

Morbi itaque cum alij sympathici,alij idiopathici, vtrique duplici arte permisceri queunt, aut tantũ inter se implicati,aut per se toti cõfusi. Hi summam requirunt speculationem,alij autem nec mediocrem quidem, vt disparentur.Hanc eandem implicationis distinctionem nihilominus idem admittit Galenus in ipsis febribus, libro 2. de earumdem differentiis.cap.8. quare complicatio primum dignoscenda mox confusio:quia methodus doctrinæ à notioribus nobis, ac facilioribus progreditur. Complicatio igitur tripliciter accidit, nam aut implicãtur morbi vnius generis,cum aliis eiusdẽ generis, aut morbi eiusdem speciei cum aliis pariter eiusdem speciei,aut denique morbi aut genere, aut specie interse distincti. Eleganter hanc triplicẽ cõplicationẽ in febribus lustrat Galenus li. citato de Cris.vti & aliorũ morborũ exẽplo li. Artis Medicę c.87.& li.pſertim meth.7.c.12. Porrò & hæc omnis com-

complicatio duobus valet contingere modis, aut quando varij morbi siue genere, siue specie distincti in diuersis corporis partibus accidunt simul, aut quando idem organum afficiunt, simul itidem tempore, iuxta tamen diuersas similares eius partes, quę lancinantur. Illud apparet primum, quãdo cerebrum inflammatione patitur, ventriculus cardiogmo, vterus iugiter obstructione: hoc verò, quando oculus in adnata laborat phlegmone, in cornea vlcere, in vuea pupillæ dilatatione: hi etenim affectus, iuxta singulas similares partes complicati sunt, quamuis ratione totius instrumenti potius confusi. quæ morborum compositio in partibus hisce organicis duplex est, vel per se, quando morbi fuerint proprij partiũ organicarum, vel per accidens, quando potius similarium per se peculiares, & per accidens spectant ad organa.

Tandem morbi complicati confusi fiunt, quando plures morbi & eandem partem, & si tempore afficiunt, siue pars illa similaris sit, siue organica, quatenus vnicam habet rationem instrumenti. In febribus autem hæc confusio fit, non quia in eodem vase existit ἐσία: sed quãdo simul tẽpore, distincti febrium paroxysmi in vnum concurrunt, vt in hæmitritęo contingit, concurrẽte simul circuitu tertianario, & altero quotidianæ. Hæc confusio itidẽ accidere potest, vel morbis vnà existẽtib. eiusdẽ generis, vel eiusdẽ speciei, vel vtriusq. modi diuersis. quid quod non solũ morborũ, & eorundem caussarum, verũ etiam & diuersorum symptomatum syndromes in hac cõfusa implicatione passim solet accidere. Connexus itaque dicetur morbus (vt cuncta hęc amplectamur) qui cũ qualibet præter naturã re

implicatur. vti igitur in simplici simplex adest indicatio, similiter in omni connexu multiplex, iuxta numerum rerum complicatarum, ex Galeno lib. 4. meth. ca. 1. Quare maximè attendenda hæc discretio simplicium morborum à compositis, vt accuratè curatio singulorum exerceatur, & connexorum altera, ceu ardua, vsu longo indigente, & ingenio acri, affabrè prosequatur.

Nos modò in hoc libro omnem connexum admittimus, siue sit morborum tantum, siue morbi cum sua caussa, siue vtrorumque cum caussæ principio, vnà & symptomatis. etsi hunc vltimum connexum, ab aliis discretum, peculiari texerimus disputatione, per diuersa distincta capita. Exordium sumemus à connexu morbi acuti cum sua caussa, & eiusdem caussæ principio, in ipsis enixis, ceu simplicior, ac nobis facilior disputatio, mox ad cópositiores conuolabimus, morborum inquam genere, specie, & sede implicatorum.

Cęterum Galenus doctissimus ad absolutam horum implicatorum affectuum curationem, triplicem assignat scopum lib. præsertim 7. methodi ca. 12. primùm vrgentiam, iam rursus affectum caussæ rationem habentem, tandem ordinem ac seriem ipsorum affectuum. Singula hæc, tum citato nuper libro, tum & lib. 3. meth. c. 9. exemplis eleganter declarat. etsi circa exempla non leuis modò nobis occurrat scrupulus, dum ordinem affectuum, citato lib. 7. meth. exponit, *Fingatur* inquit ipse, *in ventriculum defluere ex cerebro superfluum quendam humorem frigidum, atque eius occasione intemperiem quandam in ventriculo contractam iam esse.* Istud exemplum

emplum reapse ad affectus, qui caussæ rationem habent, ad secundum, inquam, scopum spectare potius videtur: cum intẽperies cerebri frigida, alterius intẽperiei frigidæ vẽtriculi sit principium, caussa verò humor ab eodem principio dimanans, & hæc efficiens; vndè curatio, ab illo principio inchoanda, vt iubet methodus, tũ huiusmodi scopus, ita sanè præstandum vrget. Hoc tamen interim obseruandum; apud Philosophos principium & caussam sola tantum ratione distingui, vt insinuat Aristoteles lib. 5. Metaphys. ca. 3. 4. & 5. nã omnis caussa vocatur quoque principium: dicitur verò principium, quà prius est, caussa autem quatenus aliquid efficit. vnde & Porphyrius ex Simplicio, prĩcipium & caussam pro eadem sumit re. Porrò, & vltimus scopus, qui ordinem describit affectuum, caussas efficientes non includit. verum illas sine quibus non, vt perbellè itidem Galenus interpretatur lib. 3. meth. ca. 9. tum ibidem illustrat exemplis. Hinc fortè argutus Argenterius li. 2. de Medici officio. ca. 18. hunc tertium scopum, ceu anilem respuit, *Vrgens enim affectus*, inquit, *caussæ rationem sine qua non, obtinet*, vnde non est quod nos alterum consulamus scopum, præter hunc vrgentiæ, & alterum efficientis caussæ, vti & citato exemplo confundere iugiter hoc idem videtur Galenus.

Difficultatem hanc sic rescindendam sentio. Galenus ad clariorem doctrinam hos triplices construxit scopos, qui & à parte rei distingui arbitramur. Neque vrgentiam caussæ rationem habere, sine qua, reliqua ne obire quidem sit ius, autumandũ. Nam aliquando sic vrgentem affectum sanamus, vt

reliquos pariter insanabiles reddamus nos. puncto enim neruo, & conuulsione vrgente concitata, neruum secamus, vt periculum, quod ex conuulsione impendebat, omnino arceamus. vrgentiæ igitur ratio sola est, cui solum præuidemus: neque aliorum rationem, eius inquam sine qua non, vrgentia habet. Deinceps alter scopus caussæ, nunquam dissentientes in se continet indicationes, sed tantum insinuat, cui primum occurrendum; & hic caussas tantum efficientes, siue simpliciter efficientes, siue conseruantes intellexerimus, respectat. Vltimus autem ordinis scopus, caussas quidem sine quibus non potissimum obseruat, quæ nullatenus efficientes. verũ hæ in vsu methodi partim inter se conueniũt cum morbo, aut quod frequẽtissimum potius est, partim dissẽtiũt. Quare distinctissimi à parte rei sunt triplices hi scopi, & summo consilio ad perspicaciorẽ doctrinã, seu necessariò potius trimẽbres hos constituit diuinissimus Galenus. Arguendus igitur reprehensor, cùm de ordine in agendo inordinatè agat.

Ad illud autem Galeni exemplum dicemus, istud non ordinem tantum declarare, verum omnes tres prædictos scopos pariter complecti. vrgentiam quamprimum palàm demonstrat, quæ aut à dignitate, aut ab affectus magnitudine peti, seriò replicat Galenus, lib. 11. meth. cap. 3. & cum intemperies, cerebri potissimum, dignatione maior sit, testante eodem 7. meth. cap. 12. Galenus, ab ipsa proinde, ceu vrgentiori inchoanda curatio. nisi humor descensus, & in tunicis ventris contentus, morsus sensum faciat, cardiogmon, videlicet, germinet, atque ex eo ipso hypothymiam, aut syncopem dissolutione spirituum

rituum accersat, & sudores quosdam, tunc enim potius ad hoc symptoma conuertendum; virium namque indicatio, reliquis præstantia, & dignitate maior, cum in ipsis vita consistat. Mox occurrit scopo caussæ, dũ modò principio sit iam prouisum, aut ferè iam ablata illa prior vrgens caussa intemperiei cerebri; fluxo inquam humori, in ventriculo contento, intendit Galenus. cum illud sit ceu axioma notum, ne posse manente caussa tolli quidem effectus. Ordini tandem consulit, seu caussis sine quibus non tollerentur reliqui affectus, dum simul & roborandum cerebrum censet, & alimenta corrupta in ventriculi contenta cauitate, vnà abigit. vt ita nec cerebrum amplius demittat, nec ventriculus aliqua ratione afficiatur, suámque intemperiem seruet. Neque aliud amplius, in hoc connexu ordinis scopus præstat, cum consentiat vndequaque cum ordine caussarum efficientium. quare & multò minus istud exemplum, ad hunc tertium ordinis scopum spectat, quàm ad reliquos priores.

Verum præstat maximè, in rationali methodo curatiua, ordinem caussarum, tam efficientium, quã reliquarum sine quibus non, æstimare. quia cum res omnes sese ordine quodam insequantur, & suaptè quasi natura, altera alteri præferatur: necessariò ad eorundem facilem eumethodo expunctionem, ordinem simul eundem obseruare opus est. vti enim res quæpiam simplex est, quę pręcedit compositam: ita & altera, est caussa, quæ semper natura saltem antecedit affectum: altera tandem caussæ principium, quæ quatenus ordinatur ad ea, quæ ex principiis constant, prior itidem est. cúmque quod vltimum in analysi (quæ ab effectu ad caussam vltimam procedit) prius in curatione. cogi-

mur nos, ex vi methodi, ſeriem & cauſarum ordinem æſtimare, vt gradatim à cauſæ principio, ad vltimum vſque effectum, cuncta quæ in corpore fuerint præter naturam, nobíſque moleſta expungere valeamus. Hæc abundè in ſequentibus capitibus, & doctrina, & exemplis dilucidiora reddentur.

Tandem, vt huic capiti finem imponamus, lubet nunc non leuem difficultatem exoluere: Galen. in prædicto exemplo, in illa inquam affectuum syndrome, priùs ab intemperie curationem inchoandam ſcribit, quia *hæc*, inquit, *dignatione maior eſt, propterea videlicet, quod & ipſa temperies.* Sed intemperies morbus cum ſit ad magnitudinem potius, vel propriè ad vehementiam referenda, haudquaquam ad dignationem, quæ tantùm res ſecundùm naturam reſpectat, vt accuratè Galenus ſcribit lib. 11. meth. cap. 3. cum dignitatem, vel reſpectu vitæ vel ſanitatis tantùm cenſeat æſtimandam: vti magnitudinem, morbi reſpectu, quia in ſua ratione formali magnus, vel reſpectu declinationis à naturali habitu itidem magnus.

Inſignis Doctor Ludouic. Colladus Præceptor meus amantiſſimus lib. ſuo Iſagogico cap 19. ad faciendam Medicinam, hunc locum refert, & acutè ſatis explicat; Codex autem Græcus ſic habet, ἐν ταῖς τοιαύταις ἐπιπλοκαῖς, ἀξιώματι μὲν δὴ μείζων ἡ δυσκρασία διότι, καὶ ἡ εὐκρασία. Ideſt *in eiuſmodi complicationibus dignatione maior eſt intemperies, propterea quòd & ipſa temperies*, cuius rationis ſenſum ille arbitratur mancum, & ita addendum cenſet, ἐστὶν ὑγεία, eſt ſanitas. quiſi oratio hunc reddat ſenſum, vti ipſa temperies eſt ſanitas, & ſanitas dignatione maior, morbus, qui in intemperie cóſiſtit, pari ratione

&

& dignatione erit maior. Verũ pace huius tanti viri dixerim, frustra illud additur: cum & perfectũ reddat sensum, vt habet Græca Galeni oratio. inquit enim in illis complicatis affectibus, iuxta exemplũ propositum dignatione maior intemperies reliquis affectibus, vti temperies in rebus secundùm naturam, in qua consistit sanitas, & vita, dignatione maior est. quasi dicat, si temperies maior, intuẽda sanitate ac vita, intemperies eius cõtrarium, ceu depopulatrix eiusdem etiam sanitatis ac vitæ, in curatione maior itidem dignatione erit. Quare his expositis, satisfaciemus difficultati, dicendo, nomen illud ἀξίωμα, quo tantum hoc loco fuit vsus Galenus, ex cunctis methodi libris, non solum propriè significare, vt Linacer vertit, dignationem, verum & quod alibi de morbis idem Galenus interpretatur, magnitudinem: iuxta illud Galeni lib. 8. meth. cap. 9. *Nihil in contrariis indicationibus tam conuenit expendi, quàm magnitudinem eorum, quæ ad indicationem coierunt.* quasi ἀξίωμα, seu dignitas, dicatur de re secundum naturam, ac præter; quatenus magnitudinem aliquam, ac præstantiam includit: quãuis lib. 11. meth. ca. 3. magnitudinem, à dignitate distinguat.

De curandi methodo per scißionem venæ morbos enixarum acutos, vtero tantum, ceu caussæ principio se habente.

CAP. XLI.

MVliebria cuncta ardua: verum exacta methodo, qua per venæ sectionem enixarum con-

nexi morbi acuti ſint exoluendi, non minus operoſum docere, quàm per extenſum funem ambulare. Grauitatem hanc, dum contemplor, illud Euripidis in mentem venit:

Pelagus malorum contuor
Tam magnum ut enatare facilè non ſit

Sed quia, quãto difficilius bellum proceſſerit, tanto deuictis eiſdem difficultatibus, glorioſior expectandus triumphus: excutito ferè omni timore, audenter hanc rem, ac plenis velis, à ſuis quiſque primariis hauſtam fontibus, modò aggrediar.

Affectuum igitur horum connexus, duplici ratione accidere poteſt, aut per metadoſim, ab vtero tranſlato humore ad alteram partem, gignente ibidem morbum acutum, in vtero tantum exiſtente morbi principio: aut rurſus, etiam vtrobique morbo exiſtente, & numero, & ſpecie pariter diſtincto, ob partim tranſlatam materiem, illorum germinatricem. Hic vltimus modus & frequentior, propriè connexorum eſt, cum connectantur morbi ſpecie diſtincti, & actu ingiter in diſtinctis corporis mẽbris exiſtentes, alter verò modus, quamuis vterum habeat morbi principium: tamen, cum omnis cauſſa morbifica alibi abſcedat, propriè implicatorum non obtinet rationem. verum de ipſo, ceu ſimpliciori modo agemus nunc, ad reliquũ mox cõuerſi.

Cæterum, quòd puerperia, cunctorum malorum propagatricia, vterum relinquant, turgenter, ac tumultuariè varias, ac principes ſæpè noſtri corporis partes repant, ac obſidant, & dictator ſummus, & vnà aſſiduus demonſtrat vſus. Ille itaque harum rerum fidelis, ac diligens explorator, lib. 1. de morb. mul. num. 69. & 70. ſic fatur, *Si verò proceſſerit mulieri puerperij purgatio ad caput, thoracémque, ac pul-*

monem,(fit enim & hoc:)moriuntur sæpè statim, si detineatur, ac firmetur. Ex hoc amplissimo Hippocratis oraculo tria, illáque scitu digna elicere nunc lubet. illud primum, quasi magis ad nostrum spectans consilium, puerperium incalescens, per metadosim, magno impetu ad supernas, ac principes transponi partes, ibique stabulatum, peculiares quasque gignere morbos. Mox illorum affectuum dignostica tradit signa. Tandem eorumdem prognosticum refert; videlicet, quod ab eorum sæuitie moriantur statim, ob caussæ efficientis cacoethiam, tum quia vnà cor oppetitur, & micare desinit, in cuius actione vita consistit. Vnde infert diuinus dictator, *Curata verò sana fit. Non multa verò spes est de vita ipsius.* Quasi insinuet, ab hisce morbis ita funestè enixas laborare & hostiliter, quod sit possibile auxiliis, easdem subleuare, verum ita difficulter, quod potius certò adsint fatiscentis, ac deuictæ naturæ indicia, & celeriter potius sit expectanda mors: aut saltem si supersint, easdem in graues, ac penè incurabiles incidere morbos, surditatem, cæcitatem, & alios, à prioribus dimanantes, sed iam liberatas. est enim illud, illorum abscessus. vltimum signat horum morborum terminum, vnum supra vicesimum solem: quia vltimus hic morborum acutorum, ceu decimus quartus à septimo, vti & historia hanc doctrinã cõprobat li. 1. Epid. com. 3. sen. 21. Huius metadosis variæ signãtur caussæ, quãtitas accisi puerperij, qualitas eiusdẽ cacoëtha, ac funesta natuũ citás, mittẽtiũ partiũ robur, recipientiũ aut lãguor, aut natiua dispositio, & situs, viarũ tandẽ amplitudo, & cõmunitas. Perbellè has omnes describere videtur nuper citata

ſententia dictator ſummus. Priores cauſſæ habiles quidem concitare naturam, tum quia calidum, ac igneum lochion, ſuo quaſi nutu, etiam magno cum impetu fertur ſurſum, ad caput inquam arcem ſupremam, mox ad thoracem, pulmonémve. Verum ob duplicem potiſſimum ratione̅ partes hæ lochio grauidantur, aut quia diſpoſitæ ob laxitatem illaru̅, quia calidus etiam thorax, allicie̅s inde humores: aut quia inter has partes communitas maxima, cu̅ pectore, ob venas præſertim mammarum, cum capite rurſus obligamenta vteri ſpinali medullæ, ac eius vertebris hærentia, cuius medullæ origo à cerebro eſt, ſibique contigua. Situs præterea nihil minus maximè iuuat, quia cum partes illæ ſupernæ ſint, ceu calidorum ſphæræ, facilè & illud recipiu̅t. Illuſtrat hoc idem eleganter Galenus lib. 1. Epidem. com. 1. ſen. 10. dicens, *In febribus, in quibus humores ſunt aceruati multi, craßi, & crudi, qui propter vehementiam, & acuitatem, & copiam febrilis caloris caput repunt. &c.* Si igitur multi, craſſi, & crudi humores vi caloris febrilis, ceu aurigæ, ſurſum trahuntur, quanto facilius, & maiori cum impetu, ſi iidem calidi, feruentes, ac tenues? Reliquum igitur ex his eſt, enixas non in vtero ipſo tantum lancinari, verum ab vtero, in plurimis, ac diuerſis aliis locis, capite, thorace, hepate, ſtomacho, actu iam in ſingulis ipſis partibus per ſe morbis exiſtentibus: aut alibi tantum extra vterum tranſmiſſo lochio, ſolo morbi principio in vtero remanente, aut primariò laborãte vtero idiopathicè, altero verò ſympathicè. Hæc ſingillatim diſtinguere in vſu Medico maximi ſanè momenti, cum ipſarum rerum negligentia grauium, ac plurimorum ſit parens errorum.

Decet

Decet itaque Medicum in cunctis his lustrandis exercitatissimum, ac vigilantem fieri exploratorem. Adeat igitur oportet, replicet sedulò libros Galeni doctissimos sex de morbo, & symptomate, tum & alios sex eruditissimos de locis malè patientibus. Verum omissis his, ceu extra scopum, methodum rursus per suas indicationes tradamus, quæ, huiuscemodi morbos prorsus dissoluere valeat. Sed cum à facilioribus sit inchoandum, prius nos methodū exercebamus exoluēdi morbos ab vtero, haudquaquam in ipso remanente, nisi morbi principio, non mittente, sed iam restita omnino transmissionis actione.

In hac igitur hypothesi caussæ principium vterum supponimus: qui, etiam cū à suo iam cessarit opere, per se nihil indicat. occurrit mox morbi efficiens caussa, lochion videlicet, ab vtero translatū. quod cum duplici arte nostrum valeat lascesciri corpus, aut vt iam firmatum in peculiari aliqua parte: aut vt errans, ac turgens: hæc cogimur seriò disparare. nam sistatum, iuxta morbi germinati ideam, tum affectum locum de venæ sectione nos deliberabimus: sin errans, & hoc intra corpus, quā primum cathartico educemus, ne in peculiari parte firmatum morbi alicuius acuti auctor fiat: sin verò per metastasim abscedat, actionem naturæ tunc æstimabimus. quæ si vberrimè agat, liberaliter inquam, cum tunc, enixam valeat à morte vindicare, sollicitum ne debet sanè reddere Medicum, ceu nullam ad se alliciens affectus curationem. Hinc Hippocrates libr. 1. de morb. mul. nu. 69. citato, scribit, *Si verò probè exeat per os, aut nares*, videlicet lochion: *sana euadit.* Id enim, nisi bonis rebus acci-

dere potest puerperæ si haudquaquam firmatum, supernas repens partes, eam nactum viam per nares potius, aut os effluat, dummodò abundè, seu cum Hippocrate probè illud reddatur. si verò, aut prohibeatur, aut isthac foris copiosè ferri nequeat, quid ni, aliquo id fiet enixæ nocumento? si nãque occultatũ, pectus occuparit, tusses tunc, & anhelationes succedent, laterum etiam aliquando dolores, ac dorsi: sin caput, aut conuertetur illud ad faciem, & rubicunda apparebit, & caput grauabitur, dolebit, oculi rubicundi simul fient, aliquando distortorum oculorum continget ferocitas, indiciũ delirij efficax, tandem phrenitides etiam accident morosæ.

Omnis itaque hæmorrhagia, vt salubris fiat, veluti & cunctæ criticæ vacuationis, his duabus debent condonari dotibus, & insigniri & quod liberaliter fluat, iuxta peccantis humoris quantitatem, & morbũ vnà leuet; hoc præstat, si quæ oportet vacuentur, & qualia, & cum euphoria, vt innuit Præceptor lib. 1. Aphor. sen. 23. quod & exemplis pariter confirmat libr. 1. Epidem. com. 2. sen. 63. 64. 65. 66. 67. 68. in illa 3. Thasi tempestate, in qua obseruauit eos, in quibus largè sanguis per nares eruperat, ea de caussa maximè seruari. vnde inquit, αἱμοῤῥαγῆσαι καλῶς, καὶ δαψιλέως. quasi probè, & largè fluens. nullum enim, ait, in ea tempestate mortuũ, cui probè, & longè sanguis, vel per nares, vel per vterum fluxit. tunc enim huius excretionis beneficio necessariò, & conquiescit morbus, & exoluuntur symptomata. si igitur καλῶς, seu probè, aut criticè necessariò & liberalis, cum in paucitate excretionis, natura existente valida, coctóve humore, nullum

nullum adsit iudicium. imminuta námque contrà contingit, aut natura copia illa, aut cacoëthia non ferente, aut quia eadem infirma, in opere deiecta est.

Quare hæc necessariò, & vt signum, & vt caussa perpetuò mala: ab ea, & languescente natura, & iugiter succrescente morbo. Exinde selectum illud sanxit dictator oraculum, lib. 2. Epidem. *Indicatoria non iudicantia, vel lethalia sunt, si inde æger deterius habeat: vel difficilis iudicij, si nihil iuuent.* Multò itaque melius est naturá nihil externere, quàm incepto opere, succumbere. quia ipsa nihil moliente, coniectamur coctioni intentam esse, vim caussæ rursus morbificæ mitiorem, cũ nec qualitate proriter, nec quantitate commoueat, denique & omnis ferè suspicandi aufertur occasio transfusionis humoris ad aliquam partem principem. Si igitur muliebria largè fluxerint, aut per nares, aut per os, idque critico more, καλῶς, ita, vt ne vestigium quidem vllum relinquatur, aut morbi, adhuc aut symptomatis, ne Medico quidem tunc operari ius, sed totum naturæ committere, iuxta illud oraculum lib. 1. Aph. sen. 20. *Quæ decernũtur, decretáve sunt iustè, nec mouere, nec aliud quicquam nouare, seu medicamentis, seu aliis irritamentis fiat, sed omittere.* Non igitur illa iustè operante quicquam mouendum, vti neque dum iustè ipsa fuerit operata. verum si imminutè ipsa, ac imperfectè decernat, nullibi adhuc firmato lochio, methodus postulat, vt quam celerrimè illud vacuemus, vt ex coniunctis ambobus perficiatur illud, quod postulat indicatio: ne iterum nostræ negligentiæ culpã,

ad aliquam principem partem ruat, ibíque mox stabulatum funesti alicuius morbi sit parens.

Vtendi modum rursus huius auxilij & altera subsequente statim sententia idem declarat Præceptor, sen.21. *quæ educere oportet, quoquò maximè vergere videbuntur, ducere viis, ac locis vtiliter conferentibus.* Hîc, vt apposité interpres Galenus adnotat in comment. geminum proponit scopum deliberandi locum, per quem vacuare licet, partis naturam videlicet æstimare docet, per quam humoris transitus fiet, tum eiusdem humoris inclinationem. qui vtrique scopi, ad optimum vtendi modum illius auxilij, vnicè requiruntur. Est autem partis natura commoda ad vacuationem, aluus, vesica, vterus, os, nares, & totius corporis penu ipsa cutis. cæterum, vt & commodè ex his, alterum deliberemus, situs partis læsæ spectandus, tum & humoris natura. frustra enim quis contentum in pectore humorem, per vrinam ducere tentaret, vti & in ventriculo reconditum, per nares. pectus namque per sputum repurgatur, rarissimè aliter, cerebrum per nares, & palatum, venter per vomitum, & aluum: caua iecoris per aluum itidem, vti sima per vrinas, lien per hæmorrhoidas, vterus per pudendum, ac eius stomachum. Porrò & humoris natura nihilominus æstimanda, nam si sanguis, & sua multitudine peccarit, aut saltem adhuc suâ seruet ideam, venæ sectione nos minuemus: Sin verò penè cacochymus, aut sincerè talis, aut omnino corruptus, catharticis potius, iuxta cuiusque naturâ vacuandus. Prætereà & alter scopus ad optimum vtendi modum consulendus, inclinatio est humoris. in qua obseruandum,

an hæc per commoda feratur loca, an ſecus. nam ſi primo illo modo, iuuanda naturæ actio, ſin aliter prohibenda. commoditatem hanc demonſtrabit, tum dignitas loci ac præſtantia, tum & eiuſdem partis ſecundum naturam vſus, an ſtata ſit via ex naturæ præſcripto, per quam vacuandus humor tranſgredi valeat, & ex parte, in qua ſtabulatus, aut errans, commodè pariter educi. Nam ſi princeps illa pars, nefas per eam, inclinationes tentare, præſertim ſi humor prauam contractam habeat qualitatem, aut ſi ex eius tranſitu maior noxa timeatur futura, quàm vtilitas ex eius vacuatione conſequatur. ſin verò nulla fuerit via commoda & habilis, per quam noxius humor vtiliter foras proſilire poſſit, temerarium per eam vacuationem inducere.

His itaque iam ſibi propoſitis ſcopis, rem fœliciter artifex aggreditur. Quare ſi enixæ lochia caput repant, mentis arcem, naturáque illa per nares moliatur vacuare, verum imminutè: cum huiuſmodi vacuatio, teſtante Hippocrate lib. 5. Aph. ſen. 33. *Mulieri menſtruis præter naturam deficientibus, ſanguis è naribus profluens bono eſt*, ſalubris ac commoda, hanc iuuabimus aut ſcarificatis naribus, aut acribus quibuſque auxiliis anaſtomoſim illatum venarum procurãtibus. inſequenda etenim optima humoris inclinatio, quia loci natura, idonea ad expulſionem hanc; imò & commoda, vt natura ſarcinam deponat, vti ſibi vtiliter ſæpè moris eſt, non in capitis tantum affectibus, verum, vt muliebria accidia retribuat citra moleſtiã, vt nuper ex dictatore diximus, & Galeno in commentario. Sin autem natura, nec ſua ſponte, nec noſtra ope liberaliter reſpondeat, iuxta redũdantis humoris multitudinem,

ſeu quantum morbus ipſe poſtulauerit tunc vtraq; ſeruata rectitudine externam cubiti tundemus, ne humor ille collectus in capite phreniridis, aut alterius morbi auctor fiat. Sin rurſus muliebria reddantur vomitu, cum alter abſit ſcopus, aduertenda quam primum: quia illorum tranſitus, per has partes, ad os vſque cum maxima ſit ægrotantium moleſtia, ingenti dolore, ac aliquando conuulſione comite. iſtud probè aſtruit Præceptor nu. 72. dum dicat, *Si ex partu ſanguinē vomat, hepatis fiſtula ſauciata eſt, & dolor ad viſcera procedit, & cor conuellitur &c.* hoc loco, *& cor conuellitur*, reor intelligendum & orificium ventriculi ſingultu lancinatur. tū quia veteres ex Galeno lib. 5. de loc. affect. ca. 5. ventriculi orificium cor appellabant: tum quia codex Græcus ſic habet, & τὴν καρδίαν σπᾶται, quam lectionem admittit tum Marinellus, tum Mercurialis: quāuis Mauricius Cordęus in Hippocrateo puluere verſatiſſimus vir, fortè legendū cenſeat σπᾶται, conuellitur, quaſi pro παλμῷ ſeu palpitatione, vſurparit σπασμόν, conuulſionem. quaſi innuat Hippocrates tunc, & cor propriè dictū, vitæ fōs, palpitatione afficitur. Conuellitur tamen hoc Cordæi iudicium, quia vomitus paſſio quidē vētriculi, nō autē cordis conuellitur itidē & Hippocratis doctrina, dum in Coacis prænot. nu. 4. ſic habet, Ἐπὶ ἀκρίτοις ἐμέτοις λυγμὸς κακόν. κακὸν δὲ καὶ σπασμός. *In meris vomitibus ſingultus malum. malū autē & conuulſio.* quare etiā ex Hippocrate, conuulſio ſympthoma inſequens vomitū, vti & ſingultus, conuulſionis ſpecies, vt inſinuat perdoctè Galenus lib. 3. de cauſſ. ſympt. cap. 2. quo loco ſimul tradit diſcrimen inter ſingultum, & vomitum, quod in ipſo, quæ in ventriculi ſpa-

tio

trio cõtinentur, eiiciũtur, in illa, quæ in eius corpus imbuta. Cum igitur ex ſanguinis vomitu, tot infauſta germinentur mala, quia omnis praua excretio, ſignum & cauſſa prauæ affectionis, ne ius quidem, quotieſcũq; irritata natura per hunc locum vergat, arte ducere, cum tãtum abſit conferre, cum funeſta potius & moleſta pariat ſymptomata. Neque licet vnquam niſi bene operantem imitari. Accerſenda itaque potius muliebria per vterum iuxta illud Hippocratis lib. 5. Aph. ſen. 32. *Mulieri ſanguinẽ vomenti menſtruis erumpentibus ſolutio fit.* Galenus in comment. ſic rurſus loquitur, *Quod quàm vtiliter fiat, ipſa nos docet experientia, à qua inducti, naturam in iis quæ rectè gerit imitabimur, atque mulieres ſic affectas vacuabimus, ſecta in poplite, aut malleolis vena.*

Tandem accidit aliquando, & per ſputum lochió educi, nullo fortè aut exeſo, aut rupto vaſe, ſed per anaſtomoſim tantum aperto, aut forſan per diapedeſim, rarefactis inquam vaſis, & exilibus aliis vnà reſeratis. In hoc ſanando affectu, eandẽ pariter, quã in vomitu diximus, obſeruabimus methodum, cum eadem vtrorúmque affectuum ratio. retrahenda itaque lochia ad pectus impetũ facientia, & ſputũ hoc cruentum efficientia, quia via incommoda, & ſoboles prauarum affectionum, præſertim ſi in pectore morã fecerint. quod ne intactũ quidẽ reliquit idẽ Præceptor, in ſæpè repetito oraculo lib. 1. de morb. mul. n. 69. *Moriũtur*, inquit, *ſæpè ſtatim ſi detineatur, ac firmetur puerperium ad caput, thoracem, ac pulmonem.* Omni igitur ſtudio, omníve cura cauendum, ne lochia partes ſupernas repãt, & obſideãt, ad quas fortè, inuitis nobis appulerint, arcẽda illicò, ac ſeriò ne ibidem ſuã firment ſedem. Cõmodè illud præſtabimus, ſi quãprimũ cauſſę principio occurrerimus,

nexi morbi acuti sint exoluendi, non minus operosum docere, quàm per extensum funem ambulare. Grauitatem hanc, dum contemplor, illud Euripidis in mentem venit:

Pelagus malorum contuor
Tam magnum vt enatare facilè non sit

Sed quia, quáto difficilius bellum processerit, tanto deuictis eisdem difficultatibus, gloriosior expectandus triumphus: excutito ferè omni timore, audenter hanc rem, ac plenis velis, à suis quisque primariis haustam fontibus, modò aggrediar.

Affectuum igitur horum connexus, duplici ratione accidere potest, aut per metadosim, ab vtero translato humore ad alteram partem, gignente ibidem morbum acutum, in vtero tantum existente morbi principio: aut rursus, etiam vtrobique morbo existente, & numero, & specie pariter distincto, ob partim translatam materiem, illorum germinatricem. Hic vltimus modus & frequentior, propriè connexorum est, cum connectantur morbi specie distincti, & actu iugiter in distinctis corporis mébris existentes, alter verò modus, quamuis vterum habeat morbi principium: tamen, cum omnis caussa morbifica alibi abscedat, propriè implicatorum non obtinet rationem. verum de ipso, ceu simpliciori modo agemus nunc, ad reliquũ mox cóuersi.

Cæterum, quòd puerperia, cunctorum malorum propagatricia, vterum relinquant, turgenter, ac tumultuariè varias, ac principes sæpè nostri corporis partes repant, ac obsidant, & dictator summus, & vnà assiduus demonstrat vsus. Ille itaque harum rerum fidelis, ac diligens explorator, lib. 1. de morb. mul. num. 69. & 70. sic fatur, *Si verò processerit mulieri puerperij purgatio ad caput, thoracémque, ac pul-*

monem,(sit enim & hoc:)moriuntur sæpè statim, si detineatur, ac firmetur. Ex hoc amplissimo Hippocratis oraculo tria, illáque scitu digna elicere nunc lubet. illud primum, quasi magis ad nostrum spectans consilium, puerperium incalescens, per metadosim, magno impetu ad supernas, ac principes transponi partes, ibique stabulatum, peculiares quasque gignere morbos. Mox illorum affectuum dignostica tradit signa. Tandem eorumdem prognosticum refert; videlicet, quod ab eorum sæuitie moriantur statim, ob caussæ efficientis cacoethiam, tum quia vnà cor oppetitur, & micare desinit, in cuius actione vita consistit. Vnde infert diuinus dictator, *Curata verò sana fit. Non multa verò spes est de vita ipsius.* Quasi insinuet, ab hisce morbis ita funestè enixas laborare & hostiliter, quod sit possibile auxiliis, easdem subleuare, verum ita difficulter, quod potius certò adsint fatiscentis, ac deuictæ naturæ indicia, & celeriter potius sit expectanda mors: aut saltem si supersint, easdem in graues, ac penè incurabiles incidere morbos, surditatem, cœcitatem, & alios, à prioribus dimanantes, sed iam liberatas. est enim illud, illorum abscessus. vltimum signat horum morborum terminum, vnum supra vicesimum solem: quia vltimus hic morborum acutorum, ceu decimus quartus à septimo, vti & historia hanc doctriná cõprobat li. 1. Epid. com. 3. sen. 21. Huius metadosis variæ signãtur caussæ, quãtitas accisi puerperij, qualitas eiusdẽ cacoëtha, ac funesta natiuá citás, mittẽtiũ partiũ robur, recipientiũ aut lãguor, aut natiua dispositio, & situs, viarũ tandẽ amplitudo, & cõmunitas. Perbellè has omnes describere videtur nuper citata

ſententia dictator ſummus. Priores cauſſæ habiles quidem concitare naturam, tum quia calidum, ac igneum lochion, ſuo quaſi nutu, etiam magno cum impetu fertur ſurſum, ad caput inquam arcem ſupremam, mox ad thoracem, pulmonémve. Verum ob duplicem potiſſimum ratione partes hæ lochio grauidantur, aut quia diſpoſitæ ob laxitatem illarũ, quia calidus etiam thorax, alliciẽs inde humores: aut quia inter has partes communitas maxima, cũ pectore, ob venas præſertim mammarum, cum capite rurſus obligamenta vteri ſpinali medullæ, ac eius vertebris hærentia, cuius medullæ origo à cerebro eſt, ſibique contigua. Situs præterea nihil minus maximè iuuat, quia cum partes illæ ſupernæ ſint, ceu calidorum ſphæræ, facilè & illud recipiũt. Illuſtrat hoc idem eleganter Galenus lib. 1. Epidem. com. 1. ſen. 10. dicens, *In febribus, in quibus humores ſunt aceruati multi, craſſi, & crudi, qui propter vehementiam, & acuitatem, & copiam febrilis caloris caput repunt. &c.* Si igitur multi, craſſi, & crudi humores vi caloris febrilis, ceu aurigæ, ſurſum trahuntur, quanto facilius, & maiori cum impetu, ſi iidem calidi, feruentes, ac tenues? Reliquum igitur ex his eſt, enixas non in vtero ipſo tantum lancinari, verum ab vtero, in plurimis, ac diuerſis aliis locis, capite, thorace, hepate, ſtomacho, actu iam in ſingulis ipſis partibus per ſe morbis exiſtentibus: aut alibi tantum extra vterum tranſmiſſo lochio, ſolo morbi principio in vtero remanente, aut primariò laborãte vtero idiopathicè, altero verò ſympathicè. Hæc ſingillatim diſtinguere in vſu Medico maximi ſanè momenti, cum ipſarum rerum negligentia grauium, ac plurimorum ſit parens errorum.

Decet

Decet itaque Medicum in cunctis his lustrandis exercitatissimum, ac vigilantem fieri exploratorem. Adeat igitur oportet, replicet sedulò libros Galeni doctissimos sex de morbo, & symptomate, tum & alios sex eruditissimos de locis malè patientibus. Verum omissis his, ceu extra scopum, methodum rursus per suas indicationes tradamus, quæ, huiuscemodi morbos prorsus dissoluere valeat. Sed cum à facilioribus sit inchoandum, prius nos methodũ exercebamus exoluẽdi morbos ab vtero, haudquaquam in ipso remanente, nisi morbi principio, non mittente, sed iam restita omnino transmissionis actione.

In hac igitur hypothesi caussæ principium vterum supponimus: qui, etiam cũ à suo iam cessarit opere, per se nihil indicat. occurrit mox morbi efficiens caussa, lochion videlicet, ab vtero translatũ. quod cum duplici arte nostrum valeat lasceſciri corpus, aut vt iam firmatum in peculiari aliqua parte: aut vt errans, ac turgens: hæc cogimur seriò disparare. nam sistatum, iuxta morbi germinati ideam, tum affectum locum de venæ sectione nos deliberabimus: sin errans, & hoc intra corpus, quã primum cathartico educemus, ne in peculiari parte firmatum morbi alicuius acuti auctor fiat: sin verò per metastasim abscedat, actionem naturæ tunc æstimabimus. quæ si vberrimè agat, liberaliter inquam, cum tunc, enixam valeat à morte vindicare, sollicitum ne debet sanè reddere Medicum, ceu nullam ad se alliciens affectus curationem. Hinc Hippocrates libr. 1. de morb. mul. nu. 69. citato, scribit, *Si verò probè exeat per os, aut nares*, videlicet lochion: *sana euadit*. Id enim, nisi bonis rebus acci-

dere poteſt puerperæ ſi haudquaquam firmatum, ſupernas repens partes, eam nactum viam per nares potius, aut os effluat, dummodò abundè, ſeu cum Hippocrate probè illud reddatur. ſi verò, aut prohibeatur, aut iſthac foris copiosè ferri nequeat, quid ni, aliquo id fiet enixæ nocumento? ſi nãque occultatũ pectus occuparit, tuſſes tunc, & anhelationes ſuccedent, laterum etiam aliquando dolores, ac dorſi: ſin caput, aut conuertetur illud ad faciem, & rubicunda apparebit, & caput grauabitur, dolebit, oculi rubicundi ſimul fient, aliquando diſtortorum oculorum continget ferocitas, indiciũ delirij efficax, tandem phrenitides etiam accident moroſæ.

Omnis itaque hæmorrhagia, vt ſalubris fiat, veluti & cunctæ criticæ vacuationis, his duabus debent condonari dotibus, & inſigniri & quod liberaliter fluat, iuxta peccantis humoris quantitatem, & morbũ vnà leuet; hoc præſtat, ſi quæ oportet vacuentur, & qualia, & cum euphoria, vt innuit Præceptor lib. 1. Aphor. ſen. 23. quod & exemplis pariter confirmat libr. 1. Epidem. com. 2. ſen. 63. 64. 65. 66. 67. 68. in illa 3. Thaſi tempeſtate, in qua obſeruauit eos, in quibus largè ſanguis per nates eruperat, ea de cauſſa maximè ſeruari. vnde inquit, αἱμοῤῥαγῆσαι καλῶς, καὶ δαψιλέως. quaſi probè, & largè fluens. nullum enim, ait, in ea tempeſtate mortuũ, cui probè, & longè ſanguis, vel per nates, vel per vterum fluxit. tunc enim huius excretionis beneficio neceſſariò, & conquieſcit morbus, & exoluuntur ſymptomata. ſi igitur καλῶς, ſeu probè, aut criticè neceſſariò & liberalis, cum in paucitate excretionis, natu ra exiſtente valida, coctóve humore, nullum

nullum adsit iudicium. imminuta námque contrà contingit, aut natura copia illa, aut cacoëthia non ferente, aut quia eadem infirma, in opere deiecta est.

Quare hæc necessariò, & vt signum, & vt caussa perpetuò mala: ab ea, & languescente natura, & iugiter succrescente morbo. Exinde selectum illud sanxit dictator oraculum, lib. 2. Epidem. *Indicatoria non iudicantia, vel lethalia sunt, si inde ager deterius habeat: vel difficilis iudicij, si nihil iuuent.* Multò itaque melius est naturá nihil externere, quàm incepto opere, succumbere. quia ipsa nihil moliente, coniectamur coctioni intentam esse, vim caussæ rursus morbificæ mitiorem, cũ nec qualitate proritet, nec quantitate commoueat, denique & omnis ferè suspicandi aufertur occasio transfusionis humoris ad aliquam partem principem. Si igitur muliebria largè fluxerint, aut per nares, aut per os, idque critico more, καλῶς, ita, vt ne vestigium quidem vllum relinquatur, aut morbi, adhuc aut symptomatis, ne Medico quidem tunc operari ius, sed totum naturæ committere, iuxta illud oraculum lib. 1. Aph. sen. 20. *Quæ decernũtur, decretáve sunt iustè, nec mouere, nec aliud quicquam nouare, seu medicamentis, seu aliis irritamentis fiat, sed omittere.* Non igitur illa iustè operante quicquam mouendum, vti neque dum iustè ipsa fuerit operata. verum si imminutè ipsa, ac imperfectè decernat, nullibi adhuc firmato lochio, methodus postulat, vt quam celerrimè illud vacuemus, vt ex coniunctis ambobus perficiatur illud, quod postulat indicatio: ne iterum nostræ negligentiæ culpa,

ad aliquam principem partem ruat, ibíque mox stabulatum funesti alicuius morbi sit parens.

Vtendi modum rursus huius auxilij & altera subsequente statim sententia idem declarat Præceptor, sen. 21. *quæ educere oportet, quoquò maximè vergere videbuntur ducere viis, ac locis vtiliter conferentibus.* Hic, vt apposite interpres Galenus adnotat in comment. geminum proponit scopum deliberandi locum, per quem vacuare licet, partis naturam videlicet æstimare docet, per quam humoris transitus fiet, tum eiusdem humoris inclinationem. qui vtrique scopi, ad optimum vtendi modum illius auxilij, vnicè requiruntur. Est autem partis natura commoda ad vacuationem, aluus, vesica, vterus, os, nares, & totius corporis penu ipsa cutis. cæterum, vt & commodè ex his, alterum deliberemus, situs partis læsæ spectandus, tum & humoris natura. frustra enim quis contentum in pectore humorem, per vrinam ducere tentaret, vti & in ventriculo reconditum, per nares. pectus namque per sputum repurgatur, rarissimè aliter, cerebrum per nares, & palatum, venter per vomitum, & aluum: caua iecoris per aluum itidem, vti sima per vrinas, lien per hæmorrhoidas, vterus per pudendum, ac eius stomachum. Porrò & humoris natura nihilominus æstimanda, nam si sanguis, & sua multitudine peccarit, aut saltem adhuc suã seruet ideam, venæ sectione nos minuemus: Sin verò penè cacochymus, aut sincerè talis, aut omnino corruptus, catharticis potius, iuxta cuiusque naturã vacuandus. Præterea & alter scopus ad optimum vtendi modum consulendus, inclinatio est humoris. in qua obseruandum,

an

an hæc per commoda feratur loca, an ſecus. nam ſi primo illo modo, iuuanda naturæ actio, ſin aliter prohibenda. commoditatem hanc demonſtrabit, tum dignitas loci ac præſtantia, tum & eiuſdem partis ſecundum naturam vſus, an ſtata ſit via ex naturæ præſcripto, per quam vacuandus humor transgredi valeat, & ex parte, in qua ſtabulatus, aut errans, commodè pariter educi. Nam ſi princeps illa pars, nefas per eam, inclinationes tentare, præſertim ſi humor prauam contractam habeat qualitatem, aut ſi ex eius tranſitu maior noxa timeatur futura, quàm vtilitas ex eius vacuatione conſequatur. ſin verò nulla fuerit via commoda & habilis, per quam noxius humor vtiliter foras proſilire poſſit, temerarium per eam vacuationem inducere.

His itaque iam ſibi propoſitis ſcopis, rem fœliciter artifex aggreditur. Quare ſi enixæ lochia caput repant, mentis arcem, naturáque illa per nares moliatur vacuare, verum imminutè: cum huiuſmodi vacuatio, teſtante Hippocrate lib. 5. Aph. ſen. 33. *Mulieri menſtruis præter naturam deficientibus, ſanguis è naribus profluens bono eſt*, ſalubris ac commoda, hanc iuuabimus aut ſcarificatis naribus, aut acribus quibuſque auxiliis anaſtomoſim illarum venarum procurátibus. inſequenda etenim optima humoris inclinatio, quia loci natura, idonea ad expulſionem hanc; imò & commoda, vt natura ſarcinam deponat, vti ſibi vtiliter ſæpè moris eſt, non in capitis tantum affectibus, verum, vt muliebria acciſa retribuat citra moleſtiã, vt nuper ex dictatore diximus, & Galeno in commentario. Sin autem natura, nec ſua ſponte, nec noſtra ope liberaliter reſpondeat, iuxta redũdantis humoris multitudinem,

tio cõtinentur, eiiciũtur, in illa, quæ in eius corpus imbuta. Cum igitur ex ſanguinis vomitu, tot infauſta germinentur mala, quia omnis praua excretio, ſignum & cauſſa prauæ affectionis, ne ius quidem, quotieſcũq; irritata natura per hunc locum vergat, arte ducere, cum tãtum abſit conferre, cum funeſta potius & moleſta pariat ſymptomata. Neque licet vnquam niſi bene operantem imitari. Accerſenda itaque potius muliebria per vterum iuxta illud Hippocratis lib.5. Aph. ſen.32. *Mulieri ſanguinẽ vomenti menſtruis erumpentibus ſolutio fit.* Galenus in comment. ſic rurſus loquitur, *Quod quàm vtiliter fiat, ipſa nos docet experientia, à qua inducti, naturam in iis quæ rectè gerit imitabimur, atque mulieres ſic affectas vacuabimus, ſecta in poplite, aut malleolis vena.*

Tandem accidit aliquando, & per ſputum lochiõ educi, nullo fortè aut exeſo, aut rupto vaſe, ſed per anaſtomoſim tantum aperto, aut forſan per diapedeſim, rarefactis inquam vaſis, & exilibus aliis vnà reſeratis. In hoc ſanando affectu, eandẽ pariter, quã in vomitu diximus, obſeruabimus methodum, cum eadem vtrorúmque affectuum ratio. retrahenda itaque lochia ad pectus impetũ facientia, & ſputũ hoc cruentum efficientia, quia via incommoda, & ſoboles prauarum affectionum, præſertim ſi in pectore morã fecerint. quod ne intactũ quidẽ reliquit idẽ Præceptor, in ſæpè repetito oraculo lib.1, de morb. mul. n.69. *Moriũtur*, inquit, *ſæpè ſtatim ſi detineatur, ac firmetur puerperium ad caput, thoracem, ac pulmonem.* Omni igitur ſtudio, omníve cura cauendum, ne lochia partes ſupernas repãt, & obſideãt, ad quas fortè, inuitis nobis appulerint, arcẽda illicò, ac feriò ne ibidem ſuã firment ſedem. Cõmodè illud præſtabimus, ſi quãprimũ cauſſę principio occurrerimus,

ſcindendo inferna vaſa,quę valent ad diſtantiſſimas partes fluxionem retrahere, & à parte mittente directò, ac celeriter reuellere. Copiam minuemus quantum fas eſt,vires vnà ſuſtinendo,per vices iterata ſectione. Verum ſi iam puerperium in pectore ipſo contineatur reſtitum, haudquaquam amplius tranſmittente vtero,tunc potius crebrò vtramque ſecabimus baſilicam, aut ſaltem alteram, ad quam copia inclinarit magis,ſenſu grauitatis in ea pectoris parte iſtud indicante. hæc vaſa autem ſecanda veniunt, quia ob coniugium, & minorem diſtantiam exactius, ac citius redundantem copiam vacuabunt.ſin verò illud partim fluat, partim fluxum iam ſit (nulla tamen adhuc in pectore exiſtente actu morbo) vtrique parti præuidendum,niſi vrgeat morbus factus, quia tunc, omni ex parte conuertimur ad eius ablationem, cubitorum venas ſemper ſecando. verum ſi inducias ille dederit, quamprimum ab vtero cauſſæ principio retrahemus, infernas ſcindendo venas, mox pectori occurremus, vt fluxum partim vacuemus, cubiti internis ruſis.

Poſſunt denique lochia,vti & periodici menſes, aut propter vitium in naturali confirmatione, aut propter aliquam præter naturam cauſſam, vel per nares reddi;quæ ſi ſalubriter fiant,& cum animalis commodo, vt bis expertus ſum in quibuſdam fœminis infimæ notæ, cui alteri per nares & menſes, & lochia ſalubriter, & omni ex parte reddebantur, ne quidem mouendum quicquam Medico, ſed contemplanda natura; quæ ſi imminutè operetur, emendandum arte,iuxta redundantis adhuc humoris copiam: vt ita coniunctis ambobus, dematur quod poſtulat ratio.

Expo-

Expolitur Hippocratis prædicta doctrina arguta quadam historia.

CAP. XLII.

DIctator summus lib. I. de morb. mul. nu. 69. lochiorum ad pectus palyndromen, apposítè, propriis quibusdam illustrat signis, quæ ceu maximi momenti ad nostram diexodicam historiam, vti hęc, ad doctrinæ Hippocrateæ expolitionem nũc lubet replicare, & vnà diuina verba percensere. *Si verò puerperij purgatio non exeat per os, sed sursum tamen impetum fecerit: occultabitur, & non procedet iusto modo. Et tussis corripiet, & anhelationes. Et impleto pulmone à sanguine valde dolebit latus, & dorsum. Et cum tussiet, siccè tussiet. aliquando verò spumosum expuet. Temporis autem progressu sputum apparet subnigrum, & turbatum. Et calor pectora tenet magis, quam reliquum corpus, nimirum sanguine ipsa calefaciente, & febrit mulier: & venter ipsi coarctatur, & cibum fastidit, & vigilabit, & abominabitur: & non superstes manet, sed moritur plerumque vicesima prima die.*

In hoc oraculo Præceptor Hippocrates effectus prauos, ac funestos, à metadosi puerperij in regionem pectoris germinatos dinumerat, tusses inquã, anhelationes, dolores, febrem, aluum siccam, anorexiam, vigilias. prognosis, & caussa mortis fatalis. horum autem omnium malorum antecedens caussa lochion, & hoc accisum, ad pectus appulsum, ibique restitum, haudquaquam probè, seu iusto modo per os excretum. Signa partim pathognomonica, partim epiphœnomena, & occultati lochij

inipso pectore manifesta indicia. Aceruus autem iste, ac praua congeries necessariò ferè mortem prędicens; hanc, non vltrò vicesimum primum solem protrahi, scribit, acutorum vltimum sanè terminū.

Singulorum affectuum hæc series, hícque generationis modus. quamprimum sanguine ad pectus appulso, expultrix vis in aduentum molesti; & pręter naturam hospitis concitatur, quæ commota statim tussiunt ægrotantes. in primis hæc sicca apparet quia in aduentu lochij, nulla facta adhuc exsurdatione in pectoris cauitatem, concitatur quidam veluti pruritus, seu titillatio, in illis respirationis organis, & tussis fit, ac sicca. anhelatio rursus, quia repletis vasis, tum inanibus spatiis, cuncta illa organa respirationi deseruientia haudquaquam cedunt, vt liberè dilatari possint, tum à diaphragmatis vnà compressione: nihil minus & pectoris, ac pulmonis ardor, eandem augere potis. Dolebit autem latus, & dorsum, citra inflammationem, crederem, quia partes hæ, à nimia lochiorum copia ac plenitudine, in omnem partem vltra modū dilatantur. hinc doloris exoritur sensus. Et quamuis pulmo exigui sit sēsus à sua natura, eodem tamen insigniūtur eius subiectæ partes. Porrò spumosum apparet sputū, quia cum exsudet aliqua humoris portio, à frequentiori illo pulmonis ac pectoris motu, ob anhelationem parto, concutitur valdè, & spirituum pariter copia per eius humoris substantiam insinuatur & concluditur, & spumosum reddit. Repræsentatur tandem subnigrum idem, ac turbatum, καὶ πολεῖν. Græcus habet codex, seu cœnosum, ac spissum, quia ob morā in æstuante pectore, ab eôdem feruido calore crassescit, ipissatur vt cœnum, & si amplius assatur, subni-

nigrúmque refert coloré. Calefit autem pectus magis, ob accessum, & appulsum feruétis lochij in ipso: febris mox accenditur, ob cordis viciniam, in quo febris sedes, hęc rursus sua acutie grauissimorũ symptomatũ fit parés, strictę videlicet alui, anorexię, vigiliæ, auersionis, quæ omnia calidã potissimum insequuntur intemperiem, & ceu germina illorum, febres itidem acutas, quibus vt plurimum famulatum præbent.

Dum hæc in nostris aduersariis litteris mandaré, & horum affectuum exercerem pariter curandi methodum, & vnà Hipp. hanc replicassem insigné sententiam illicò intra lares priuatos, proh dolor! anxifera quędam historia, in propria vxore, lectissima fœmina, nobis occurrit. cuius fatalem euétum, tum ob rei grauitatem, tum ob funestum Hipp. prognosticum, cum contemplarer seriò, ædepol lancinabatur cor, torquebatur & mens. verum ob maximam summi Dei clementiam, & ineffabilem iugiter bonitatem, qui solus ipse vulnerat, & medetur, Iob. c. 5. fœlix & fausta tragica nobis hæc fuit historia; cum post illud difficile naufragium, trãquillum appulerimus portum. huius autem rei hæc fuit series.

Postquam præclara hæc fœmina, sexto puerpera, agrippinam puellam fuisset enixa; nono à partu die, adhuc in primo eiusdem limine, cum ex præscripto naturæ reliqua contigissent, rigor leuidensus eam apprehendit, accisis vnà statim puerperiis. mox non in vteri tantum regione, verum & per vniuersum abdomen, lumbos etiam, ac renes inges fuit concitatus dolor, à quo immanissimè cruciebatur perpetuò. verum huc, illúcque, turgéter quasi, lochiis cõmotis, iã sursum, pectus versum impetũ faciétibus, appulere. indiciũ efficax huiusce rei, pruritus quidã

obortus,ac veluti quędam titillatio in diaphragmatis regione, quá sæpè ipsa conquerebatur vmbiscor deinceps præmebatur, vrgente itidem cardiogmo vehementi,ac vnà immani cephalalgia. Cæterum amplius sursum procedente lochio,pectus obsidet,anhelationem tam magnam inducens, vt ne, nisi difficulter admodum,ac cum suspitio, sibi spiritum reddere,fas esset.tussis, & eadem sicca nihilominus apparuit:concalefacto autem pectore,ad aduentum praui hospitis, febris, symptomatica sanè, cum ingenti ardore fuit exorta.consequente porrò anhelatione, à qua ipsa suffocari timebatur, tussis illa,quæ à primo exortu sicca,iam cum spumoso,& albo sputo contigit, cuius excretio sibi laboriosa valdè, tum ob pectoris angustiam, eiusdem sputi spissitudinem à febre, tum ob ingentissimos illos ventris dolores, ac capitis, à quo expuitionis laborioso motu,vnà omnes præter modum exacerbabãtur. Sed altero rursus sole, à morbo secundo,à partu decimo,horum omnium fuit facta remissio, singulis adæquatis adhibitis auxiliis, & sputũ iugiter perseuerauit album, & spumosum, quamuis semel tantũ in hoc sole, in ipso videlicet primo ingressus carcere, cruẽtũ illud reddiderit,loturę carniũ simile, vti sc. cruentus quidã ichor, ad vnicã ferè semissem,&cum labore valido.Tertio autem sole,eâdem itidem insultus morbi hora, bis illud idem cruentum sputum excreuit, & in eadem simul quantitate per singulas vices.nec minori cum labore:quamuis cum apyrexia,& doloris ventris remissione.nec mirum tanto cum labore redderetur illud,cum nõ in colore solum, verum & in consistentia aquam representasset,in qua nuper mactatæ lauantur carnes.

nes.tenuitas enim sputi non minimam ad expuendum difficultatem parit,cum ne coactum rapi à spiritu valeat,vt secum foras prosiliat. Sputũ hoc subnigrum, cœnosum, aut fœtidum nusquam in conspectum venit, quia neq; restitum, vt assaretur,putresceret, aut fœtorem contraheret : neque inflammatio aliqua in pectoris partibus contracta fuit, sed phlogosis,& ingens ardor solum : idque forsan, aut quia minima ascenderat puerperij quantitas, statímque expulsa, citra moram aliquam: aut quia auxiliorum beneficio recessit, vterum versus, inde eliminans copiosè satis per soles aliquot.Febris iridem (vt diximus)tum ventris dolores secundo cessarunt sole, tertio anorexia, & vigilia,cephalalgia adhuc per aliquot contumax increbruit soles. quid quod, & tricesimo à morbo, ita denuò immaniter fuit cephalalgia exacerbata, quod funestè sæuiens febrem de nouo germinarit ardentissimam, cui & conuulsiui motus superuenere, tum delirium, per septem integros affligens soles,maximo cum ipsius ægrotantis vitæ discrimine.

Hæc est huius candidæ fœminæ tragica, & grauis historia, haudquaquam ab altera illa Hippocratæa topographia dispar. Cunctis illis,ac variis affectibus plurimis artis auxiliis, ac venarum sectionibus,præsertim ex infernis partibus, vt vtero prospiceremus, sedulò, nec ignaua quidem sollicitudine occurrimus:quibus, ob maximam summi creatoris benignitatem, cui sit laus & gloria in sæcula, superstes ipsa remansit. Terrebar sanè dum Hippocratis,tunc nuper à me perlectam sententiam, mente replicassem, in qua terminum prædicit funestũ, ac exitiosum,& hunc infra vicesimum solem:quam

metam ſi enixæ transgrediantur,quod arte ſit poſſi-bile, mox in graues, ac chronicos itidem incidere morbos, lege ſapxit.

In omni itaque hac affectuum ſyndrome, cum vterus cunctorum ſit principiũ,ſiue conniuẽte ipſo, ſiue partim eius occluſo orificio, ob contorſionem à vehementia & grauitate partus agrippini partam; & quamuis per priores ſoles plurima redderentur lochia,praua ſanè & aquoſa, iam rurſus paullò ante nonum acciſa omnino:tamen, cum eadem, vt ſana ſeruaretur enixa, ad quintum ſupra viceſimum eliminari tenebantur, proinde cauſſæ principio illicò occurrendum. quare eumethodus docet ab vtero liberaliter vacuandum,vt receſſo fluxu, amplius illorum lethalium affectuum non ſit fœtura. Ius igitur huic non ſemel tantum,verum bis,ac ter, iuxta poſtulantis vrgentiam,ac virium conſenſum venas infernas tundere, crebrò, ac liberaliter ſanguinem vnà fundere: ſuppoſitariis itidem,antidotis,ac fotis eundem ſecundùm naturam lochiorum motum ſedulò concitare, vt quamprimum à praua illa ſarcina libera, ſanitate exinde frueretur. Porrò, & cùm cacochymia non minima per totum redundaſſet corpus,per omne conceptionis tempus aceruata,& cum hæc, omni ex parte nequiſſet per vterum educi, cum iam octauo ſole lochion circunciderctur, fas, imò ius,præmiſſis auxiliis continens, & contẽtum diſponentibus, eandem citò cum Hippocrate per aluum ducere, cathartico ſeroſam pituitam attrahente, tum & vtráque bilem. Cæterũ, cũ adhuc nihilominus in corpore bilioſa quędam excremẽta relinquerentur, rurſus, poſt integrum mẽſem ſolarem,à prioris morbi inſultu, illa impetum ad caput fecere,

fecere, & immanem cephalalgiam de nouo germinarunt, comitante ipsam febre acutissima, & ardéte. In hoc affectu vrgenti mox persoluẽdo, cum caput idiopathicè afficeretur, nec vterus caussæ tunc esset principium, absoluto iam ferè puerperij carcere, nos accersita rationali methodo, vtramque cephalicam appositè scindere iussimus, obseruata partis laborantis rectitudine vtraque: quia per omne caput dolor diffundebatur. Idque sæpius, quoties morbi, ac illius symptomatis pathos vrgẽtia postulabat, non dissentiente robore virium. & cũ dolor iste, ob eius vehementiam ad se curationẽ traheret, persæpè vniuersum caput omphacino rosaceo liniuimus: frictionibus pariter, ac cucurbitis per omnẽ posteriorem partẽ, ac dorsum, ad ima vsque crebrò reuellere, ac vacuare curauimus: haudquaquã cholagogo neglecto, quod finem curationi imposuit, & diu salubriter vixit, ac viuit ad Dei omnipotentis gloriam.

De methodo curandi per venæ sectionem morbos enixarum acutos, actu simul compatiente vtero.

Cap. XLIII.

PRimos hostiles ingressus suis præsidiis intercepimus: restat modò duces & vexillarios, haudquaquam spe fracta, & aliis cohortibus auxiliariis oppetamus. Diximus de affectuũ curatione per metadosim humore trãslato, vtero tãtũ, vt caussæ principio, sympathico: modò res nostra adhuc in arcto cũ differere lubeat de morbis, varias corporis partes idiopathicè lãcinãtibus, simul & vtero primò ac

per se, non vt caussæ tantum principio, inflicto.

Cæterum cum in connexis morbis, non vulgari doctrina, verum & solertia maxima ad eorum profligationem egeat Medicus: cum plurima passim occurrant summo consilio, & acri quodam iudicio obseruanda. consulendus proinde quamprimum rutilans Medicinæ Phœbus Galenus, qui suo fertili ingenio, & præclaro iudicio hanc affabrè lustrat omnem doctrinam. hic itaque de hac re hanc sacram libat sententiam, libro præsertim meth. 7. cap. 12. *Primum namque in eiusmodi complexu æstimabimus à quo maximè discrimen ægro impendere videatur. Secundo loco quid, quæve ex his caussæ rationem obtineant, & quæ ab ipsis efficiantur. Tertiò quæ sanari ante alia possint, & quæ non possint.* O sacrum asylum! Sed exerceamus singula, vt methodus elucescat, expeditiórve sit nobis via. Inprimis igitur vrgentia adest, à qua ob affectus in sua essentia magnitudinem, aut coindicantis dignitatem, maximum impendet vitæ periculum, hanc rursus lustrat vrgentiam, & lib. 3. cap. 9. 7. cap. 12. 8. cap. 9. & 10. Meth. cap. 1. tum lib. 3. de tuenda valet. cap. 3. lib. 1. ad Glauc. cap. 9. 14. tum lib. 1. sen. 16. ac 5. Aphor. sen. 19. Vrgentia verò hæc impensè æstimatur, prius actionis læsæ præstantia cognita, seu facultate, quę læsũ corpus gubernat: mox & affectus ipsius essẽtia propria: tãdẽ & eiusdẽ affectus cacoethia. Porrò & caussam consulit perpẽdamus, an hæc denuò gignere affectũ possit, vel augere saltem. Deniq; ordinem implicatorũ cõmendat, quis videlicet ante alium sanari debeat, aut quis cum quo, aut quis demum post quem abigi queat. hæc perficiuntur ex absoluta cuiusque affectus naturæ dignotione.

quæ

quæ referenda veniunt ad caussam sine qua non, vt idem censet Galenus lib.3.meth.ca.9.

Methodum hanc licet nunc exemplis lustrare; cum testante Galeno lib.9.meth.c.6. citra multiplicem vsum in ægris, ne optimè procedere queat exercitatio, vti neque hæc citra vniuersalium cognitionem. cum methodus in vniuersalibus, exercitatio in singularibus consistat. hinc illa vsu penitus cognescũtur: hæc priuatis paratur exẽplis. Statuamus itaque modò, etiam ex hypothesi, enixam in vtero idiopathicè laborare, morbo aliquo in sua essentia magno, synocha febri, aut phlegmone, accisis partim, aut omnino, lochiis. rursus facta anadrome alicuius particulæ puerperij, aut ad mẽbranam costas succingẽtem, ibíque generata pleuritis sit; aut ad pulmonẽ, perineumonia poti⁹ orta: aut ad faucium musculos, ibíque ananches germinata; aut ad cerebrum & eius membranas, iam phrenitis ibi, morbi omnes in sua essentia acuti valdè, ac vrgentes. quæ apparentia symptomata, cuiusque affectus propria, ceu signa pathognomonica apertè declarãt, vt Galen⁹ innuit li.1. Prorrhet.com.2.sen.48. In hac affectuum congerie (alterius inquam dictorum, cũ altero vteri) repentè Galeni prædicta methodus aduocanda, quæ ceu scutum vulcaniũ, ad omnes præstat exoluendos morbos. hæc igitur, cum vrgentiorem magis, seu prius, æstimandum censeat, secundò alterum caussæ rationem habentem, qua actu efficiente, aut continuò operãte, nequit sanè alter tolli, ceu ab ipso dependens effectus, ordine prioris, vel posterioris, si adsit, haudquaquam neglecto. nunc in nostra hypothesi, ob duplicem potissimũ rationẽ vtero prius occurrendũ insinuat methodus. primò,

mum caussæ præuidendum arbitretur, & eius caussæ principio, nō neglecto altero implicato affectu, cui mox peculiari methodo occurrendum. Mittemus igitur sanguinem huic ex interna deinceps cubiti vena, eiusdem lateris dolentis, iuxta morbi, & eius caussæ vrgentiam, consentientibus simul viribus. Quid quod & dum intendimus primo illo tempore caussæ principio satisfacere, cum complicatus affectus ne sit negligendus, ceu vrgens, hunc iugiter & aliis auxiliis sibi adæquatis expungemus, & internis, & externis, fotis videlicet, linimentis, eclegmatis, linctis, & aliis, quibus citra alterius implicati affectus noxam, dolorem sedabimus, inflāmationem emendabimus, & sputum vnà habile ad expuitionem reddemus. Sapiant igitur in tanta hac ambiguitate, prouideant seriò prudentérque se Medici gerant. Vidimus de hoc contentioso fune alterno ductu, in diuersa distenso, doctores clarissimos sæpè arguta disputatione digladiari. Inter reliqua recordor, dum adessem Valentiæ Mediceæ facultatis insigni emporio, nobilem quandam fœminam, in puerperio ardentissima corripi febre, phrenitide itidem maxima, cui & restricta pariter erant lochia: in cœtu grauissimorum doctorum, qui curationi præerant, lis quædam grauis exorta, non de remedij specie, cum omnes conuenirent, morbi magnitudine acclamante, venam scindendam, verum de huiusmodi auxilij vtendi modo. quidam dum delirium continuum contemplarentur, ceu iam idiopathicè cerebrum lancinari, phrenitide inquam, morbo vrgentissimo, sumpta indicatione à situ partis affectæ, illi, cubiti externam venam tūdendam, viriliter de-

culiare habent vrgentes morbi, quod cum celeri ac maximo egeant auxilio, omnem ad se statim curationem conuertant, vt passim docet Galenus, libr. præsertim 8. meth.c.9.

Hanc curationem, quidam nostri temporis Medici, rerum nouarum studiosi, perperam sanè coactam, aut irregularem appellant; cũ, quæ methodo nos peragimus, coactè, aut irregulariter fieri, ne cẽsendum. Accuratè itaque docet methodus, in connexis morbis ab vrgentiori inchoandum: sin autem ambo æquè vrgeãt, ab eo qui rationem habet caussæ: sin verò alter alterius auxiliũ retardet, ceu caussa sine qua non, vt cruditas alimentorum in vẽtriculo, venæ sectionem à febre postulatam, differt: nã ordo insinuat à cruditate potius, seu caussa sine qua non, prius exordiendum. qua ratione igitur coactè aut irregulariter hęc fieri dicent? cum potius liberè, iuxta optimam methodum, regulariter itidem, iuxta eiusdem methodi seriẽ regularem, ista procedãt? bene quidem discordibus, aut sibi inuicem pugnãtibus indicationibus, & incertam, & dubiam esse curandi methodum Galenus præscribit lib.9.meth. c.10. vt aliquando insanabilis relinquatur alter affectus; aut spatio, & ægrè, si præsertim æger magnũ Medicũ nactus fuerit, euoluetur. non tamẽ quia dubia, proindè coacta: tollit enim dubium illud, prædicta Galeni methodus, vnà cum artificis Medici prudentia ac seria exercitatione. istud eleganter Galenus innuit libr. 8. method. cap. 9. dum dicat, *Ergo tum exercitatum in his omnibus, tum natura prudentem esse Medicum conueniet, quo cuiusque indicationis potestate diligenter considerata, omnibúsque inter se collatis vnam idonei victus summam quæ laboranti sit commoda, comparet.*

ne oblito altero comite, ad vterum accedemus. secabimus igitur prius venas infernas, mox cubitorum externas.

Tandem, in præmissa curandi methodo implicatorum affectuum, quod vltimò æstimandum venit, non adstante vrgentia, & efficiente caussa, est & altera caussa sine qua non: sic enim hanc, etiam cum Philosophis Galenus vocat lib. 3. meth. cap. 9. quę caussa, neque per se est, neque efficiens quidem, duplex tamen & illa: altera ad esse effectuum quidpiam operatur, vt apertio fenestræ ad cubiculi splendorem: cùm illa apertio, ne lucis quidem caussa efficiens, verum impedimentum remouens. altera ad effectum nulla ratione operatur, sed est de ratione caussæ efficientis, non vt talis; vti risibilitas ad ædificandū nihil agit, est tamen caussa sine qua non artifex operaretur: cum nequeat esse artifex sine risibilitate, non autem per eam operatur. Hę igitùr caussę sine qua non, in ipsa methodo, sub prima illa tantū differētia obseruandę veniunt, ita enim agunt ad esse effectus sanandi, quod haudquaquam liceat hunc tollere, quin prius, aut saltem simul easdem caussas tollamus: cum nullam dependentiam habeāt in fieri, aut conseruari effectus ipsi, ab illis caussis sine quibus non, verum sanationem illorum tantum impediunt, aut remorantur. Sed tamen caussę hę & suum in curatione, ac peculiarem seruant ordinē, cum alię, ceu aduersę prius tollendę, quàm connexus alter effectus, vt phlegmō cum vlcere. nequit enim tolli vlcus, quin prius & phlegmō tollatur: ī pedit enī hoc, vlceris agglutinationē, ac vnionem. quid quod & vlcus ipsum potius auget distēdendo, ac diuellēdo partes. Rursus alię harum

caussæ, simultaneá admittunt ablationem, vt vlceris cauitas, aufertur vnà cum vlcere, cùm illa eadem quæ cauitatem replent, vlcus vnà sanent. Aliæ denique cum priori illo ordine concurrere videntur cum prius & posterius spectent: verum distinguũtur hæ, cum contraria in se inuicem non indicent, vti priores illæ caussæ, sed distincta tantum. vti sordes, quæ cum vlcere sunt, prius abstergendæ veniunt, quam vlcus siccandum: hæ enim indicationes distinctæ tantum, non oppositæ, aut aduersæ, vti illæ prioris ordinis.

Præterea hæ caussæ sine quibus nõ, vt etiam nominis etymon palàm insinuat, primum sibi locum vindicare vidẽtur in vsu Medico: quia si caussę sunt, sine quarum priori ablatione nequit, aut nefas, implicatus morbus tolli, ab earum ablatione necessariò inchoanda curatio. Reuocandæ igitur hæ, ad illa impedientia, quę auxiliorum occasionem remorantur. vti se habet ventriculi alimentorum cruditas cum febre: nam illa caussa est, sine qua non ad febris curationem accedere licet: quia aufert, aut remoratur potius venæ secandæ occasionem; præsentaneum, ac vnicum omnium febriũ putridarum auxilium. Verum in morbis, in quibus, ob eorum vrgentiam, admodum præceps auxiliorum occasio, spernenda venit tunc hæc caussa sine qua non; vti apparet in vrgentissima apoplexia, aut angina, in quibus morbis, etiam prædicta cruditate neglecta, ad illorum curationem sedulò nos conuertimur. satius namque est hominem animam penè agentem seruare, quàm cruditati frustra præuidere, cuius neglectio reparabilem sanè inducit noxam.

Quare

Quare hæc methodus implicatorum affectuum curandorum hos continet ſcopos, quod vrgentiori, ex quo maximum ægrotanti impendet vitæ diſcrimen, quamprimum obſtemus, altero non neglecto, ſi prohibens non fuerit indicans. verum ſi affectus magnus, ſine vrgentia, & hic connexus cum altero habente cauſſæ efficientis rationem, ab hoc potius connexo inchoanda curatio, ſin autem aliqua adſit cauſſa, ſine qua non, ceu impediens curationem, vel ſit aliqua cauſſarum efficientium ſeries, quibus ſuo ordine haudquaquam ablatis, nec effectus queat tolli, idque citra alterius præſentis morbi vrgentiã ab illa cauſſa, ſine qua non exordiemur tunc curationem. cum affectus tolli nequeant, ipſa præſente: aut æſtimanda cauſſarum ſeries, vt à prima procedendo, ad vltimam vſque gradatim exoluendam, ſeriò conuertamur.

De vſu methodi implicatorum enixarum morborum.

Cap. XLVI.

METhodi (quam multi multum celebrant incognitam) vis maxima, vſus præſtans commendat præſtantiam, vſúmque demonſtrat clariſſimus Galenus, lib. præſertim 9. meth. cap. 9. dum honeſtè gloriatur, ſi non à ſe inuentam, cum ipſo prius dictator ſummus luſtrarit, ad calculũ vſque ſaltem reuocaſſe, ſuiſque numeris abſoluiſſe. quorurſus loco, eleganti analogia vſus omnes, quos in actuoſa præſtat Medicinæ parte, amplificat, venuſtè recitat,

Hæc itaque methodus,inquit,instar Traiani Hispani Cæsaris,totius Italiæ itinera illustrantis ὁδηγίας, lutosas vias lapidibus sternit, aut aggestionibus editis exaltat,senticosas & asperas expurgat,intranabilia flumina pontibus iungit, longiores vias,quas opus erat breuiores excindit, difficiles propter arduum collem,per loca mitiora deflectit, desertas & feris obsessas per habitatas transfert,aspera quæque complanans.Quid plura?Hanc igitur, tot tantisque fructibus grauidam, omni arte prosequamur, amplectamur: qua itidem,vti Herculea claua (sapientiæ,atque prudentiæ symbolo) Lerneæ hydræ cuncta capita certò amputabimus. Cæterum cum vniuersalia doctum neminem reddant, nisi in particularibus iugiter se exerceat:præmissa vniuersali methodo, tempus iam, particularia, eadem aduocata methodo,percurramus seriò.

Supponamus igitur Cybelem enixam, tertio à partu die pleuritide exquisita lacessiri, inflammatione contracta in sinistras costas succingente mēbrana,assidentibus iugiter exquisitæ pleuritidis pathognomonicis signis.Mox ponamus hanc,à nixus carcere lochia reddidisse,quamuis parca manu,nec ex naturæ præscripto; quid quòd ac sæpè eadem cum ventris,ac lumborum doloribus.Denique statuamus & hanc, non rarò passione affici hysterica,cum aphonia, & omnimoda sensuum, ac respirationis ferè amissione; passio quidem familiaris enixis.

In tanta, ac tam graui affectuum syndrome, adest affectuum complicatio, adest & eorundem confusio.In primis obuiam fit duplex ille affectus vrgentissimus,pleuritis, inquam, & ingens hysterica passio

ſio: vtrique implicatur & cauſſæ, & ſymptomatum maxima caterua. mox acceſſit & horum omnium affectuum cauſſæ principium, vterus, efficiens vnà cauſſa, lochion partim acciſum, & praua ac maligna vi pariter lædens. occurrit tandem & altera toto genere ſecundùm naturam per vterum excretio: etſi, ex eo quod imminutè reddatur, ſymptoma illa fiat in excretione imminuta. Si igitur cunctas has indicationes partim concordes, partim diſcordes æſtimemus, vterus affectus dignatione maior, & quia principiũ habet cauſſæ, & quia vrgẽtiſſimo laborat affectu, hyſterica videl. paſſione, quã ſæuiſſima, atque funeſta ſymptomata comitantur, syncopes, apnoea, aphonia, pulſuum interceptio, ferina dolores, & alia, Et cum methodus poſtulet, indicanti, dignatione maiori quamprimum occurrendum, & hoc ſit paſſio illa hyſterica, huic imprimis obſiſtemus. Quod autem hæc paſſio ſit indicans dignatione maius liquidò declarant immorigera, ac ferina illa ſymptomata. accerſit enim hæc paſſio ſtatim ſyncopem, & hæc rurſus maximam efficit virium exolutionem. cuius generationis modus hic; vapores tetri, ac maligni ex puerperio elati partes omnes, principes oppetunt, cor potiſſimum, quorum præſentia lancinantur valde, & victoriam eorundem quaſi reportant, vnde fatiſcentis naturæ apparent ſigna, cúmque indicatio à viribus reliquas omnes dignitate præcellat, quæ quammaximè in hoc affectu diſſipantur, hinc quamprimum ac neceſſariò quidem huic eſt adhibenda cura, ceu vrgentiori affectui, & dignitate præſtantiori. obſtabimus, ſi ſtatim naturã ferè ſuccũbentem variis excitemus auxiliis. hoc præſtabimus antidotis propriis

id pollētibus, ligaturis, frictionibus, cucurbitis versus partes infernas, linimentis, fotis, suffumigiis infrà odoriferis, suprà fœtidis, & aliis. Remissioribus factis symptomatis, cum amplius ferè non labascāt vires, mediocriterque se habente morbi vrgentia ad caussam mox accedemus, nequeunte sanari morbo, ipsa manente. Caussa igitur omnium cum puerperium sit redundans, hoc eliminare, crebrò omni arte tentabimus: & cum inter auxilia cuncta, istud citò, tutò, ac suauiter pollentia sit venæ sectio, ad hanc deliberandam citissimè accingemur. vtendi modum pars primariò affecta, caussàm vndequaque accingens, demonstrabit, hæc vterus est. decernemus itaque quàm citò venas secare infernas: quæ vtero primò laboranti præuident apposite, & caussam vnà foras extra corpus educunt vbertim. Ex huius vacuatione, commoda insequentur maxima, vtilitates non minimæ: hysterica illa passio præcauebitur quamprimum, ne vltrò repetat, symptomata rursus illam comitantia extinguentur, palindromes eiusdem retrahetur, ac iter reflectet, ne amplius irrequieto motu sursum feratur. quia ablata materie, nec pars hauddubiè mittens ad pectus mittet, neque pectus pari ratione recipiet. quid quod & hoc medio nos, (quod maximum est) motum illum toto genere secundùm naturam iuuabimus, aut saltem (quod non leue) iuxta defectum retribuemus. Hoc igitur auxilium cōcorditer cunctis his indicationibus satisfacit; discordes rursus nec in totum respuit: quamuis hæ aliud per se requirant auxilium. curationis enim ordo postulat discordibus adstantibus indicantibus primò vrgentiori aut caussæ rationem habenti obsista-

ſiſtamus,quibus ſedatis,mox ad oppoſitum,aut diſcordem conuertamur. Quare in noſtra hac hypotheſi, victa iam hyſterica paſſione, vnà cum immorigeris comitantibus ſymptomatis, imminuta rurſus, aut ablata vtrorumque cauſſa, ad pleuritidis tandem curationem ſedulò reuocabimur. qui porrò affectus,præter lochion,antecedentem eius cauſſam,iam reſtitum,cum coniunctam alteram habeat cauſſam, huic præcauebimus primò,accerſita & eâdem methodo compoſitorum affectuum, morbi inquam, cauſſæ,ac cõcomitantium ſymptomatum. obſtabimus cauſſæ,ſi nos & fluentem humorem retrahimus,& fluxum vnà vacuamus: vtrumque exactè præſtat vena coniunx eiuſdem lateris. & cum connexę indicationes concordes ſint,anodynnis,ac moderatè laxantibus quamprimum dolori obſiſtemus,& partim coniunctam cauſſam factum inquã, per halitum digeremus:ſputum iugiter eclegmatis, ac linctis reddemus facile: quod eſt ordo indicantium tertium,quid cum quo ſanandum,docens.neque enim alteri ita occurrendum, vt connexum in totum negligamus. Supereſt itaque ex dictis,hyſtericam paſſionem, ceu vrgentiorem, ac dignitate maiorem,quamprimum anteuertẽdam: cauſſæ mox principio, ſtatim obſiſtendum, tundendo præſertim inferna vaſa, quouſque enixam conſtiterit ex præſcripto naturæ à lochiis ferè repurgatam, id cõſulente vnà virium robore. Tandem ad pleuritidem ſanandam conuolandum, venas ſecando coniuges,cum κατ ἴξιν, quales cubiti internæ,eiuſdem lateris.

Quamobrem arguendus Ludouicus Mercatus, qui lib.4.de morb.mul. cap.11. aduerſus veritatem

te, haudquaquam prius acciso & tussim cessasse, excreationem; & dolorem, ac vnà febrem remisisse. quare huic insanum arte mouere, sed totum naturæ relinquere, ius. Verum si menses hi symptomaticè fluerent, ac extra typicam periodum; quid quod, etsi periodicè, imminutè tamen, neglectis his, & vrgente affectu, conuertendus omnino Medicus ad morbi illius vrgentis curationem, sua peculiari, iuxta morbi ideam, aduocata methodo. Porrò nec licet omnes Naturæ motus nos imitari, eos præsertim, quos ipsa per occultas prosequitur vias, tum & alteros, qui rarò ab eâdem fieri contingunt.

Recedit secundò à veritate idem Mercatus, cum existimet ipse motum præter naturam, dum actu fit, ad distantissimas partes reuocandum esse. Hoc enim tantum verum, iuxta Galeni doctrinam lib. de cur. rat. per venæ sect. cap. 19. in futuro motu, seu futuris morbis, aut his tantum, qui simpliciter sunt fientes, cum adhuc partibus factis non fruantur. reliquis verò, partes simul factas habentibus, cũ & duplex adsit indicatio, & æquè vrgens, & partis quæ fit, & alterius iam factæ, scopi indicati pari ratione æquè adsunt vrgentes ac duplices, reuulsionis videlicet, ac vacuationis; vtrumque propter æqualẽ vrgẽtiã celerrimè præstandum; quod commodè, citò, ac tutò exigit sola sectio venarum coniugũ, ex Galeno lib. præsertim 13. meth. cap. 16. Extra methodum igitur, ac temerarium ad longinquas partes tractum fluentis humoris intendere, & fluxum in parte, omnino negligere. illo enim medio, neque quod in parte influit retrahitur, aut tardissimè saltem (piaculum sanè in acutis morbis)

neque materies iam in parte affecta stabulata, ex Galeno itidem lib. de tremore &c. cap. 5. vacuari vlla ratione quit.

Admittenda hæc methodus (quam fortè ab Auicenna, ac Nesue Mercatus mutuauit, dum in pleuritidis curatione eam ipsi exerceant) in morbo futuro, seu in pleuritide futura. quando videlicet quis, aut ob mensium, aut hæmorrhoidum restitam vacuationem, aut ob aliam quamcunque caussam fuerit assuetus per singulos annos, stato tempore in hunc morbum, aut alium quemcumque incidere. tunc enim, testante Galeno lib. de currat. per venæ sect. cap. 19. lubet, imò ius, multo ante morbi aduentum, caussam antecedentem à corpore remouere, & ad distantissimam, à parte de futuro tentanda, humorem retrahere. Aut fortè quando, vt nuper iam diximus innotescente liquidò mandante parte, & actu iam transfluente per quandam metadosim humore, nullis adhuc, aut saltem quam minimis germinatis morbi particulis (quæ aliqua arte innuunt morborum præcedentia aliqua symptomata) licet inquam tunc à parte mandante directò, ceu caussæ principio fluxionem illam recellere ad longinquas vsque partes, à iam iam, eandem fluxionem recepturis. cuius rei, aut quia ferè incomprehensibilis, aut quia rarissimè in hoc insultu morbi accersentur Medici, raro ipsis conceditur huiusmodi operandi locus. In facta itaque pleuritide potius exercenda altera Hippocratis, & Galeni methodus, tundendo venam, quæ citò sanguinem fluentem compescat, & fluxum iã, ex parte inflammatione obsessa, vnà exhauriat: qualis necessariò coniũx, cum κατ' ἴξιν, seu vt interpretatur

pretatur Galenus lib.3. de Crisib. ca. 3. naturæ quadam rectitudine. vltimus huius auxilij carcer erit, & fluxionis cessatio,& multitudinis depletio.innotescit vtrumque duplici via, vel communi reliquis etiã morbis,ex remissione videlicet quorundã symptomatum, vel priuata, quã dictator assignat lib.2. de rat. vict.sen. 10. mutatio videlicet coloris in extracto sanguine. verum hoc præceptum, quibusdã limitationibus condiendum censet Galenus clarissimus lib.de cur.rat.per venæ sect. c.14.altera harũ, quod prius loci passi obseruetur propinquitas; si nãque ille distantissimus, tunc maxima requiritur sanguinis vacuatio, & vltra modum corporis inanitio, ad hoc, vt qui in parte obsessa residet, educatur:vnde & vires diu multũ laberentur. Altera rursus, quod inflammationis idea æstimetur, si enim praua, ac maligna, & inculcatus insuper sanguis in loco affecto, ita vt ne speretur quidem libenter illum dimitti, haudquaquam tunc expectanda coloris mutatio. Quare per primam illam limitationẽ operienda non venit coloris mutatio,quãdo pleuritidis dolor ad hypochondrium vergerit: quia ad hoc, vt vacuetur humor in inferna thoracis parte stabulatus,necesse est venam azigos,ac reliquas eius inter costales propagines, tum venæ cauæ aliquot surculos,plus iusto inaniri prius: quod ne,citra maximam ægrotantis iacturam, possibile. Quam rem cum contemplasset Præceptor, fortè animum induxit, vt huic pleuritidi maximè purgationem cõsuleret.Nos cum Galeno, etiam in vtraque de venæ sectione potius deliberandum censemus. denique, nec per alteram limitationem coloris mutatio in pleuritide inquirenda,ipsa existente funesta,ac ma-

ligna, seu in qua in gangrænam fit mutatio: quia in nullis his humorē cedit passus locus. quid quod, & ob morbi cacoëthiam, cum statim vires, vt plurimum exoluantur, venæ sectionem, saltem copiosam, ne illæ sustinent.

De acciso lochio sanando, cachexia, aut leucophlegmatia enixis laborantibus.

Cap. XLV.

INcautus fœmineus sexus, rerum omnium auidus persæpè suo quasi nutu in malaciam fœdè incidit, in fœdam metamorphosim eundem sæpè reddentem. Mulier enim turgenter, ac procaciter quidem plurima exoptat, ne vtrunque mala, verū & detestanda aliquando. Experimur quamprimum illudq́, (proh dolor!) in intrepida Pandora, totius humanæ calamitatis origine. Hæc rursus priuata ardentius concupiscit ad denegata verò exardescit ampliùs. Porrò deprauato appetitu auidè commota, lapillis, iā testis importunè vescitur, gypso mox, carbonibus, cera, corio, fructibus immaturis, & aliis plurimis mali succi eduliis insolenter in vsum vertit. A quorum frequenti consuetudine vniuersum corpus teterrimo repletur succo, vasa obstruūtur, ventriculi facultates languent, hæmatoseos depopulatur calor, labitur insuper & viuifici nectaris generatio: hinc corpus deprauatè nutritur, cachexia mox laborat, hydrope rursus, aliísque tandem plurimis lancinatur malis. Implicantur in hoc detestando errore potissimum iuuenculæ, illo præ-

præſertim pubertatis tempore, quando menſes efflorescere iam iam aſſueſcunt, prægnantes itidem, idque primis grauiditatis menſibus, etiam teſtante Galeno, tum lib.1.de cauſſ.ſympt. ca.7.tum & lib.5. Aphor.ſen.61.quibus erroribus ſi fortè vela miſerabiles ipſæ pandant,cum & ſedentaria vita fruantur, ingluuie potius temerè delectentur, vltimis geſtationis in vtero temporibus, non in cachexiam ſolùm,verum in leucophlegmatiam incidunt,ac ſæpè ſuccumbunt. occumbunt autẽ naui exiſtente plena,& in alto adhuc mari, inſtante videlicet partu, commotis vndequaque deterrimis illis, ac funeſtis excrementis, nixus ratione. quibus iugiter concitatis, per quandam palindromen, portio aliqua repens caput, etiam lethalis epilepſiæ fit parens: quâ miſerabili ſorte ſupremum conficiunt diem. iam aliæ deinceps in ipſo portu, exonerata itidem merce, cum iuxta præſcriptum naturæ, ob maximas ac contumaces iugiter partas obſtructiones non reddatur lochion, acutiſſimis,ac ſæpè funeſtis prehenduntur morbis, & inexorabili tandem Atropo tributum vitæ reddunt.

Cęterum fateor ſanè ſtulta hac lege cunctas vinciendas non eſſe,cum plures ſolertes, ſobriæ, prouidæ,à nobiſque,ceu exemplaria virtutum æſtimãdæ:quæ,etſi omni in victu parcimonia fruãtur,nullùmque adſit externum erratum, tamen ob temperamenti rationem,ſexus, aut cuiuſque peculiarem, aut ob nimiam ſanguinis copiam,qua etiam inuitè gaudent fretæ, & obruitur ab eadem pariter calor, iecur nihilominus ſuo munere deprauatè fungitur, ichores inde in corpore ſanguinis vice exundant,

iecoris œconomia vitiatur, vnà & nectareum pabulum, cunctis corporis partibus ad alitionem necessarium, cachexia exoritur, iam leucophlegmatia, aut altera rursus hydropis species. Hæc cuncta præpôderare decet Medicum, ad opportunam morborum fœminarum curationem, cum prægressæ caussæ, coniunctarum primordia, sæpenumerò medendi methodum inuertant. Sed vt in eodem commoremur exemplo, liquet in hydropis curatione: nam ius in ipsa, si à suppresso sanguine ortum traxerit, ipso adhuc suam ideam seruante, sanguinem haurire, nefas, si ab alia quacunque caussa.

Quamobrem, cum enixæ, ob duplicem potissimum rationem cachexia, aut leucophlegmatia laborent; aut ob intempestiuum videlicet assumptorum vsum, quę vel per se, vel per accidens hepar refrigérant, aut ob suppresionem mensurni sanguinis, conceptionis ratione præter modum generata, aut coaceruata sanguinis mole, eundem hepatis calorem suffocante, ac frigiditatem iugiter sensim introducente, caussa vnica tum cachexię, tum cunctarum hydropis specierum: quam nec subterfugit & altera, ex febre ardenti concitata, cum ab illo ingétissimo præter naturam calore, & natiuus supplantetur, & frigiditas simul certò intromittatur. vidédum nobis, qua ratione, quáve methodo accisum lochion sanandum, aut adstâte cachexia, aut leucophlegmatia, illius symptomatis fortè efficiente caussa.

Verum cum hæc accisa materies vacuationem haud dubiè indicet, nos de remediis id pollentibus seriò, ac citò deliberabimus. Sed, cum inter maxi-

ma

ma auxilia puerperia excitantia, etiam, vt sæpè diximus ex vtroque Parête, venæ sectio præstet, inquirendum modò, an eo auxilio, in hac hypothesi, accisum concitemus lochion, an ad aliud nos confugiamus? Sanguinis missio in primis interdicenda videtur in omni hydropis specie: quia, cum omnis caussa habeat frigidam hepatis intemperiem, siue priuatiuè, siue positiuè (vt cũ logicis ita loquamur) quam intemperiem venæ sectio vnà auget, etsi per accidens, necessariò & hæc omittenda. Galenum tamen habemus nos aduersarium, simul & Trallianum; ille lib. præsertim 4. de rat. vict. sen. 111. quotiescunque anasarca ab aliqua sanguinis suppressione, aut plenitudine ortum traxerit, venas tundẽdas arbitratur. nam redundantia hepatis calorem suffocante deposita, liberè tunc suo fungetur munere viscus, & tolletur vnà morbus. Trallianus itidem lib. 9. ca. 2. inquit, *Anasarca venæ sectionem interdum requirit, quãdo ex sanguinis frigidi copia, nascitur, cuius copiæ detractio naturam leuat, & reliquũ facilè superat. nihilminus quam ignis externus à lignis viridibus propemodum extinctus refocillatur, & amplius exardescit, ablata copia lignorum illum suffocãtum.* Concordes hi doctores grauissimi nobiscum fient, si auxilium hoc admiserimus in primo tantum ipsius morbi limine, dum adhuc corpus cachexia vexatur, & sanguis adhuc suam seruarit ideam; vt in omni sanguinis vacuatione pręstãdum consulit clarissimus Galenus li. 4 de tuend. valet. c. 10. Lubet igitur circuncisis puerperiis, adstante cachexia, aut saltem inchoante leucophlegmatia, si plenitudinis ratione ab accisione partæ, contracti

turgente humore:tum tádem,li. 2.aph.sen. 9. quando purgandum, fluida prius vtraque reddi corpora fuerint illi affectus, & adhuc sanguis suam seruarit speciem, venarum inferiorum sectione illis satisfacere. cuius auxilij vsus, si fortè ob crurum, aut tibiarum tumores, ipsis familiares, impediatur, ad earumdem partium scarificationes,quas suadet Galenus lib.de curand. rat.per venæ sect.c. 18. accedemus. Modū affabrè docet doctissimus Prosper Alpinus lib.suo 3.de Aegypt.Medicina.c.8. Cæterum, cum omni arte insequēdus sit naturæ motus, benè, ac fœliciter operantis, si auxilium illud sufficiens non fuerit ad deponendam omnem sarcinam, nos tunc assumptis per os iniectis fomentis, linimentis,ac aliis,eundem motum naturę per vterum concitare sedulò studebimus.

Porrò si puerperij restrictio comitem habuerit cachexiam, aut leucophlegmatiam à frigidis per se caussis obortas, positiuè inquam: aut rursus si à suffocante plenitudine, priuatiua videlicet caussa sanguis in totum fuerit iam mutatus, vt ne quidem amplius suam repręsentet ideam, abdicanda tunc in totum venæ sectio, & cacochymiam auxiliis aliis deponendam eumethodus docet. Tentandus itaq; quamprimum idem à natura præscriptus canalis, aut antidotis menses euocantibus, balanis acribus (nulla tamen in vtero aut inflammatione, aut vlcere existente)calidis & attenuantibus fomētis,linimentis rursus, aut molli cerato supra pubem imposito, istud consulente Hippocrate lib. 2. Epid. sect. 5. sen. 7. Verum si cunctis his arte adhibitis, haudquaquam respondeat natura, aut fortè nulla adfue-

adfuerit ſpes eam viam aggreſſuram eſſe, præſertim acutiſſimo aliquo adſtante morbo, celerive poſtulante auxilio, tunc potius per vicinam partem, cacochymiam illam deriuandam eſſe, & Ars, & ipſamet Natura, iubet. quod præſtabimus, etiam ſtillanto adhuc per vterum fluxu, ceu inefficaci ad maximam illam prauorum ſuccorum redundantiam, acuti morbi germinatricem, tollendam. neque timenda palindromes, ceu eliminato humore, & auxiliorum beneficio foras proſiliente. Quare differre auxilium iſtud piaculum, cum fortunæ fallaci enixarum committatur vita. Ab humoris namque onere natura oppreſſa, & ſuccumbet haudubiè, & volucri in poſterum ablata auxiliorum occaſione, enixa, quaſi certò peribit. Sed ne verbigeremur, Præceptorem ſummum nos audiamus veritatis Medicę Magiſtrũ, tũ lib. de Nat. pueri, n. 13. tũ lib. 1. de morb. mul. nu. 66. quib. vtriſque locis, enixis, lochia acciſa habentibus, breui, ac citò, aut ſecare venam, aut vẽtrem emollire, imperat. quod ſi differatur, inquit, *maximum vitæ incurrent periculum.* Catharticis itaque quamprimum has enixas vberrimè, iuxta cacochymi ſucci redundantiam, nos vacuabimus. cum hæc vacuatio habilis, tum propter partium vicinitatem, viarum latitudinem, naturæ aſſuetudinem, tum propter illorum auxiliorum energiam maximam, funditùs omnem deponere valentium cacochymiam.

Huic ſententiæ opponitur forſan aphoriſtica doctrina, cũ ſummus Dictator li. 1. aph. ſen. 22. cõcocta tãtũ, nõ cruda medicari: rurſus li. 1. aph. ſẽ. 24. in acutis rarò per initia medicamẽto vtendũ purgãre, niſi

inuiolatis sanxierit legibus. Quare in enixis, ne fas quidem citò ac breui purgare, cum & sit coctio expectanda humorum, & lubricitas vnà continentis corporis.

Verum hæc longè abest inter se dissentiant; cùm interprete Galeno insigni, mentis Hippocraticæ sedulo exploratore lib. præsertim 1. Aph. sen. 24. quando in acutis, materies ad sui excretionem proritat, ac gliscit, etiam nulla expectata coctione per initia, citóque eandem vacuare ius. quod autem in nostra hypothesi gliscat, exitúmque exoptet materies citissimum, ne aniatros quidem renuet. Intēdit namque maximo cum animalis commodo, architectatris natura, in fœminis cunctis quamprimum à nixu, seu fœtus expulsione omnem illam sarcinam, per totum grauiditatis tempus aceruatam, per vteri stomachum summo artificio deponere: nisi fortè & ipsa, ab aliqua præter naturam caussa impedita, suo frustretur fine. Prouidè igitur hanc imitabimur, ducendo humorem viis, ac locis vtiliter conferentibus, per vterum si possibile, aut saltem per aluum, ceu locum viciniorem; idque ad instar naturæ, nulla expectata coctione, cum nec hunc alterare, aut concoquere natura intendat, nullá ve æstimata corporis lubricitate, quia maximum instat ex ipsa mora enixæ discrimen, cum sedulò ac citò eiusdem expulsionem illa seriò moliatur. citò igitur, ac breui cum Hippocrate hanc copiam deplebimus, ne morbus aliquis magnus enixam corripiat, & vitæ iugiter periculum ipsa incurrat.

Præterea, cum ex Galeno lib. 2. ad Glauc. cap. 2. eâdem ratione agendum in morbis futuris præcauendis, ac in sanandis præsentibus: & in his fas vacuare

cuare, si gliscat, ac proritet materies, si ὀργᾷ inquam, etiam & ex Galeno lib. quos, quibus &c. ergo & idē præstandum in futuris; cum certò quasi expectamus iam instantes morbos. eâdem igitur celeritate in vtrisque agemus.

Quare, quando sui muneris in totum oblita natura, nihil, aut quamminimum excernit per vterum, nec quit: tunc nos eandem sollicitè excitare cogimur, aut venæ sectione, si sanguis adhuc suam seruet ideam, aut per aluum si cacochymia etsi pituitosa, nulla expectata coctione; nisi vt seriò Galenus dixerat lib. 1. Aph. sen. 24. aliqua nanciscatur occasio propinandi melicyathum, in quo hyssopi nonnihil aut origani, aut tragorigani, aut thymi, aut pulegij, aut denique id genus humores tenuātium aliquid, incoxerit. quo auxilio probè & inciduntur humores, & attenuantur, fluxilésve redduntur, nec minus & reserantur viæ. Si itaque tali, ac tanto allato remedio corpus egeat, per aluum videlicet vacuare, dum benè se habet, id demonstrante natura, cum statim à partu per dies plurimos copiosas ipsa moliatur vacuationes: nemini dubium, quin & in tempore opportuno eiusdem auxilij afferatur occasio, arte nos idem præstandi, quod hauddubiè fuisset ipsa aggressa, nisi impedita succumberet. quid quod & cum materies, venæ sectionem renuat, altero substituto auxilio, affabrè eandem tollemus, cathartico videlicet, apposito sanè ad omnem deponendam cacochymiam auxilio. vnde ex vi methodi, de eodem nos tutò, ac commodè deliberabimus remedio.

An

An in cacochymia venam tundere liceat?

Cap. XLVI.

EX his, quæ ſuperiori nos diximus capite, noſtrum excidit iudicium de appoſito auxilio in ipſa cacochymia, ac prauorum ſuccorum redundantia. Verum lis adhuc ſub iudice, an præter purgationem, aliquãdo venas ſcindere fas? Exagitat difficultatem vbertim, vt ſibi moris eſt, perdoctus Horatius Augenius li. 4. de ſang. miſſ. cap. 4. quo loco, ne vllatenus in cacochymia ſecandam eſſe venam, definit: quamuis contrahente ſanguine vitium aliquod eandem admittat. Tuetur oppoſitum, ac ſtrenuè, doctiſſimus Hieronymus Polus, totius Academiæ Valentinæ micans polus, Apologetico illo libro, quem aduerſus audacem noſtrum conciuem Barcinonenſem, graui, & acuto conſcripſit ſtylo; quamuis ob viri huius grauitatem maximam ſub diſcipuli nomine Franciſci Aguilar, vt magis aciem audaciæ aduerſarij hebetaret, illum ſeriò in lucem ediderit. Hic itaque lib. 1. ca. 3. hanc quæſtionem abundè exagitat, partémq; affirmantem defendit; & Galeni teſtimoniis, & rationibus aliquot, vinclis ad ligatis Hippocraticis: quibus modò contenti, ſuperuacaneum nobis quidem fore videbitur, amplius de hac philoſophari. Cæterum, quæ vir iſte clariſſimus ſingillatim explicauit, nos perfunctoriè, quantum noſtri conſilij ratio patietur, concludere lubet, reiecta, ceu anili omni ex parte Augenij opinione.

Sanguis itaque omnis, vt Galenus retur li. 9. met. cap. 11.

cap.11.aut vtilis,aut inutilis: ille, ceu res secundum naturam sui indicat conseruationem: hic verò, ceu res præter naturam contrà, sui potius ablationem. verum,cum dupliciter hic inutilis nobis fiat, aut quantitate,aut qualitate.quantitas rursus, cum itidem duplici altera ratione nobis fiat inutilis, aut respectu virium, aut vasorum:qualitas mox, & altera duplici arte,aut in fieri,aut iam in facto esse.In cunctis his ideis ius quidem,tam reuulsionis,quàm vacuationis gratia venas scindere: solo excepto vitio in qualitate iam mutata,dum sanguis iam in totum corruptus existit, in quo aliquando reuulsionis beneficio fortè fas.Hanc doctrinam liquidò insinuare videtur clarissimus Galenus, nuper citato lib.9.meth.ca.10. dum infit, *Ergo quod corruptum est,id alienum à natura est:quod tale est,id se auferendum dictat.* Et paullò infrà rursus, *Siquidem affectus vacuandum esse præcipit, idque vel vena incisa, vel purgatione.* quasi innuat, vena incisa, quod corrumpitur,& esse corruptelæ in fieri consistit.purgatione verò,iam omni ex parte corruptam. Dilucidius adhuc hanc suam aperit mentem lib.11. meth.cap.8.dum inquit,*Putredine sanabimus,id scilicet quod iam corruptum est omni ratione vacuantes: quod reliquum est*, videlicet quod in fieri,*moderatis motibus,& refrigerante perspiratu, ad exactam symmetriam reducentes.* mox vacuationis species refert, quibus iam corruptum tollimus,& inquit, *Ac vacuationem quidem illius per vrinam, deiectiones, vomitum ac sudores moliemur.* Quare inter vacuantia putredinem iam factam, ne sanè venæ sectionem cōnumerat,futile ipsi,ac intempestiuum auxilium. quod pariter struit & eodem lib. capite sequenti:

Neque oppositum sentit Galenus lib. Art. Med. c. 89. dum venæ sectionem, inter vacuantia putredinem recenseat. nam ibi prospexit simpliciter putrediné, & hanc, ait, immutationem, aut vacuationem indicare. immutatio rursus putredinem tollit manente materie, quam vacuatio è corpore educit. vti autem immutatio respicit putredinem fientem, qua reducit in benigniorem statum, illam coquendo: similiter & vacuatio, & respectat partem fientem, cum è corpore educit semimalam materiem, vt minori facta, melius quod reliquum est concoquat, hoc inter reliqua appositè præstans venæ sectio ex Galeno lib. 11. meth. ca. 15. & partim factam, siue iam sit à natura superata, siue ceu maligna inuicta seruetur; hanc materiem iam putrefactam educit exactè purgatio. hinc Galenus eo Art. Med. libro, vtramque partem putredinis contemplans, & venę sectionem recenset, clysteres, vrinas, & perspirationem cutis præstantia, inter vacuantia illam; quasi venæ sectio fientem tollat, reliqua factam præsertim. Facilè autem erit huius rei nos assignare rationé. nam, quamuis putridis in facto humoribus, ex aduerso vacuatio respondeat: adæquata erit illa, quæ inutile, ac iam putridum, ab optimo altero succo seligit: nequit istud venę sectio, cum promiscuè, sine delectu, quidquid in vasis tusis continetur affatim vacuet, purgatio verò contrà, quod corpori inutile, sibique familiare trahit, è corpore simul educit. In semiputridis autem, ac semimalis humoribus, in his inquam, in quibus putredo est in fieri, cum ex aduerso respondeat, tum ventillatio, tum refrigeratio, tum tandem coctio, ex Galeno eodem lib. 11. meth. ca. 13. & hæc cuncta, etsi per accidens, venæ sectio

præstet;

præstet; adæquatum proinde habendum auxilium ad fientem tollendam putredinem. hoc idem elegãter Galenus illustrat lib.2. Apho.sen. 17. accurata ex vino desumpta analogia, & tandem infert. *Sic in sanguine se res habet. nam si ipsius magna facta est corruptio, non iam ad sui naturam redire potest: parum verò à se ipso si degenerauerit, vacuato superuacaneo, qui restat suam recuperare potest naturam.* Et cũ venæ sectio, quod naturæ est superuacaneum apposité tollat, hinc & ventillationem inducit, tollendo multitudinem obstruentem, refrigerat mox facili ac libero inducto perspiratu, & natura leuata reliquum apté concoquit, inutile vincit, vt recuperare pristinam naturam queat. Quare venæ sectio appositum auxilium ad reuellendum, tum vacuandum quantitate, aut qualitate inutilem humorem.

Quod si quis insurgat, rationem hanc nihil concludere de cacochymo succo. Hũc ad Galenum remittimus; qui nuper citato lib.9. methodi c.10. palam hoc idem struit. nam per sanguinem qualitate inutilem, non vtcunque putridum, sed vel in fieri putridum, vel in facto esse hauddubiè intellexit: vitium videlicet omne in qualitate. & cum bimẽbre signet totius sanguinis vitium, in quantitate nimirum, aut qualitate; si quantitatem respuit cacochymia, necessariò hanc recipit qualitas, & sub hoc membro proculdubiò continebitur. Rem lustrat Galenus lib.3. de causs. sympt. ca.2. cum & sanguinis illud duplex signet vitium, dicens, *Sanguinem malè affectum dico, vel quum adeò vitiosus est (Græci cacochymon vocant) vt vasa, quibus continetur erodat: vel adeò est auctus, vt à vasis contineri non poßit.* loquitur hoc loco de caussis hæmorrhagiæ, verum iuxta

nostrum institutum, cacochymia ex Galeno sub vitio sanguinis in qualitate dinumeranda. quasi vitium in qualitate sit, non solum quando alter succorum, verum & omnes æquè à sua recesserint natura, siue putridi ipsi sint, & in se inuicem misti, siue à se inuicem segregati, tertium sanè vitium à dictatore summo lib. de Nat. hum. sen. 19. accuratè notatum.

Quamobrem vti in quantitatis vitio adæquatum adest auxilium venæ sectio, ita in altero qualitatis non hæc sola, verum & purgatio. hac tantum præmissa distinctione, quod si illud qualitate inutile à sanguinis natura plurimum non recesserit, imò adhuc suam seruarit ideam, cum Galeno lib. 4. de tuẽda valet. cap. 4. audacter venam scindemus; sin autem non paullulum, iam tunc cõsideratius est hauriendus sanguis, siue scopum respectet vacuationis, siue reuulsionis. sin verò illud qualitate inutile plurimam, aut omnimodam potius corruptelam contraxerit, rarò reuulsionis, rarius adhuc, aut nunquã vacuationis beneficio fas est tundere venas, cum tunc solius purgationis inter auxilia magna vrgeat occasio.

Hæc itaq; seriò cõsulenda in nostra hypothesi, dum accisa sunt lochia, & insuper enixa cacochymia, iam cachexia, aut leucophlegmatia laborarit. si namque in ipsa affuerint adhuc signa vincentis sanguinis, ei audacter, sin obscura, consideratius tunc, & cautius scindenda vena: sin verò omnino à natura sanguinis recesserit, seu in totum fuerit inutilis, crudus, crassus, aut frigidus humor, aut quomodocunque cacochymus, citra aliquod sanguinis vestigium, purgatione potius educendus, aut sudoribus,

ribus, aut vrinas mouentibus. nequit enim commodè hic humor, per vterum repurgari, vti neque per venæ sectionem: quare per vicina loca, deriuando eundem, vtiliter vacuabimus.

An intra puerperij carceres fas, aluum ducere per cathartica.

CAP. XLVII.

ANilis quæstio, vmbratilis difficultas apparet, vti nodum in scyrpo quærentes, replicare, an aluus ducenda intra metas puerperij? Diximus nãque paullò ante, etiam ex summo dictatore, enixas lochia non reddentes citò, ac breuiter succurrẽdas, & venarum sectionibus, & aluum emollientibus. Vrget amplius ratio, cum enixis, frigidis, ac crudis humoribus refertis interdicatur, ceu piaculum venæ sectio, consulatur seriò, ceu appositum auxilium ipsa purgatio. Qua igitur cataphora prehenduntur, qui in dubium istud vertunt? Doctissimus Alexander Massaria in suis prælect. de morb. mul. cap. 12. etiam aduersus Valleriolam, & Mercatum, absolutè purgantium omnium denegat enixis vsum: & hanc nobis pariter dubitandi præbuit ansam, & veritatem inquirendi commouit cupidinem.

Ratio, qua suam struit opinionem Massaria, & qua sola contentus quiescit, est huiusmodi. Purgantia medicamenta valentia sunt vteri purgationes omnes remorari, ac vnà recellere. Sed hic effectus parens multorum, ac grauium discriminũ, vt actum agere ipse nolit. Ergo ab his, in nostra hypothesi, sunt omnino Medici abstinendi. Primam propositionem paullò superius videtur ipse confirma-

re, dum aduersus Mercatum hæmorrhoidum reserationem enixis damnet: quia cum ex Galeno lib.5. meth. cap.3. ab vtero deriuent, consequenter & lochion accident. quod Medicus maximè abhorreat, retur ipse: cum illud potius sedulò excitare sibi ius. Quare reiicienda cathartica, intra puerperij carceres.

Cæterum, vt hanc exoluamus difficultatem, iuxta duplicem sensum eandem disparabimus: Alter horum, an purgandum intra fines lochij actu existente morbo aliquo connexo acuto, & illud auxilium postulante, iugiterque vel ex præscripto naturæ, vel imminutè puerperio fluente. Alter rursus, An purgandum, quando oblita quasi natura, nihil per vterum ipsa respondeat, etsi variis sit tentata artibus, vnà aut cachexia, aut leucophlegmatia, aut altero simili affectu compatiente enixa. Si igitur quæstio in hoc vltimo accipiatur sensu, nullus hauddubiè dubitandi relinquitur locus: cum abundè pars affirmans in superioribus sit demonstrata, ratione præsertim, & vtriusque Medicinæ Parentis grauissimis testimoniis. Neque illa Massariæ ratio, quicquam aduersus hanc sententiam præstat, cum ne licere quidem aliud magnum auxilium, præter purgationem in tanta cacochymia, & humorum corruptela, vberrimè ostenderimus. cum illa naturæ obliuio, tot modis frustra excitata, ad onus illud molestum depónendum nos inuitat, ac vrget sanè, ad huius tam appositi auxilij vsum.

Verum iuxta priorem sensum definiendam nobis modò hanc quæstionem, seriò arbitramur. Pars affirmans, maxima fruitur veritate, gaudet methodo, gaudet & rationi, nec non & quorundam Neotericorum

eorum auctoritati. Rationum imprimis hæc sunt momenta.

In discordibus indicationibus, quæ dignatione præstat, in curatione primum sibi vendicat locum. Sed ex acuto morbo, lochiis implicato, ĩdicationes discordes aliquando exurgunt, inter quas dignatione maior & vrgentior morbi. Ergo in curatione, ceu incitamentum methodi morbus erit acutus, à quo exordienda curatio. Verum hic, cum caussam habeat vacuationem indicantem, optima methodo insinuabit per aluum moliendam, etiam neglectis lochiis, ceu multò minus vrgentibus, ac dignatione minoribus.

Deinceps, In maxima cacochymia, succrescente potissimùm morbo, nec quicquam conferente lochiorum fluxu, indicatio vrget crebrò illam vacuãdi. Sed nulla adæquatior via, quàm quæ per purgationem fit. Ergo.

Tandem, imperfectè operante natura, tenemur omni arte eius defectum emendare, ne aut præsens morbus augeatur, aut nouus germinetur. Sed ars postulat, nequeunte natura per statum canalem sarcinam deponere, etsi omni arte fuerit adiuta, per sibi viciniorem, ac simul conferentem viam eãdem deriuare. Ergo ius, imperfectis ac imminutis existẽtibus lochiis, nec multitudini satis facientibus per aluum, ceu vicinam ac conferentem viam onus illud deponere, nullatenus omnimoda expectata lochiorum cessatione. Et hoc forte innuit dictator summus, dum lib. de nat. pueri, & libr. 1. de morb. mul. nu. 66. infit, Enixas maximè incurrere vitæ periculum, nisi breui succurratur, aut secando venas, aut aluum emolliendo. Ex qua sententia liquidò

constat, licere quidem intra puerperij carceres, imò & ius, optima inducti methodo, per aluum nos ducere, non solum affectu præsente id postulante, verum & imminente immorigero.

Porrò, & hác eandẽ doctrinam lubet exemplo, seu graui historia illustrare. Accessimus nos Barcinonæ ad nobilem quandam fœminam, enixã puerulum, sub bruma: illa iuuenis erat, carnosa, & optimi habitus, optiméque se habuit per totum grauidationis tẽpus. Huic itaque, cum per biduũ abundè satis, iuxta naturæ præscriptũ lochion prosiliisset, mox repentè accisum, citra prophasim, statim eôdem finiente iam secũdo sole, sub æquilibrio noctis immorigera ac forti fuit prehensa conuulsione, σπασμῷ Græcis, conuulsis videlicet solum vtriusque inferioris mandibulæ musculis, motu, ac sensu omni totius corporis reliqui, illæsis. tanta verò fuit illorum musculorũ versus suam originẽ retractio facta, quod os aperire, ne spõte, verum nec arte & dexterrimi chirurgi ope sibi fas. febre mox fuit correpta acutissima, & vigil erat. Cùm igitur nos tanti mali originẽ, seu causæ principium æstimaremus vterum, vti efficientẽ causam accisum lochió, per quãdã palindromen iam ad caput delatũ, architectatũque ibi iã propriũ illũ morbũ, plurimas adhuc partes fientes habentem, cũ Hippocrate quamprimũ vtrãq; venã alternatim, ac citò amborũ crurũ tũdere iussimus, iniectis itidẽ balanis per vterũ, cucurbitis simul crurib. affixis, fotis supra pubẽ appositis, ligaturis insuper partium infernarum, frictionib. pariter, ac denique acribus clysterib. infusis, puerperia omni hac arte sedulò eliminare tẽtauimus, vt à trãsmittẽte vtero appositè reuellerem*, & copiã iugiter in eodẽ stabulatã citò tolleremus.

Verũ,cũ his tot,ac tã appositis auxiliis solicitata natura,nihil respõdisset, & cõmodè fuisset prouisũ & cãæ antecedẽti, & ei* principio,iã rursus altera die, ad alterũ peculiare capitis affectum nos contulim*. & cũ cãm cõtẽplaremur cõiunctã,eãdẽ à capite statim reuellere ac vacuare variis curauimus modis, tum primò externis cubiti sectis venis , tũ cũ scarificatu in homoplatis affixis cucurbitis,phœnigmis etiã postea in occipite ac sincipite serio appositis, quidquod & igne tãdẽ illud præstitim*. Et cũ nullã ex his caperemus vtilitatẽ, assidẽtibus nobiscũ & quatuor aliis, nec infimæ notæ doctorib. vnico omniũ consensu (dũ obseruaremus crassos humores in corpore redundare)pilulas fœtidas, & coccias sibi propinari solerter decreuim*,& has in forma potus,cum aliâs superfluum esset tẽtare,ob oris occlusionem, & trãsglutionis difficultatẽ maximã. & cũ istud iuxta cõsilium accidisset , aluo copiosè excrementa illa reddente : nihilominus quinto à partu die, naturam & artẽ morbo vincẽte,animã efflauit. Quare enixæ huic,cumethodo prouisum aluum subducere,postulãte vrgẽti morbo illã vacuationẽ, etiãsi lochion , maiori tamẽ ex parte circumcisum, adesset.cũ ne valẽs istud,ob morbi acutiem, auxiliũ illud, vti neq; venę sectionẽ ex supernis partib. factã,remorari.verũ quidẽ & istud audẽtius tẽtãdum, testitis omnino lochiis, cũ ne tunc naturæ impedimẽto essemus.cogit autem aliud vrgẽtiæ necessitas.

Lubet modò conuulsos à Massaria auctores secẽssere, & vnà mentem aperire. Franciscus inprimis Vallerioia lib.5. obseruationum, obs.10. rem historia itidẽ lustrat.Erat,inquit,Vxor Arelatensis Pharmacopœi, cui,septimo trãsacto die(fortè àpartu,cũ

primipara filiam fuiſſet enixa) pleuritide acutiſſima correptæ, pharmacū propinaui, & aluum ſubduxi, etiam & lochiis fluentibus. Arbitratur autem ipſe & rectè fluens illud puerperium, auxilia illa magna non dehortari, demonſtrare tantum, ſi forſan morbus, aut venæ ſectionem poſtulet, aut purgationem, vtrunque cautè præſtandum, ac moderatè, ne vtriuſque vacuationis ratione, artis inquā, ac naturæ, vires proſternantur, langueſcant amplius. quia autem dignatione præſtantior, quæ à morbo ſuggeritur indicatio, quàm quæ à puerperio, proinde ad illius ablationem priùs ſolerter conuertimur.

Hiſpanus noſter Ludouicus Mercatus lib. 4. de morb. mul. c. 11. eandem amplectitur doctrinā, multis præmiſſis diuiſionibus. Si vterus inquit, optimè ſe expurget, tunc nec reuocare, nec concitare quidem puerperium licet, verum neque aliis vacuationibus naturam diſtrahere. Sin autem imminutè operetur, tunc potiùs, vel per partem eandem, aut alteram, defectum eius emendantem, qualis purgatio per aluum eſt, & hæmorrhoidas vacuare lubet. hæcque potiſſimum præſtanda, quò magis à ſuo iam fluxu natura deſtiterit, neque rurſus ſpes vlla, ad eandem mox vacuationem moliendam reditura. Quod ſi itidem nihil, aut parum ab vtero profluxerit, æſtimandum, an vacuatus ſanguis, præſcripto naturæ reſpondeat; deinceps an acciſum lochion plures, ac maiores notas præſtet cacochymiæ, quā plenitudinis. ceſſante igitur vteri purgatione, aut parcè reddita, eáque impuri ſanguinis redolente idea, ſimul autem vrgente morbo humorum purgationi innitendum cenſet, iuxta peccantis humoris

humoris ideam. Nec vereri inquit, tunc oportere purgationem, vrgente ipso malo, etiamsi aliquid per vterum instillet, dummodò sanguis non fuerit. Quippe non rarò mori plerasque conspicimus, aut saltem in maximo periculo versari, cum timidiores facti Medici purgare enixas renuunt, sperantes ipsi inconsultò omnimodam lochiorum terminationem. Tutius itaque erit altera non sufficiente, nos catharticis vitiosos humores deponere: nec inconueniens per aliam partem ab vtero naturam reuocare, si ipsa per hanc non sufficiat, & vnà vrgens succrescat affectus. Melius enim, ac tutius est caussam morbificam quàm citò deponere, quantum ipsi affectui sufficiat, quàm contenti parca altera à natura tentata vacuatione illud præstans auxilium, in aliud tempus differre, donec aut in totum natura succumbat, aut nullius fuerit vtilitatis, ac commodi. Hoc est Mercati de hac re iudicium.

Hieronymus Mercurialis in Pisan. Lect. in Epid. hist. præcedende humorum præparatione per syrupos, tum & apparentibus coctionis signis, ac vnà transacto decimo quarto sole catharticorum admittit vsum: & fortè copiosius adhuc post septimũ supra vicesimum, infra videlicet vltimum carcerem, & puerperij metam.

Cæterum quamuis Doctores hi, sanè grauissimi, accuratè sentiant intra hos lochiorum fines, etiam & fluentibus ipsis purgandum esse, dummodò vrgeat affectus illud postulans: tamen nec plenè, nec methodicè rem definiunt. Lubet igitur hanc rem lustrare, quantum nobis fas. Ad absolutam itaque huiusce doctrinæ methodum tradendam, libare plurima & decet, & ius est. In primis, an morbus

connexus, purgatione indigens, acutúsne ac vrgens, an lenis ex sua natura potius, firmissimísque vallatus signis, ita vt auxilij dilatatio citra discrimen huic, alteri verò infausta. Mox an morbus iste simpliciter fiens, an iam factus: ille rursus, ab vtero tantum dependens, hic extra vterum principiũ habeat caussæ. Porrò an & statim à partu morbus accesserit, quàm minimum adhuc à lochiorum sarcina leuata enixa, ob temporis breuem intercapedinem, cum ex præscripto naturę longissimũ exoptet: an verò longè à priori carcere, ac ferè iam in totum ab onere eodẽ liberata, stillantibus tantum quibusdam ichoribus, à penè cunctis enixis, in vltimo puerperij statu expurgari assuetis. Deinceps temperamentũ enixæ æstimandum, tum corporis habitus, an optimus ipse, an verò cacochymus & prauus, an inter vtrunque volet. Tandem an morbus acutus, aut magnus implicatus lochiis actu iá, an imminens, an futurus: si actu, an in vteri corpus existat, an secus extra.

His probè perpensis, & exactè æstimatis, iá methodũ aduocemus oportet. Vrgente itaq; morbo, haudquaquam actu dependente ab vtero, & pariter purgationẽ postulante, in quolibet puerperij statu ac tempore aluũ emollire conuincimur: quia vrgentia dignatione cunctis præstat indicationibus, vti si caussæ principium extiterit vterus, morbo inducias dare, tunc ius variis modis puerperiũ cõcitare, mox ad factũ iá affectũ citò conuolare. Sin autem morb. lenis existat, etiam & fluant lochia, tunc & expectare motum naturę lubet, an sufficiens ad omnem recrementorũ molẽ deponendã: an secus: si imminutè operetur, conabimur tunc per illum cõferentẽ locũ

& à natura bene operante iam destinatum omnem sarcinam remittere. ipsa verò nequeũte, etsi arte adiuta, opus absoluere, vrget cathartici deliberatio intra puerperij fines: veluti si absoluta iã fuerit in totũ præscripta naturæ vacuatio, iuxta enixæ temperamentum, habitum corporis, & in reddendis lochiis consuetudinem, si morbus adsit tamẽ purgationem exigẽs, intra illos Hippocraticos carceres libentius adhuc eãdem vtemur. vrgente namque indicãte, reliquis, ẽt discordib. dignatione maiore, de eius indicati materie deliberãda, iubet method⁹: cũ in acutis auxiliũ differre, infaustũ. Sin autẽ vter⁹ idiopathicè infligatur morbo acuto, tunc adstando caussã eandẽ per infernas sectiones tollemus, dummodò sanguis in lochio suam seruet speciem, tunc enim audacter: aliter, nisi vrgente affectu citam reuulsionem, haud quaquã admittenda venæ sectio. Quæ si in hoc casu nihil iuuerit, aut maxima adfuerit corruptela, cum huius caussæ magnitudo auxilium indicet magnũ, adæquatũ verò nullũ præter purgationẽ necessariò & de ipso deliberandũ. hoc pręstabimus, non solũ in morbo acuto actu pręsente, verũ in imminẽte. Præterea, & cũ morbi hi materiales, ex fluxione oborti, duplici parte fruantur, fiente, & facta: in fiente, iubet potissimũ vtrũq; illud magnũ auxiliũ promiscuè exercere, venę sectionẽ inquã, & purgationẽ: illam in corpore præsertim plethorico, & eusarco, vti & in quo minima adhuc fuerit humorũ corruptela, hãc verò in cacochymo, aut iam cachectico corpore. in parte denique morbi facta, cum hæc iam à nostra natura aliena, neque vi sectionis venæ attractionis cõpos, alteri⁹ poti⁹ pbellè istud pollẽtis locus. Illud forsan voluit innuere Præceptor lib. 1. Aph. sen. 22. dũ cõcocta ĩquit, medicari. quasi dicat, factũ morbi, s. u

quod in parte stabulatum, inutile sanè naturæ, etsi in meliorem statum redactum ab ipsa, dum quod crassum attenuarit, viscidum inciderit (hęc est enim excrementorum coctio) medicari, pharmacis videlicet extra corpus deponere, iu: .Quid quod & quāto maior, ac vberior fuerit præsentis, aut instantis morbi caussa, quod inter cætera, tum enixæ temperamentum demonstrat liquidò, tum corporis habitus, consuetudo circa esculenta, tum præsertim status puerperij, & naturæ actio iuxta eiusdem expulsionem, tanto citius ac vberius, siue per venę sectionem, siue per purgationem vacuandum. quod pariter insinuat summus dictator, dum lib. 1. de morb. mul. n. 66. illud toties repetitum scribat, enixas maximum incurrere vitæ periculum, nisi breui, ac citò succurrantur, aut venarum sectione, aut purgatione. quibus verbis innuit haud dubiè, & cacoëtham lochiorum vim, aut vberem copiam, funestium morborum feracem. quare & quanto maior copia, tanto maior efficientis caussæ energia, & quanto maior & efficacior vis, tanto citius, & maiori cum impetu obsistendum illi, breuíque tempore arcenda efficacia.

Tandem rationem Massariæ oppositum comprobantem infirmare lubet. dicemus itaque admittendam primam propositionem, distinguendam assumptionem. si puerperia sumantur simpliciter, citra connexum alicuius vrgentis affectus, cum purgatio illa remoretur, si fluat, ita parens multorum, ac grauium morborum: verum si connexum æstimemus, & in connexu vrgentiori occurrendum ea methodo, qua supra dictum, omnino neganda assumptio. quia maior

multò

multò impendet noxa ex morbi acuti negligentia, si quam citò ei non occurramus, quàm ex neglectu puerperij. quia ille funestam minatur, ac citissimam quidem perniciem: hoc damnum aliquod sanè, verum & reparabile mox, ac longæuum; aut fortè nullum, cum catharticum etiam & prauam illam materiem eliminet. Quare cócludamus, licere quidem intra puerperij carceres, adstante actu, vel iam instante morbo, purgationémque postulante, eâdem vti, siue fluat lochion illud cruentum, aut aliâs, siue vllatenus non fluat.

De acutißima epilepsia instante partu, vel intra puerperij carceres contingente.

CAP. XLVIII.

ET appositè, ac solerter à Thucydide non historico, verùm Medico pronuntiatum elogium, *Quando vnica, & hæc ambigua curandi via, neque altera spes salutis, aliquid tunc agentes periclitari necesse, ac aduersus pericula audenter ire.* O sacrum oraculum! o diuinæ Mineruæ proles. Et rem vidit diuinissimus Galenus, & lib. Meth. 10. cap. 10. litteris mandauit, *Quanto itaque satius est aliquid nonnulla fiducia, vel cum periculo facere: quã spe adempta certò perire, tanto profectò satius est potentibus præsidiis pugnare, quàm nihil agere.* Ipso Galeno prius Romanorum splendor Celsus lib. 2. ca. 10. cecinit, *Satius est anceps, quàm nullum experiri remedium.* Hoc theorema omni encomio dignum, quantum, ceu norma altera Lesbia, veritatis in se contineat, tantum, apud temerarios Medicos forsan scandali. hoc enim ipsi

impudenter freti, & plurima patrant mala, cædes, multæ, etiam & funesta scelera. cum amethodi fiant audaces, ad remedia plurima temerè tentanda, procaciter aliquando, mox ambitiosè, non aliò, nisi vt videantur seduli, aliquid semper ægrotanti præstantes, aliquando etiam & vita iam functo. qua calliditate, aut si mauis, versutie auram populare captant, viri remediorum, apud mulierculas, & ignaram plebem, nanciscuntur nomen: Græcos, quorum ipsi, ne prima quidem salutarunt limina, attrita fronte arguunt, & ceu remediis orbatos respuũt, arcent, Arabes ad cœlum vsque vehunt. Ad Empiricos confugiunt, dedalæa ipsorum festiuè transcribunt auxilia, Pharmacopœos ditant, seipsos maximo encomio prędicant, eorum auxilia tanquã diuinitus reuelata plebeculę cõmendãt, & diuitibus pariter extollunt. Rationales Medicos, ceu pauidos cõtẽnũt, eosdẽ, ceu sine auxiliorũ vberiori copia negligũt, odio prosequũtur. O miserãda sors, ô deplorãda calamitas! Prisca enim illa, ac illustris doctrina haudquaquã temerarios informat Medicos, verũ cum prouidentia audentes, non petulantes Accesios instruit, verum solertes methodicos, non carnifices, verum sedulos, ac peritos artifices, naturæ humanæ amantes, ac benignos tutores. Porrò illud theorema exactè cum illo summi Dictatoris oraculo consonat lib. 1. Aph. sen. 6. dicente, *Ad extremos morbos extremè exquisitè comparata remedia, optima.* quod, etsi iuxta oraculorum seriem de victus ratione potissimum dicantur (quæ in morbis qualitatem habet remedij) ad omnem tamen auxilij ideam, ad extremos morbos relatam, referenda censemus. quasi insinuet Præceptor, ad extremos morbos, qui in se vitæ

vitæ discrimen includunt, ac funestam penè perniciem, extrema remedia debere comparari, seu potẽtia cum Galenó præsidia, quæ & potenter valeant, aduersus vehementem, & extremam extremi morbi vim pugnare. verum hæc comparanda non incõsultò, aut temerè, sed rationali via, vt innuit Thucydides, quam Græci ὁδὸν vocant, vnde μέθοδος. Methodo itaque comparanda cuncta, quâ vnica muniti reddemur audentes ad extremos propulsandos morbos, & tutò eosdem arcendos: valẽtibus inquã, ac potẽtib. auxiliis, vsu, ac ratione simul, seu methodo exactè inuentis. Satius igitur ęgrotantes, per hãc tutam, ac fidam omnino viam perducere, quam spe salutis ablata, citra præsidia vlla fortunæ ludibrio cõmissos, permittere. nec quia methodus fida, finis certus, cum morborum, ac belli, incertus omnino finis, incertus pariter & euentus.

Cum igitur nobis modò se offerat disputandi occasio, de morbo quodam extremo, instante nixu frequẽti, aut in puerperio; de morbo inquam sacro, ob assiduitatem, ac vehementiã paroxysmorum exactè peracuto verba facere, caussam & multam habente, & cacoëtham; cui pariter, & ob vrgentem acutiem, & si luber, extremitatem, potentissimis, & extremis pręsidiis obstare methodus docet optima, proinde aliqua nunc de ipso, haud ingrato animo replicare non grauabimur. Sed cum in ipso morbo salutis spes anceps, & ambigua: satius, imò ius, aliquid cum periculo tentare, prudẽtiæ clauo nunquã dimisso, quã inconstanti fortunæ infelices mulierculas oblatas, certò quasi opperere. Ordiar dissertationem ab eius descriptione: quam nos, & vsu longo, & obseruatione solerti, sedulò attigimus;

mox absoluam, iuxta consilij nostri rationem, eiusdem affectus curandi methodum tradendo, idque peculiari illo auxilio venę sectionis potissimum; operis institutum.

In vsu nostro Medico, per longam eius temporis intercapedinem, plures, & vtriusque fortunę fœminæ fuêre oblatæ, quibus non solum fœtis, verum iam sub nixu, aut statim pòst, execrandus hic morbus succreſcerat. Grauidis porrò, mensibus tantum, in quibus secundum naturam abigitur partus, septimo, nono, decimo, & alteri tantum octauo, illum accidere minutis vetubus prænotauimus. quasi istud liquidò insinuet, hauddubiè fœtus commotionem ad partum, principij caussæ habere rationem. nam ingenti illo motu, agitantur insuper humores illi tetri ac funesti, & tanti mali, dum caput, arcem supremam ac sensuum metropolim adoriuntur, fiunt auctores. Huic, cum pro rei grauitate, tenui nostra industria, verum sedula, & optima stabilita methodo, præsidiis, & efficacibus, & extremis obsisteremus, ac sæpè aduocatis, & assidentibus iugiter dexterrimis quibusque doctoribus, frustrata ope, collabente arte, palmam reportante morbo, omnes ferè vitam cum morte commutarunt. & quod magis est, nullam vidimur, ab inuasionis primo instanti, vltra tricesimam excessisse horam, altera dempta quæ sextam supra tricesimam attigit: vti & altera, quæ vndecima à morbi insultu hora, primipara cũ esset, iuuencula, optimi habitus, & eusarci corporis, infausta terram petiit. tanta est, & tam grauis huius morbi acuties, & symptomatum pariter sæuities, & hostilitas. Et cum effectus necessariò naturam, ac ideam redoleant suarũ caussarum, hi morbi funesti cum

cum ſint, ac lethales, neceſſariò & cacoëtham ſequentur cauſſam. rurſus, cum ad magnitudinem morbi, quàm maximè ſpectet & loci affecti præſtantia, ſimiliter cũ in hoc affectu multum lædatur pars corporis princeps, animæ capacis conſilij arx, ac metropolis, cunctorúmq; ſenſuum, ac motus fons; neceſſariò hoſtilis, & grauiſſimus erit morbus atq; fatalis ad interitum. Innuit & hoc idem Galenus lib. 2. Aph.ſen. 45.& 47. dum inter morbos caput obſedentes, ceu acutiores, ac vehementiores ipſam cõnumeret epilepſiam, vti & apoplexiam. Et quãuis illa, in ſui ratione affectus chronicus, vt innuat Præceptor lib.5.Aph.ſen.7. tamen fit acutus, ac ferinus, & ob frequentiam, & acutiem paroxyſmorum, & ſymptomatum pariter vehementiam, ac grauitatem, quæ cauſſam habent malignam cacochymiam, lochiorum inquam, in caput appulſam; vti, & quam hydropicis ſuperuenire idem dictator ſcribit, lib. coac.prænot.quæ ſimul ferina, ac funeſta occurrit. vtraque namque, vſu teſtante, comite ratione in ſæuã, ac mortiferã terminatur apoplexiam, ceu totius corporis reſolutionem.

Cæterum, quod illa puerperij acciſio; epilepſiam gignere valeat, & hãc lethalem, docet eodem libro num.3.idem dictator ſummus, his verbis, *Qui ſtatis temporibus ſanguinem profundunt, ſi loco non profuderint, epileptici moriuntur.* Cum igitur mulieres ſtatis periodis, per vteri alueum redundantem ſanguinis copiam eliminent, per grauiditatis autem tempus ſubſiſtat fluxio, inhibeatur, quid mirum, ſi vbertas illa praua ſeruata, affatim ab vteri peruaſione, per quandam pernicioſam anadromen caput repat, & ibi ſubſiſtens funeſtam germinet epilepſiã?

hanc autem potissimùm, quia, vt retur Hippocrates lib. 1. de Morbis, nu. 11. cerebrum cùm substantiam habeat spongiæ similem, etiam ad instar spongiæ facilè attrahit, faciléque attractum retinet: auget & illud idem eminens cerebri situs, maxima præterea eiusdem cum vtero colligantia, ac communitas hostilis fit ac lethalis à malignitate causæ, quam parat præsertim mora illa maxima, prauus vt plurimùm grauidarum victus, vita deses ac sedentaria, delitiis affluens. quid quod & nunquam incidit per huius sanguinis ad caput anadromen epilepsia hæc, quin eandem illico excipiat apoplexia, vbertatis, ac contumacis materiei vitio: cuius copia mulieres crebrò consternuntur, assiduè ab hostili paroxysmo infliguntur, cōcidunt, pituitā mox difficulter eiiciunt, caput repletur, expultrix labascit, apoplexia prehēdit, mors necessariò citò aduenit. Nec doctrina hęc Oribasium latet lib. 8. Synops. c. 3. tum Paulum lib. 3. ca. 13. viros inter Græcos clarissimos.

Cum itaque cerebrum hostili illo aduentu prauę ac multæ materiei maximè proritetur, hinc ad huiusmodi infesti hospitis expulsionem natura seuerè accingitur, & mediante illo motu ferino, ac atroci, nō ipsum solum cerebrum, verū & vniuersum corpus, ad eiusdem inuitatam hostis expulsionem, vehementer conuellitur, atque ita germinatur in his infensissimum illud, ac lethale symptoma. Natura namque in cunctis arduis ac difficillimis, aduersus cacoetham morborum vim validissimè insurgit, vbi præsertim robur maximum nacta ipsa fuerit, ne victa ac triumphata succumbat. Sed accidit (proh dolor) quod in ipso belli æstu (cuius finis perpetuò anceps) anima hostis feritate, & immani potentia,

per

persæpè fatiscatur natura, ac triumphata iaceat. Lachrimabilem hanc historiã execrandus hic morbus perbellè demonstrat, dum validissimè pugnando natura, funestámq; causam totis viribus extra corpus propellere contendens, saltem vt per breue aliquod temporis interstitium dulci fruatur pace, belli fine, haudquaquam hanc, paucissimis, immanis hostis cõcessisse, liberè testemur. quod si forsan alicui concessum, à superis potius, vt domino reconsilietur, sacrum Eucharistiæ sacramentum accipiat, benignè largitum. cum deinceps, eius iterum renascente furore, & bellico æstuante insultu, ne ampli° quidem vllũ quietis locum, ipsis permittat mulierculis: imo exãtlatis iã earũ viribus, & omnino exolutis, tandẽ ab eisdẽ triũphi palmã seuerè reportat.

Huius morbi typum hic habeto, qualem in plurimis nos diligenter obseruauimus. inprimis, per paroxysmos priores vniuersum fœminarũ corpus validissimo cõuellitur motu, immorigeréque omnes concutiuntur artus, stertunt mox, dẽtib. fremũt, os distorquetur, oculi fiunt torui, & palpebræ insuper assiduo motu cõmouentur, nariũ primæ & frequẽtissimè, & cum strepitu verberãtur: porrò in vltima cuiusque paroxysmi parte spumã ipsæ reddunt, & multam, & crassam, ac viscidam, quibusdam verò cruentã. Et cùm in cunctis, & internorum, ac externorum sensuũ omnimoda accidat priuatio, per totũ paroxysmi tẽpus, aliquibus tamen, etiã extra paroxysmum cæcitas cõtigit, vt ne, etiam apertis oculis quicquã intueantur, aliis & simul facultates principes oblæduntur, humore transposito, & mẽtẽ reptãte, & fiunt deliræ tunc, affecto videlicet cerebro, vt pars similaris: sin autem humor, nõ idẽ numero (cũ

non per μετάπτωσιν, ſed per ἐπιγένεσιν ambo germinentur affectus) in corpus irruat cerebri, vt organica pars, epilepſia potius generatur, teſtāte ſūmo dictatore lib.6.Epidem.ſent. 7. circa finē.Neq; vllatenus aſſētior doctiſſimi Ludouici Dureti interpretationi,quam refert diuinis illis commentariis in Hippocratis Coacas prænot. lib. 2.ca.24.nu.1.quo loco inconſultò(pace eius viri dixerim) melancholiā tātum eſſe mentis ægritudinem , vti epilepſiam cerebri corporis retur: quaſi melancholia paſſio pariter corporis non ſit , intēperies videlicet frigida & ſicca cerebri,fortè & cum aliqua caligine , ſeu ſplendoris amiſſione animaliū ſpirituum , corrumpentē natiuā eorum,& ſecundū naturā diaphænitatem,vt præter Gal.lib.2.de ſympt.cauſſis ca. 7. ſeriò innuit Hippoc lib.de morb. virginū.num. 2. ad hūc igitur morbū in intēperie , cogitationis cōſequitur oberratio, & vnà ſpecierum in phantaſia deprauatio.vnde conuertendo ſe intellectu ad idolū, quod in ipſa reſpicit phantaſia, ex qua elicit ſpecies intelligibiles (pars altera ipſius cogitatiuæ,potentiæ ſanè organicæ)non ſecus,ac eadem phantaſia ſuo munere itidē deprauatè fungitur intellectus,deprauato videlicet, ac inordinato exiſtente in phātaſia idolo. Hæc abūdè peculiari de hac re conſcripto à nobis libro examinantur:modò hæc ſufficiant,iuxta conſilij noſtri rationem.

Alicui igitur ex his laborantibus hoc morbo,inter vtrumq; paroxyſmum, aliqua temporis cōceditur intercapedo , etſi breuis, in qua mente illa conſtat.Percurrente autem amplius ipſo affectu, & cōcitatiores fiunt paroxyſmi, ac frequētiùs multò repetūt,à quorum ſimul grauitate,ac feritate,& ęgrotantium

tantium vires exoluuntur, & exhausto iam robore conuulsionis cessat motus: mox sensu, ac motu omni priuatæ, apoplecticæ supremum conficiunt diē. Inter vehementissimos verò illos concussionis motus, cum iam iam animam agant, quibusdam partum abigi accidit: aliis cæsione, post illarum obitū extrahitur. quos omnes vtriusque sexus fœtus, à laboribus illis funestis fessos, statim, siue arte, siue natura expulsos, vnà cum matre ferè oppetere obseruauimus: quorum alterum tātum ad nonum vsque solem vitam protraxisse testamur.

Hanc παρέκβασιν, quia & raram, & arduam in se continet doctrinam, libuit modò in hac nostra muliebri disputatione texere, nec inconsultò, cum in actuosa Medicinæ parte maximam haud dubiè pariat vtilitatem. Verum, vt in hac graui historia colophonem addamus hoc vnum tandem aduertendum, ad hunc producendum hostilem affectum nō minimam habere vim & aëris constitutionem, & cœli statum. hic namque testante Hippocrate lib. de sacro morbo, nu. 13. tum lib. 3. Aph. sen. 16. ab humida potissimum exoritur aëris constitutione: vnde flante austro assiduísque existentibus, ac vberioribus imbribus epilepsia, nec non & apoplexia, vt plurimum accidunt. Nec mirum sanè, cum hæc aëris constitutio, nō solum corpus malè disponat, laxet, plurimis iugiter excrementis repleat humidis, ac pituitosis, verùm ceu externum principium abditam, ac internam morborum caussam efficientē suscitat, commouet. Alterat etenim semper hæc externa aëris caussa, lege quadā ineuitabili, ac necessariò quidem corpora nostra. cui non sentientia solum corpora, verum & cuncta viuentia subiiciun.

tur. Sed iã vt curationẽ accuratè prosequamur, eius naturã prius describere lubet cum Gal. li. 1. meth. c. 5.

De acutißima epilepsia natura, & an sanabilis.

Cap. XLVIII.

INdicatio (quæ omnem respuit experiẽtiam, seu princeps methodi organum) & ex ipsa rei natura, Galeno scribente lib. 3. meth. c. 1. exoritur quãprimũ, & rursus quid agendum, inuenit appositè: porrò methodus ex eisdẽ indicationibus, ex natura rei peritis docet vtique inuenire, quid singuli morbi faciendum præscribant. Quare ad artificem illud prorsus spectat, quod inuenit methodus per suas indicationes, seriò intelligere an sufficiat ad finis consequutionem, an scilicet sperandum, eò quò tẽdim⁹ attingere, seu quod prima insinuat indicatio, an secus? Sed cum hæc cognitio, iuxta eum methodũ, vnica tãtum fruatur via, ratione videlicet, qua sola ipsa paratur, & ab ipsa vocatur rationalis Medicus, hæc rursus ex ipsi⁹ rei natura appositè cõparabitur, vti natura ex cuiusque affectæ particulæ substãtia, actione, vsu, ac situ. illa morbi naturam, eius cãm, ac symptomata amplectitur, sicuti hæc patiẽtis particulæ naturam simplicem, aut cõpositã. Ab his igitur accuratè procedendo, & quid sanari, quidve nõ seriò ꝓuidebit Medic⁹: tũ in quib. sal⁹ spectatur, ex eisdẽ, de remediis inueniendis solerter deliberabit.

Si in nostra hypothesi illa cuncta connectamur, cum ferè desperata sit salus; quia huius morbi tãta atrocitas, vt nulla vis maior possit naturæ inferri, quam quæ ab hoc hostili morbo. quod si omnes cõuulsionum ideæ, per iniustam ac inuoluntariã obortæ contractionem, tyrannæ, crudeles, funestæ, quid epilepsia cunctorum quasi regina? symptomata igi-

ta igi-

ta igitur illa ferocia, immania, & sua natura, & frequentia, certæ mortis proculdubiò sunt argumenta, quid quod & causſę, cum naturę intolerabilem inferant noxam. inconsultò igitur ad eius nos curãdi methodum accedemus, cum sit testudo vincere aquilam. Cæterum etsi ferè impossibile, nõ simpliciter, sed vt plurimum: cum aliquam pręter spẽ experiamur ab huiusmodi tyrannide liberatam, quibusdam adhibitis, ex amplissimo artis promptuario elicitis methodicè auxiliis. Rursus nec fas, inhumanum saltem, ægrotantes liberè, omni artis fauore destitutos, orci faucibus committere: maximũque sanè artis dedecus. Proinde modò nos nõ tædet methodum describere; qua huius funesti morbi (prognostico semper præmisso) fortissimis quibusque præsidiis curationem aggrediamur. Insequemur igitur nos solers illud Galeni consilium li. 10. meth. c. 10. *Tutius multò esse aliquid nos nonnulla fiducia facere, quàm omni spe ablata ægrotantem certò perire:* tũ & alterum summi dictatoris li. 1. Aph. sen. 6. *Ad extremos morbos extrema exquisitè cõparata remedia optima.* In spem itaque contra spem operabimur: tum aduersus extremum morbum, extremis eundẽ auxiliis prosequemur. Multa enim persæpè inopinatè & infricta spe Medici, læta cõtingunt, & fausta appellunt ad portũ. Sed rẽ ordiamur, exposita prius morbi natura, difficilis sanè, & arguta disputatio.

Epilepsia, conuulsionis quædã species, symptoma est in motu deprauato; id palã testãte Galeno lib. de diff. symp. c. 3. Est itaq. epilepsia inuolũtaria totius corporis concussio, cũ sensuum, ac mentis lęsione, quã edit cerebri prouitati cõtractio, huic mox assẽtiẽti spinalis medulla, inde & neruis omnib. motui,

ac sensui præfectis. καταχρηστικῶς hæc appellatur cóuulsio, in quantum videlicet veræ conuulsioni fieri assimilatur motus ille conuulsiuus. lõgè tamen disparantur, quia in conuulsione illæsæ remanent facultates principes, & inest vera retractio neruorum ad suam originem: in epilepsia vtrunque abest, quid quod nec est affectus neruorum conuulsificam intra se habentium caussam, repletionem, aut inanitionem, verum eorum principij, cerebri inquã. quare propriè eius motus, potius concussiuus, vt nuper citato lib. de sympt. diff. c. 3. innuit Galenus, opus sanè solius facultatis: quamuis expresse istud nõ scribat, imò lib. 2. de sympt. caus. c. 3. conuulsionẽ solius morbi opus struat. Sed tamen cum sternutamentũ, & singultum inter opera solius facultatis cõnumeret, ad quorum naturam quãmaximè epilepsia accidit, cum omnes cõueniant in illo motu deprauato cócussiuo, hinc arbitrandum, & eandem pariter opus tantum solius facultatis. Verum dubium cuius facultatis opus, animalisne, an naturalis? animalis nequit, nam epilepsia passio cerebri sensu, ac motu animali carentis: hæc nãque, potentia tãtum cótinet, & actu impartitur reliquis, relinquitur igitur quod naturalis sit facultatis, expultricis videlicet. nã cerebro, vti & reliquis partib. principib. vis maxima à natura insita, noxia pellendi. concutitur itaq; cerebrum valdè, propter partis vsum præstantem, ad rei illud proritantis exclusionem, citra sensum rei molestæ, sed à sola insita naturali vi, natiuáque auersione rei illius molestæ. cæterum propter maximam coniugationem, quã cum neruis habet, ac cunctis partib. sentientibus, ceu omnium illarũ origo, statim, ac quã citissimè omnes in eius adiutorium

rium accinguntur, & vnà cõcutiuntur, vt rem molestam valeant simul à cerebro repellere. neque ad hunc motum, cũ naturalis ille prior sit, requiritur obiecti cognitio, sufficit autẽ ad alterum subsequutum animalem, percipere partes reliquas, instinctu quodam, aut sympathicè illorum principium infligi, vt ei totis viribus, totóque conatu illicò suffragentur. Quare, cum hic motus, non solius cerebri, verum & manifestius adhuc & totius corporis, teste Galeno li.3. de loc. affect. c.5. & 7. etsi non cõtinuus, vt in vera cõuulsione, sed per sua repetens interualla: hinc inter symptomata facultatis animalis à Galeno recẽsetur, tum li. de diff. sympt. c.3. tũ & li. 2. de eorumdem caussis. c.1. quid quod & quia pars quæ afficitur primò cerebrum est, arx facultatis animalis, obtinẽs omne imperiũ, etiã & mot⁹ ad rei noxię expunctionẽ, meritò & ad eandẽ animalẽ facultatẽ reductiuè spectat, etsi primò ad expultricẽ naturalẽ.

Explorandum mox hoc symptoma, quẽ morbum sequatur; res quidẽ ardua, & à variis doctoribus variè distracta. Si rem attentè scrutemur, & cerebrum in hoc affectu duplici ratione affici obseruabimus, & vt similaris pars, & vt organica: contrahit enim nuper ab aduentu caussæ morbi, siue humor sit, siue vapor aliquam intemperiem, vt videre est apud Galenũ, & li.6. Epid. com. 1. sen. & li. 4. de loc. affect. 5. ca. 2. dum dicat, *in sopore, & morbo comitiali ventres magis, cerebri corpus minus affici.* vtramq; igitur his locis affectionem admittit, intemperiem, dum inquit, *corpus cerebri minus*: obstructionem verò, seu affectum in cauitate, dum, *ventres magis.* Nullus enim sanæ mentis hæsitabit per corpus ibi cerebri non intellexisse eius substantiam, vt pars similaris,

vti per ventres idem cerebrum, vt organicum est, sua formatione constans, quæ figuram, cauitatem, & superficiem amplectitur. Cum igitur ex his duobus affectibus longè præcellat, qui in cauitate, vt dilucidè citatis locis Galenus insinuat, tum ex subita eiusdem affectus generatione constat, ac breui solutione, cum ista nequisset maxima intemperies præstare, ex Galeno lib. 2. de caussis sympt. ca. 7. proinde affirmandum reor, hoc symptoma morbum in cauitate haud dubiè potissimum insequi. quasi in cauitate quidpiam contineatur præter naturam, sua quantitate, aut qualitate noxium, facultatem expultricem prouitans ad eius celerem, ac concitatam expulsionem. Quantitas illa in idiopathica, obstructionem gignere innuit Galenus, citato lib. 3. de loc. affect. ca. 5. quæ obstructio, in quolibet cerebri ventriculo accidere potest, si Galeno præstruenda fides lib. 4. de loc. affect. ca. 2. quamuis lib. 3. eiusdem operis ca. 5. medium, & postremum tantum admittat, seu frequētius crederē. Neq; valet ratio priuationis descensus spirituum animalium, quem nequit anteriorum obstructio præstare, cum affectus hic in absoluta obstructione non consistat, verum in retentione substantiæ alicuius noxiæ, vt plurimis locis Galenus declarat; lib. 2. de causs. sympt. ca. 7. dum dicat, *Epilepsiam accidere ob pituitæ in ventriculis cerebri aceruatæ multitudinem*. rursus & lib. 3. de loc. affect. *Igitur*, ait, *vt crassus pituitæ succus, ita hic quoque comitialem morbum solet efficere; vbi in meatibus ventriculorum cerebri retinetur*. Nullibi autem ex his obstructionis vocabulo vsus Galenus: imò innuit morbum tantum esse in cauitate, ex aceruata, aut retenta multitudine humoris, haudquaquam necessi-

necessariò omni ex parte obstruente, verum proritante expultricem facultatem, ad eius repulsionem. Porrò, quod non sit obstructio, in totum descensũ facultatis animalis impediens, ex illo constat vniuerso, ac vehementi concussiuo motu, cum recepta potius vi animali ab ipso cerebro, omnes corporis partes immorigerè quatiantur: quo motu omnino priuantur, ob obstructionem maximam, apoplectici omnes. Internorum autem sensuum, ac externorum illam abolitionem haudquaquam obstructio parit, verum corporis cerebri contractio, ac spirituum animalium vehemens τάραξις, ob quam ne munus suum præstare illi queunt: tũ quia à pressura illa maxima, sui quasi oblita natura, tota posita in rei molestæ, ac noxiæ repulsione. Apparet hoc idem in animi vehemẽtibus pathematis: quanto igitur magis, in hoc execrando cerebri affectu, facultatum animalium sedis? Adhuc & dilucidius lubet ostendere, & ex sympathica epilepsia, in qua, vt fatentur omnes, ventriculorum cerebri obstructio nulla, ne minima quidem, cum auram habeat caussam, & tamen in hac nequicquam ægrotantes cogitant, recordantur, aut imaginãtur, néve externis sensibus fruuntur. liquet igitur palàm in vtraq; specie vnicã ac cõmunẽ esse huius effectus caussam: nequit obstructio cum absit euidenter in sympathica. Quare necessariò obstructio in hoc affectu nõ requiritur, & per consequẽs hãc, huius symptomatis non esse morbũ, ceu eius causã, quã primò illud sequatur: neq; priuationis itidẽ sensuum caussam, arbitrandam. Diximus hoc symptoma non habere caussam primò obstructionem, quia hæc, in sui ratione, vt obstructio, nequit vllatenus motum illum

conuulsiuum germinare, cum tantum valeat alicuius substantiæ, aut facultatis distributionem lędere, ac impedire, res quidem longè dissita ab altero illo symptomate motus conuulsiui: siue illa obstructio perfecta, vel imperfecta sit. Imperfecta autem hoc epilepticū symptoma gignit mediante altero symptomate (in idiopathico loquimur) proritatione videlicet, à qualitate, vel quantitate materiei obstruentis excitata. quæ caussa communis quidem cunctis huius morbi differentiis: cum in cunctis hoc symptoma proximè conciterur ab irritante aliqua caussa, siue humor ipsa, siue vapor, siuę nuda aliqua qualitas, vt in morsis à quopiam venenato animali accidit. Quamobrem obstructio, non in quantum obstruit, verum in quantum res obstruēs adnexam habet quantitatem vel qualitatem proritantem proxima, & immediata huius symptomatis dicetur caussa. Sed cum res obstruens, per inhærentia accidentia immediatè, nullo alterius morbi interuentu illud producat symptoma, dicendum potius hoc symptoma insequi morbum in via, aut fortè morbum in numero addito; quod probabilius. quasi substantia illa, quatenus supra numerum addita, naturæ sit molesta, & vnà morbus, primò ac per se motus conuulsiui parens. Neque istud à Galeni doctrina recedere autumandum, cum eandem rem duplicem pariter hunc habere respectum & in cauitate, ac numero palam scribat, lib. pręsertim de different. morb. ca. 7. polypi exemplo. hic enim affectus in naribus enascitur, qui simpliciter morbus est in numero addito: verum quatenus hic affectus ita crescit, vt iugiter obstruēdo inspirationem lædat, iam dicetur tunç morbus in cauitate, & ille

prior

prior huius alterius sit caussa. A simili igitur humores in cauitatibus cerebri accruati, facultatem proritantes expultricem, simpliciter constituent morbum in numero addito, & primò his numerus additus illud symptoma germinat, facultatem sua præsentia proritando. sin autem hic humor adeò creuerit, vt perfectã pariat obstructionem, iam tunc alterius morbi, obstructionis videlicet caussa dicetur potius: vti hic morbus, iam alterius symptomatis aliquando, scilicet apoplexię. vt in aliquibus videre est, in quibus, repletis cerebri ventriculis, & absolutè obstructis, epilepsiam in apoplexiã terminari conspicimus. Ex dictis itaque sufficienter innotescit morbi idea, & eius caussa; cum omnis humor sua quantitate, aut qualitate cerebrum proritare valens, caussa huius morbi statuendus sit, idque siue obstruat, siue non. vnde & biliosum planè admittimus. verum quidni, si aura sola pręstare id valeat, tum qualitas nuda in ictu animalium venenatorum? dicent hunc sympathicum. fatemur. verũ de bilioso humore in cerebro accruato, stimulante sua qualitate cerebri expultricem vim, & germinante pariter intemperiem in ipso cerebro, haudquaquam hoc sentiendum, cum idiopaticum progerminet, ac veram epilepsiam inducat. Sed hæc amabò perpendant Medicinæ manes: & si rectè cẽsuerimus æquo animo accipiant. sin minus nobis meliora impertiantur, vt eis gratificemur.

Dum hæc scriberemus, accessit ad nostras manus perdocti viri Petri Garcia Carrero opus dilucidũ in libros Galeni de loc. affect. in quo, de his abundè disputat, sed parum, ob caliginem opinionum eiusdem assentimur ipsi. Cæterum præ instituti nostri

angustia, cum alibi nos aduocet huius affectus curandi methodus, de his haudquaquam lubet plurima replicare. quid quod nec Critici munere fungimur modò.

De curandi methodo per venæ sectionem sacrum morbum, instante, vel adstante partu.

Cap. L.

Aggredimur huius execrandi morbi curationẽ, tanquam sanabilem; etsi desperata in ipso ferè salus. Quare etiam in eôdem indicationum seruandus ordo, & aduocanda iugiter methodus. hæc autẽ postulat in morbis præsentem habẽtibus caussã, ab ipsa inchoandam curationem. nequit enim morbi factum tolli, asserente Galeno lib. 10. meth. c. 1. quin prius præcaueatur fiens. quod si principium habeat notum, & actu existens in corpore, ne tolli exactè quit, quin prius itidem ei occurramus. proindè, & in hoc funesto morbo, iuxta nostram hypothesim, cum omnia ista concurrant, symptoma quamprimum vrgentissimum, motus videlicet, cõuulsiuus, eius caussa, seu morbus, obstructio, si lubet, vel numerus additus, in cerebri ventriculis aceruatus, eius vim irritans expultricem: mox huius morbi caussa efficiens, aut humor quispiam pituitosus, aut melãcholicus, aut fortè biliosus, horum alter vel segregatus, vel cum sanguinis massa connexus. & tãdem adest huius caussæ principium, vterus videlicet, qui per quandam metastasim, grauantes illos, humores in cerebrum depellit. Huic itaque principio quàm primum, si Hippocrati, ac methodo struenda fides, occur-

occurrendum. docet Hippocrates elegãter illa Stymargi famulæ historia lib. 2. Epid. hoc itaque medio præcauemus ne pars mittens mittat amplius, & quod fit etiam amplius labascat. Licet igitur illud præstare in enixis, nihil, aut quàm minimum reddentibus lochia, aut præter naturæ pręscriptum, in quibus ius quàm citò vberrimam ex infernis partibus inducere vacuationem. imminuta enim materie, pars mittens ab opere cessabit. quod ad absolutam reuulsionem maximè spectat. verum in grauidis, cũ non innotescat certò pars mittens, & humoris sarcina tunc per totum coaceruetur corpus, etsi multò magis per vasa vtero vicina, nos ad curatiuã reuulsionem conuertemur, quam (vrgente ex hypothesi morbo) alternatim ex vtraque pręstabimus cephalica, vt hoc medio non solum impetus humorum ad caput irruentium appositè reuellatur, verũ & quod iam in eo contentum fuerit, & ferè iam morbi coniuncta caussa vnà vacuetur.

Deliberabimus autem de hoc magno auxilio, in hoc extremo morbo, ex natura præsertim morbi caussæ, quam supponimus humorem esse, in quo adhuc sanguis suam seruat ideam: rursus, & quia citissimum, ac tutissimum auxilium. Sin autem cacochymus valdè extiterit, qui morbi caussa, & maximè pariter à natura sanguinis recedens, cum alterum adsit auxilium magnum, & morbo huic, ac eius caussæ adæquatum, purgatio videlicet, de ipsa tunc appositè ac tutò deliberabimus. quid quod etiam in hoc extremo morbo, vti & in aliis magnis, cacochymo insuper existente humore sæpè sæpius venas secare multò præstat, quàm aluum emollire, quia & citius multò reuellit, ac tutius, & sarcinã

nihil minus deponit: nec fortunæ effectus committitur.

Porrò vtriusque auxilij peculiaris occasio, seu opportunum tempus dialeimma est, omnino iam à particulari paroxysmo silens. Facta itaque in enixis distantissima illa reuulsione, quæ proximè respicit caussæ principium, ratio docet sedulò, ac quamprimum conuertamur ad alteram exactam curatiuam reuulsionem, partem affectam protinus per coniugia venarum respectantem. idque, etsi lochia fluant ex præscripto naturę, instigante nos morbi funesti vrgentia. Neque recedimus vllatenus à perenni doctrinæ Galeni splendore. hic enim, vt videre est lib. 10. meth. cap. 6. contrariis existentibus indicationibus, non solum altero neglecto, verum & cum ipsius incommodo, vrgentiori morbo occurrit. hęc sunt ex Galeni sacrariis oblata verba, *Ego talium quoque non paucis dedi* (frigidam scilicet aquam:) *tutius esse ratus phlegmonas in præsens augere, quam sincerè hominem hecticam febrem incurrere. &c.* Rursus & infra eôdem libro ca. 10. idem testatur, dicẽs, *Si igitur insanabilis solidarum partium siccitas est, tum expeditißima in eam per hecticas febres via patet, melius est hominem in frigidam intemperiem transferre, ac cui curationem adhibeamus habere. Quippè qui id fecerit, is postea noxam oppugnauerit, &c.* O magnum viri magni artificium! Cum enim Medico sit primus, ac præcipuus scopus, hominem vita comite seruare, dein si aliquis lapsus, protinus emendare, ne infœlici vita fruatur, & tandem cunctis illis ablatis, cum eundem incolumem omni ex parte seruare præsumat, proinde eâdem assensione tenetu, quamprimum hominis vitam tueri, idque omni

omni ſolertia,ac cura, etiam & cum aliqua noxa, ſi aliter præſtare nequeat artifex, dummodò hominem à Cerberi faucibus ſeriò abripiat, & Medici dominum inexorabili Atropo non transferatur. Ad hoc itaque munus exequendum duplici indiget Artifex inſtrumento,dignotione,ac prænotione.illâ, omni ex parte morbi præſentis ideam rimamur: alterâ,quod futurum,præuidemus.Et vt à noſtra hypotheſi non recedamus, cùm morbi natura,ac conſtitutione æſtimata,epilepſiam præſentem dignoſcamus funeſtam, ac lethalem vt plurimum: prænoſcamúſque rurſus puerperij acciſionem, quamuis noxam aliquam importet ipſa, haudquaquam interitum, quem, certò quaſi illius morbi natura comminatur: hinc cogimur, etiam ex vi methodi, quolibet neglecto incommodo, ad epilepſiæ curationem ſeriò accingamur. mox ſtabilita iam ægrotantis vita, deſtructo videlicet illius vindice, noxia ſi aliqua adfuerint,commodè nos tunc emendabimus illa.

Tandem in hac curatiua methodo, & illud obſeruandum; ſi cauſſæ principio innoteſcente, vtero videlicet, quod acciſio lochiorum ſubita declarat quammaximè, methodus ſuadeat infernas ſecandas eſſe venas, tunc maturo conſilio id præſtandum. quia ſectio hæc locum habet tantum, quamminimas adhuc partes factas habente affectu,imò in totum ferè fiente. perſeuerante itaque amplius affectu, ſtatim animum reuocemus oportet,quod nulla, aut quàm minima interiecta temporis morula,ad reuellendum ex affecta parte, iuxta poſtulantis vrgentiam, & virium conſenſum, reducamur: non ſecando ſolum cubiti externas,

De immodico puerperio per venæ sectionem sanando.

Cap. LI.

Natura ; summi boni germen, medium, ceu quippiam optimum exoptat semper : extremum, ac immodicum & respuit, & expungit hinc seria illa exurgit vox Præceptoris lib 2. Aph. sen. 51. *omne siquidem nimium naturæ inimicum.* Neque huius rei difficilis ratio. quia, vti vnaquæque res suo simili gaudet, seruatur, ita eius opposita, ceu dissimili tristatur, corruit. Dúmque natura, bene se habens, testante Galeno lib. 1. de tuend. valet. cap. 1. in quadã consistat symmetria, quidquid hanc seruare valet moderatum, & ceu familiare amicissimè amplectitur, odit omne immoderatum, infaustam patiens ametriam. O quàm omnia modica optima ! Quare cum omnes repletiones extremæ, vti eiusdem farinæ vacuationes, tanquam valentes omnino exterminare, atque dissoluere naturæ symmetriam, & odio ipsi erunt, & ceu periculosæ optimè à summo dictatore æstimantur lib. 1. Aphoris. sen. 3. Inter reliquas adhuc periculosior, quæ sanguinem fundit, eliminat, dulce quidem hominis vitæ nectar. Vnde hæc sola, inter cæteras à Galeno doctissimo lib. de sympt. diff. c. 6. toto genere pręter naturã, altera sola dépta, quę per vterũ fit, quæ toto genere potius secũdũ naturam, quia sola ex præscripto naturæ. omne igitur immoderatum excludit ipsa natura. Sed si rẽ exactè cõtẽplemur, etiã & in hac, quæ per vterũ, plurima simul accidunt præter naturã, eôdẽ clarissimo Gal.

afferente lib.3.de sympt. causs. cap. 2. Nam & hæc per vterum vacuatio, aliquando abolitam sequitur naturæ actionem, aliquando imminutam, aliquando tandem & immodicam. De imminuta,& abolita in ipso puerperio vberrimè suprà: verum, vt absoluta sit disputatio, nec prætermittenda immodica;háncque iuxta nostri consilij rationem.

Expositis iam suprà huius symptomatis caussis, ad curandi methodum illicò accedemus, prodidagmatis duobus tantum præmissis, quorũ alterũ, immodicũ omne puerperium, symptoma,quod ad vtraq; cõsequitur, quãtitate tãtũ est præter naturã, haudquaquã toto genere:reliquæ verò omnes sanguinis excretiones cõtrà: quia solet natura per hũc alueum citra affectum vllum, imò secundum naturam sanguinem repurgare. præter naturam autẽ fit, non solum ob excretæ substantiæ immoderationem,verum quia,ceu symptoma morbum semper aliquem sequitur mediatè, vel immediatè. organicarũ aliquãdo partium, vt anastomosim,similariũ verò erosionem, vtriusque partis communẽ, ruptionẽ,vulnerationẽ. aliquando insequitur calidam iecoris intẽperiẽ, maximã bilis copiã generãtem:aliquãdo tandẽ totius corporis habitus validã intemperiẽ. quod insinuat perbellè Galenus lib.5. Aph.sen.57.cum omnes caussas,quas lib.de sympt. diff.cap.6.& lib.3. de eorundẽ causs.cap.2.recenset, ad tria illa capita reuocet. Alterũ mox prodidagma est,quod ante curationem, vtramque quantitatis continuæ, & discretæ ipsius puerperij metam nobis in mentem replicemus, & solerter vtriusque quantitatis coniectemur recessum. hunc metiemur, ex medio, cuius inueniendi rationem, suprà in-

prà itidem tradidemus hoc eodem libro, ex conferentia, & tollerantia petitum. Quotiescunque etenim enixa puerperium difficilè ferat, insequuta lypothymia, virum ac roboris exolutione, anxietudine, caloris natiui depaupertate: præterea nec ipsa à morbo alleuetur, imò potius ingrauescat, sæuiăt symptomata, exoriantúrque noui quidam alij morbi, quos Senex optimus lib. 1. de morb. mul. nu. 67. refert, ex immodica fluxione natos: tunc stabilitum erit sanè puerperium vltra medium percurrere, & ceu immodicum opportunè æstimandum.

His ita constitutis, iam ad pensum curationis accedamus. Symptoma hoc, aut vrgens gliscit, (quod barbarè immodicissimum appellat Mercatus lib. 4. de mul. morb. c. 9.) aut positiuè immodicũ est, nec vrgens. Priori, cum ob extremam, & immodicam vacuationem vires supra modum lædantur, & vita enixæ pariter in maximum perducatur discrimen, sedulò occurrendum, solertíque diligentia, variis artis auxiliis, valentibus quidem citò illum compescere, arcere: reuellentibus quamprimum iam & repellentibus, tum & iis quæ valeant singillatim caussis occurrere, & humores incrassare, siue medicamenta illa sint, siue alimenta: tum tãdem & auxiliis aliis, quæ sufficiant ad oris vasorum occlusionẽ. verum cum reuulsoria magna, de quib. nunc nostrum est consilium agere, quo potissimum sint, venæ sectio, & purgatio, & illud longè antecellat, ceu citius, tutius, atque commodius auxilium; proinde & de ipso deliberandum, assidente iugiter & altero scopo roboris virium. quod si posthac lypothymia subsequatur, non ob immodicam vacua-

tionem, cum copiosam tantum postulet morbus: verum aut quia auxilium illud sæpè mulieres reformidant, aut quia eius ratione mordaces aliqui humores ad ventriculum confluunt, & eius orificiũ vellicant, pro gratia potius habenda. nam huius lypothymiæ benificio perbellè, ac affatim omnis cõpescitur hæmorrhagia, recurrente sanguine ad vitæ arcem, ibíque mox stabulato. cauendum tamen seriò, ne ob immodicam illa accidat vacuationem, exhaustis iam per essentiam viribus. cum per hanc immodicam in maximo enixæ, ac irreparabili sanè perducantur vitæ discrimine: multúmque rursus cauenda, si actu aliqua in interno aliquo viscere extiterit inflammatio. Cæterum cum in hoc affectu solus adsit reuulsionis scopus (symptomata enim inesse & conseruari à morbo dependent, & consequenter eorum esse in fieri tantum consistit) pars affecta rursus cum peculiaris sit in qua morbus ipse existit, & illius symptomatis caussa, necessariò & leges seruandæ veræ, & exactæ reuulsionis. quod videlicet ex coniuge vena directò fiat, cum distantia, & oppositione, respectu loci passi, in quo fluoris cã residet, siue anastomosis, siue ruptio, siue erosio sit: haudquaquam innotescẽte vacuationis origine, vt vocat Galenus lib.1.ad Glauc.c. 14. seu caussæ principio, vt Hipp.li.2.Epid. Tunc enim Galenus, citato nuper loco, tum alibi, prosiliente sanguine ex dextro nare, supra hepar cucurbitam apponendam cõsulit, sin ex sinistro supra sinistrum hypochondriũ, vti erumpente per vterum sub mammis, cum quib. maxima est cõmunitas. hæc itaque reuulsio & absoluta, & accurata, cum locum mandantẽ respectet, seruet itidem naturæ, ac vasorum rectitudinem, distan-

tiam insuper, cũ sua oppositione. Sed hæc reuulsio ab origine, in nostra hypothesi, ne locum quidẽ habet, cum nulla adsit pars originea, cui fluxio tribuatur, tum & nobis occultatur vteri pars, si forsan est, pręter naturam reserata, per quam sanguis prosiliit. vndè & reliquas conditiones, ac iura nos seruabimus, rectitudinis vasorum cum parte affecta, distãtiã, & oppositionẽ. quę omnia sectio venæ internæ vtriusque cubiti adimplet appositè. quod haudquaquã pręstitisset, si præter reuulsionẽ, vacuationis insuper adesset scopus: qualis vterque requiritur in vteri phlegmone, & proinde hæc interdicenda, exercenda, quæ in cruribus, vt eleganter suprà suo loco cum Galeno demõstrauimus. Hãc methodũ nihilominus confirmare videtur dictator sũmus li. 5. Aph. sen. 50. cũ in hoc immodico muliebriũ fluxu quam maximam cucurbitã sub mammis affigi iubet. Hęc enim reuulsio fluxum illum cõpescit, & omnes leges verę reuulsionis adimplet, ac seruat, vti cubitorum internæ venę sectio. in primis nãque vasorum adest coniugium, vt liquidò Galenus fatetur in eius sententiæ com. distantia mox cũ quadam proportione, & tandem oppositio sursum deorsum, cũ mãmæ supra vmbilicum hominis cẽtrum, vterus verò infrà sit fabricatus. Appositè igitur, & venas cubitorum internas, in hoc fluxu immodico secabimus: quo non sufficiente auxilio, etsi inter reliqua ad reuulsionem præstantius, ad alia seriò conuolabimus: quorum suprà perfunctoriè fuit mentio à nobis facta. Inter alia nõ infimũ locũ tenet Persicũ Philonũ, nõ solũ quia narcoticũ, sed quia plurima in se cõtinet adstringẽtia, quibus sistit fluxum, humores incrassat, motũ retardat, ora venarũ & cõprimit, &

obturat. Aliud auxilium etiam à Galeno laudatissimum li.5.meth.c.5.describitur, succus videlicet plãtaginis per catheter in vuluam iniectus. Sed de his, ceu à nostro scopo alienis satis.

Præterea, si hoc immodicum puerperium nó vrgeat, tunc non solum ad morbum eius caussam cõuertemur, verum ad eiusdem morbi distinctas, & peculiares efficientes caussas: quib. sublatis, & symptoma tolli necesse. ob oculos itaque nobis quãprimum illos tres proponemus affectus, tum illorum caussas, vt cuique sua debita oppositione satisfaciamus. Si igitur fluxio à morbo instrumentario, ob aliquod vitium ex tribus, quæ à Galeno connumerãtur lib.3.de caus. sympt. c.2. suæ caussæ peculiari illicò occurrem⁹, deinceps morbo. caussa erit vel qualitas, vel quantitas contentæ substantiæ, relinquo modò procatharticas. priorem illam corrigemus qualitatem, emendantibus, quæ inquam attemperare valeant, & quę insuper cacochymiam vacuare: alteram rursus tollendo plenitudinem, quod, virib. vnà consentientibus, nullo altero adæquatiori auxilio, quàm venæ sectione præstabimus. quare de hac seriò decernẽdum. Porrò & præuisa caussa, crebrò ad sanandum morbum accedemus: cuius curãdi methodus exactè à Galeno traditur lib. 5.meth.c. 3. In vniuersum itaque cum morbus sit apertio, occlusionem hæc indicabit. & cum triplex sit illius differentia, cuique & sua quæque debetur curatio, anastomosi, ad quam diapędesin reducimus, obturatio per adstringentia: ruptioni, per glutinantia: vti erosioni per sarcotica, tum alimenta euchyma. Vtrique tamen illi differentiæ venas scindere ius, nó vt reuellamus tantum sanguinis impetũ, quod primò

respicere

respicere symptoma est, verum vt morbi caussam simul emẽdemus. nam si hæc à iusta recesserit quãtitate, eo auxilio in mediũ reducetur: sin verò à qualitate debita, etiam (quamuis per accidens) eandem emendabit: minori enim reddita materie, reliquum natura, & melius vincet, ac superabit.

Deinde, & vsus huius auxilij in vtraque illa differentia (etsi præsidium hoc vnum & idem intendat scopum) varius, ac diuersus. cum in vrgenti affectu ocyssimè, maximàque animi cura exercendum illud, antequam, quod ab Hippocrate prædicitur li. 5. Aph. sen. 56. contingat, conuulsio videlicet, aut animi defectus. ab ipso enim metus est, ne inopinatè fœmina sõnum simulans, supremum conficiat diẽ. Quare methodo, ac ratione de variis auxiliis, ac eisdẽ extremis, deliberandum censemus, vt quã celeriter enixam à Parcę tyrannide redimamus. verum in immodico non vrgenti, lento potius gradu procedendum. nã nec sedulitas vrget, nec fluor omni ex parte exciendus, cũ citra discrimen, ne fas. subita enim, ac omnimoda accisio grauissimorum affectuũ quit esse principium, siue in vtero, siue extra: erysipelatis videlicet, phlegmonis, febris, hystericæ passionis, anhelationis, conuulsionis, ac aliquando & mortis. Istud perbellè dictator summus insinuat, dũ infit li. 5. Aph. sen. 57. *Menstruis abundantibus morbi eueniunt, & subsidentib. accidunt ab vtero morbi.* Curandum itaque muliebria sub æquilibrio subsistãt. nã si vltrò frigida intemperie corpus afficitur, fœdus inde color apparet, pedes tument, hydrops germinatur, vires omnes labascunt, syncopes cõtingit cõuulsio superuenit, quę nuper ex Hippocrate replicauimus. sin autem citrò, fiũt pariter & ab vtero mor-

bi, idque per se, vt Galenus in eius sententiæ com. interpretatur: per cõsensum autem, cum & ab ipso vtero vnà etiam & corpus vniuersum lancinetur. hoc nequit in puerperio immodico, aut qualibet muliebritate, quia si aliç ab vtero partes afficiuntur, haudquaquam tunc per cõsensum, imò primariò laborant. quare illud ab vtero, tantum de accisa vacuatione interpretandum: quę (vt ex Galeno diximus) in ipso vtero, aut phlegmonem, aut erysipeladẽ, aut scirrhum, aut cancrum, si affatim in totum præsertim circuncidatur, germinare quidem valet. Cautè itaque, & magna cum solertia quęlibet immodica muliebritas excidẽda, ne in deteriorem affectum, paullóque priore peiorem, infœlicem ducamus enixam. Lubet modò hanc rem, & altero diuini dictatoris confirmare oraculo. hic itaque li. 1. de morb. mul. nu. 97. de accisis menstruis sic fatur, *Sunt autem pericula in ipsis nõ parua: acuti enim sunt, & citò transmutantur, & magis affligũtur primiparæ, quàm quæ partium sunt expertes, &c.* Ratio facilis, quia hæ venas habent strictas, & multò minus hiãtes, quàm quę parere assuetę, vnde in his strictis pericula adsunt non parua, & acutè laborant. timenda igitur restrictio.

Tandem in omni immodica muliebritate imperanda quies animi, tum corporis, & à coitu abhorreant consulendę fœminę. Sed hęc iã extra carcerẽ.

An vena scindenda in actuali nixu.

CAP. LII.

PArtio crisis quędam, ceu grauiditatis iudicatio. hæc omnis, testante Præceptor, li. de septim. nu. 6. partu per septenarios fit, quadragenarios, menses, & annos. Sed cum excedat partio, tũ septenarios, tum

ſum quadragenarios, haudquaquam annum, aut ſaltem rariſſimè, hinc ad menſes reuocanda. Si igitur partio criſis, non grauiditatem ſolum iudicabit, verum & morbos cum grauiditate connexos. quid quod neque hoc legitimus tantum præſtat partus, ſed & hoc idem abortus, ceu imperfecta criſis, & aliquando mala. quia & hic, morbos iudicat aliquãdo, iam rurſus aliquorum fit auctor. etenim ceu in fide criſis abortus æſtimandus ſemper, & ad vtrunque indifferens: quamuis malus per ſe ſemper, ceu præter naturã res, bonus per accidens, quando aut iuuat, aut morbis medetur, accidit namque fœminas ab aliquib. liberari morbis, abortu ſubſequuto, & muliebribus ſecundum rationem contingentib. Certius tamen multò hæc accidunt cuncta, quãdo omnia ex præſcripto naturæ fiunt, ac per ſe, & nixus, & puerperium. Id in propria vxore ſum expertus. hęc etenim ſeptimo grauiditatis menſe, ſub opora, cũ acutiſſima laboraſſet dyſenteria, febri pariter comitata ardẽtiſſima, dũ iã quinto à morbi die, exãtlatis virib⁹, animã penè ageret, illicò partus ſuperuenit (pignus quartũ ſocij tori) filiámque enixa, omni ex parte ab immorigero illo affectu, ac crebrò liberata, pro ſũmi Dei beneficẽtia ſuperſtes remãſit, cui ſit honor, & gratiarũ actio in ſęcula. Porrò & Pręceptor, ſeu quiuis ei⁹ alter diſcipulus lib. 7. Epid. n. 49. alterã huic ſimilẽ refert hiſtoriam, Epicharmi vxoris. hæc itidem, cum & dyſenteria laboraſſet, ſtatim à partu fuit in ſanitatem reſtituta. vtriſq; igitur partio, perfecta fuit morborum criſis: non igitur ſolum grauiditatis, verum & morborũ cũ ipſa implicatorũ. quia ratione part⁹, fœtus deponitur vtero gerenti onus, excernuntur iugiter in puerperio & excrementa, morborum efficiente,

caussæ. Præterea vti in crisibus, si imperfectè moueatur natura, tãtum abest, quod leuetur ipsa, quin potius grauissimorum affectuũ sit ferax: sic in partione, si imperfectè operetur natura in lochiis repurgandis, persępè funesti, ac lethales concipiuntur morbi. his adrisit Senex optimus lib. de septim. partu nu. 6. dum inquit, *In his omnibus temporibus secundum dies, quadragenarios, menses, annum, insunt ad vnumquemque & vtilia multa, & hostilia multa. Ex vtilibus igitur sanitas, & augmentum contingit: ex contrariis, morbi, & mors &c.* Dilucidè itaque his verbis declarat crises & iudicationes per septenarios fieri dies, vt in acutis accidit morbis, tum in offluxionibus, ἐκρύσεις Græcis: aut rursus per quadragenarios, vt morbi acuti ex decidentia iudicantur, tum & chronici aliqui, & abortus: per menses insuper, vt alij morbi chronici, tum partio: aut tandem per annum, vt videre est in aliquibus morborum ideis, tum & aliquando, etsi rarissimè partio. In his igitur criticis terminis retur ipse tum vtilia, tum hostilia ac funesta superuenire. vtilia quidẽ accidunt, quandò cuncta ex naturę præscripto fiunt: hostilia autẽ, si contra præter naturam. Patet igitur & ex his partionem per se quandam esse crisim: bonam autem vel malam, perfectam vel imperfectam, ex his quæ superueniunt æstimatis, aptè decernimus. nam si cuncta secundùm naturam; optimus ac perfectus expectandus nixus, optimum rursus ac perfectum puerperium: sin autem contra præter naturam, malum & imperfectum vtrumque. Cęterum, cum quę decernuntur, nec mouere liceat, vti nec quæ iustè sunt decreta, sed omittere potius, proclamante eodem Pręceptore lib. 1. Aph. sen. 20. Necessariò ex his quis-

piam inferet, in actuali nixu quicquam haudquaquam mouendum, nec pharmacis, néve aliis irritamentis, sed operanti naturæ cuncta committere. quare ne his venam scindere fas.

Doctissimus Galenus in comm. Edictæ Hippoc. sententiæ abundè hanc exoluit difficultatem, & inquit, *Si aliquid ad perfectam crisim deesse videbitur, id addēdum erit, nostrâque opera supplendum. Nam quæ post crisim relinquuntur, recidiuos morbos faciūt.* Quinque autem, aut potius sex ibi recenset, quæ ad absolutam & perfectam crisim necessariò requirūtur: quæ nihilominus, aut earundem omnes ferè, & in partu adsint est necesse, vt & optimus, & perfectus æstimetur ille. In primis in partione ius est, fœtus prosiliat, vnà & vacuetur puerperium. istud respondet alteri, quæ vacuationem postulat, haudquaquam abscessum. Rursus, quod vacuetur redundans tantum puerperium: vti in morbis infestans, ac redundans humor morbi caussa. Tertiò, in partione, fœtus iuxta naturalem figuram, in caput primum, abigatur: quod est in morbis directò, seu recto vasorum processu humor vacuari. Quartò, fœtus, ac fœta cùm euphoria se habeant in nixu: hæc itidem quàm maximè exoptatur in morborum crisibus. Quintò mittatur fœtus, ipso iam existente maturo: sicut in morborum crisi humorum coctio exquisitè desideratur. vltimò nixus fiat in critico mense, septimo, nono, decimo: quod insuper maximi est momenti, crises in decretoriis similiter accidant diebus, & vt absolutæ, & vt perfectæ. quod si spectetur in morborum crisi, prius hęc sit indicata: neque istud deest in partione, quæ suos etiam habet menses indices, in quibus citò, aut serò moue-

tur infans, iuxta vltimum indicatum partionis carcerem. O concentus ineffabilis! O natura sagax, ac penè diuina! Quamobrem, sicuti si quæpiam conditio ex dictis, in morborum crisibus abfuerit, mācum, ac infirmum penè redditur iudicium: ita, & si aliqua ex prædictis in partione deerit, imperfecta similiter & manca censenda; & illud idem solerter nostra opera ac diligentia supplendum. Et cum inter reliqua, partio aliquando se offerat difficilis, laboriosa, ac grauis, maximo cum vtriusque ac fœtus, ac fœtæ vitæ discrimine: quæ omnia haudubie parere valet, & nimia vasorum vteri, ac eius stomachi plenitudo, & subiectarum partiũ vnà compressio, nequeuntium sanè, ob nimiam plethoram distendentem, ac subiectas partes comprimentem, exeunti fœtui cedere. necessariò tunc indicatio vrget vacuationis, ac illius plenitudinis depletionis; quam rem nullo altero auxilio commodius, quàm venæ sectione præstabimus. tum quia citò, postulante affectus vrgentia, tutò requirente illud enixæ statu, adæquatè, cum appositè omnem illam æquè sarcinam deponere valeat, exercet illa. Cogimur itaque, ex vi methodi, in hac difficili charybdi, totis viribus occurrere, parturienti ac partui euphoriam captando, ac nixus actioni pariter facilitatem. Sexcentis (si fas dicere) pręsidiorum ideis dictator summus istud tentare ausus est, à rei grauitate cōuictus, lib. præsertim 1. de morb. mul. quæ ab ipso, vti & aliis Græcis ὠκυτόκια, seu partum accelerantia appellantur. veluti à Timotheo ὠκυτόκος, ob eandem rationem & Luna vocatur, cum ipsa, & partionem acceleret, & facilem vnà reddat; quare vim nostri corporis meatus laxandi habet. Inter reliqua potentia

tentia hunc vſum præſtare,ac vnicè, venæ ſectio ſe offert,de qua Hippocrates quidem, mihi auctor eſt. dum cecinit eodem nuper citato libro num.103. *Si verò prægnans multo tempore cohibeat,& parere non poßit,ſed diebus pluribus ex partus doloribus laboret, ſit autem iuuenis,in vigore,& multo ſanguine referta, ſecare oportet venas in malleolis,& ſanguinem detrahere virium reſpectu habito: & poſtea calida lauri corticibus incoctis lauato,&c.* O præſtans Senis optimi iudicium! o methodus omni artificio plena! Si igitur rem hanc ſeriò,& acri quodam iudicio replicemus,nihil in tanto oraculo redundans, nihil mancum,nihil ſanè deficiēs reperietur. Quamprimum qualitatem remedij appositè delibat, æſtimatis indicantibus, vnà & propoſitis eiuſdem auxilij ſibi ſcopis. indicantia partim præſentia, partim quaſi certò,etſi futura timentur. vtraque vrgentia. præſentia ſignantur ab ipſo,partus prçſertim difficilis, per lõgum tempus cohibitus, dolores multi implicati,ac labores diu perſeuerantes.& vti difficultatis partus inſinuare videtur præſentem cauſſam plenitudinem, dum iuuenculam ſupponat multò ſanguine refertam;ita dolorum,futurum effectum, inflammationem videlicet vteri innuit, cum dolores feraces quidem ſint inflammationum,adſtante prçſertim corpore plethorico. Præter indicantia illa, adſunt & eiuſdem auxilij ſcopi ; alterum declarant eadem indicantia, magnitudo præſertim morbi: alterum rurſus,cum ſupponat vires ſufficere, tum ętatis iuuenilis ratione,tum plenitudinis corporis. nequit enim,his adſtãtibus, viriū ſcopus abeſſe. Accuratè itaque de qualitate huius auxilij deliberat in tanta preſſura. quid quod, nec vllum aliud confe-

rentius adest auxilium ad faciliorem hunc reddendum partum, tum simul ad eiusdem dolores leuandos, & anteuertendas pariter inflammationes.

De optimo vsu sectionis venæ in nixu actuali deductis vnà curatiuis scopis.

Cap. LIII.

RAtione, & Dictatoris summi auctoritate ostẽdimus suprà, ex lib. 1. de morb. mul. n. 100. venæ sectionem locum habere ad nixum actualem faciliorem reddendum: qua remedij qualitate inuenta, superest & vsum eiusdem, aduocatis & tribus aliis curatiuis scopis, replicare. quantitas primò occurrit: hęc venatur, tum ex quantitate morbi & eius caussæ, tum ex ipsis viribus: & ad hatum inueniendum statum, & iuuenilem obseruat ætatem Hippocrates, & corporis iugiter plethoram. ex his itaque, exactè metitur quantum debeat esse auxilium. Porrò insurgit occasio. & hæc paratur ex morbi postulantis præsentia, & impedientium absentia. illud innotescit cuique palàm, rem ęstimanti, hoc verò itidem cuique obuiam fit.

Modus tandem vtendi ab Hippocrate exponitur, dum venas in malleolis tundendas iubet. nec ratio abest. nam hic scopus præcipuè desumitur ex situ laborantis partis, quæ cum hauddubiè vterus sit, ac eius præsertim pars inferior; vti videlicet osculũ, necessariò vena huic parti communis aperienda, qualis poplitis, aut malleolorum. quæ exactè, quia immediatè, ac directò ab vtero reuellit, & vna ab eodem appositè vacuat.

Quamobrem summus Præceptor, in dicta hypothesi

thesi, accurata methodo de tanto remedio delibérat, & omnes pariter medendi scopos seriò adimplet. quem, ceu verum ac perfectum ducem nos in cunctis imitandum omni studio & proponimus,& reliquis præponendum censemus.

Cæterum, cum auxilium istud & partus difficultates amoueat, labores ac dolores itidem sedet, conciliet facilitatem. nihilominus circa eius vsum, & cautus ac religiosus se præbeat Medicus etiā ex eōdem Hippocrate, ius est. Quare perdoctè, ac solerter idem Senex optimus cōsulit, hoc auxilium exercendum non esse, nisi vrgentibus maximis cruciatibus, infestè simul per aliquot dies ingrauescētibus. quod est illud Hippocratis, *Si multo tempore cohibeat, & diebus pluribus ex partus doloribus laboret.* Deinceps ætatem æstimat parturientis, ac vnà eius corporis statum, ac temperamentum, cum dicat, *iuuenis sit, in vigore*, seu ætate florenti, *& sanguine copioso repleta.* quasi hæc omnia concurrere debeant ad huius auxilij deliberationem, ex Hippocrate. Sed quid mirum, cum & hanc ætatem (ceu tertius scopus) obseruandam censeat passim, libro præsertim 4. de rat. vict. sen. 19. quotiescunque ius venas scindere? Vrgenti itaque affectu, & vnà consentiētibus viribus audendum sanè venas has infernas secare.

Hispanus noster Ludouicus Mercatus lib. 4. de morb. mul. c. 3. arbitratur hanc venarum sectionem prope partum præstandam in his, in quibus partio difficilis valdè fuerit consueta: haudquaquam eandem admittit, dū iā actu parturiit fœmina. Decipitur tamen non minimum, tum quia partio non eisdem legibus prosequitur semper, cum ferè semper in cunctis mulieribus peculiares partiones sint in-

ter se dissimiles, ob varias ac dissimiles occurren-
tes caussas: tum quia si Hippocratis verborum se-
ries obseruetur, illud potius auxilium in actua
nixu suadet hauddubiè, cùm consulat expectandu
diutinum tempus, in quo actu à partus laboribu
lancinetur parturiens, & mox non valente vter
fœtum eliminare, etiam in eadem nixus action
venas secat infernas. Tandem conuincitur iden
Mercatus, ex vtilitate capienda ex huius tanti aux
lij vsu. quamprimum, vt optimè arbitratur Maur
cius Cordæus, vir doctissimus, com. 7. in hanc Hip
sen. sectis infernis venis in actuali partione sangu
conturbatus, & effluens, pariter tunc & fœtum a
exclusionem commouet, naturáque simul exonera
ta potentius ad eius expulsionem accingitur, ho
idem insinuat Heurnius lib. de morb. mul. c. 8. quo
nefas quidem ante partionem, non prius commo
uente natura. Præterea, & actualis nixus facilior e
redditur medio: cum depletis vteri vasis, ac vnà vi
cinis reliquis, eadem concidant, & locum fœtui e
gredienti cedant. qua ducti ratione proculdubiò, &
in dolore nephritico, actu lapillo per vreteras de
scendente, ac difficulter prosiliente, si corpus simu
extiterit plethoricum, easdem infernas venas secar
seriò, ac methodicè imperamus: vti in asthmate i
dem præstare ad eundem vsum, ex venis tamen cu
biti, quottidie solerter decernimus. vt videlicet, &
liberam eo auxilio captemus pectori dilatationem
& facilem vnà respirationem, quam morbus angu
stam ac suspiriosam facit. Denique & eiusdem au
xilij alter adest vsus, nec contemnendus, quia futu
ram, seu imminentem potius affabrè præcauet in
flammationem. Nam, cum difficilis, ac laborios

par

partio, dolores ferinos necessariò habeat comites, & hi simul potentes (etsi per accidens) affatim spiritus, & sanguinem ad locum accersere dolentem, vt passim Galenus docet, & experimentum confirmat: rursus & methodus pariter insinuet, ne spirituum ac sanguinis influxus in parte dolente inflammationem germinet, sedulò præcaueamus, idque reflectendo illorum iter ad oppositam, ac distantē partem: quod inter reliqua auxilia exactissimè, quia citò, ac tutò, venæ sectio præstat; cogimur necessariò ex vi methodi, ob tantos hos vsus, tantásve vtilitates, in laboriosa hac partione hoc maximum quàm citò aduocare auxilium.

Deinceps, ne illud sanè negligendum censemus, quod Hippocrates hanc sectionem in numero plurium reminiscatur; quasi hortetur Medicum, dum venas, & malleolos dicat, secandam esse vtramque, amborum videlicet pedum, si necessitas istud exigat; nec immeritò, tum, vt partis vtriusque tollamus æquè plenitudinem; mox cedente vtraque parte commodior fiat in vtrisque dilatatio, faciliórque inde partus, seu fœtus exitus. tum, vt perfectè, ac æquè, vtrique vteri parte præcaueamus, ne inflammatione obsidatur.

An vtraque hæc sectio simul tempore sit exercenda, difficilè. Mauricius Cordæus loco citato com. 7. in lib. 1. de morb. mul. affirmantem tenet partem, & eandem ratione confirmat. quia si altera vteri pars vacuetur, pabulo destituto fœtu, ad oppositam partem vnà cum ipso vtero se obuertere, retur ipse. hincque & difficiliorem adhuc accidere partionem arbitratur. Altera mox ratione idem obtestatur, quia æqualiter, inquit, con-

citato in vtraque vteri parte sanguine, vtraque pars conturbata accingetur iugiter ad fœtus expulsionē, idque potentius multò, quã si altera tantum pars hoc munus obiret. Hæc opinio, ceu probabilis, nec in totum expungenda. quamuis persuasum habeã multò exactius esse, ac vtilius, parua interiecta morula, vtramque secare, viribus consentiētibus. quod & parturiens, & vnà astantes libentius fortè admitterent. neque hinc sperandum credimus aliquod esse insequuturum incōmodum, ob temporis breuitatem; imò vires melius multò passuras, ac tollerabilius ferre vicissitudinariam hanc vacuationem, cum semel multum, ac affatim vacuare difficile ferat natura, ex dictatore lib. 2. Aph. sen. 51. Atque hęc de curandi methodo morbos, qui partionem sequuntur per venæ sectionem.

De curandi ratione per venæ scißionem morbos abortientium acutos.

CAP. LIV.

ABsoluta curandi methodo per venæ sectionem, ac diexodica sanè, morbos enixarum acutos: vt omni ex parte, iuxta consilij nostri rationem, perfecta sit dissertatio, & eandem in abortiētibus exerceamus ius est. Nam si libro superiori, tenore materiei ducti, methodum præscripsimus præcauendi abortum, per venæ sectionem, cunctis pariter eiusdem, ibidem que caussis expositis: vrget modò & earumdem abortientium methodum curãdi tradere, per illud idem auxiliũ. Morbi in vtroque ipso statu

&

& maximam habent sympathiam, nec leuem iugiter affinitatem: distinguũtur tamen ob grauitatem aliquam, ac maius periculum: cum in abortu fortè sint funestiora omnia, quia & actio pręter naturam, propter quam rationem & peculiarem exoptát illi enarrationem. Vtrumque, consensum inquam, & periculum palam Pręceptor declarat lib. 1. de morb. mul. n. 98. pręclaris hisce verbis, *Eadem sunt affectiones ex puerperij purgamentis, & ei quæ corrupit fœtũ, & ei quæ peperit. Si menstruum corruperit fœtum, & quæ corruperunt magis periclitãtur: corruptiones enim grauiores sunt, quàm partus, non enim fieri potest vt citra violentiam fœtus corrumpatur, aut pharmaco, aut potu, aut cibo, aut subdititiis medicamentis, aut aliqua alia re. Violentia verò malum est: in huiusmodi enim periculum est ne vteri exulcerentur, aut inflãmentur. hoc autem est periculosum.* In hoc diuino oraculo Senex optimus, plurima omni exploratione digna recenset; imprimis morbos in vtrisque eiusdem rationis statuit, respectu caussæ, lochiorum videlicet: cum hæc in vtrisque morborum omnium parens sit, & efficiens caussa. Mauricius Cordæus insignis doctor com. in hanc sententiã, com. 6. hoc ita diiudicare arduum censet, & mendum suspicatur. Verum cũ aliâs arbitretur piaculum, in lectione Hippocratis quicquam innouare, rem simulat, & silentio obnubit. Sed demiror virum hunc clarissimum (cuius simul doctrinam magnifico semper, ac admiror pariter) lectionis veritatem, ac tenorem attentè non considerasse. quid enim difficultatis exhibet eandem specificam caussam, eosdem pariter specificos generare effectus? cũ igitur in partione, & ab ortu, lochion vnica sit spe-

cifica caussa, quid mirum, si in vtroque statu, eosdē pariter, specie vnicos germinet morbos? eos præsertim, quos in eâdem sententia summus Præceptor cōmemorat, inflāmationē videl. systrophicā, & vlcus in vtero? in quæ pathemata (vt cum Hippocrate loquar) facilius multò abortientes incidūt, quàm quæ perfectum dant partum. quia abortus violentus: & omne violentum, ceu inimicum naturæ, malum. Nullum igitur mendum. Disparātur autem vtrarumque morbi non specie, aut caussæ ratione, verum respectu maioris, vel minoris prauitatis; cum abortientium morbi & maiores, & hostiles, ac & periculosiores.

Porrò in eodem oraculo inquit Hippocrates, si menstruum corruperit fœtum μηνιαῖον, id est, vnius mensis embryon, Cordæus τριμηνιαῖον potiùs, seu trimestrem censet legendum, quia inquit Hippocrates, verbo vtitur φθαρείσῃ, id est corrupit, quod propriè dicitur de abortu post quadragesimum diem facto; vti, qui infra hanc metam ἐκρυσμοὶ, descripto tamen iam semine, ἐκρύσῃ autem, qui intra solem septimum haudquaquam semine adhuc descripto. Cæterum seruandam esse potius codicis Græci vulgatam, ac receptam lectionem, ceu magis Hippocrati arridentem, quàm alteram Cordæi, etsi acutam, seriò arbitramur. quæ sic habet, Παθήματα δὲ ταῦτά ἐστι περὶ λοχείων φθαρείσῃ τε τὸ ἔμβρυον, καὶ τεκούσῃ. καὶ μηνιαῖον φθείρῃ τὸ παιδίον. &c. Sed vt Hippocratem per ipsummet interpretemur, palàm libro de septim. partu nu. 3. corruptiones quadragesimo sole frequētiores fieri, tetur ipse: quia tunc primus motus [illegible] fit, neque adhuc eo tempore, propter fœtus tenellā naturam vtero firmiter hæret, vnde facilè, etiam à mini-

minima caussa abscedit. Quare cum ex Hippocrate, frequenti comitante experimento, quadragesimo fiant frequentiores corruptiones (etsi periculosiores, quo grandiores fœtus, & inter hos periculosior adhuc octimestris) proinde eo loco accuratè ἐμμηνιαῖον, seu menstruum dixerat, ceu frequentius. neque obstat illud verbum φθαρῆναι, cùm eo loco pro qualibet corruptione sumatur, in quolibet ipsa grauidationis accidat tempore: etsi propriè de animati fœtus abortu dicatur, post quadragesimum videlicet solem. verum nec proinde necessariò trimestrem, cum & bimestrem dici valeat, ac queat.

Tandem in illo oraculo & illud replicandum restat, quod propius ad nostrum spectat consilij rationem, vterum videlicet, & inflãmationẽ cõcipere, & maligna contrahere vlcera ob ipsius abortus grauiditatem, ac immorigeram violentiam. quæ affectiones, citra præsens, vel imminens periculum, existere nequeunt sanè. recenset, inter tot mala, quorũ ferè semper abortus ferax, ceu alterũ discriminũ pelagus, solam inflãmationẽ systrophicam, & vlcerum cacoethiam: tum quia frequentiora hæc, tum quia cęterorum quasi immediatum principiũ. frequentia ex eo demõstratur, quia abortus necessariò fit diuulsis, ac dilaceratis cum aliqua violentia, ceu præter naturã, acetabulis, cuius diuulsionis violentæ ratione facilè quidem inflãmationem cõtrahit vterus, facilè & maligna vlcera. Confirmat hãc doctrinã Galenus lib. 2. de difficult. resp. c. 11. dũ historias illas li. 3. Epidem. com. 2. sen. 7. & 8. seriò interpretatur, quarumdam mulierum, quæ à morbi grauitate, ac symptomatum sæuitie ambæ

animam efflarunt, vltimo primi septenarij sole. & mox inquit, vtrasque hauddubiè contracta in vtero inflammatione laborasse, & eius affectus sæuitie simul periisse. quia illud peculiare habent viscera, & partes internæ si inflammatione tententur, quod febres acutas, & cacoëthas producant, extremarum partium pariant frigiditatem, ferina ac hostilia tandem symptomata germinent. Præterea dictæ affectiones non assignatam solùm habent caussam, verum & lochia aliquando ad illorum generationem simul concurrunt. cum ab his, non solum in abortientibus, sed in parturientibus etiam salutis, aut mortis vis consistat. hæc namque accisa, imminuta aut immodica acutissimorum, ac sæpe lethalium morborum sunt feracia.

Si ambas prædictas caussas æstimemus, hauddubiè iudicabimus minus periculosè laborare mulieres, quæ primis conceptionis diebus partum abigunt, tum quia minor tunc sanguinis asseruatur copia, & consequenter minorem requirunt purgationem: tum quia, propter concepti fœtus mollitudinem, & minus cotylidones coalescunt, & facilius multò, imò suo quasi nutu, citra effatu dignam violentiam ille decidit. vti eleganti illâ fructuum analogiâ doctissimus illustrauit Galenus lib. 4. Aphor. sen. 1.

Deinceps obseruandum etiam cum Aëtio tetrabibli 4. serm. 4. cap. 19. minus lædi in abortu, quæ sanæ sunt, & vtramque aluum lubricam, & laxam habent. illæ, quia cum robustiores, magis cunctis resistunt incommodis: hæ, quia cum laxiores habeant aluos, & facilius fiant, & exeunti fœtui multum cedunt. vti per eandem rationem

rationem facilius se habent in abortu, quæ partioni iam fuerint assuetæ, ac eò magis quò grandiores enixæ infantes, in ætate simul fuerint perfecta, & iam adulta, nec multa redundarint plenitudine.

Hæc cuncta ad absolutam methodum curandi morbos abortientium acutos, omni obseruatione sunt digna, atque eorum perfecta simul ac exquisita dignotio, ipsammmet curationem præcedat ius. præstat verò inter reliqua, caussæ efficientis cognitio, quia ex ipsa adstante, ortum trahit omnis curandi ratio.

In omni itaque abortu, caussam efficientem lochion constituimus, cunctorum fermè morborum subsequentium illum. hoc autem (vt in nixu naturali diximus) trib. itidē modis afficere potest, aut vt suppressū, aut vt imminutū, aut tādē vt immodicū. Lochiorū omnimoda accisio, vti & eiusdē imminuta tū inflāmationē, tū purulenta vlcera, ac fœtida, cū ichore quodā germinare valens est, asserente Præceptore lib. 1. de morb. mul. n. 88. 89. 92. quib. affectionibus, etiam ex eodem, & varij implicantur morbi, & iidem graues, nihilominus & plurima, & maxima symptomata. Aliquando namque hydrops consequitur, iuxta illud Hippocratis, nuper citato lib. 1. de morb. mul. nu. 85. *Si aqua intercus in vteris nascatur, menses pauciores, & praui sunt, & ante tēpus deficiunt, & imus venter intumescit.* Et rursus concludit, *hic morbus ex abortu fit.* Expolitur illustris hæc Hippocratis sententia, & argutis quibusdam historiis. adest quamprimum illa, quam Phœnix Anatomicæ doctrinæ Vesalius lib. 5. de fabrica corp. hum. c. 9. refert, Augustanæ cuiusdā fœminæ, cui in vtero repertæ fuere serosæ substantiæ

℔.180. Alteram mox recenset & clarissimus Mauricius Cordæus com.5. in lib.1. de morb. mul. alterius cuiusdam mulieris Lutetianæ, cui, euiscerato cadauere, non in vtero tantum, verum in toto corpore nihil cauum, sed cuncta aqua plena ad minutulas octingentas. Tandem alteram describit historiam noster perdoctus Christophorus Auega li. 3. de arte Medica c.13. Eleonoris à Santaren, quę supra septuaginta vesicas aqua pallida plenas in modum castaneę per vterum demisit. Verum qua ratione serosa hęc substantia in vtero seruetur stabulata, cum eius os (conceptionis dempto tempore) hiās sit semper, Cappadox Aretęus, & doctissim⁹, & antiquissimus pariter auctor perdoctè illustrat lib. 2. de caussis diut. affect. c.1. idem & Aëtius tetrabibli 4. ser. 4. c.97. dicentes, illam serosam substantiam, in quibusdam pensilibus vesiculis contineri, vt Auegę insinuat historia.

Porrò, vt ad pensum redeamus, idem Hippocrates paullò infrà à prædicta sententia, illud idem exponit, restricto, aut impedito in abortu puerperio, non in vtero solum, verum & aliquando in toto corpore hydropem germinari. Sed eius hęc sunt verba nu.88. *Progressu verò temporis* (post sc. vlcera, ac dolores in vtero) *tota intumescit, & debilitas ipsam corripit, & animi deliquium, & febris tenuis, & perfrigeratio. Intumescunt autem maximè crura. morbus autem corripit ex abortu, si qua corrupto, ac putrefacto intus puero non fuerit expurgata.* Dilucidè igitur ex huius oraculi verbis innotescit, vlcera, inflammationes, ac hydropas, ex abortu contingere, si lochia fuerint accisa, tanquam hæc sint haud-

dubiè

dubiè illorum affectuum feracia.Hanc veritatem iterum idem veritatis auctor struit lib. Coac. prænot.num.5.dum infit, *Quæ tum à partu, tum ex abortu aliquantisper cumulatè prorupta sunt, & suppressa immeritò, difficilia.his rigor hostilis, & alui turbatio: ídque cùm aliàs, tùm si laborent ex hypochondrio.* Ex hoc itaque oraculo elucet palàm, non in partu solum, verum & in abortu, quando ante diem sistuntur lochia, etsi proruperint liberaliter prius, per dies aliquot, graues morbos sanè produci, & hostiles pariter affectus: præsertim si humor ad hypochrondria recurrat, quod dolor in his excitatus manifestò declarat. nam aborta ibidem Systrophica aliqua inflammatione malum censendum, ac hostile quidem, si cruda: nec rursus secura, etsi cocta, propter partium internarum præstantiam, & affectuum cacoëthiam. multóque adhuc deterius est, si humor recursus, per quandam anadromen, ex eodem hypochondrio, ad caput fuerit delatus: cuius detestanda præsentia, iam dolor in ceruice quàm primum. mox & totius capitis, iam tandem & sæua concitantur deliria, ac febris.

Denique vti ex acciso lochio in abortientibus graues quidam gignuntur affectus, ac funesti aliquando: similiter, ex immodicè fluentibus, iidem germinari posse, & docet ratio, & vsus confirmat. Verum si illud immodicum vrgens non fuerit, metus tamen ne in chronicum aliquē morbum ipsam perducat abortientem. Et vt à nostro diuino dictatore non recedamus, qui de hac re nihil ferè intactum reliquit, hunc audiamus, sic fantem libr.

1.de morb.mul.num.40 *Si verò non curet* ... cet grauida) *fœtus corrumpitur. Sed & ipsa* ... *tur, ne diuturnum habeat morbum, si purga* ... *oporteat, prodeat: quia & post corruptionē* ... *immineāt, nimirum vteris magis apertis &* ... dem, & alia plurima idem refert Hippocr ... de morb.mul.nu.1.& 5.Non itaque peric ... tum, ob morbi diuturnitatem, verum o ... vasorum laxitatem, & in cotylidonibus ... nem; cùm collabente sanguine, vnà & ... quando effletur. Omnes igitur abortient ... bos, à lochio, ceu efficienti caussa, ortu ... peruium.

Quare, cum puerperarum morbi, vti & ... tium, vnica hauddubiè fruantur efficient ... hanc triplici ratione eosdem in vtrisque ... re sit palàm, aut quia restrictum omnino, ... nutum, aut immoderatum lochion. Ergo ... vtroque statu eadem caussa, idem & ope ... dus, eadem & methodus: quia si morbo ... in vtrisque eædem, nec vllatenus dispare ... riò & eorundem, eadem methodus. Qu ... ad præcedentia capita conuertendus an ... quibus triplex illud in enixis replicatu ... rum genus, in acciso lochio, diminuto, & ... co. nec subterfugit frequens forsan ille a ... teri inflammationis, aut eiusdem vlcera, ... his peculiarem texuerimus nos enarrati ...

Verum ad absolutam abortientium m ... nihilominus & quædam obseruanda ve ... sanè statui peculiaria. In primis lochioru ... tis discrimen, cum temporis respectu va ... par sit lochij quantitas, & mensura. nam ...

tu, primo mense contingente, cum altera tantum menstrui sanguinis sit accisio, lochion minimum; tertio, iam vberius; sexto, copiosius amplius, quia copiosior amplius aceruatur eiusdem sanguinis moles. Partioni naturali haudquaquam istud accidit, cum semper, septem saltem periodorum supponat restrictionem. quanto igitur magis ab instanti cōceptionis abortu recesserit, tantò lochiorum expectanda maior retributio. vnde & quantò vberior fuerit retenti lochij moles, & tantò maior morborum efficiens caussa: hæcque non mole tantum, verum & sæpe & cacoëtha qualitate: cum ob retentionem, aliquam sæpè prauitatem muliebria acquirant.

Proponatur itaque quamprimum Medico hæc secundum naturam lochiorum copia, ęstimata pręsertim ex fœtationis temporis quantitate, temperamento abortientis, ætate, consuetudine in mensurno sanguine reddendo, anni tempore, &c. qua sibi proposita mole (si aut omnino accidatur, aut imminutè retribuatur lochió) agnoscet palàm, quantum à naturali meta recesserit illa: sin verò immodicè, quantum rursus, iuxta alterum extremum, ab illo medio discriminet.

Præterea & illud æstimandum in abortu, quod cum omnis violentus, & præter naturam, similitérque & caussam subsequatur præter naturam, omnis lochiorum excretio in ipso, necessariò symptomatica, neque vsquam fermè carceres seruat naturæ (nisi aliquando fortè, ac per accidens.) quare semper aliquod contrahet vitium, iam in defectu, iam in excessu. Accingendus itaque Medicus, ad quodlibet istorum criminum emendan-

dum, ne ob incuriam graues aliqui fi
morbi. quid quod & ferè semper istud,
apparet, tum propter expultricis faculta
tionem, tum cotylidonum laxitatem; c
forsan eiusdem abortus. hinc, vt plurim
abortum apparent immodica lochia, aut
muliebria: contumax sanè, ac fœdus affect
insuper plurimorum, nec leuium sanè mo
cuius methodum curandi, & docet perbe
Boëthi vxore exercet pariter Galenus, libro
cognit. ad Posthumum. capite 8. Ex quo G
co illud seriò obseruandum, quod qua me
xorem Boëthi in sanitatem restituit ille
ac paulatim, etiam & per vices, citra con
nem aliquam, humorem deriuando, tu
uum, tum per vrinas: idem & nos prçstem
in immodico puerperio, vti & in hæmorrh
deriuando sensim, & paulatim reuellendo,
motio aliqua concitetur in sanguine, cui
motionis ratione quasi suâ sponte, per e
plius feratur locum, per quem sanguinis p
cebatur impetus.

Octimestris partus, an inter abortus re
dus, vertitur in dubium. verum si rem attent
riò perscrutemur, magis abortum attingit
naturalem partum. quia ille defatigata natu
tingit, & quasi præter naturam affecta, tum
magis est & præter naturæ scopum, cum
hæc in cunctis exoptet perfectum. quare cu
mestris partus nunquam vitalis, semper aut
nestus, haudquaquam hunc sagax intendet
Solum autem, ex eo quit partus rationem l
quia tunc fœtus iam perfectus, & absolutus

bilis sanè vt in lucem feratur, cum sit iam vltra septimum, meta vitalis partus, & perfecti fœtus. Quamobrem cum iste, medium quoddam obtineat inter partum & abortum, morbi in eo superuenientes, eâdem methodo sanandi, ac qui in vitali partu consequuntur, neque vllatenus inuertenda.

Synopsis eorum omnium, quæ in hoc tertio de puerperiis exagitantur libro.

CAP. LV.

LIbuit nunc, vt & cuncta eâdem prosequamur methodo, quæ in tota hac enixarum disputatione vberius libauimus, iam rursus, sub breui synopsi, in eiusdem enarrationis carcere, ea omnia presse definire. Et cum enixis ipsis hostiles, imò & funesti insequantur morbi, qui passim grassantes in ipsa actiua Medicina se nobis occurrunt sanandi, hinc nobis huius libri exurgit scopus, hinc itidem vrget occasio methodum tradendi curationis morborum enixarum, per præstans illud auxilium venæ sectionis cunctis his ferè adæquatum.

Partio itaque, vt rem à suis primordiis repetamus, grauis quidem actio, multis doloribus, ærumnisque variis implicata, initium pariter, ac subsequentium morborum fœtura. Labores huiusmodi triplicē in se continere caussam obseruamus, vehemētē toti° corporis fœtæ cōmotionē ab expulsione fœtus, acetabulorū à secūdinis diuulsionē, seu

à fœtus appendicibus,&tandem vincul
quibus ipſe adhæret vertebris maxin
nem. Contingit hæc actio nono, aut de
frequentius, rarò ſeptimo, rarius adhu
mo: quos menſes nos conſequutorios l
mamus conſtantes diebus 29. horis 12. r
Et vitalis fit partio, quotieſcunque nat
tera criſis ſeptenarios ſeruat numeros
narios.

Cum igitur prophaſin morborum ſt
tionis grauitatem, tot implicatæ ærumn
loribus connexæ. haud dubiè & lochi
efficiens erit cauſſa. iſtud verò triplici d
dem germinare valens eſt, aut quia or
accifum, aut quia imminutum, aut quia
ſiue quantitate tantum inutile fiat (quo
aut impoſſibile ferè) ſiue qualitate, ac ca
plex autem illa lochiis excretionis ide
in genere habet cauſſam, aut oris vteri
occluſionem, aut reſerationem nimiam
priores alteras fœtat ideas, vltimam alt
mirandum quod reſtitum, aut immodic
chion tantorum malorum auctor fiat, c
ſentia commotum, ac agitatum poten
valeat germinare; præſertim cum praua
litas, ſiue eiuſdem cacoëthia à partus co
effertur, ac reuireſcit. & cum immodica
ferat natura vacuationes, nihilominus &
liares gignent affectus, & funeſtos ſæp
ſpiritibus, & exantlatis viribus. Quare
bi proponat Medicus ius, vt quemlibet
gnoſcat receſſum. Verum hæc ſummo
ſanciente maximam affectat latitudinen

nixu masculino tricesimus signetur dies vltimus, carcer continuæ quantitatis: vti in fœmineo secundus supra quadragesimum. quamuis etiam ex eodẽ dictatore, eidem priori etiam secundum naturam vicesimus struatur, alteri quintus supra vicesimum. respectu itidem discretæ quantitatis, & sua fruitur latitudine: etsi in vtraque partione lochion arbitretur Præceptor retribuendum per soles singulos ad tredecim vncias cum semisse, prioribus saltem diebus. Libro verò de Nat. pueri hanc distinguit mensuram ex disparitate sexus, cum in virili partione lochion per totum retributum puerperium præpõderare duas ferè libras supra viginti scribat, in fœmineo triginta. Cæterum, præter hanc Hippocratis normã, occurrit & altera acuta sanè, & omni encomio digna, pendet ex obseruatione naturæ puerperæ, seu temperamenti, ætatis, habitus, vitæ consuetudinis, eiusdem itidem tam in reddendis mensibus, quam lochiis, anni temporis, regionis, &c. Ex cunctis enim his, absolutum ac perfectum nos eliciemus iudicium de retributione quantitatis muliebritatis, haud quaquam altera catholica neglecta libella.

Porrò huius caussæ efficientis qualitas, iuxta diuersum humoris in corpore redundantis excessum varia accidit, & varios itidem iuxta priuatam cuiusque naturam aptè nata est germinare morbos. illa sensu innotescet, si actu reddatur lochion, ratione autem, ipso non apparente: & tunc eandem explorabimus coniectura artificiosa, ex signis obortis ab effectibus petitam, seu à priuatis symptomatis, quæ suos prædicant morbos, vti vtraque hæc suas indigitant caussas. Aestimabimus igitur

ſedulò cuiuſque redundantis humoris ideá, quóſq; valeat & ipſa affectus producere. in qua obſeruatione, ne negligenda ſanè, quæ modò obſeruanda diximus, naturam, inquam, ſeu temperamentum, ætatem, habitum &c. ceu nos exquiſitè perducentia ad abſolutam cauſſarum dignotionem. Hæc cauſſæ notio ad prædicendum, extremam imponit manum. quanto etenim ipſa deterior, ac cacoëtha, tanto deterior affectus, tãtóque funeſtior, & certiꝰ prædicendus interitus. In vniuerſum autem de cũctis enixarum morbis, acuties prædicenda, ſæpè mors fatalis, ob eorum cacoethiam, atque ſęuitiem. Et cum terminationis prædictio, circa hos morbos, ex dignotione pendeat principij ſeu primi inſultus morbi, hinc tenendum cum Hippocrate, & Galeno li.3.Progn.ſen.10.omnes enixarum morbos à partu computandos, ídque ſemper, & irreſtagabiliter, dummodò intra puerperij carceres contingant illi.

Subiectis prodidagmatis, accedit curandi methodus. hæc duplicem continet ſcopum, ablationẽ morbi, & cauſſæ prius præcautionem: quæ in cunctis enixis & vnica, & communis, lochiô videlicet. hoc ſi reſtitutam vacuationem indicat, ſi immodicum, compeſcationem. illa variis paratur artibus: nam ſi germen eius morbus magnum, magnam pariter indicabit vacuationem, cuius duæ tantũ ideę, purgatio, & venæ ſectio. illa ſeruante ſanguine perfectè tuam ideam, ne aduocanda: hæc verò, & eâdẽ repręſentata ſanguinis ſpecie, & vrgente ſæpe reuulſionis ſcopo, ſi moram præſertim non ſuſtinuerit comparanda. Quare cum vtrũque auxilium primò cauſſam morbi reſpectet, à qua incipit curatio, mor-

morbum verò, ceu priorem in intentione, vti methodi carcere, & primum incitamentum: hinc methodicè, adstante ipsa, de altero illorum deliberabimus, inspecta videlicet tum morbi, tum eius caussæ natura. nam si acutus huiusmodi, aut simpliciter magnus, maxima, aut magna saltem eius ferax caussa: quæ, si humor sanguinis adhuc seruans ideam, quolibet adstante scopo, siue reuulsionis, siue deriuationis, siue vacuationis, consultò de venæ sectione nos deliberabimus: ne absente tamen virium robore. huius auxilij quantitatem, & morbi recessus, tum & maximè quantitas caussæ appositè declarat. occasionem præbet, & postulantium illud præsentia, & prohibentium nihilominus absentia: vtendi modum denique, tum partis affectæ insinuat positus, tum & vasorum coniugium. & in puerperio, cum necessariò sit vterus affectus, aut saltem sit morbi caussæ principiũ, cuius coniuges venæ infernæ, necessariò & hæ scindendæ. quia hę, fientes partes pręcauent, factas vacuãt. quæ vtræque partes in cunctis morbis stant, etsi non in omni tempore, vtrique igitur prouidendum ars vrget, & quanto acutior fuerit morbus, tanto & celerius. Quare cum hos supponamus acutos, vrget itidem methodus, & coniuges seriò scindamus: distantes autem ac disparatas, amethodum.

Cęterum si connexus fuerit affectuum, horum vrgentiori prius occurrendum: ęquè autem cũctis vrgentibus, prius habenti caussę rationem, siue simpliciter ac per se hęc alterius fuerit caussa, siue sine qua nõ, & per accidẽs. quãuis, & inter has, tenor ac

ordo spectandus sit. præmissa igitur analysi, ab vltima, quæ in compositione prima occurrit, inchoabimus curationem: vt videre est in affectibus illis septem, qui in omni concurrunt febre putrida. Si itaque vterus per se, altera verò pars sympathicè laboret, idiopathico vtero quamprimum occurremus, etiam neglecto altero: nisi aliqua iam fuerit contracta dispositio, valens de nouo ibidem, aliquem germinare morbum: tunc enim ad idiopathicum prius, omni arte conuertemur, altero pariter non neglecto. Sin autem vterus tantum, vt principium caussæ se habuerit, & humor itidem per corpus vniuersum, aut per partes aliquas oberrarit corporis, vtero quamprimum prospiciendum, & ex ipso detrahendum: aut si fortè alterum tentet exitum, per conferentem videlicet locum vacuari, quò itidem ipse vrget ducendus ille. Sin autem hic in parte firmatus fuerit, & idiopathicè recipiens pars iam laborarit, quod peculiaria cuiusque morbi symptomata palam declarant, tunc vtero oblito, ad vacuãdum ex parte per se laborante nos conuertemur.

In cachexia, & leucophlegmatia enixarum, per conceptionem contracta, etiam lochio vnà restito, ne venarum scissiones locum sanè habent: tum quia humores vacuãdi longè ab idea sanguinis recedunt, tum quia maxima inest, non in hepate solũ, verum in vtero, ac corpore reliquo frigida intemperies. quare purgatione potius educendi. neque hoc auxilium his tantum consulendum, verum & aliis: si coindicationes omnes, aut dignatiores saltem, vnà cum ipso morbo, & idem postulauerint: etiam & per totam puerperij latitudinem. quid quod, etiam & fluentibus (verũ parcè) lochiis

chiis ipsis, dummodò vrgens aliquis morbus, eandem horretur vacuationem.

In immodico tandem puerperio, cum simplex reuulsionis adsit scopus, ex opposito, ac distante loco venas scindere fas; quales cubitorum internæ. In difficili autē nixu à plethora, nequeuntibus ab ipsa vicinis vteri partibus fœtui locum cedere, & venas secare ius, eas inquam, quæ earum partium valent plenitudinem tollere, hæ sunt tantum coniuges, infernæ videlicet omnes.

In omni abortu, eadem, ac in ipsis enixis seruanda medendi methodus; æstimato præsertim vario abortus tempore, variam rursus insinuante mensurni sanguinis in vtero accruatam molem, ac copiam; iuxta quam merienda & caussæ morbi quantitas, & vnà remedij.

ptomatis explorare caussas, innotescente idea.

Obiiciet fortè quis, cum omnis præter naturam affectus, & ametria sit, & à naturali statu recessus, necessariò, vt affabrè húc metiamur recessum, prius symmetricum carcerem dignoscamus fas est. Ergo prius exploranda mensium natura, replicandæ eorũ secundum naturam caussæ. Hæc cuncta ceu vera libenter admittimus. Quare cum primo huius operis libro, hæc appositè, iuxta illius libri consilij rationem, præstiterimus, modò his neglectis, seriò caussarum præter naturam seriem nos aggrediemur.

Porrò, cum rerum scientiæ, à caussarum cognitione dependeant, & à caussis omnis exordiatur curatio, nequeunte effectu tolli, illa operante; hinc nec symptomata, quorum morbi continentes sunt caussæ, nec ipsi morbi citra ablationem coniunctæ caussæ efficientis, haud dubiè tolli par est. Caussas igitur exploremus, antequã curãdi methodi pẽsum ordiamur. Clarissimus Gal. li. 5. Aph. sen. 28. nos nulla ratione menses ciere posse scribit, quin prius sanemus affectionem, cuius symptoma mensium accisio. & cum nequeat sanari affectio ignota, prius dignoscatur oportet, vt sanetur. Verum vt ab eodem Galeno, ductore optimo non recedamus, accuratè & ipse rem lustrat lib. de sympt. causs. 3. ca. 4. octo itaque morbos dinumerat huius symptomatis caussas: inprimis vteri astruit soliditatem atque duritiẽ, vitiosam mox venarũ angustiã à prima cõformatione, tertiam nimiam vasorum compressionem à corporibus adiacentibus, ob eorum videlicet crassitiẽ obortam. quã caussam Galenus propor-

tione superiori respondere innuit. quartam signat vteri intemperiem:quæ aliquando natiua,& quosdam simul comitatur affectus,vt densitas corporis. porrò excreti sanguinis crassitiem ac lentoré quintam retur. Sextam vasorum vteri obstructionem, ab aliis partam humoribus , tum viscidis , tum crassis , extra sanguinis excreti vitium. Septimam rursus , vniuersi habitus caussam definit,aut quia ob multas exercitationes, aut victus tenuitaté inanitur corpus,aut quia ob easdem exercitationes, ac labores, aliò humores repunt. Octauam tandem & vltimam præscribit naturalium facultatum robur, à quo mẽsurnus sanguis ad alias ab vtero partes,per quandã anadromen percellitur , ibíque obsessus stabulatur.Sub hac diuisione caussarum *ἄτρητοι* à Galeno adnectuntur. quod nomen , & de viris, ac mulieribus dicitur, quibus anus, aut genitalia carne vel membrana supercrescente , & illorum meatus occludente, à natura, vel morbo clausio acciderit. Sed reducitur affectus hic ad secundam, vel quartam horum symptomatum differentiam : ad priorem illam, si coalitus & occlusio à natura fuerit,etiam errante ipsa: ad alteram autem , si à caussa præter naturam fiat , insequente pariter aliquo vteri affectu.

Cæterũ Galenus lib.5.Aph.sen. 57. tot huius symptomatis caussas ad minorem reduxit numerum, cum quatuor illarum tantũ signet differẽtias. prior ad contenti sanguinis spectat naturam , si frigidus ille , crassus, aut lentus fuerit : reliquæ tres partem respectant continentem, conniuentia inquam, occlusio , & obstructio vteri , iam rursus huius substantiæ densitas , & demum vasorum vteri robur, haud-

haudquaquam ſanguinem admittentium affluentem. Hæc libuit Galeno in hoc aphoriſtico oraculo ſub periocha libare: quia munere ibidem fungebatur interpretis, gaudentis breuitate: neque tenetur cuncta paraphraſtes ad vnguem recenſere, eò præſertim, ſi prius in altero vberius fuerit pertractatum opere, & ex inſtituto: cui præſtruenda fides.

Dictator ſummus, dum cauſſas reſtitorum menſium li. de nat. mulieb. n. 31. 33. 34. 36. 37. explorat, tum & lib. de ſterilibus, n. 1. ac libro præſertim 1. de mul. morbis nu. 3. tres tantum huius ſymptomatis ſignat cauſſas, quas omnes in formationis vitio conſiſtere retur: harum, occluſionem oris vteri alteram facit, eiuſdem mox diſtortionem alteram, & tandem alicuius pudendi partis contractionem, ſeu inuerſionem. Priorem illam aphoriſtico luſtrat oraculo, dū lib. 5. Aph. ſen. 54. ſcribat, *Quibus os vteri durum eſt, iis arctetur neceſſe eſt.* Cæterum non poſſum nó modò mirari, quare Hippocrates rerum muliebrium ſedulus explorator, tot alias huius ſymptomatis cauſſas ſilētij velo obnubilauerit: tū demiror & Galenum, ſerium Hippocratis æmulatorem, & rerum phyſicarum obſeruantiſſimum indagatorem, inter tot ab ipſo accuratè aſſignatas cauſſas, de Hippocratæis illis ſilentium egerit. Satisfaciemus vtrique, ſi dixerimus Hippocratē citatis libris, ac præſertim libr. 1. de morb. mul. vbi diſtinctè illas recitat, de puerperij acciſione tantum verba facere; cū altera, ex illis tribus cauſſis frequentiſſimè huius ſymptomatis auctor ſit, rarò altera quæuis ex illis. proinde his neglectis, aliarum fit mentio tum quæ Laconicus vir, breuitate gaudens Gale-

nus autem fortè, & sub quarta differentia Hippocratæas implicat, sub affectibus videlicet, qui vteri intemperiem comitantur: illi enim effectus, aut sunt morbi in cauitate, aut in figura, aut in situ. etsi namque per se morbi hi partium organicarum sint proprij, vteri tamen valentes sunt comitari intemperiem, partis similaris morbum proprium, imò & ab ipsa intemperie effœtari. vt, conniuentia oris vteri ab humida eiusdem intemperie, laxando eundem: vti contractio à siccitate eiusdem. Aut rursus dicemus ibidem Galenũ contemplari solas mensium circuncidentes caussas, inter quas ne Hippocraticę illæ locum habent, enixis tantum familiares. Quid quod nec illas absolutè respuit, cum explicitè easdem, lib. 6. de loc. affect. 1. c. 5. dum morbos replicet menses insequentes accisos, recenseat. huius hæc sunt verba, *Si verò clausum fuerit os ceruicis vteri, ac duritiem quoque habeat, effectum aliquem in vtero esse portendit. oportet itaque speculari obstetricem, ad quam partem vel declinet, vel retrahatur. nam in ea parte affectam vteri sedem esse conijciendum est.* Liquidò igitur Hippocratæas dinumerat caussas, easdémque sub quarta illa differentia complecti retur. declarant denuò illa verba, *ac duritiem quoque habeat*, quam, vti densitatem vteri, expresse comitari eiusdem vteri intemperiem, arbitratur haud dubiè. nam illa durities fit dum laxus vterus humorem suscipit, qui humor non solum in ipso intemperiem gignit, verum & eundem distendit, & in tumorem attollit, à qua distentione, ac tumore necessariò os vteri clauditur, & intercipitur mensurnus sanguis.

Diui-

Diuisio exacta caussarum menses occultantium.

CAP. II.

VT faciliorem doctrinam caussarum adstringentium menses reddamus, & vnà vtriusque Principis, iam concordem sententiam, sub exacta methodo circunscribamus, libuit modò hanc replicare, & cuique mox, ex vi methodi, & acuto quodam stylo, seriò consulere. Et cum, etiam ex præscripto naturæ, quisque morbus suam oppositam habeat qualitatem, efficientem sanè caussam sanitatis, & indicatum illius: cúmque de hac caussa deliberare, ne ius quidē, ignorato morbo, adhuc & eius caussa; hinc vrget dignotio morborum, caussarū mensium accisorum, vt methodicè deliberemus de caussa efficiente sanitatem, de venæ inquam sectione, illis opposita.

Caussas itaque cunctas has, in tria diuidere capita, optima consulit methodus: aliæ enim sunt, quæ continentis vitio accidunt, aliæ quæ contenti, aliæ tandem quæ vtrique vitio gaudent. Continens rursus dupliciter æstimatur, aut vt corpus vniuersum innuit, à quo vniuersa excretionis emanat materies: aut vt solum vterum, locum, per quem materies illa refluit. Illud vniuersum continens, caussa est interceptorum mensium, & per se, & per accidens aliquando, per se, quando, vt dixerat lib. 3. capite 61. Paullus hepatis vitio, quando videlicet imbecille illud redditum, propter eiusdem, aut reliqui corporis maximas obstructiones, nequit mensurnus sanguis expurgari. per accidens autem, quando ob plurimas exercitationes, aut mediam, aut

morbum aliquem præcedentem acutum, aut aliquam hæmorrhagiam, aut quia habitus corporis calidus & siccus, qualem in viraginibus fœminis contemplamur, sanguis in corpore non redundat, vt naturam ad eius expulsionem proritet, imò auaram reddit, vt arctè contineat: aut si forsan aliquis redundet, aliò sit iam retractus. & hæ caussæ per accidens, aptè ad contentum reuocari queunt, vel imminutum ac deficiens, vel retractum. Porrò & vteri tantum culpa, tum eiusdem vasorum, qua cõtinentia, menses aut imminutè ac deficienter redduntur. dicitur verò hæc pars præcipuè continens, quia à natura instituta ad hanc exercendam operationem; quamuis & primò ad conceptionem. quare, quotiescunque huiusmodi excretio à naturali præscripto, siue in ordine, siue in quantitate recedit, necessariò fœmina lancinatur, & variis illa obiicitur morbis. A cunctis verò his incommodis liberatur, quotiescunque sagax natura omnem sarcinam, siue quantitate, siue qualitate, siue vtroque modo peccantem, per eam partem deponit, eliminat. hinc, hæc sola vacuatio, toto genere secundum naturam & est, & appellatur. quia, & cum animalis fit commodo, & à naturæ præscripto, citra partium vllam reserationem, aut læsam actionem.

Vterus huius excretionis appositum organum, in quo simul eius actionis existit efficiens caussa, ad hoc, vt destinatum non consequatur finem, duplici afficitur ratione, aut vt similaris pars, aut vt organica. cúmque partium similarium morbi sint intẽperies, quotiescunque per aliquam insignem intẽperiem, siue natiuam, siue morbosam actio vteri lęditur, etiam & hoc symptoma in excretis retentis obori-

oboritur proculdubiò. intemperies autem illa natiua (si forsan est) morbus non dicetur vt nunc, cū morbi haudquaquam sint congeniti; quia lapsus à propria & indiuidua natura morbus, vt exserte insignis docet Galenus lib.1.de tuend.valet.cap.1.imò & affectus erit simpliciter, cum statim initio animal ægrotum simpliciter reddant, non ægrotum vt nunc. ægrotus enim vt nunc dicitur, quando actu actiones edit præter naturam. vocabat autem Præceptor lib. 3. Epidem.comment. 2.sen.3.tabem natiuam,tum Galenus lib.14.meth. ca.12.Sextum digitum præter naturam, quia hic præter animi nostri sententiam contingit,& vltra seriem naturæ vniuersæ,haudquaquam prçter naturam,quia proprius ac peculiaris illi singulari naturç,cui accidit:tabes autem illa dicitur natiua, quia dispositio quçdam natiua est in illo corpore,ad introductionem morbi illius.

Intemperies itaque vteri valens menses restringere potissimum frigiditas,insuper & caliditas,tum siccitas. hæ vltimæ absumendo sanguinem, aut incrassando,vti altera constringendo, & condensando illud præstant. Qualitates porrò secundæ nihil minus & idem efficiunt,vt densitas,durities,atque vteri soliditas; ídque tam, si à natura, quàm ab aliqua qualitate morbosa reddatur huiusmodi:vti si robur aliquod à medicamentis contraxerit, aut ab alia quapiam re, quo mediante sanguinem ad se confluentem validè ad alteras recellat partes.à quibus vterus continens inhabilis fit,vt suo stato fungatur munere,naturale excretum eliminet.

Iam deinceps vterus, vt organum æstimatur,va-

riis coagmentatum partibus, magnitudine, formatione, numero, & compoſitione in vnum totale coëuntibus. obſeruantur deinceps & eædem vteri partes ſeorſum ſumptæ, vt partiales organicæ, quatuor itidẽ illis inſignitæ dotibus. Si primo illo modo vterus ſumatur, poteſt affici intemperie cũ affluxu humoris, ſiue illa fuerit phlegmones, ſiue ſcirrus, ſiue œdema. qui morbi ſub magnitudine aucta continentur. Rurſus ſi altero modo, vt ex partibus integrantibus vterus conſtat, pudendo videlicet, ceruice, & reliquo vteri corpore cum ſua peculiari cauitate; afficietur & illis tunc morbi ſpeciebus, ab Hippocrate recenſitis, in ſitu inquam, figura, aut cauitate. In ſitu quamprimum, quando vteri ceruix inuertitur, & vterus diſtrahitur: in cauitate, & figura, quando os vteri conniuet à partium laxitate, & occluditur eius os à tumore aliquo duro prętor naturam. in numero aucto, ac formatione quando aliqua pellicula, vel membrana adnata fuerit pudendo ipſi, & eius os pariter clauſerit. vnde hæ mulieres vocantur clauſæ, à Græcis, vt nuper diximus, ἄτρηται. Tandem vteri partes per ſe ſumptæ, vt organicæ tamen, ſuis etiam lancinantur morbis, genus præſertim venoſum: ad ipſum namque vterum plurimæ ac capaces percurrunt venæ, tum immediatè ab ipſa vena caua ortum trahentes, tum ex aliis tubis, qui per crura vtrinque vnus diſſeminantur, vt docet Galenus & libro ſexto de locorum affect. capite quinto, & lib. de diſſect. vuluę, capite quinto, quæ vaſa, ad expulſionis menſurni ſanguinis munus, inter vſus reliquos ſagax fabricauit natura. hinc eiſdem vaſis affectis idem munus lædi, expulſionem videlicet contenti ſanguinis

guinis impediri, probabile ſanè. Cauitas autem ipſorum à diuerſis vitiari cauſſis & ſecundum naturam, ac præter, vtrumque liquet. illud, ſi à prima conformatione tenuia, & exilia vaſa fuerint ficta, cùm & eorum cauitas ita ſtrictior, vt ne valeat quidem aliunde recipere ſanguinem, aut receptum, ceu iam fluxioni ineptum organum, ne eliminare, aut foras expellere. rurſus, ſi & vaſa ab adiacentibus corporibus comprimuntur, quod accidit obeſis corporibus, nullo adſtante præter naturam in vteri vaſis vitio. Hanc cauſſam perbellè inſinuat Præceptor lib. 5. Aph. ſent. 46. dicens, *Quæ præter naturam craſſæ non concipiunt, iis vteri os ab omento comprimitur. itaque grauidari donec exenuentur nequeunt.* A ſimili igitur, ſi mulieres hæ non concipiunt; quia propter coarctationem immodicam oris vteri, à nimia & præter modum craſſitie, ac omenti pinguedine; nequeunt virile ſemen in ipſa cauitate recipere: ſimiliter nec præcluſo eôdem vteri ore, ab eadem cauſſa habiles erunt menſtruum fundere ſanguinem: hic idem effectus præterea, ab altera quapiam præter naturam cauſſa germinari poteſt, à tumore quopiam præter naturam vaſa illa ſimiliter comprimente, aut occludente. comprimit qui partes vicinas occupat, occludit qui in ore vteri, aut eius ſtomacho enaſcitur. Occludũt deinceps, ac obſtruunt, citra excreti ſanguinis vitium craſſi aliqui humores, aut viſcidi, aut per antecedentem confluxum in vaſis inculcati, aut fortè per congeſtionem ſtabulati. quam cauſſam ſignat itidem accuratè Galenus lib. Epidem. 6. com. 1. ſen. 7.

Expoſitis itaq; acciſorũ menſiũ cauſſis, iuxta vitiũ

continentis corporis, ad alteras, quæ contentum corpus respectant conuolemus. contentum istud, sanguis, ipsi naturæ inutilis, existit: quem exinde per typicas periodos excernere pręsumit ipsa natura. finem non consequitur eius excreti culpa, ob duplicem rationem; aut per accidens, quando absens, & corpus fuerit inanitum, aut quia præsens, & per se obstruens. obstruit autem, aut quia multus, affatim tamen ruens, aut quia crassus, aut quia lentus. hæ namque qualitates, tum inhabilia corpora ad fluendum reddunt, tum aptæ ad parandas obstructiones. quicquid igitur obstructiones quit gignere, idem & sanguinem restringere menstruum. cúmque ex Galeno lib. 8. meth. cap. 4. tria illa sint, tenacitas videlicet, seu viscíditas humoris, crassities, tum multitudo, si simul tota confluat, haud dubiè omnia hęc, cum obstruendo hęreant, restrictionis mensium certissimi fient parentes. quamuis Galenus lib. 3. de causs. sympt. ca. 4. huius multitudinis nullam fecerit mentionem. an quia confertim, ac affatim mensurnus sanguis ad vteri capacitatem non ruat? nequit enim multitudo parare obstructionem sensim fluendo, vt acuta illa analogia Galenus lib. 3. de tuend. valet. ca. 2. demonstrat, eorum, qui ex theatro egrediuntur. Motus autem concitatus in ortu præsertim accidit magnarum inflammationum, & febrium quammaximè acutarum, & in his valens quidem obstructiones, nec minimas, producere. An verò quilibet humor multus si fuerit, & affatim ruens ipsam valeat obstructionem efficere, in dubium vertunt doctores. crederem tamen, hunc si tenuem & acrem, biliosum inquam, (etsi multus & confertim flués,) ne obstructionem para-

parare habilem. quia ad hoc, vt huiusmodi præstet effectum, mediocris aliqua necessariò requiritur consistentia, qualis in sanguinis massa præsertim reperitur, haudquaquam in bile, nisi ab assatione aut aliâs fuerit incrassata. Et ita illud Galeni lib. 8. meth. cap. 4. *Sin aliter multitudine certè sua non parum omnino nocebit*, non opponitur, ceu extremum extremo, tenacitati, & crassitiei, sed tanquam medium extremo. quasi dicat, *sin aliter*, id est, si mediocre, respectu lentoris, ac crassitiei, multitudine obstruet. Istud idem videtur innuere Galenus, dum lib. 10. meth. cap. 2. obstructionem à multitudine ortam venæ sectionem sanare doceat, non fientem tantum, verum & factam. quod auxilium respuit bilis multitudo. quid quod & hoc multitudinis nomen, sanguinis semper amplectitur molem, mediocrem quandam pollentem consistentiam. vnde, & hæc sanguinis moles, duplici illa adstante conditione, valens sanè parare obstructionem. Concludamus igitur sanguinem, crassus si fuerit, aut lentus, menses restringere, vti si multus, confertim tamen si ruat. Hanc multitudinis caussam, in nostra hypothesi, nec Galenus vllibi admittit, nec admittendam censemus: quia, nisi per accidens hoc symptoma producere valens est; nempe, si alteri connectatur affectui, aut obstructioni iam factæ, in vteri vasis locum habenti, vt in synocha febri videre est; aut mox inflammationi eiusdem vteri; cuius ratione, à tensiua illa, & maxima corporis plenitudine vasa compressa conniuent, vti ab intemperie illa calida, ac feruenti vnà restringi menses fas est. Tandem eiusdem contenti culpa circumciduntur & menses (etsi per accidens)

si sanguis in corpore deficiat, aut propter inediam, aut animi pathemata, aut maximam aliquam consequutam vacuationem, aut propter corporis maciem, à caussa aliqua contractam præter naturam, aut quia absens, & ab vtero recessus fuerit sanguis, vt Senex optimus testatur lib. Aph. 5. sen. 39. dicens, *Si qua, nec prægnans, nec puerpera est, lac habet, et menstrua defecerunt.* quasi anadromes sanguinis ad mammas, vt lac ibi gignatur, sit caussa accisorum mensium. Verum hæ vltimæ caussæ per se videntur spectare ad priorem illam differentiã, quam continentis potius vitium amplecti diximus.

Tertia, & vltima differentia restitorum mensiũ, quæ vtramque ex nuper dictis admittit, probatione quidem non indiget. quia vsu comprobatur assiduo permisceri morbos continentis, cum morbis à vitio contenti obortis. Si enim vasa vteri stricta fuerint, & exilia, qualia apparent in candidissimis fœminis lacteo colore præditis, his insuper crassus ac lentus fuerit sanguis, haudquam his, ob duplicem caussam expectanda mensurni sanguinis fluxio. concurrunt enim in vnum ambo affectus, & indissolubile fermè germinant symptoma, aut difficile saltem.

Illustratur aphoristicum Hippocratis oraculum. difficultas de vitio formationis vteri, supprimente menses, exoluitur.

CAP. III.

CVm nulla fermè sit doctrina, etsi stata supra firmam Mercurij quadraturam, in qua, aut ob humani ingenij imbecillitatem, ac naturam quan-

quandam ruditatem, aut ob eiuſdem potius procacitatem, ac animi turgentiam, illud idem humanum ingenium in dies litem non mouerit: nihil mirum ſi ſacra illa oracula ſummi dictatoris, infallibilia ſanè ac penè diuina, ſuis quibuſque aſſiduò, à viris litigioſis, agitentur difficultatibus; nitantur inſuper iidem, magna argumentorum copia, ſæpius eadem infirmare, conuellere. Iſtud palã nunc videre eſt in illo oraculo inſigni lib. 5. Aph. ſen. 57. in quo Præceptor ſummus, ſumma prudentia cecinit, *Καταμηνίων γινομένων πλειόνων, νοῦσοι ξυμβαίνουσι, καὶ μὴ γινομένων ἀπὸ τῆς ὑστέρης ξυμβαίνουσι νοῦσοι.* Id eſt, *Menſtruis abũdantibus morbi eueniunt, & ſubſidentibus accidunt ab vtero morbi.* In hac itaque ſententia illud difficile occurrit, *& ſubſidentibus accidunt ab vtero morbi*: nam varij & variè interpretantur, & in varias & diſtantes diſtrahuntur opiniones. Galenus clariſſimus inter reliquos, illud *ab vtero*, ad hanc vltimam tantum partem ſubſidentium menſium referendum cenſet: quaſi inſinuet, ab vtero dependere morbos, acciſorum menſium cauſas, quod ſymptoma in eodem vtero morbos alios germinat, phlegmones, eriſipelatẽ, ſcirrhum, cancrum: abundantibus autem illis haudquaquam illud accidit, neque vllus talis vtero conciliatur. cõmentarium claudit, *Quare ſimilius fit de ſola menſtruorum retentione Hippocratem illud extuliſſe, ab vtero morbos accidere.* Verum ſi iſta admittenda eſſet explanatio (quamuis plurimi ipſi adrideant) ſibi impar extitiſſet Galenus, & ambiguus. hoc, dum terminum à quo confuderit, cũ termino ad quẽ. prępoſitio enim *ab*, terminũ potiꝰ ſignat, à quo, ſeu principiũ cauſſę; quaſi ab vtero procedant morbi, dum circumcidi-

tur menſurnus ſanguis:non autem ad quem, quaſi in vtero exortos morbos ibi deſcribat. diſparilitas rurſus eluceſcit, quia vti immodici menſes queunt fieri ipſo vtero affecto, eroſis videlicet,aut apertis eius vaſis, citra vitium aliquod in contento ſanguine,ſeroſo ſcilicet, tenui, aut calido facto: ſic & eorundem reſtrictio (vt ſuperiori capite ex Galeno diximus)etiam ab vtero fieri poteſt, ipſo videlicet per ſe affecto, phlegmone, aut altero præter naturam tumore,vti pariter obſtructione vaſorum cita vitium vteri,ſed contenti tantũ ſanguinis, lentoris eiuſdẽ,ac craſſitiei; quibus ſecũdis qualitatib. præditus ſanguis inhabilis ad fluxionẽ redditur: vti & ſi ſanguis abſens ab vtero fuerit,&alibi receſſus, idem contingit.Quare morbi,qui exoriuntur mẽſibus hac arte reſtrictis, haudquaquam ab vtero dicentur germinari.conueniunt itaque morbi in vna ratione formali, tam qui ab immodico, quàm reſtito fluxu proueniunt: cum vtrique & ab vtero fiant, & citra. nulla igitur interpretatio. Niſi dicamus cum Brachelio,& Auega in eiuſdem ſententiæ commentario, fortè intellexiſſe Galenum morbos vteri ſecundos,quibus totum corpus communicat: atque hos duntaxat in retentis menſibus inuenies. quaſi idiopathicè laborer vterus, ſympathicè verò reliquum corpus.

Aliqui, loco præpoſitionis *ab*, legunt *in*; vti in codice Græco ἐπὶ,loco ὑπὸ,quæ ambæ præpoſitiones eũdẽ gignẽdi requirũt caſum,τῆς ὑστέρας. hanc lectionẽ videtur pariter admittere Galenus,dũ dicat,poſt occultata muliebria fiũt in vtero morbi, phlegmone videlicet,cãcer &c. morbi.n.hi, nõ fiũt ab vtero, ſed in vtero,etſi mox ab ipſis corpꝰ totũ ſympathicè
a fficiatur

afficiatur. quare si vtrosq; amplectamur morbos, vtraq; simul illa præpositio ad vltimam tantū partē oraculi referenda, cum subsidentibus tantum mensibus, & morbi ab vtero fiant, & in eodem vtero sedem habeant, exorti.

Alij tandem, & fortè eruditè, ad vtramque oraculi partem præpositionem illam *ab*, referendam arbitrantur, vt nuper, dum Galenum interpretaremur, explanauimus: cū ab vtero possint oriri morbi ab accessione mensium, tum & ab eorumdē immodico fluxu, sympathici inquam. Cæterū si Hippocratem licet per eundemmet interpretari, iuxta lectionem codicis Græci dicemus, illud ἀπὸ, seu *à* vel *ab*, spectare tantum verbum *subsidentibus*, quia nullibi Hippocrates restrictionis muliebrium alias assignat caussas, præter illas tres, quæ ab vtero sanè sunt omnes. Sed hunc quamprimum audiamus lib. 1. de morb. mul. nu. 3. sic fantem, *Postquam igitur mulieri, quæ non peperit, occultati fuerint menses, & viā foris reperiri non poterint, morbus fit.* Quo loco quāuis illud ab vtero non adiunxerit, tamen cum sententiam eandem ad vnguem recenseat libro de genitura, nu. 7. & ibi huius rei itidem caussam à se expositam iam esse lib. de mul. morb. affirmet, in quo nullæ aliæ haud dubiè referuntur, præter illas, quæ ab vtero depēdent, accurata erit interpretatio. huius autem libri de morb. mul. 1. nu. 3. hæc sunt verba, *Hoc autem contingit si vterorum os conclusum fuerit, aut distortum. aut aliqua pudendi pars contracta: si enim horum quid fuerit, menses exitum inuenire nō poterunt, priusquam vteri ad sanam naturam redierint.* Videte amabò apud Hippocratem accisiones omnes mensurni sanguinis ab vtero esse, & per cō-

sequens vterus caussæ principium morborum omnium. Quod principium maximè æstimandum cõsulit illo Aphoristico oraculo dictator summus. Nã cum morbi citra caussæ prius ablationem tolli nequeant, nec caussę itidem abigi, quin prius eiusdem principiũ tollatur, cesset inquã, principij actio. hinc in morbis istis, cum vterũ statuamus caussæ principium, vt in historia illa sæpius repetita Idumeæ famulæ Stymargi li. 2. Epid. elegãter Pręceptor innuit, illi & nos quãprimum occurrẽdũ seriò arbitramur.

Ex hac diuina methodo, cedro digna, maxima indigitatur pernicies, error detegitur execrandus Medicorum quorundam, melius Mendicorum, qui neglecto caussæ principio; quid neglecto? imò ob funestam inscitiam ignoto, ad plurima alia ignauè confugiunt, & optimè consuluisse pariter arbitrantur, dum suis remediorum, figmentorum potius characterismis, plurimas oppleuerint chartas, mensas, vitrea & copiosa supellectili ditarint, exornarint, & vt à scopo non recedamus, arte quadam vulgari, ac empyrica, sine discrimine vllo proritare menses censent, quibusdam incidentibus, attenuantib⁹, aut aperientibus adhibitis auxiliis, omni viarum libertate postposita, vteri neglecto situ, aut spreta eiusdem conformatione. quæ omnia, quãprimum, ac sedulò quidem Medicum pensitare dictator summus commendat, & vtrobique iugiter seriò consulit æstimare. Sed proh dolor! cum lethale hoc vitium, perniciosa hæc lues, funesta catastrophe iam per vniuersum vagetur Medicorum vulgus, cũ videri potius ipsi curẽt, quàm abdita, ac secretiora naturæ arcana attento animo videant, explorent, timentur. Vt autẽ finẽ attingant, plurimúmque apud rudem plebeculam habeantur (quæ varietate gau-

det, *χειροτομίαν* affectat) penu copiosis,ac polycrestis auxiliis locupleté præbent, ventitant, cómendant. in omni ad ægrotátem accessu paginas exarát integras, variásque auxiliorú describunt formulas: quibus naturam (paucis cum sit cótéta) temerè aggrauant,vasto infestát onere hæc eadem rursus,& magno verborum prædicát encomio, & plebé ieiuná, sensu cóspectioré,quàm mente,quisquiliis illis suspendunt,ora & oculos in eos cóuersos. Similes fiút infensissimi isti viri, & naturæ humanę hostes quibusdam aduocatis,quorum *disputationes,ac verborum pugnæ*,vt Cassiodorus doctissimus struit,*ad subuersionem magis, quā ad inuentionem proficiunt veritatis. Nihil enim ita absque labore manifestā facit veritatem,sicut breuis, ac pura narratio.* Idem proculdubiò censendum indico,in nostra hac sacra Medēdi sciētia,cum melior sit dextera linguâ. neq; quicquam faciliorē reddit curationem, quá breuis affectuum narratio,ac pura dignotio. mox inuenta remediorum occasione, æstimatis cunctis scopis, cū vnum vni sit tantum contrarium,vnico ac singulari vti auxilio, neque moror simpléxne istud, an cópositum, dummodò eumethodo cuncta procedant, ꝙ si cóponenda, ꝙ sæpè vsu venire solet, haudquaquá Empyricorum more, vt syruparij quidá Medici faciunt,qui amethodos Arabes sequuti,cófusa quadam farragine, ex simplicib. plurimis, ac futilibus quidem imperitè sua cócinnant pharmaca. Quare rationali Medico,cum natura multitudiné respuat, & vni vnum tantum sit oppositum,plurima itidem cum & perturbét, & sæpè sibimetipsis fiant obuia, pluralitas fugienda, amplectenda vnitas. Et vt in eodem mox aduocatorú exéplo nos immoremur, perbellè & istud idem Pont. Innoc. declarat libro

de vtilit.condi.hum.dum infit, *veluti aduocatorum plurima allegationes, illa cõparantur clamosis ranarũ sonis, inflata quadam, & inani canentium modulatione, vt decipiat, &c.* Nihil minus & Medicorum auxilia illa multa, inflata quadam, & inani verborum grauitate commendata astantium, & vnà ægrotantium mentes decipiunt: quæ itidem ranarum ritu, strepitu, inquam, quodam verborũ rudibus, de misellis præsertim fœminis, quarum ipsi omni studio auram captant, commendant illa, laudant, extollũt, Galenum offerunt, Hippocratem proponunt sine contradicentia, quorum nec prima salutarunt limina. Infœlices euentus, quos passim, cum in tenebris ambulẽt, consequuntur, vulpinis exoluũt cautionibus, corporis ingenti diligentia operiunt, versutiis, & maxima calliditate ab omni se liberãt maledicentia, ab omnique rursus ea arte abdicant se calumnia. His artibus tum amari, tum & amicitias conciliare, tum denique pro artificibus maximis haberi cupidè contendunt: haudquaquam, vt probè Galenus optimus lib. meth 1. c. 1. inquit, ex priuata, & domi parta industria. Sed hos Misosophos odio prosequendos relinquamus modò, ad pensum, vnde nostra fluxerat oratio redeuntes.

Cum igitur triplex sit morbi genus in vteri formatione, huius symptomatis mensium accisorum caussa, hanc nos, ceu omni obseruatione dignã modò exploremus, vt nota curationem eumethodo aggrediamur Deinceps & cum caussæ hæ, quæ in vteri formationis vitio consistunt, respectent eius figuram, cauitatem, atque superficiem, hinc quædã prius circa vteri formationem exponenda veniunt, vt dilucida fiat enarratio. In vtero itaque quatuor obser-

obseruamus partes, superiorẽ inprimis, in qua maxima illa cauitas, fœtus receptaculum existit: mox eius os superius, quod in conceptione arctè clauditur: iam rursus ceruicem, seu stomachũ, qui proximè sequitur, per quem & muliebria descendunt, eliminant, semen virile supra in cauitatẽ asportatur: pudendum tandem adest, seu os inferius oculis patens. Porrò & illud sciendum, quod illæ tres affectuum differentiæ vel toto vtero sunt peculiares, vel alteri tantum parti. contractio totius vteri passio est: occlusio & conniuentia osculorum tantum, inuersio ceruicis, vt distortio. omnes enim hæ partes recto tramite debent seruari, vt secundum naturam sit eius situs, tum partium omnium exacta cõformatio: à quo si recedunt, morbosi, hauddubiè accidunt affectus, & consequenter occultantur sæpè mẽses. Horum omnium affectuum absoluta dignotio, tantum ex immissione manus dependet, aut periti chirurgi, aut obstetricis expertę: sine quorum ope, curari ipsi nequeunt. Immittenda autem manus ad os vsque supernum, situm supra ceruicem; quę ceruix, ex Galeno li. de dissect. vteri, c. 2. modica saltem eius longitudo, vndecim digitorum est, palmi magni mensurã quãmaximè attingens, à Gręcis σπιθαμὴν dictam, digitos continentem duodecim seu pedem vnum, eius quarta dempta parte, vnde à Latinis dodrans; digitus verò quisque ex quatuor granis hordei, per eorum latitudinẽ connexis constat, vnde palmus ille magnus constabit ex granis hordei 48. difficulter igitur poterit ad supremam illã partem oris vteri aut chirurgi, aut obstetricis digitus immissus accedere, nisi & manum ipsam vnà immittat, quod difficilè nõ est: nisi forsan os exter-

num, & eius subiecta caro à compressione iniectę manus aliquantulum cedat, & ab illecebroso illo contactu, vterus pariter descendat & ita mox secretiora cuncta immissus digitus examinet, & vitia emendet. Quamuis & contractio illa citra vllã manus iniectionem, & suffumigiis, seu thimiamate emendetur, tum & aliis odoramentis. cum vterus grati odoris exalatione æqualiter commotus, à parte in quam procubuerat citò diuellatur, abducatur. Vnde forsan dictator summus li. 5. Aph. sen. 28. aromatũ suffit⁹ muliebria educere lege sanxit: quia non solum, vt Galenus interpretatur in com. vteri conniuens osculum aperit, verum & quia contractum vterum abducit, vt idem testatur dilucidè li. 1. de mul. morb. nu. 29. Abductio illa non fit, quod vterus percipiat odoris sensum, cum hic peculiare habeat organum in toto corpore, processus inquã mãmillares à cerebro orti, & in nares perducti, sed quia sympathica quadam familiaritate fruitur ille, fruitione gaudet, diffunditur mox, vt actu fruatur, & gaudeat.

Cæterum, de oris vteri conniuentia, & hæc obseruanda, quod semper secundùm naturam os huiusmodi, supernum inquam, contineat; arctiùs tamen multò, dum mulier vtero gerit, & conniuet illud, & clauditur; iuxta Galenũ lib. 3. de fac. natur. c. 3. quãuis & præter naturã aliquando conniueat, ab aliquo ibidẽ tumore præter naturã oborto. Distinguitur autem vtraque, vt Galenus docet lib. 5. Aph. sen. 51. quod in ipsa tumor pręter naturam apparet, ac durities quidẽ, in altera haudquaquam, cum digito facilè cedat. illa ab scirrho, aut inflammatione gignitur: vnde renitens tactui, altera lentum connexum,

nexum ac partium coalitum comitatur.

Præterea cõtractionis caussas, vteri ligamentorũ laxitas assignatur, vel ab humida intemperie cum affluxu humoris, vel à partus difficilis violentia, vel abortus, parta. Inuersionem ceruicis vteri, eædẽ possunt quidem germinare caussæ: quæ ad tantum extendi potest, quod foris ferè vsque promineat, qui affectus, vteri procidentia appellatur. præter quas inuersionis caussas, recenset & alias diuinus Hippocrates, citata sen. lib. 1. de mul. morb. num. 3. videlicet, si venter magis quàm oportet vacuetur, quia tunc leuiori, ac sicciori ventre reddito; cum vteri ceruix intestino recto præcipuè hæreat facto ipso leuiori, & vacuo in ipsum concidet, & inuertetur quidem. Mox & conuulsiua quadam ratione fiet, illapso quodam frigido humore in alteram ceruicis partem. quia pars altera repleta, necessariò attollitur, & vti conuulsa distorquetur, & vnà vteri orificium inuertitur. veluti, & eodem morbo lacessiri quit, si alterum vteri cornu ab humore aliquo frigido imbibito in tumorem attollatur: distorquetur enim tunc vterus: sicuti & si à feruido sanguine, ac turgente contingat. impleto namque ac distenso eius altero cornu, inęqualiter etiam tunc distorquetur, ac necessariò eius ceruix inuertitur.

Hæc tantum libare libuit de menses occultantium horum affectuum caussis, reliquas, ceu manifestiores silentio obuoluemus, conuertendo nos ad signa singulorum affectuum. Notitia hæc cum abdita sit, & tantum per adumbratam ac imperfectam coniecturam, etsi artificiosam, illam assequamur, hinc vrgent passim, nec leues sanè difficultates, quas sedulò, qua poterimus dexteritate expũgem⁹.

Caussæ menses restringentes præter naturam explanantur per signa in genere.

CAP. IV.

Signa Medicinæ submittere, diuinam hanc submouere scientiam, est. vti namque in militari arte, signo submisso, omnis conturbatur legionis ordo, militum dirimitur acies, eorum anima in fugam cõuertitur, lethifer hostis, metu omni deposito, audacter victoriam acclamat: sic sublatis è medio signis, omnis morborum languet cognitio, auxiliorum perturbatur vsus, industria torpet omnis, hostis naturę similiter, morbus inquam, ferox, non solum acclamat, verum certò quasi reportat. vnde princeps Poëtarum Virgilius, vti & Medicorum alumnus, vt hanc signorum in Medicina vrgentiam ostenderet, sic cecinit. Georg. lib. 3.

Morborum quoque te caussas, & signa docebo.

Notitiã caussarum appositè cum signorũ coniũgit doctrina. Nã vti morbi nequeunt citra caussarum dignotionem, sic caussarum notitia nullatenus quit haberi, submissis signis. ruit enim in his sublatis omnis medendi scientia. Signa igitur attollamus in hac suprema Medicinæ arce, signa in legionibus actuosæ Medicinæ partis præferamus. his denique hostium stratagemata affabrè exploremus.

Signum Græcis σημεῖον; hinc altera Medicinæ pars σημειωτική, ideas, ac facultates signorum omniũ apprimè expendens. Illud itaque sensui se offerens rem aliquam significat, & in abditarum ducit cognitionem. Vnde Auctor lib. deff. med. signum definit, id quo cognito, aliud, quod ignotum erat, nobis

nobis deprehenditur. Porrò, cum in vniuersum signa ex Galeno lib. Art. Med. cap. 17. in triplici sint differentia, aut præteritorum memoratiua, aut præsentium demonstratiua, aut futurorum denique prognostica: nobis modò ἐνδεικτικὴν, seu demonstratiuam in insalubri parte replicare mens est: indigitantia videlicet caussas huius symptomatis mensium restitorum. quod cum variis fruatur, ac plurimis; vnde curationis pariter distinctio, hinc cunctæ explorandæ, & per sua peculiaria signa, vt eumethodo cuiusque, nos prosequamur curationem. Verum inter hæc signa, & reliqua alia genera, hoc vnum obseruandum discrimen, quod alia firma sint, rata, ac necessaria, τεκμήρια, seu syllogistica dicta, alia verò nomen generis sustinent, quæ nec firma, nec rata, hac diuisione vsus pariter Arist. est, tum lib. 2. de Priori Analy. capit. 27. tum lib. 1. Rhet. ad Theodect. c. 2. Demonstratiua itaque signa adhuc alteram patiuntur diuisionem; quatuor enim eorum, apud Galenum lib. 1. Aph. & lib. de cõstit. Artis Med. sen. 12. cap. 15. referuntur differentiæ, alia enim sunt παθογνωμικά, quæ & morbum indicant, & ab initio vnà cum morbo inuadunt, seu ab initio inseparabilia, & propria: alia γνωρίσματα, & hæc incipiẽtis morbi sunt indicia, nec morbum necessariò comitantur, cum abscedant aliquando: aliqua rursus ἐπιφαινόμενα, seu mox superuenientia, & hæc insuper separabilia: alia tandem συνεδρεύοντα, vel circunstantia appellantur, quæ morbi naturam veluti circunstant, non autem penitus inseparabilia, & coniuncta sunt. Galenus clarissimus has vltimas tres differentias citato Aphorismorum loco sub morbum comitantibus, illas amplecti-

tur,cum dicat, *Comitantia interdum simul cum morbo vnà adoriuntur,interdum superueniunt,nõnunquã etiam omnino absunt, neque enim à morbo sunt inseparabilia, neque eius essentiam constituunt, sed proprias efficiunt differentias &c.* Horum itaque omnium demonstratiuorum habenda à nobis modò ratio, ad singulas quasque morborum cognoscendas differentias, quas restrictorum mentium appellamus caussas.cum symptomata nihil aliud prę ter morborum germina.

Cæterum aduersus hæc,insurget quis. Nos huius libri cap.1.cum Galeno diximus,à vitio natiuo vteri,dum primò conformatur mẽses etiam occultari.Sed caussam huiusmodi signa demõstratiua insalubria indigitare nequeunt,imò salubria:cum vitium illud secundum priuatam naturam sit, haudquaquam morbus.Ergo demonstratiua signa caussas huius symptomatis, haudquaquam ex insalubribus demonstratiuis petentur.

Huic satisfaciemus dicẽdo, quod quamuis caussa illa secundum naturã sit in indiuiduo: tamen in quantum actio læditur secundum naturam, etiam illi indiuiduo maximè ex vsu, proinde reuocanda ad præter naturam affectũ:ad hancque spectat partem,de ea inquirere. quod si mulier hæc optimè se gerat,neque vllatenus ex huiusmodi mentium occultatione laboret:tunc tanquam secundum naturã res,ęstimanda,neque ei consulendum,cum seruanda potius in illo secũdum naturam peculiari statu, vltra quem haud dubiè hæc laborasset. Quare omnes illæ caussæ, quæ nobis in consilium veniunt, sub illa insalubrium signorum differentia reuocandæ sunt, quia insalubrem mulierum statum emendare nobis mens est.

Præ-

Præterea Galenus insignis, cum lib. Art. Med. ca. 75. insalubria signa morbos demonstrantia præsentes, recenseret, prius hęc distinguenda supponit, An morbi externarũ sint partiũ, seu externis sensib. obuij, ac apparentes: an potius internarũ, & eosdem sensus effugiẽtes. hoc innuit, quia externarum partium morbi certiores multò, ac eorũ pariter signa vim quandam matheseos obtinent demonstrationis. verum internarũ partium morbi, etsi per signa sensibus obiecta dignoscantur: tamen ita firma, aut rata illa non sunt, vti altera priora, sed coniectricia sæpè. quid quod & imperfecta aliquando tantopere, & infida, quod cæcorum more, tentando, ex iuuantibus, aut nocentibus auxiliis, ad illorum cognitionem perueniamus. Qua arte, inartificiosa sanè, etiam imperiti Medici, post alterius eruditionis accessum, vocati, maximam sibi comparant gloriã, apud plebem ieiunam. & ita indignè maximo encomio apud reliquam plebem commendantur. O miseranda calamitas! o sors faticina! Verum ex his, ne respuenda quidem artificiosa coniectura, medendi τεκμάρσις, cum hæc quamproximè, si non demonstrationis, necessariæ saltem argumentationis redoleat vim. Hæc autem, citato loco Galenus, ex plurimis fontibus desumi eleganter declarat, ex lęsis videlicet partiũ laborántiũ functionibus, excrementis, doloribus, atque tumoribus præter naturã: hisque vel omnibus, vel quibusdam, siue primò & per se, siue per accidens aut per consensum lancinentur. quę signa morbis sunt communia, tam partes internas, quàm externas labefactantib. Verum hęc signa vniuersalia, ad nostrum scopum non spectant, cũ nec notitiã explorent, ac ne eorũ explorationẽ perficiant, quorum inquisitio nunc nobis finis.

Nam læſa functio, diuerſitatem in primis cauſſæ non declarat, verum præ ſe fert tantum per ſe, vel per accidens affici vterum, dum menſes non ſoluuntur. excrementa deinceps, dum retinentur, nullam ſui ipſius præ ſe ferunt ideam. dolor, ceu pathos, communis, multis ſuperueniens morbis menſes interdicentibus, contemnendus. tumor tandem, alteram tantùm, (vt ſuprà diximus) morbi oſtendit differentiam; ſi in vteri oſculo germinatus ipſe fuerit. Oportet igitur ad magis particularia deſcendere, & peculiari obſeruatione, tum & artificioſa coniectura, per methodum progrediendo compoſitoriam, cuncta exactè æſtimare. Nam ephodus particularis præcedat ſemper oportet vniuerſalem methodum. hæc autem, ſi non conſocientur, vt dictator ſummus ſcribit, lib. Præcept. grauem ac triſtem frequenter adferunt diatheſim. cum multa ſolitaria ratio ſuadeat, quæ coarguit vſus. conſocianda igitur: & iudicio experientia accedat oportet.

Ad perfectam itaque ac artificioſam coniectricem diſciplinam, nos, ex propriis cauſſarum indiciis, ægrotantium mulierum pariter ſermonibus, tum earum interrogationibus, ac mutuis reſponſionibus, vt paſſim teſtatur Pręceptor, appoſitè perueniemus. nec bene fidendum fœminis, cum hæ ſuos ſemper celent affectus, vt accuratè lib. 1. de morb. mul. num. 87. idem Præceptor adnotat. Caueant igitur Medici, ne ab ipſis decipiantur. Eua enim omnis; quaſi ſerpens, vt vox ſonat Hebręa: callida igitur, vafra. quare & cautè, & blandè, nec vulgari artificio, aut minori calliditate earum vulnera, vt medeamur, aperienda. hanc verò coniectricem

noti-

notitiam seriò absoluemus, si corporum earumdem habitum, consuetudinem, victus præcedentem rationem, & huiusmodi alia, attentè obseruauerimus. hæc igitur cuncta sedulò replicanda.

An dentur caussæ secundum naturam menses circumcidentes.

Cap. V.

VT absoluta omni ex parte sit iliadum caussarum menses occultantium dignotio, diligenter explorare ius an caussa aliqua secundum naturam, quæ mensurnum sanguinem restringere valeat; & an huiusmodi accisio secundum naturam fiat. Problematis affirmãtem partem, & confirmat ratio, & experientia comprobat, Medicinæ tecmeria organa. Vtroque itaque instrumento dignoscimus plurimas adesse caussas, à quibus secũdũ naturã menses circũcidũtur eadẽ accisione itidẽ secundum naturã existente. Nã menses secundũ naturã nõ soluuntur, aut ætatis ratione, aut habitus ac temperamenti, aut insuper conformationis, conceptionis; aut denique ob vitæ institutæ prophasin. Hæc singula examinemus, ne ad libitum dicta videantur. Aetas in primis illa, in qua menses secundum naturam non prodeunt infantia est ad pubertatem vsq; exclusiuè, vti cruda senectus, in qua vt plurimum occuli incipiunt, ad decrepitam vsque, seu vltimũ vitæ carcerem. Exoriuntur igitur 14. anno frequentissimè, aut 15. rarò 11. aut 12. procedunt frequentius ad 45. rarissimè ad 50. Quare mouẽdi non sunt mẽses, vltrò citróque hos carceres: nisi fortè aliqua

apparuerint germinata symptomata, hos accisos menses comitari solita: quæ possibilia germinari sub annis, in quibus rarius illi accidunt. tunc enim, ob generatos affectus præter naturam, quibusque peculiari curandi methodo occurrere cogimur. Sed cur sub his ætatibus non fiant menses, diexodicè alibi exponendum relinquimus: modò hæc perfunctoriè dicta sufficiant. In pueritia itaque, quia per hoc tempus maior fit accretio, vnde maior sanguinis requiritur copia ad augmentum: rursus quia ob mucorem, & nimiam humiditatem vasa inepta fiũt ad fluxũ, & ab vberiori illa humiditate obtuso calore hiãtia minus, imò astrictiora. Quare, quæ minus erit humida puella, & cui vegetior calor innatus, & vasa latiora obtinuerit, citiúsq; illud maius impleuerit incrementum, menses itidem citius occurrent, primæque efflorescentiæ prosilient. quæ verò contrario se habent modo, segnius. deinceps in cruda senectute, & vltrò, cũ & calor natiuus amplius cõtabescat, vires itidẽ naturales labascãt, multo minus exũdet sanguinis moles, quasi reddita natura auara, ac ne valẽte quidẽ, occultantur menses. quamuis his amplius perseuerent, quibus calor fuerit vegetior, & habitudo corporis circa facultates naturales optima.

Temperamentum & habitus pòst accedit. queũt & hæc restringere mẽses, si tẽperamẽtũ caliditatis & siccitatis maximũ habuerit excessũ, intra limites tamen sanitatis: tũ si & habitus squalidus fuerit & siccus supra modũ, etiã in eadẽ sanitatis latitudine; vnde viragines, ac barbaræ fœminæ, cum maximè masculi sexus redoleant ideã, mensibus nihilominus & hæ carẽt. quo tẽperamento Phaëtusa, & Na-

mysia

myſia,apud Hypp.lib.6.Epid.ſect.ca.8. fiuebantur. quæ nec mēſes reddebāt vnquam, & ceu viragines barbam itidē acquiſierūt. eiuſdem notæ, & nos binas alteras vidimus, & Barcinonæ, & Valentiæ citerioris Hiſpaniæ inſignes vrbes;quibus & menſes accisi fuerant,& grādis barba cuiq; germinata. hirſuties autē,ac barba,Galeno teſtante lib.2. de temp. ca.7.calidū ac ſiccū hauddubiè inſequuntur tēperamentū, vti & eiuſdem naturæ habitum. Quare,cum his mulieribus, ab illo viragini tēperamento ſanguinis abſumatur copia, quæ vberior portio menſurni ſanguinis materies, hinc & barbatæ illæ, & haudquaquam menſtruatæ.

Porrò naturalis conformatio, ac genij defraudatio menſurni ſanguinis abſentiam valent parare.In hoc ſtatu plurimæ exiſtunt, quæ & benè ſe habent, & per vterū(cunctis alueū cōmunē) nuſquā menſes proſiliunt : imò aut per aluū, aut per nares,aut alia quapiam ratione muliebritatē ipſam reddunt, cum & aliquibus ex his, inſenſilis ſit eiuſdem vacuatio. quæ, ſi non inculpata omnino fruuntur ſanitate, altem in quadā eius latitudine continentur adhuc. quibus omnibus fruſtra ſanè ſe opponet Medicus, cum potius fortè emendationem tentaſſet ad necem,aut ad grauem noxam. Sortis huius Gerundæ, quæ mihi patria chara, & Geryonis Hiſpaniarum ſeptimi regis olim arx munita, nobis obuiam fuere mulieres binæ; alteri per nares menſurnus ſanguis, etiam & lochia ſub minima copia reddebantur,alteri verò nullibi menſes, lochia verò per aluum.

Adeſt fœtatio deinceps. hanc menſes occultare, ne longo ſermone terendum, quia, & os vteri

ſupernum per totum hoc tempus conniuet, & ſanguis adſeruatur ad fœtus alitionem ex præſcripto naturæ. quamuis aliquę menſtruatæ, ob vberiorem ſanguinis molem, affectante natura illius expulſionem, & per venas in vteri ceruice iam reſeratas aut periodicè, aut aliâs id moliente. Nec eâdem vrgente cauſſa, Medico ius per eandem partem naturam leuare: fas tamen per venas cubiti, vt perbellè nos lib. 2. ſuprà enucleauimus.

Vitæ inſtitutum mox eoſdem celat. quia, vt diserat Rufus apud Aetium tetrabibli 4. ſerm. 4. cap. 51. ſaltatrices, & cantatrices fœminæ menſes non reddunt, vti & aliæ quæ virorum & exercitiis, & laboribus indulgent. ob ingentem namque laborē hæ omne redundans abſumunt: hinc & materie deſtituuntur ad menſes, & auara natura redditur. de Aegyptiis fœminis noſter Hiſpanus, & inſignis Coſmographus Pomponius Mela lib. 1. c. 9. fidem ſtruit, forum, ac negocia curantibus, cum viri potius domos, ac penſa. Hoc vitæ inſtitutum à Seſoſtris Aegyptiorum Regis reſcripto ortum traxiſſe fertur, vt virilem effœminaret ſexum, illíſque obedientibus poſt multas partas victorias trāquillè imperio vteretur. Eadē antiquus Scholiaſtes recēſet ex Nymphodori Barbaricæ hiſtoriæ libro 1. etſi longè diſtincta de eodem Seſoſtre, egregius hiſtoricus Diodorus Siculus li. 1. c. 1. ſuæ bibliothecæ hiſtoricæ referat. Verum de Lydis fœminis illud idem Hiſtoriarum pater Herodotus li. 1. reſcribit, tum & de eiſdem Aegyptiis altero ſequenti lib. 2.

Tandem & mulieres quædam, etiam ſecundum naturam cruentum illud tributum non ſoluunt, eò præſertim ſi poſt partum immodico ipſæ laborarint

rint puerperio: quia tunc sibimetipsi naturæ satisfacere mens est. vti, quæ in statu neutro, conualescentium inquam, extiterint: si plurimis, ac copiosis arte, vel spõte inanitæ fuerint vacuationibus: etiam per eandem mox signatam rationem. Prætereà & lactentes, eisdem priuantur per totum ferè lactationis interuallum, quo infans eo cibo nutriri eget, bimatu videlicet, raróque aliter accidit. Hoc eleganter Dictator innuit lib. 5. Apho. sen. 39. dum infit, *Si quæ nec prægnans, nec puerpera est lac habet, ei menstrua defecerunt.* quasi insinuet, quotiescunq; vbera lacte abundant (cum eadem sit lactis, ac mẽsium materies) menses, vt plurimum occultari. etsi, quando citra lactationis vsum, in mammis apparuerit lac, & retineri menses certum est, & vt signum, & vt caussa malum. quod est mens Hippocrati, in ea sententia demonstrare.

Quamobrem hæc prius obseruanda, vt exactè alias præter naturam caussas per sua propria cognoscamus signa, vt cognita nos eumethodo medeamur.

Signa exponuntur in specie; caussas præter naturam menses occultantes explorantia.

CAP. VI.

RES omnis secundum naturam, qualibet altera præter naturam, & dignitate, & ordine naturæ prior. quæ vtræque cum sint oppositæ, & hæ iuxtà sepositæ maximè elucescant: libuit & illam prius exponere (cui tantum conseruatio,) altera

mox ſubſequente: vt ita & diſtinguantur apprimè, & diſtinctæ, hæc vltima exoluatur exactius, altera ſeruata. Accedit vltrò quod cum contrariorum eadem ſit diſciplina, nos ſigna cauſſarum menſes ſecundum naturam occultantium prius replicare decernamus, & ſub eâdem diſciplina mox cauſſas præter naturam per ſua itidem peculiaria ſigna, aperire: quas cauſſas exoluere, nobis per totum hunc librum mens eſt. Rem in ſpecie ordiamur, cum vniuerſalis doctrina doctum neminem reddat.

Menſurni ſanguinis acciſionem ſymptoma eſſe, morbum habens cauſſam, vulgatiſſimum. hunc verò morbum in ſpecie,cuius illud germen, & cuius ratione compeſcitur ille,nec peruium innuere, nec facile, cum diligentem requirat exploratorem, ſerium rurſus, ac doctum artificem. Cum igitur morbi ſtruantur illius ſymptomatis cauſſæ; qui, aut vteri reſpectu æſtimantur, vt ſimilaris pars, vel vt organica, aut rurſus multitudinis reſpectu, vel humorum qualitatis vitio: cuncta examinare ius, & eorumdem morborum ſigna,ex propriis eorumdem cauſſarum indiciis, ægrotantium ſermonibus, morboſo corporis temperamento, habitu, conſuetudine praua, tum vitioſa præcedenti victus ratione,& aliis,fas nihilominus petere.

Porrò, qua methodo cauſſarum percenſuimus differentias, eâdem & per ſigna peculiaria eaſdem luſtremus oportet. Accedit quamprimum vteri intemperies, quæ calida,ſi fuerit, feruoris aderunt ſigna,& phlogoſis quidam ſenſus in eodem vtero, ariditatis ſimul,ac ſiccitatis: rubor mox totius corporis habitus, aut flaueſcens color, extenuatio inſuper,

super, vrinæ flauities, velocitas pulsus, & sitis ingens. cuncta ferè hęc innotescent exactè, ab ipsa interrogata muliere. adde, si calidis ipsa fuerit assueta alimentis, aut pharmacis. summam itidem imponent manum sensus illi præstantes, visus inquã, & alter communis, videlicet tactus. hic optimus ac præstans qualitatum tactilium censor, vti colorum visus. Hæc cuncta conferes in intellectu, & præmeditata rursus, accuratam elicies conclusionem. hoc est enim artificiosè coniectari, ea quæ præuia externorum sensuum cognitione recipiuntur, acri iudicio in mente versari, inter se conferre, ratiocinari.

Verum dicet quis, qua ratione calida vteri intęperies habilis ad menses sistendos, cum caloris munus aperire, liquare, diffundere? In promptu respõsio, quia ex Galeno libr. de inæquali intemp. ca. 3. illa, vti & reliquæ intemperies natæ sunt & robur partium dissoluere, & earumdem partium actiones lædere. rursus quia ab ingenti calore (qualem substituimus) non liquantur humores, verum absumuntur, tenues ac subtiles partes, quæ reserationi ministrant, siccantur, inde reliquum incrassatur: vt liquidò in bilis flauæ metamorphosi in atram apparet. illa tenuis & fluxilis cum sit, tenax, crassa, ad motum contumax altera. Tertiò, quia insignis caliditas plus absumit, quàm attrahat. declarat istud appositè tempus horarium, calidum & siccum intensè cum sit; hoc namque vapores omnes abstergit planè, quos maxima attrahit caliditate. Acutè igitur dictum, ac verè, calidam intemperiem menses restringere.

Intemperies præterea frigida idem pollet, cum condenſet ipſa, adſtringat. huius ſigna prioribus opponuntur, quia & qualitates oppoſitæ. adeſt itaque circa imum ventrem frigiditatis ſenſus, lubricitas porrò ac humiditas in eodem vtero, inflatio rurſus eiuſdem à craſſorum flatuum copia; qui flatus iugiter, ab eadem muliere per totam abdominis regionem, quaſi turgenter moti conſpiciuntur. habitus pituitoſus apparet, intumeſcens:& aliquando œdematoſus, color ſubalbidus: vrina tenuis, ſimul & cruda, colorem repræſentans aquæ: pulſus rarus,& paruus: victus ratio quæ præceſſit ea, quæ ad crudorum ſuccorum generationē apta.

Sicca intēperies, quamuis multò remiſsior quàm calida, idem præſtat. hanc declarant ariditas,& corporis macies, victus præterea ratio ad eandem introducendam qualitatem conferens. color item in pallorem vergens. ad hanc denique dignoſcendam intemperiem, illud quammaximè obſeruandum, an immodicæ aliquæ præceſſerint vacuationes, an mœrores, vigiliæ, labores, an tandem aliqua immoderata exercitia, quæ omnia, aptè nata ſunt noſtrum ſiccare corpus. De humida non eſt quod modò loquamur, cum hæc qualitas ignaua ſit ad agendum,& frigiditati adiuncta tantum, valeat menſes reſtringere.

Porrò vteri ſubſtantiæ modum, denſitatem videlicet eius, ac duritiem diſtinguemus, an à natura, vel a cauſſa morbifica traxerit ortum. naturale illud dignoſcemus, nō ſolum obſeruata vteri, verum & reliquarum corporis partiū cōformatione, ſubſtantiæ modo, circa denſitatem, atq; duritiem quāuis poſsibile, inter cæteras corporis partes, ipſum

tantum

tantum vterum his condonari dotibus: verum ceu rarum, in consilium non cadit. Quod si vteri densitas, atque durities à caussa præter naturam externa, vel interna fuerit contracta, muliere interrogata innotescente, an balneum scilicet fuerit ingressa, aluminosam, aut similem alteram habentem vim: aut si medicamenta idem pollentia interius assumpserit, aut fortè foris, aut linimentis vsa supra modum vterum adstringentibus, ac roborantibus: quibus tantum abest sanguinem ad se confluentem recipiat vterus, quod ad distantes potius recellat.

Expositis his signis caussarum vterum afficientium, vt pars similaris, iam nunc signa recenseamus caussarum, eundem lædentium, vt organica. Et cum inter caussas has intemperies cum humoris affluxu connotetur, si calidus huiusmodi fuerit, inflammationem excitabit: cuius signa suprà lib. 3. cap. 31. tradidimus, dum methodicam curationem huius affectus replicauimus. Sin autem humor huiusmodi fluens frigidus potius fuerit, tunc ex pondere, in ima ventris parte, duritie simul, ac tensione, si manibus ipsa attractetur, cuique obuiam fiet.

Reliqui affectus, quos dictator summus lib. 1. de morb. mul. nu. 4. 5. 7. 8. tum & lib. de nat. mulieb. nu. 32. 33. 34. dinumerat, in situ, cauitate, & figura vteri. ex signis ab eodem Præceptore ibidem descriptis, vberrimè nos dignoscemus. tactu præsertim periti chirurgi, aut expertæ obstetricis, tum & ex aliis, quæ clarissimus Galenus lib. 6. de loc. affect. ca. 3. recenset, dolore nimirum cum grauitate eius partis, ad quam vterus vel retrahitur, vel declinat. cui

consentit coxa, & crus, quod è regione est, dum fœmina enim incedit, claudicat. Præcedentium obseruatio, nec parui momenti ad illorum affectuum absolutam notitiam, vti si partus difficilis præcesserit, abortus insuper, aut hysterica affectio. rursus, si vlcera in vtero præcesserint, quæ duras aliquas obduxerint cicatrices.

Præterea vteri partes vt organicæ, quales præsertim venæ, scorsum considerari possunt, quatenus morbo aliquo in cauitate afficiuntur, à quo mensium accisio producitur. qui morbus cum triplex sit, aut obstructio, aut conniuentia, aut compressio: hæc duo posteriora, cum valeant caussam habere etiam secundum naturam, vt strictionem, exilitatē, & tenuitatem vasorum; dignotio earumdem caussarum petetur ex obseruatione vasorum totius habitus, an si tenuia & exilia ipsa simul appareant. aprent autem, testante Galeno lib. de curand. rat. per venæ sect. c. 11. albidioribus fœminis, obesis, ac frigidi temperamenti, quod cæterorum effectuum primaria quidem causa. Compressio itidem, & altera secundùm naturam fruitur causa, adiacente videlicet corpore, vltra modum carnoso, ac obeso. quæ visu cùm innotescant, inspecto totius corporis habitu, non est quod ampliùs nos alia consulamus signa. Verùm si hæc à tumore fiat præter naturam, huius, ex his quæ suprà iam diximus, dignotio abundè constabit.

Obstructio, sicuti semper præter naturam affectus, sic caussam semper eiusdem habet notæ. Et cum huius affectus caussæ variæ, & simul abditæ, de his ferre iudicium haudquaquam facilè. obstructione

ſtructionem itaque craſſus, aut lentus parit humor: ídque duplici ratione, aut cum vniuerſi ſanguinis vitio, illam immediatè germinante, aut citrà, nequaquam ipſa ſanguinis maſſa concurrente, verum particula aliqua craſſi, aut viſcidi humoris tantum. Hunc vltimum modum dignoſcemus per negationem, nulla inſpecta in ſanguine craſſicie, aut lentore. vniuerſo namque ſanguine huiuſmodi apparente potiùs æſtimabimus obſtructionem partam ab eiuſdem vitio. cognoſcemus autem ſanguinis vitium, ex eiſdem menſibus, ſi reſtricti ipſi in totum non fuerint, inſpecto lineo linteo, & in eo humoris exuperantis colore, tum ſubſtantiæ modo. artem tradit Aëtius tetrabibli 4. Ipſo prius Hippoc. lib. 1. de morb. mul. num 23. & lib. de mul. nat. num. 20. & lib. de ſteril. num. 14. Si verò ipſi menſes in totum fuerint occultati, vitium illud dignoſcetur aut miſſo ſanguine, & eodem æſtimato, aut inſpecto corporis habitu, vaſorum formatione, eorundem, ac cutis colore. nam in quibus ſanguis craſſus, venæ magnæ, nigrúmque repręſentantes colorem, inferiores præſertim: palpebrarum rurſus, & oculorũ obſcurus color, haudquaquam nitens: vrina craſſa, rubra, & aliquando ſubnigra, melancholici ſucci hauddubiè redolent exuperantiam: & hunc craſſum ex ſua natura humorem, ac terreſtrem, obſtructionis cauſſam eſſe certò ſcimus. eò itidem, ſi plumbeus earum eſt color, corporis habitus ad tactum frigid⁹, ac ſubtumidus: ſigna inſuper cuncta melancholici præ ſe ferant temperamenti.

In fœminis autem, in quibus ſanguis viſcidus ac

lentus, qualis pituitosus, vitium dignoscemus, temperamento cognito fœminæ, habitu eiusdem albicante, æstimata victus ratione, an pituitam valeat generare, propensione pariter incidendi in morbos, ab eadem exortos pituita, sedentaria fœminarum vita: tum tandem obseruata maxima ad somnum earum propensione, an & cibum, ac venerem vnà fastidiant. quibus & mensurnus sanguis segnius efflorescit, & magno cum labore procedit.

Obstructionum verò à sanguine multo, crasso, ac viscido germinatarum signa, ex flotido fœminarum habitu petes, splendoribus circà oculos rubentibus, tensiua, ac phlegmonosa ferè lassitudine, grauitate lumborum, capitis dolore grauante, fluxu itidem aliquando per nares, aut per vomitum sponte facto.

In genere autem, obstructiones & sua communia habent signa, febrem quamprimum in magnis & chronicis obstructionibus, cum ab his necessariò parta prohibita ventillatione, & mox putredo concipiatur, & hæc rursus febrem efficiat: hanc barbarè quidem, aliqui albam vocant. quasi febris colore afficiatur: nisi fortè, quia habitum reddit decolorem, & albicantem. rursus adest infensissima cephalæa, & in sincipite præsertim maximus vrget dolor, vti & spontaneæ lassitudines, siue vlcerosæ, siue tẽsiuæ sint, iuxta humoris redundantis ideam. existit deinceps & quædam ad motum impotentia, seu totius corporis grauitas, sensus arteriarum pulsans, in temporibus præsertim, anorexia, sitis inexhausta, vrina multa, tenuis, splendens, aquosa, syncopes aliquando, aut hypothymia. Mox tempore typici circuitus, quando videlicet sanguis ad motum prorita-

ritatur. dolores circa lumbos fiunt, in renibus etiã, ac regione pubis, & aliquando intentissimi, iuxta sanguinis caliditatem, aut eius (si lubet) trombositatem, inæqualiter replendo, ac distendendo vasa: anxietas etiam occurrit aliquando, ventris grauitas, ac tensio, nihilominus & aliquando hysterica passio.

Tandem mensutni sanguinis occultationes ex materiei defectu, à caussis præter naturam prophasin habente, à quibusdam æstimatis rebus facilè dignoscuntur, valentibus huiusmodi committere defectum. vti, si copiosæ vacuationes præcesserint, vel arte, vel sponte naturæ contingentes: si maxima præterea inedia, dolor ingens, ac diuturnus, ictus, flagella, animi pathemata, & inter cætera si vberrimus aliquis sanguinis fluor. quæ caussæ, cũ partim ex narratione mulierum nobis obuiam fiant, non est quod nos & alia demonstratiua consulamus signa. Porrò & hunc genij defectum anadromes aliqua humorum hauddubiè valet inducere, si præsertim ad partem humor feratur distantem. Signa indicantia erunt, tum partis recipientis tumor, inflammatio, rubor, dolor. Hanc methadosin experimur assiduè in typica ipsa mensium periodo, aut circa eandem, in his fœminis, in quibus auarè natura eosdem reddit. concitato namque eo tempore sanguine, calidior eius ac tenuior pars suo quasi nutu superna petit, caput aut collum adoriens, inflammationes ibidem parans, dolores, rubedines, ac tumores non minimos, aliquando anginam, & sæpè immorigeram. qui affectus cum oculis subiiciantur, & dignotio eorum sensilis, ac facilis. Animi pathemata (vt nuper diximus) quibus

non minimũ lancinantur fœminę, idẽ præstare valent. ira quamprimum, cum omnem sanguinem ad cor illicò retrahat, & ibidem efferuescente, cum & statim eundem, maximo cum impetu per totũ diffundat corporis habitum, ad obiectum nimirum, quid mirum, si muliebria cõpescat? timor præterea & hoc idem præstat, dum eundem sanguinem in corporis centro stabuletur. excandescentia, lypothymia, sincopes eâdem simul ratione, at vnà & maxima spirituum exolutione eundem recellit fluxũ. Nam animi pathemata, cum cordis sint passiones, mentis tamen præcedente opere, cúmque omnem patientem corporis partem sedulò natura, ac semper exoptet fouere, tum & vtriusque sanguinis, tum & spirituum præsentia, vt eleganter Galenus demonstrat libro quinto Aphorism. sentent. 53. proinde in cunctis his, quamprimum sanguis impetuosè recurrit, & consequenter reliquæ corporis partes illius viuifici nectaris priuátur præsentia. hinc sequitur, quod in animi pathematis pallescant homines, vno dempto pudore. in quo facies præ se fert ruborem, ex proprij defectus notitia, si coram aliquo.

Denique prægressæ aliquæ caussæ, eandem sanguinis retractionem inducunt; vt fœminę ingressus in frigidum balneum, pedum lotio, ac crurum in gelidam; instanti prę sertim, aut præsente ipso menstruo sanguine. hanc rem & ratio docet, & confirmat vsus, maxima cum illarum injuria, ac noxa: quarum caussarum notio, itidem ex earum sermonibus innotescet.

Hæc sunt signa harum caussarum, quæ perfũctoriè nos potuimus colligere: verum si diuersa earum genera

genera in se connectantur, ex cuiusque priuatis signis ratione, mox connexis, eadem affabrè aperientur.

De symptomatum differentiis, & sub qua mensium contineatur suppreßio. illustratúrque insignis Galeni locus.

CAP. VII.

EXcrementorum accisiones noster insignis Galenus inter symptomata recenset lib. de eorundem differ. c. 2. quę ad vtraque consequuntur, sicuti & eorundem excrementorum vacuationes immodicę. Verum quid sibi velit Galenus pro illo, ad vtraque consequutnur, & variè varij interpretantur, & magis forsan acutè, quàm verè. nulli nos assentimur modo, nulli adridemus, cogimur proindè, pręter alios, mẽtem aperire Galeni. dicemus itaque relatiuum illud *vtraque*, ad priores illas vtrasq; symptomatum differẽtias necessariò referendum: ad affectum videlicet, & læsam actionem. quasi innuat illo aduerbio Galenus, sub hac tertia differentia, re distincta à qualibet illarum, priores illas vtrasque symptomatum differentias amplecti simul. nam si hæc differẽtia promiscuè se haberet ad vtráq;, futilis quidẽ esset, cũ quando innueret affectũ, ad priorem, quando actionem læsam ad alteram referretur, symptoma. frustrà igitur tertia. Quare cùm tertia à tanto doctore statuatur, necessariò & ab vtraque illa distincta: tum & si seriem spectemus, necessariò & hęc vtráq. respectabit ideã, quasi vtráque cõiũgẽs, per quã rationẽ formalẽ, distincta re, constituetur idea. Porrò per affectum, priorẽ illã differentiã ad peculiare symptoma cõtractam, admittimus, respuentẽ omnino morbi naturã, etsi plurimi

aniliter oppositum sentiant: bene quidem affectum seu qualitatem aliqua ratione seu analogicè, permanentem. Si igitur ibi Galeno cordi est, tres symptomatum assignare differentias, affectus inquam, actionis læsæ, & eorum quæ ad vtraque consequũtur; quis amabò mentis compos, per illud ad vtraque, quatenus affectum respectat, morbũm intellexisse Galenum augurabitur? Veritas rursus ex eo deprehenditur, quòd eo capite nulla morbi sit facta mentio, cum tantum symptomatum differentias ibidem statuere mens sit. quid quod, & anile quidem esset affirmare symptomatum hæc differẽtia morbum consequi, cùm omnibus id commune sit, vt morbum consequantur, vti vmbra corpus. Si igitur refertur ad affectum symptoma, ceu quam quod verissimum, explanãdum, qua ratione excrementorum suppressio, symptoma dicatur, vtramque illam consequens differẽtiam. In primis, quod sequatur aliquod symptoma affectus, ex eo fit probabile, quia suppressâ materies, vnde symptoma denominatur in retentis, semper aliquod saltem respectat affectum symptoma, verbi gratia, colorem aliquem præter naturam, odorem, gustatilem, aut tactilem aliquam qualitatem, à cuius ratione formali huiusmodi symptomatis differentia constituitur: adstante simul, & pariter concurrente altera differentia actionis læsæ, aut retentricis, aut expultricis facultatis &c. quarum iugiter actionum vitio, illa excrementorum existit accisio. appositè id omne lustrat Galenus lib. 2. meth. cap. 3. & perbellè nostram hanc aperit mentem. Neque modò in hac struenda symptomatis idea, intemperiem consideramus, aut obstructionem, affectus quidemper manen-

ıentes, & illius ſymptomatis cauſas germinatrices, ıt ignauè plurimi faciunt. quia cùm cauſæ ſint efficientes, & per ſe morbi, ad intrinſecā rationem formalem horum ſymptomatum non ſpectant. Quare hæc excrementorum ſuppreſſio, & in ſuo eſſe aliquam continet actionem læſam, ſeu conſequitur potiùs, putà, expultricem imbecillam, aut retentricem ſupra modum robuſtā, & ſimul aliquod ſymptoma affectum, aut præter naturam laboranti parti inhærens, aut ſubſtantiæ acciſæ; illinc, tēſio, durities, rugoſitas, ariditas: hinc craſſities, viſciditas, & ſimilia, præter naturam inhærere poſſunt. quæ omnia in quantum affectus præter naturam ſunt, & à morbo, & eius cauſa abſolutè diſparantur, & reapſe ſymptomata ſunt, alicuius morbi germina, & talia concinnè vocantur. in quantum autem inuicē concurrunt cū actione læſa, illam tertiam ſymptomatū differentiam appoſitè conſtituunt, & hanc exſertè clariſſimus Galenus, ad vtraque affirmat conſequi. Sicuti igitur hæc tertia ſymptomatum differentia, quà talis per ſe, & in ſuo eſſe amplectitur affectum, ſimul & actionem læſam; ſimiliter quà ſymptoma, morbum neceſſariò ſequitur præſentem, vel imminentem. vnde neceſſariò omne ſymptoma germen, & morbi effectus, idque mediatè, vel immediatè, ex Gal. lib. de ſympt. differ. cap. 4. per quam rationem vmbræ corporis aſſimilatur: quamuis omni ex parte ipſi non conueniat analogia. cùm vmbra omnis neceſſariò præſens corpus ſemper ſequatur, aliqua verò ſymptomata morbum potius præcedant: quid, quod non ſolum morbum aliquando præcedunt, verum & quorundam ſæpè cauſſæ fiunt effectrices. quod eleganter Galenus inſinua-

uit lib.3.de sympt.causs.c.1. his verbis, *Iam non satis fuerit Medicum sola symptomata, ipsorúmque generationem inuenire: verum generationis quoque modum, vt varium inter effectrices caussas ordinem obtineant, scire necesse est.* Quibus vltimis verbis, dilucidè symptomata demonstrant, inter effectrices caussas numeranda esse, non quidem aliorum symptomatum tantum, verum & ipsorum morborum, vt Galeni exempla commonstrant, tum illius libri institutum, cum effectrices symptomatum caussas inquirere intendat, quæ omnes per se morbi sunt.

Arguet tamen quis, si aliquãdo symptoma, caussæ efficientis habet rationem, nouum alterum valens germinare morbum: ergo & huic tunc eadem debetur medendi ratio, quę & reliquis caussis efficientibus. Diminutus itaque Galenus, dum li.12.meth.c.1. ob duplicem tantùm rationem symptomati curationem deberi scribat: aut quando affectum auget, aut vires lædit: & quamuis vtrũque sit efficere, tamen ob id caussa efficiens simpliciter non dicitur, cuius esse tribuitur caussæ per se, nouum producenti effectum.

Huius rationis momentum exoluetur facilè, si Galeni in eo Meth. libro æstimemus scopum; cum ei mens sit ibi curationem tradere febrium, cum quibusdam immorigeris connexarum symptomatis. æstimat itaque symptomata tantum, vt sunt febrium germina: & quia hæc, ceu germina fructum curationis impediunt, aut quia augẽt affectum, aut quia vires labefactant: proinde hæc quamprimum consulit amputanda. haudquaquam ibi locum habet, eorumdem obseruatio, vt caussę efficientes; quia

quia tunc; nec germina, nec effectus, cum potius morbus, eorum sit germẽ, & eorum affectus. quorum contemplatio, qua talia, & ad alium transfertur locum, vti & eorumdem prophylactica curatio. quid quod & hęc eadem symptomata duplicem habent respectum, ad morbum scilicet, cuius effectus sunt, ad cuius ablationem abscedunt, & ad subsequentem alterum morbum, cuius sunt caussæ, & tunc hęc prophylacticam indicant curationem.

Cuncta oportet exemplo lustrare, eò videlicet, quod nobis iugiter & capitis institutum exponet. Mensium accisio symptoma est, & qua tale morbũ aliquem necessariò insequitur, illum videlicet, cuius effectus. ponamus modò obstructionem: rursus illud idem symptoma eiusdem morbi germen, seu principium efficiens & caussa, nouum alterum germinet in corpore morbum, hydropem inquã: tunc illa accisio, caussæ efficientis rationem habet, haudquaquam symptomatis. & cum diuersa sit eiusdem rei ratio formalis, etiam & diuersa erit indicatio. nam qua symptoma nihil distinctũ à morbo indicat, cum vnà cum ipso abscedat, ceu germen exciso trunco: nisi illud caussæ rationem habeat augentis affectum, aut infringentis vires: quia tunc symptomatis illius vrgentia, citissimam ablationẽ indicat, non expectata morbi exolutione. cæterum qua efficiens caussa nouum germinans morbum, prophylacticam indicat curationem, vti & reliquæ morborum caussæ. Quare cum primo illo modo symptoma obseruasset Galenus libr. 12. method. proinde nihil à morbo indicare præsumit:

altero verò modo lib. 3. de symp. causs. vti & nos modò. constet itaque symptomata aliquando morborum auctores fieri, vti & mensium accisio; eosdem pariter fœtare. verum horum syluam percensere quantum difficile, tantum ob eorundem sæpè sæuitiem intactos relinquere, & infidum, & periculosum. hoc munus clarissimus exercet noster Galenus tum lib. 6. de loc. affect. cap. 5. tum lib. de sang. miss. aduersus Erasist. ca. 1. idem dictator summus lib. præsertim 1. de mul. morb. & in coac. prænot. tum passim lib. de nat. mulieb. & lib. de sterilib.

De morbis in genere à restrictis mensibus ortis.

Cap. VIII.

Mensurnus sanguis, cum (vt nuper diximus) & à caussis secundum naturam, & ab aliis præter naturam, circumcidatur; hæ curationem tantum indicantes, illæ haudquaquam, nisi casu, præter naturam itidem fiant, actiones lædendo: proinde nos, therapeuticā modò exercentes doctrinam, huius symptomatis aggrediemur disputationē, & quatenus actiones lædit; & quatenus noui morbi fit auctor. tunc enim (etsi primariò, secūdum naturam) iam naturæ carceres excedere credēdum, iámque fœminam in statu præter naturā simul versari. A posteriori itaq; dignoscemus, an accisio, à caussa secundum naturam fiat, vel præter: ab effectu videlicet, acrisia, seu euphoria, tolleratia inquā, & cōferētia: vel cōtrà. Quæ de omnimoda accisione non solum

ſolum arbitramur verum, ſed de imminuta, ſiue reſpectu diſcretæ quantitatis, ſiue continuæ. quibuſdam enim per biduum exercetur purgatio, ex naturæ præſcripto, aliis per triduum, iam & aliis vltrò. quibuſdam rurſus in minima redditur quantitate, etiam lege naturæ, iam aliis in mediocri, aliis tandem in copioſa. cũque cunctis his, ſecundũ naturam procedant menſes, & iuxta peculiarem conſuetudinem, nihilominus & rectè valent. Exoptat namque natura modum, ſiue vniuerſa, ſiue particularis: à quo, ſi deflectat, ſiue deficiendo, ſiue excedendo, hauddubiè ægritudo illicò exoritur. Hęc igitur omnia ad priuatas,&indiuiduas naturas comparanda veniunt, quę in ſalubri latitudine, cũ maximos, ac extenſos in ſe complectantur limites, accidit, quod quę Aglaiæ fiunt ſecundum naturã, Delphorę pręter naturam potius, cũ vnico ſolemos illi ſecundum naturam, per ſingulas periodos libram alteram eliminare ſanguinis: huic verò tres, & per triduum. Quamobrem ſi Delphorę accidat præter illas ſibi ſecundum naturam tres libras, alteram mox vacuet (menſura ſanè Hippocratis li.1.de morb.mul.nu.15.cunctis mulieribus ſecundum naturam) proculdubiò & ipſa laborabit, & præter naturam afficietur. Hęc itaque ſedulò ęſtimanda,& ad Medicinam faciendam ſeriò exploranda: cum in curatione vnusquiſq; ſit in ſua propria natura ſeruandus: quæ ſi morboſa in eã qualemcunque reddenda itidem, mox morbo deſtructo, in perfectionem,ſi lubet, deducenda. Verum ignota Medico tũ natura,tum cõſuetudine,aut quia adhuc non effloruerint menſes,aut aliàs.tunc obſeruato habitu fœ-

minę, temperamento vasorum, & aliorum organorum formatione, nec non victus, ac vitæ ratione inspecta, facilè nos coniectabimur, an illa secundum naturam teneatur parca, an mediocris, an vberior. quare à posteriori dignoscemus statum secundum naturam, si fœmina integra fruatur sanitate, quāuis in totum menses occultētur, aut imminutè, aut copiosè reddantur. nam si præter naturam accidantur, etiam & si imminutè fiant, testante Summo Dict. lib.5. Apho. sen.57. morbi illicò accidunt: fœtationis tempus semper excipiendo & lactationis in quibus nec occurrunt menses, aut saltem rarò, nec fas ipsis eos mouere.

Cum itaque nos per effectus ducamur ad causarum cognitionem, quarum nobis modò consilium in accisis mēsibus, curatiuam exercere methodum per venæ sectionem: proinde hoc capite, morbos, suppressionis mensium effectus, rimari mens est. Et quamuis cognitio hæc aliqua ex parte claudicet, aliquando tamē, si solertem consequatur artificem, absolutam parat cognitionem. Amplectenda igitur eò præsertim, cum alteram, quæ à priori fit, consequi nobis, nefas: quæ itidem testante Naturę genio Arist. lib.1. de Demonst. ca.1. ex se perfecta, & scientifica: quamuis difficilis & ardua, ob rerum essentię ignorationem.

Effectus igitur seu morbi, quos symptoma hoc in retentis germinare quit, aut in ipsomet accidunt vtero, loco quidem à natura conferenter ad hanc excretionem stato, aut in altera potius quapiam priuata corporis parte, aut simul in vtrisque. vti namq; huius periodici fluxus beneficio, tanquam salutaris vni-

vniuersum expurgatur corpus, & si ex prescripto naturæ fiant cuncta, à criminibus multis, tum vniuersum corpus, tum priuatæ aliquæ partes perfectè liberantur: sic eodem restricto, aut imminuto, aut in toto corpore, aut in priuata aliqua parte necessariò morbus itidem exoritur, ex dictatore libr. Coac. prænot. num. 3. *Salutare, inquit, est, muliebria non cohiberi. Nam inde veniunt epilepsiæ: quibusdā autem profluuia longa ventris, vt arbitror, nonnullis etiam hæmorrhoides.* Insinuat itaque in hoc oraculo, muliebria multis commodis fœminas beare; vti si accidantur varia, & funesta parere eisdem, incōmoda obseruandi igitur affectus, qui horum mensium restrictorum soboles fuerint: huiusmodi autem ab eodem Præceptore in vniuersum recensentur libr. 1. de morb. mul. num. 4. 5. & 13. In primis grauis sensio in lumbis apparet, quibus mensurnus circunciditur sanguis, iam tertio mense perhorrescunt fœminæ, lumborum itidem dolore vexantur, febri inordinata prehenduntur, & hysterica tandem passione lancinantur. Mense quarto hęc cuncta succrescunt, augentur, venter durus fit, solito maior, dentibus strident, vigilant, cibos fastidiunt, crassæque apparent vrinæ. Quinto omnium dictorum malorum vis calamitosa, intollerabilis penè. Sexto, quasi cuncta sub vigore consistant, & dicta omnia vigent, funesta epilepsia quibusdam accidit, quā funesta mox excipit apoplexia, & tandem mors, interitus fatalis. Porrò & iactantur reliquæ, seipsas torquent, crebrò vnà concidunt, inexhausta afficiuntur siti, incendio conflagrat repleto sanguine vterus: vix vrinam reddunt,

cum allabatur vterus ad ipsius vesicę collum: lumbis, dorso, ac ceruice dolent: lingua velut fręno cópescitur, voce sępenumero captę. cardiogmo laborant, difficili simul spiratione, per vniuersum corpus exuruntur. cruentæ mox apparent vrinæ, sugente vesica ab vtero cruentum serum. venter, crura, ac pedes denique intumescunt. Mors post hæc aduenit; miserabile factu! latentibus per semestre illud tempus in occulto muliebribus. quia ex dictatore sexto mense huius affectus curatio ne sperabilis sanè. Cuncta hæc sterilibus multò fiũt grauiora, quàm fœcundis: quæ propter strictiores vias occlusioréſque meatus ad subsistendos menses propensiores quidem fiunt.

Ex his affectibus elici possunt signa, quæ in vniuersum (etsi à posteriori) menses accisos declarãt. hæc autem sunt, in vberibus lac, non grauiditatis ratione, verũ per anadromen, recesso sanguine mẽstruo ad vbera. Mox totius corporis grauitas, ac eiusdem tensiua, aut phlegmonosa lassitudo, à copia, & calore sanguinis, per vniuersum corporis habitum recurrentis. Anorexia porrò, quia vberiori alimento fruitur corpus. Iam inæqualis horror cũ aliquo perfrigerationis sensu, à vaporibus eleuatis ex retenta materie musculos ferientibus, & eorum acri, aut frigida vi deprauatum illum motum inducentibus. Deinceps dolores lumborum, colli, sincipitis, & aliquando oculorum. lumbi dolent, quia vena caua supra modum repletur ac distenditur, stabulato ibi sãguine, vti & coxa, ac crus: & fit claudicatio: partes supernæ, repulsa ibidem tenuiori eius portione, & easdem iugiter replente, ac calíditatem inducente: aut saltem ob vapores acres sursum

sum ab eadem materie elatos, per spinalem præsertim medullam, qua mediante fit maximus consensus ipsius vteri cum cerebro. Præterea has accisiones febres comitantur, ob tot obstructiones partas, & ardentes aliquãdo hysterica posteà occurrit passio, cum vteri peruersione, & obliquitate. hæc symptomata germinantur, dum molesta ac cacoëtha ista materies in vteri vasis peruersè detinetur. Et denique vrinę nigrescunt, à multo crasso, ac melancholico sero, ab ipso mẽsurno disparato sanguine, ibique assato in vtero & per renes iam attracto. Ex cuius vteri malè affecti sympathia, stranguria, tum ischuria aliquando contingit, aut quia comprimitur vesica ab ipso, aut quia transfunditur acris cuiusdam seri aliqua portio. plurima ex his à Galeno recensentur lib. 6. de loc. affect. c. 4.

De specificis morbis, accisos menses consequentibus.

Cap. IX.

QVanti momenti sit, mulieribus cunctis, per totum illum temporis tractum, à prouida natura institutum, typica seruata periodo, mensurnũ reddere sanguinem, non ad conquirendam valetudinem solum, verum & ad eandem seruandam, cõmoda plurima, quę ipsas beant, declarant apertè. Menses itaque, corpus quamprimum ab excremẽtis, occasionibus sanè ægrotandi, vehementer vindicant: spiritus, ac nutricatus œconomiam, vindicem vitę bene moratam, seruant, supernas homi-

nis actiones, diuinę illi' auræ peculiares, ab scopo aberrare,& ab ipsi' recedere imperio, haud quaquã permittũt. Eorũ rursus munere vigiliæ, ac somni, certa,ac stata vicissitudo est;cibi,pot',& excremẽta votis naturæ respondent, fœcunditas mox accedit his,vti agrorum,restibilis. Morbi congeneres, & qui vnà cum ætate succrescunt, ab eorum liberali fluxu perbellè exoluuntur. varices, hæmorrhoides, arthritides, hæmorrhagiæ aliæ, illorum copiosa purgatione,quiescunt. Tandem quæcumque inutilia ac noxia,intra fœminarum corpus excellunt, iam in naturæ commoda, eorum interuentu auspicato transeunt. quid quod & qui extrinsecus germinantur morbi,siue ab ambiente,siue à diæta, eorum mox ope persæpè ac spe certa, Medicos solantur,quos in viris quidem exterrent metu. Vnica igitur spes, sanandi mulieres, vnica earundem valetudinis seruandæ fiducia, in hac liberali, ac libera consistit mensium purgatione. bi itaque tot vtilitates, tótve beneficia ex hac secundum naturam muliebritate exurgunt, necessariò & totidem occurrent mala, totidem & funesta sæpè se offerent incommoda, illa accisa. Quare cum hoc symptoma tantorum sit parens malorum, etiam iuxta vtrumque Medicinæ Parentem: cúmque rursus effectus omnes, etiam ex naturæ præscripto, suarum caussarum imitentur ideam: operæpretium nunc est, & specificas indagare caussas, vt pariter & specificæ, ac variæ singulorum effectuum innotescant differentiæ. In vniuersum, cunctorum malorum efficiens

ciens caussa, mensurnus sanguis præter naturam in muliere occultatus, aut imminutè præter modum redditus. Verum, quamuis hæc vnica, valens tamen non diuersissimos tantum, ac plures, imò & oppositos, quod magis est, effectus producere; idque ob heterogeneam naturam ac multiplicem, quam subiectum, in quo vis caussæ existit, possidet ac fruitur: relictis modò diuersis partium recipientium, in quibus huiusmodi effectus exoriuntur, naturis.

Mensurna itaque materies, aut nihil, aut parum sanè à perfecta sanguinis idea recedit sæpè: quamuis aliquando fœdè coinquinetur, aut maxima acquisita corruptela, aut praua cacochymia: aliquando materies illa ichorosa aut serosa existit: quandoque lenta, crassa, ac pituitosa: interdum terrestris ac crassa, redundante in ipsa melancholico, aut atrabiliario succo: mox biliosa acris, ac flaua. Pro ratione igitur diuersæ naturæ excrementi retenti, diuersi nihilominus tum in vtero, tum in alia qualibet corporis parte, aut in plurimis insuper, effectus seu morbi queunt exoriri. In vtero, sua idea seruante sanguine, aut phlegmones, aut synochæ febres: verum si bilis redundarit, aut biliosus fuerit sanguis, erysipelas: sin verò pituita, œdemata: vti si melancholicus succus scirrhi, cancri autem, vel vlcera cacoëtha atra bile dominium habētē. Quod si ichorosus fuerit sanguis, & huius idea omni ex parte destructa, & hydrops oritur in vtero, & eiusdem inflatio, vt videantur nouimestres fœtæ, partū mentientes. Verū si ab his præter naturā humorib. in maxima vapores eleuentur copia, etiam in ipso

vtero, iam rursus partes principes petant, cor inquam, aut cerebrum, tunc & vteri peruersiones fiunt,& hysterica illa passio, in qua mulieres tanquam animam agentes iacent, aut conuulsorio prehenduntur affectu.

Cæterum si humores illi quantitate,aut qualitate peccantes, & ab vtero recesserint, ac per palindromen, aut quasi turgenter per vniuersum grassentur corpus,aut quasi firmati in aliqua stabulentur eius parte,hauddubiè tunc multorum,ac multiiugum fient auctores morborum: qualis humoris idea,& loci in quem decubuerint natura fuerit. vti si caput repant,& cerebri vétriculos afficiant,expultricem eius facultatem concitando,etiam & cuiusque naturæ fuerit humor, præsertim autem si crassus,morbum sacrum germinabit hauddubiè;& si amplius ventriculos eosdem oppleuerit,etiam& apoplexiam: inquam, funesta omnis epilepsia terminatur semper. sin autem calidus humor fuerit, calidámq; in cerebro induxerit intéperiem, quod est illud Hippocratis lib.6.Epid.sect.7. *Si verò in mentem,insaniam*: sin verò frigidus & siccus similémque intemperiem contraxerit cerebrum, melancholicam dementriam gignet proculdubio. verum si calida illa intemperies amplius processerit, vt systrophicam pariat inflammationem, phrenitis orietur quidem. quod si mistus fuerit humor, potius coma vigil.sin tantum crassus ac pituitosus, putrescens vnà in capite,lethargus: vti si citra putredinem maximam in cerebro germinet frigidam intemperiem ac humidam, coma potius. Quod si vapores tantum ascenderint, verum ante oculos ob-

obuersantes, vertigo. Porrò si humor, quisquis ille, etiam & acris vapor, crassam præsertim lancinet meningem, cephalalgia, sin oculos tantum, in eisdem excitabit dolores, vt præter Hippocratem lib. de mulieb. nat. num. 18. Galenus etiam lib. 3. Prorrhet. sen. 31. testatum reliquit.

Præterea humor idem, calidus præsertim si fuerit, fauces petat, anginam pariet, ac aliquando lethalem, iuxta humoris quantitatem & qualitatem, ac musculorum ideam: sin verò thoracem aut pulmonem, anhelationes, sanguinis sputum, si venas aut aperiat, diuellat, aut erodat: tussim etiam, ac aliquando tabem. verum si inflammationes systrophicas gignat, perineumoniam, si occuparit pulmonem, pleuritidem, si membranã costas succingentem, aut inter costales musculos obsesserit. Si verò humor ille crassus ac frigidus neruos inuaserit, paraplegiam, aut conuulsionem; illam si ęqualiter per neruorum substantiam imbibatur, hanc si inæqualiter. ad illud munus requiritur fluxibilitas materiei, vti ad hoc crassities maior. Porrò si acres humores fuerint, & per sentientes vniuersas corporis partes oberrarint illi, tremores sanè fient, veluti in Stymargi famula contigisse scripserat lib. 2. Epid. Dictator summus.

Denique si circuncisus mensurnus sanguis, suos per infernam cauitatem, quam naturalem appellant fecerit progressus, ibidémque varias obsidat partes, varij nihilominus ab illo orientur morbi. nam si ad hepar irrepserit ille, si simul & calidus, inflammationem in eo procreare valebit: sin crassus obstructiones, aut scirrhos, quòd si iecoris vastarit œconomiam, aut quia multus, aut frigidus cache-

xiam quamprimum, mox & hydropem parabit, vt doctissimus refert Galenus lib.6.Epidem. comm.1. sen.7. Quod si lienem oppetat, eorundem speciē malorum proculdubiò fiet auctor. in quibus vtrisque visceribus, si obstruentes humores putrescant, & contumaces, & inordinatæ accendentur febres, vt assiduè in iuuenculis experimur, ob restrictos hos menses germinari. Verum si ad ventriculum confluent, pro eorum naturæ varietate, & varij procreantur affectus, cardiogmos videlicet, pica, nausea, vomitus, canina appetentia, anorexia, singultus, inexhausta sitis, tumor ac inflatio. sin ad artus, & eorum præsertim articulos, & arthritis fiet si plures, podagra si pedum tantum, gonagra si genuum, chiragra si potius manum. Accuratè Præceptor hanc rem confirmat oraculo, dū lib.6. Aph. sen.29. mulierem podagra non laborare scribat, nisi deficiant menstrua. quasi innuat his vltimis verbis, vt itidem Galenus in comm. interpretatur posse quidem mulierem à podagra lancinari, quotiescunque menses fuerint occultati, siue morbi, siue ætatis ratione istud contingat: liberari verò ab eadem à liberali eorum fluore. verum, si humor iste accisus intestinas petat diarrhœas, aut dysenterias, iuxta qualitatem humoris, procreabit: sin autem ani venas, quæ in fine recti intestini existunt, hæmorrhoidas.

Postremò, si huiusmodi humor excisus ad priuatam nō irrepserit partem, verum intra vasa contentus & stabulatus putredinem contrahat, stato itidem Lare putredinis, diuersæ tunc, ac variæ febrium differentiæ accendentur, ardentes aliquandò, iam rursus simpliciter continuæ, aut aliquando inter-

intermittentes: & hæ ſimul variæ, pro varia excrementi retenti natura, quantitate, ac naturæ robore. Sicuti diuerſa vlcera, ac tumores varij in vniuerſo corporis habitu, ab eadem mox causa, queunt accidere. inter quos, præcipuè bubones, ſeu pani, in inguinũ regione, ſi accisus ſanguis ibi ſedem firmarit, aut pars aliqua interna inflammatione obſeſſa fuerit, ibidémque humor abſceſſerit. Tumor hic in extrema ilium parte ortus, cum aliquando in ſuppurationem veniat, hanc quamprimum ſecare Galen. ſtatuit lib. 6. de loc. affect. ca. 5. ne pus detentum partes internas rodat, ac ſubiectum inteſtinum, vt vidimus ſemel in iuuene, in Gerundenſi xenodochio, cui & ſtercus per vlcus illud reddebatur, à pano ortum habens, & miſerè mox terram oppetit.

An vnica tantum accisio menſium, an potius plures tot mala fœtare ſit potis.

CAP. X.

MEnſium ſingularis accisio, morbos fœtare poſſibile, ac tritum: eò præſertim, ſi recondici, partem aliquam affatim adoriantur principem. verum prædicta, quæ nuper replicauimus maior, plures requirere, eleganter doctiſſimus noſter luſtrat Galenus lib. 6. de loc. affect. cap. 5. & lege ſanxit. Sed hunc amabò, cuncta radiantem, attento nos audiamus animo. *Quod ſi longiori tempore menſtrua ſupprimantur, nullámque Medicus mulieri vacuationem promoneat, tumor aliquis præter naturam in ilibus interdum exoritur:*

ostendens nimirum, ex internis partibus, quampiam esse inflammatam. &c. Rursus paullò infrà, quæ nos diexodicè exarauimus, illud idem inter angustos ipse construxit cancellos. Sic enim fatur: *Huiusmodi accidentia suppressa menstrua sequi consueuerunt, ac præterea lumborum, & colli, ac sincipitis dolor, qui etiam oculorum fundamenta infestat: item febres ardentes, & vrinæ nigricantes cum rubra quadam sanie, perindè ac si aqua, ex qua nuper mactatæ carnes ablutæ fuerunt fuliginem quis miscuisset: quibusdam vrina, aut difficulter redditur, aut omnino supprimitur. Quum ergo horum aliquod in muliere conspexeris, vterum, veluti radicem ipsorum conijcere oportet &c.* Tandem & aliquo apparente iam affectu, ex dictis, mulierem mox interrogandam esse concludit, an ipsi muliebria fiant, *Siquidem*, ait, *nihil horum accidere solet integrè purgatis.*

Vltimò & illud à Galeno lib. 6. Epidem. comm. 1. sen. 1. rescriptum, æstimandum amplius arbitramur, dum partes, quæ vt plurimum ab occultatis mensib. sympathicè afficiuntur, enumerat, caput inquam, oculos, ventriculũ, iecur. quia maxima vteri cũ hisce partib., & per venas ac arterias, & per neruos cõiugatio, nec cõsensus leuis. Affectus hos cũctos & grauissimos, ac sæuos in cunctis experimur fœminis, grauiores autem longè in virgunculis, quæ iam maturæ viris sunt, tum & in sterilibus, quæ nullum vsquam ediderunt partum. Nec difficilis ratio, quia vtrisque haudquaquam vterus assuetus distentioni, neque eius os apertioni: ora insuper vasorum occlusa, eadem vasa stricta, à quibus hauddubiè caussis dolores excitantur vehementes, distensiones fiunt laboriosæ: omnia frustrà, cum

sco

ſcopum natura non conſequatur, reconditis omnino menſibus, aut imminutè ac auarè redditis. Porrò ex menſium accisione, & illud inter reliqua numerandum malum, ſterilitas nimium: qua redduntur infœlices homines, ceu ſummo illo Naturę beneficio, optato, & maximo, deſtituti. verum vſu cõprobatum aliquas in prima pubertate nupſiſſe, nulloque adhuc Lunæ reddito cruento tributo, & concepiſſe, & peperiſſe. cenſendum tamen his, menſes inſtare, & mox coitu commoueri, verum latitare ob ſimultaneam conceptionem. rarò autem concipere expetimur, quibus ab aliqua præter naturam cauſſa circunciduntur menſes, vti & ab aliqua congenita, à quibus congenitis, ſi fortè recordantur, aliquando illud naturæ prodigium apparet, illa inquam metamorphoſis miranda fœminarum in viros. nec iſtud fabuloſum auſpicandum: cum in diuerſis ſæculis hoc idem contigiſſe affirment teſtes omni exceptione maiores. Inprimis ſummus dictator lib. 6. Epidem. com. 3. ſen. 29. dum ſcribat, Abderis, Phaëthuſam Pitheæ vxorem, fœcundam quamprimum, mox per longa tempora cum menſes occultarentur, obortis ſimul doloribus articulorum, ac ruboribus, virile induxiſſe corpus, ac hirſutum pariter, producta barba, & voce itidem aſpera reddita. Prætetea idẽ contigiſſe ſubdit Namyſiæ Gorgippi vxori in Thaſo. In vtriſque hiſtoriis plurima ſe offerunt obſeruatione digna; illud tamen ad noſtram ſpectat conſiliis rationem, quod diuturnam menſium acciſionem tantorum effectuum ſignet Præceptor cauſſam efficientem: deinceps & illud mirandum, quod fœminas has fœcũdas referat, quaſi ob oculos nobis peccat reapſe has ſexum primò

contraxisse fœmineum, vt omnis in hac metamorphosi tollatur suspicandi occasio, iam rursus virile, vnà cum virilis temperamenti proprietatibus consequentibus, hirsutie inquam, barba, voce aspera. Hanc eandem rem, & exéplis confirmat Plin. lib. 7. de natur. hist. cap. 4. quatuor enim describit historias mulierum in viros versarum, & summa iugiter Romanorum consulum stabiliit auctoritate. Titus Liuius hoc idē testatur de Spoletana fœmina 11. belli Punici tempore. A. Gellius porrò lib. 9 noct. Attic. cap. 4. non solum illas amplectitur Plinianas historias, verum ne fabulosum retur, quod de Tiresia in fœminā, mox iterum in virū mutatum, tum de Cæneo in auē conuerso, vt lib. 3. & 12. Metamorphoseos Naso scribit. Hallucinatur tamen cum omnes illæ transmutationes iuxta libri illius acutissimum institutum Physicæ sint allegoriæ.

Cæterum hanc eandem metamorphosim vsu recepit & diuinus Augustinus, lib. 3. de ciuit. Dei c. 31. & hæc ceu historica, haudquaquam fabulosa ex libris Gentium arbitratur recipienda. Post plura sæcula, tum Iouianus Pontanus, vir magnæ auctoritatis iu historia Neopolitana alias binas recenset historias, etiam quod magis est, & mulierum per plurimos annos nuptarum: tum & Torquemada doctissimus Hispanus de altera rustici cuiusdam vxore. idem & Fulgosius, lib. 1. cap. 6. Exemplorum de filia cuiusdam ciuis Salernitani, quæ nubilis, viro suo cùm nocte prima traderetur, Hymenæum celebrantes virilia promanaruut, maximo cum mariti stupore. Phlegon itidem lib. de mirabil. & longæuis, de quodam Smyrnæa fœmina, tum de altera Laodicea idem litteris mandauit. Antonius posthac

Libera-

Liberalis lib.2. alteratorum Nicandri, tres nihilominus in viros versas dinumerat.

Tandem eandem rem insigni approbat historia perdoctus Amatus Lusitanus centur. 2. cur.39. quæ Lusitaniæ, vltimo huius nostræ Hispaniæ regno, nostris hisce temporibus contigisse retur, nobili, inquam, fœminæ, cui itidem nuptæ, idem quod Salernitanæ Fulgosius scribit, accidit, exertis nimirũ masculinis organis, primo mariti ingressu in toro. Iacobus Dalechampius, vir omnibus doctrinæ numeris absolutus in suis annotationibus in nuper citatum Plinij locum, tres eiusdem farinæ iam citatas historias toto animo amplectitur, & ceu verissimam, hanc eandem de hac re tenet opinionem, quam nec respuit Societatis alumnus Martinus Del-Rio lib.2.tomi primi, qu.22. disquisitionum Magicarum. Sed quid moramur amabò in re trita, cum Hippocrates vnus, pro mille sufficiat testibus.

Sed ad pensum redacti, cum ex hoc grauissimo symptomate morbi exoriantur infensissimi, graues itidem, & acuti, hinc inde mox funesta succrescant incommoda, totis viribus incumbendum censeo, vt tanto huic malo auidè prouideamus: ne, & ob incuriam, & affectuum diuturnitatem, insanabiles reddantur ipsi, & miserè, neglectis eisdem, debitum fœminæ inexorabilibus Parcis reddant tributum. Vltimos itaque carceres lib. 1. de morb. mul.nu.4. Senex signat sextam lunationem; si videlicet per totum hoc temopris interstitium muliebria occultentur. Verum hæc sententia multorũ animos lancinauit, cũ & experiẽtiæ istud reluctetur, & eidẽ iugiter H ppoc.lib.5.Epid.n.5.cũ Gorgiæ vxoris refe-

tens historiam, scribat, hanc per annorum tetradé menses habuisse accisos, iam deinceps redditos, pe- perisse, & post multos labores, denique pristinæ sa- nitati fuisse restitutam. quid quod & hoc idem, al- tera stabiliit historia lib. 4. Epidem. num. 21. ancillæ cuiusdam, cui per septennium mensurnus sanguis cum fuisset restitus, mox eôdem excluso, & pluri- mis nihilominus peruictis incommodis, denuò in- tegra perfruita est valetudine. Perdoctus Hierony- mus Mercurialis lib. 4. ca. 1. gynæcion hunc nodum euoluere conatur, dum dicat, Hippocratem lib. illo 1. de morb. mul. tantum de tribus illis affectibus, qui in vteri accidunt figura fuisse loquutum, quos ibi- dem omni cura à Medico obseruandos censet, reli- quis occultationis mensium, aut puerperij caussis omnino neglectis. cum igitur inter illos stomachi vteri recenseatur inuersio, quæ si breui non curetur, sexto mense incurabilis fiet: hinc retur, & exortá opinionem de caussis mensium suppressorum, ex vteri præsertim stomachi inuersione. quam inter- pretationem licet nobis; modò & altera Hippo- cratis auctoritate ex, ex lib. de sterilibus desumpta, num. 4. simul comprobare. sed perpendamus ver- ba: *Et si mulier natura multos menses demittit, steri- lis fit: si verò non natura, sed ab aliqua ex rela- tis, affectione breui curata, fœcunda erit*, &c. Quare cum tres illæ relatæ caussæ, tres illæ sint nuper ab eodem Hippocrate relatæ affectiones, inter quas hauddubiè vteri stomachi peruersio recensetur: hinc si breui curata fuerit, infit fœcundam fieri, aliter si occultentur, & in lon- gum tempus sanatio differatur, & incurabi- lis, affectio, & sterilis simul fœmina fiet. ad- iecti-

iectiuo igitur illo breui, connotat dilucidè illud idem tempus suprà signatum, sex videlicet mensium, quasi dicat, si post illos multos menses, sex inquam, aut septem accisionis mensium præter naturam, mox, quamprimum, & breui temporis interuallo morbum nos accisionis caussam exsoluerimus, fœcunda reddetur fœmina.

Ludouicus Mercatus lib. 1. gynæcion c. 9. negando, difficultatem dissipat, & Hippocratis sententiã commentitiam retur. conuincitur ab eisdem illis, à nobis nuper citatis Hippocratis historiis, forsan à se haudquaquam perspectis, oppressus itidem quibusdam experimentis. Verum si rem ipse exsertè æstimasset, nec sententiam vniuersalem, nec caussas omnes menses circuncidẽtes in se continere liquidò aduertisset, sed illas solum; quæ ab ipso relatæ fuere.

Victor Trincauellus lib. 11. de cur. rat. hum. corp. affect. statim primis 4. cap. verbis hanc refert Hippocratis sententiam, & eandem simul interpretatur dicens, eam, seu vt plurimum, recipiendam esse, haudquaquam vt semper, quasi nequeat aliter contingere. vnde, cum in citatis historiis demonstret, post sex menses, muliebria restricta, iterũ in actum fuisse illis fœminis reuocata, quasi contingens rarò illud proponit Præceptor.

Hæc Trincauelli interpretatio vulgaris, & commune sanè refugium ad omnia Hippocratis oracula exponenda, cũ appositè adaptetur cunctis; proinde nos accuratiorem multò Mercurialis alterã iudicamus, cum & altero Hippocratis oraculo candẽ nos confirmauerimus. nec fas arbitramur cũ Mer-

cato huius tanti viri sententias ablegare, cum non eas solum, ceu sacra oracula, verum & earumdem voculas etiam omnes, cordatè æstimandas censcamus.

In quibus caussis menses occultantibus fas venas tundere.

CAP. XI.

EXplorato affectu, innotescente eius idea, illicò eiusdem occurrit curatio: & hæc nobis, ex mētis præscripto, per venæ sectionem: alterum sanè in actuosa Medicina, præstans auxilium. Huius itaque cum vnicus sit postulans scopus, magnitudo inquam, vel pręsentis morbi, vel imminentis, vel quamprimum ac certò futuri, in hoc assumpto affectu, tum ratione læsæ actionis, tum aliorum pariter affectuum, quorum ipse ferax est, nihilominus & huiusmodi aderit scopus. verum nec vires negligamus, alter & consentiens. statis igitur vtrisque, accedat methodus, quæ remedij qualitatem per proprias & curatrices indicationes illam definit: quarum alteram, & præcipua, quæ à morbi natura petitur, & eiusdem caussa. quid quod & suppositū auxilium, proximè caussam respectat, quæ in curatione itidem primò se offert. caussa autem hæc, à qua de auxilio isto deliberamus, vti & aliquando de purgatione, non solum æstimatur vt efficiens vis, verum vt materia & subiectum eiusdē vis: quia ad ablationem subiecti, vnà & vis inhærens apposite expungitur. Vnde & hæc caussa per hanc rationem formalem, vacuationem indicat, & hanc magnam

gnam in morbo magno. Quare supposito morbo magno, scopo altero, & vnà indicante magnum auxilium, qualitas huius decernetur, non solum ab efficienti caussa vt efficit, verum quatenus illius subiecta materies, vel huius, vel alterius erit naturæ. Hanc methodum deliberandi auxilia, aliorum coindicantium absoluit exacta æstimatio. Sed hæc modò omittamus, priori illo, ac præstantiori contenti indicante. Si igitur magnum istud auxilium indicans, actu efficit, præcauendum sedulò: præcauebitur, si in motu fuerit, hunc compescendo, si quieuerit, & vt efficiens conseruans se habuerit vacuando. An verò venæ sectione istud, vel purgatione, natura potissimum subiectæ materiei, in qua vis existit efficiens, insinuabit. nam si sanguis hæc, aut humor quispiam in quo adhuc sanguinis seruatur idea, de venæ sectione, ceu adæquata auxilij materie consultò deliberabimus, ad cuncta illa priora obeunda munera compescationis, ac vacuationis apposita. Sin autem segregatus, aut cacochymus ille fuerit, aut corruptus omnino ac putridus, nullatenus in ipso sanguinis seruata specie, tunc de purgatione potius deliberandum ratio docet.

Neque excludimus vtriusque auxilij promiscuũ vsum, etiam in vtraque materiei natura propter varias aliquas, ac sæpè discordes indicationes; quibus perpensis, ac æstimatis conuincimur ad hoc, vel aliud indicatum auxilium rectè, in specie deliberandũ. Nõ itaque omni mẽsium accisionẽ ius suũ exercet sectio venæ: cum hæc, & suos fines habeat, quos trãsgredi fas nõ est. testatur hoc sũm⁹ Præceptor dũ li.5. Aph. sen.36. purgationi etiã ius suũ administrare patitur, cum infit, *Mulieri menses decolores purga-*

tione indigere significant. Menses namque decolores humores declarant redundare in muliere à sanguine maximè alienos, quos carthartico potius, quàm venæ sectione vacuare lubet. Prætermitto nunc caussas reliquas mensium abditorum, ob genij quacunque ratione fiat defraudationem. nam cum absit indicans humorum materies, in qua efficiens suppressionis caussa existat, abest & indicatũ auxilium eandem vacuans. Nobis igitur modò mens est, methodum exercere venas secandi in accisis mensibus, ex suis petitam adæquatis caussis, auxilium illud postulantibus, siue primariæ ipsæ fuerint ac proximæ, siue secundariæ ac remotæ. Caussam primariam vocamus nunc morbum, vnà cum eius efficienti caussa; secundariam verò quicquid consequitur morbum, prætérque naturam fit. Exemplo rem lustremus. Conniuentia vteri, & morbus, & primaria & proxima caussa est huius symptomatis in mensibus retentis: menses autem hi retenti ab eadem conniuentia morbum consequuntur: cum & hæc retentio præter naturam sit, & aliorum affectuum pariter sit efficiens caussa. Et cum vtrique caussæ aliquando venæ sectio sit ex vsu, etiam methodum circa vtramque nos exerceamus oportet.

In affectuum itaque connexu, cum doceat ratio, ab affectu, qui rationem habet caussæ curationem exordiendam, haudquaquam vrgentia adstante: proinde, cum in nostra hypothesi huiusmodi adsit connexus, ab affectu pariter caussæ rationem obtinente curationem aggredi, impellimur. Aestimandus igitur hic, an venæ sectionem postulet: sunt enim pleri que hanc omnino respuentes. aut quia

carent

carent materie, vacuationem hanc postulante, aut quia omni ex parte ea defraudantur. Huius farinæ sunt morbi potissimum omnes, qui in nuda intemperie consistunt: morbi præterea in situ, figura, & in numero aucto. cum situs, & figura vteri vitietur aliquando ab aliqua violentia laboriosi cuiusque partus, vel abortus, tum à formatione, dum stricta fuerint efformata vasa, vel cauitas occlusa, ab obesis adiacentibus partibus, comprimentibus iugiter eam: vti & numerus, adnascente membrana vteri osculum occludente. Præterea & illud idem auxilium morbi auersantur, in quibus natura suo genio defraudatur, aut quia fame, aut morbo aliquo graui corpus inanitum apparet, suóve nectare priuatum. In cunctis his igitur affectibus venæ sectio suum amittit imperium: sicuti in his, in quibus (vt diximus) humor, quamuis coaceruatus adsit, alterius tamen iuris; qualis inter reliquos obstructio à crassis & viscidis humoribus, nullo in contento sanguine altero existéte vitio. quid quod nec quatenus facta, hoc admittit auxilium, vt apud Galenum videre est tum libr. 10. Meth. cap. 2. tum libr. 11. ca. 13. Hoc tamen perpetuò habendum, quod etsi huius primarij affectus caussæ rationem habentis occursu venas tundere sit nefas: licet tamen, ob connexum affectum, coaceruatum videlicet sanguinem, præter naturam retentum, grauissimorum pariter affectuum auctorem, sua iugiter seruata idea. tùc enim (etsi hoc auxilium primarius ille affectus non postulet) vt illam redundantem copiam deponamus, vel si mauis plenitudinem, easdem scindere licet. ex qua sectione hauddubiè plu-

rimæ consequuntur vtilitates, commoda non minima. hac arte etenim, & futuros aliquos morbos iam imminentes præcauemus, & factos nihilominus minuimus materiem retrahendo valentem illos augere, aut saltem fouere. Oportet itaq; primarium illum affectum, caussæ simul rationem habentem prius amouere, alioquin imperfecta esset sanatio, ac anilis sanè. Dignosceretur hic affectus, Galeni explorata methodo, quam lib. 7. meth. c. 12. perbellè exercet, dum an ea quæ inter se coniuncta sunt, augere ille vaceat, vel reliqua gignere docet: rursus, & quæ ab ipso gignuntur, vel accipiunt incrementum seriò contempletur. Exemplo fient hęc dilucidiora. Ponamus menses ab vteri oris cóniuétia occultari, quæ ἐκφράξιν, seu reclusioné, indicat, quam venæ sectio parere ne potis est. Sola enim ea, etiam facta, obstructionis species, quæ à multitudine sanguinis fit, hoc tollitur auxilio. Cæterum sanguis, quem natura solita erat per singulas periodos expurgare, cú conniuétia illa excidatur proculdubiò ab eius multitudine, vteri ore compresso, nequit amplius hoc conniuere, imò alterum ac nouum germinabit morbum, obstructionem videlicet, in vteri vasis, aut inflammationem. In hoc itaque complexu affectuum à conniuentia, quæ cęterorum habet rationem caussæ, inchoanda curatio. Hanc igitur conniuentiam recludemus eâ methodo, quam supra ex Galeno lib. 6. de loc affect. cap. 5. descripsimus, manu inquam chirurgi, immissa, aut obstetricis: vel vt alibi lib. 5. Apho. seu. 28. docet idé, & suffumigiis ex aromatis eleuatis. Declusa iam conniuentia, si fortè sanguis noñ adhuc prosiliat, hunc

húc exciere vel sectione venæ, vel altera tẽtabimus arte. Hęc igitur exacta methodus eliminãdi sanguinem mensurnum in connexu affectuum: qua prævia, si nos haudquaquam ducamur, tantum abest mulieri menses mouere, quod potius eidem plurima succrescamus mala.

Porrò ad absolutam hanc methodum, horum affectuum principij, seu habentium rationem caussæ singulas differentias sedulò obseruare licet, & cuique mox iuxta peculiarem eius naturam, peculiari pariter auxilio indicato occurrendum. nam testante Galeno nuper citato loco lib. 5. Aph. sen. 28. nec aliter sanari quit affectus, quispiam, quam ea prius percurata affectione, cuius symptomata mensium suppressio. vt si intemperies accisionis mensium, ac affectuum reliquorum auctor fuerit, opposita qualitate in naturalem statum reducenda est. sin verò vitium in figura, ac situ, affecta pars quamprimum in naturalem figurã, ac situm reuocabimus, sin occlusio, vel obstructio, eandem & nos statim recludendam censemus. & sic de cæteris, suo contrario opitulantes.

Ablata iam hac prima origine mali, si natura adhuc non respondeat, omni arte muliebria excienda, siue internis, siue externis auxiliis: chirurgicis inquam, venæ sectione, scarificationibus, cucurbitulis, ligaturis, frictionibus, fomentis prætereà, balneis, aromatum suffitu, balanis, & iniectis.

Inter reliqua herclè venæ sectio primas tenet, vti præstans & efficax auxilium. quam proinde passim & commendat, ac consulit tum dictator summus, tum & diuinissimus

Galen⁹ exponit, quibusdā mulierculis dēptis, quib. & ob pinguedinē, ac vasorū tenuitatē venas tūdere nequimus, quia ex his exiguis venulis haudquaquam tāta dimanasset sanguinis copia, quanta moles eiusdem postulasset, aut morbus. proinde eius loco substituit Galenus lib. de curandi ratione per venæ sect. cap. 11. malleolorum scarificationes. qui mos laudabilis sanè, adhuc hisce nostris temporibus mirificè apud Ægyptios seruatur; hósque maximoperè commendat, circa huius auxilij vsum, Prosper Alpinus vir doctus, ac diligens, libro, quē conscripsit de Ægyptiorum Medicina, lib. 3. cap. 8. in quo refert Ægyptios post incisiones scalpello factas, mox aqua calida incisas partes fouere, vt hac & sanguis liquetur, & multò exactius eundem eliminet, hiantibus amplius vulnerum, seu scissarum venularum partibus. Præter hæc auxilia, quibus solertem nos imitamur naturam, possumus & eandem restiti excrementi copiam, & assumptis, seu antidotis, vnà repurgare, rationali deliberando methodo de priuatis quibusque auxiliis, ídque ex fontibus vnde remediorum perficitur intentio.

Quamobrem, vt hanc doctrinam ad vltimos iam carceres reducamus, illud obseruandum, venæ sectionem nullatenus ius habere ad proximum affectum, & immediatam mensium restrictionis caussam appositè auferendam: verum ad muliebritatem in vteri vasis stabulatam, dum in corpore præter naturam seruatur, illum proximum ac præcipuum affectum aliquando augere valentem, rursúsque & alia fœtare mala. Deinceps & istud idem auxilium ex vsu esse, aliquando ad vtrumque tollendum affe-

ctum,

ctum, cum illud immediata accisionis mensium caussa postulet, tum aceruata materies. neque hæc necesse plenitudinem pariat, ad hoc, vt de venæ sectione deliberemus, cum citra hanc liceat & eo auxilio vti, imo ius; iuxta illud Galeni lib. 6. Epidem. comm. 3. sen. 29. dum emaciatæ fœminæ muliebribus per menses octo deficientibus sanguinem copiosissimè detraxerit. quid quod & aliquoties suppressione existente à caussa frigida, etiam & pituitoso redundante sanguine, & eundem haurire lubet. neque ab hac doctrina Galenus recedit, cum lib. 4. de rat. vict. sen. 113. in anasarcæ principio, seu vt alij interpretantur in cachexia (neque hæc diuersa, cum finis vnius alterius sit principium) etiam à restrictis mensibus orta, sanguinem ipse hauriat. quam admittit sententiam doctissimus Trallianus lib. 9. cap. 2. Hæc autem sic habenda sunt, quod in anasarca, etsi adhuc in principio consistat, cum supra modum sit hepar refrigeratum, & vniuersus vtique habitus itidem frigidus, ne licet quidem venas scindere: verum in cachexia tantum, quando videlicet calor adhuc viget, sanguinis pariter seruatur compago, nec corporis temperies in frigidam intemperiem fuerit ipsa mutata. In hoc albo fuit Doctor meus Ludouicus Colladus vir in arte Medica, extra omnem aleam, peritissimus.

Vlterius iam procedendo methodicè (cum etiam & insanabilia, ne omnino aliquo orbata auxilio) relinquat exponendum, qua ratione in his nos geramus affectibus, in accisis videlicet mensibus ab vteri cicatrice, scirrho, aliquo in formatione vteri partium subiectarum defectu, adnascente scilicet dura

dura membranula, ostiolum eius occludente (quæ etsi chirurgico opere sanata visa sit, id tamen rarò) tum & in aliis huiusmodi affectibus, in quibus, quamuis eorum curatio haudquaquam intendenda, ipsè tamen, ob retentam materiem, sæpe amplecti, impellimur. fas enim Medico, imò cogitur, his adstantibus affectibus, & vnà miserè, & insalubriter fœmina vitam traducente, neglecto altero insanabili, variis modis, cunctis ab ipso germinatis affectibus, seriò occurrere. istud præstabimus, sanguinis aceruatam illam copiam variis artibus minuendo, tum fœminam laboribus exercendo, mox eandem humorum colluuiem per diuersas corporis partes, variósque meatus vacuando, per hæmorrhoidas inquam, venarum sectiones, cutis scarificationes: catharticis itidem, balneis, frictionibus, ac parco tandem victu, & aliis in auxilium aduocatis.

Illustratur Hippocratis oraculum de sananda sterilitate, & muliebria pariter occultante.

Cap. XII.

STerilitas maximum in natura malum, ac fortè summum. hinc, vt cuncta auersentur viuentia, & cunctis vis tributa, auida sanè, & seruandi, & augendi cuiusque propriam speciem. In stirpibus elucet diffusa, non in semine tantùm, verùm in virgultis, ac radicibus: in animalibus verò, sub Zoogomia, eadem vis in genitalibus præest organis. vnde turgenter quæque mouentur ad coitū, etiam natura

natura duce, nec aliò, nisi vt hanc effugiant, prolem cuiusque speciei conseruatricem libenter recipiant. Hanc rem eleganter insinuat Sapientiæ Parens, ac Ægyptiorum quasi numē Termaximus ille Mercurius, dum in Pimandro infit cap. 2. *Quapropter præstans id in vita censetur studium, atque ipsum apud Sapientes, procreatio liberorum. extrema verò omnium calamitas, & impietas accidit illi, qui absque filiis è vita decedit.* Dum hanc doctrinam æstimasset Plato lege sanxit lib. de leg. dial. 8. *Abstinendum quoque & ab agro illo fœminino, vbi semen germina velit producere.* Rationem paulò ante assignat. *Quia, qui istis vtuntur, genus hominum dedita opera interficiunt, in lapidem seminantes, vbi radices agere, quod seritur, nunquam poterit.* vti & hi qui nefando vtuntur coitu. Verùm illa Mercurij doctrina haudquaquam Euangelicis reluctatur consiliis, Matth. ca. 19. aut diuino Apostolo, 1. Corinth. 7. corporis sterilitatem seriò consulentibus, eiusdem ac mentis pariter virginitatem commendantibus. Nam virginitas, ceu Angelorum soror, cùm homines in perfectiori constituat statu, coniugium antecellit longè. nec inde negligendum hoc, præceptum enim Domini est, Genes. ca. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Quid quod & hominibus hoc ipsum, sub sacrosancti matrimonij fœdere, quod & Christus Dominus Ioan. 2. sua ineffabili consecrauit præsentia, ceu sacramentum gratiæ, dono datur. Ille igitur status Deo charissimus, agno niue candidiori gratissimus, cùm pascat inter lilia, septus choræis virginum, ad animæ potiùs, & eius bonum spectat, ex doctore Angelico 2. 2. quæst. 152. art. 4. & vti melius bonum,

prępferendus: alter, quamuis imperfectior, dum corpus, ac naturam respectet, necessarius, ne vtilis dicā. in quo, cum ipso Mercurio, pręstans bonum, soboles, calamitas extrema; sterilitas; etiam & apud Hebræos opprobrium; vt passim sacra testantur oracula, libro præsertim Regum 1. cā. 1. de Anna Elcanæ vxore, Samuelis mox matre, quæ à cunctis exprobrabatur, eo quod Dominus vuluam eius conclusisset. Nos itaque, ceu Naturæ tutores acerrimi hanc, quam ipsa fatali quodam prosequitur odio, infirmemus, expungamus. Munus enim perfecti Medici, Dei quasi altera manus, non solum est, cuncta remouere impedimenta, & vitā, ac sanitatem exoluentia, verum & cuncta illa, quę humani generis remorantur conseruationem, omnino refringere. quo medio Artifex iste diuinus, homines, viuentes fœliciter, immortalitati pariter consecrat.

Cæterum cum inter plurima sterilitatem inducentia (vt supra ex Galeno diximus) ipsa sit muliebritatis accisio: rursus, & cum inter huius symptomatis caussas, etiam ex eodem obesitas recenseatur, oscula vasorum vteri, ac eiusdem comprimēs os, ita vt ne muliebria quidem reddere queāt, nec virile itidem semen in suo claustro recipere: proinde testante summo Dictatore tum lib. 5. Aph. sen. 46. tum lib. de Nat. mul. n. 16. sterilitas certo inducitur. Quare omni studio hanc caussām submouere, Ars ipsa iubet, vt hoc germen fœmineum lætos flores, dulcésve fructus perducat. Indicat autem corpus illud præter modum obesum, tum & crassum illud omentum, in mediocrem statum reductionem. quod, cum variis artibus præstare illud

hos

nos valeamus, inter reliquas, nec minimum tenet locum venæ ſectio, tum & inedia, cum hiſce mediis ſuo nectareo pabulo corpus priuetur, extenuatio neceſſariò conſequatur. Verum Hippocrates citato libro de mulicbri nat. num. 19. etſi hæc non reſpuat, alia tamen conſulit auxilia, nec infima, dũ dicat, Ἢν δὲ παχυνθῇ παρὰ φύσιν, οὐκ ἴσχει ἐν γαστρί. Τὸ γὰρ ἐπίπλοον ἐπικείμενον πολὺ παχὺ, ἀποπιέζει τὰς ὑστέρας, καὶ τὴν γονὴν οὐκ εἰσδέχεται. ταύτην χρὴ λεπτύναντα, φάρμακον πίσαι κάτω, καὶ πρὸς τὰς ὑστέρας προσθεῖναι, ὅ, τι καθαίρεται αὐτὰς καὶ φύσας οὐκ ἐμποιεῖ. Ideſt, *Si verò craſſa facta fuerit mulier præter naturã, non concipit vẽtre. Nã omentũ multum ac craſſum incumbens vteros deprimit, & genituram non ſuſcipit. Hanc attenuare oportet, & pharmacum infrà purgans bibendum dare, & ad vteros apponere quod purget ipſos, & flatus non inducat.* Perbellè Senex optimus in hac ſententia inſinuat omenti multitudinem, atque craſſitiem præter naturam factã (quaſi diſtinguat hanc ab altera quæ ſecundum naturam fit, quæ conceptionem quidem non impedit) ſterilitatem inducere, non aliò, quàm deprimendo, & claudendo vteri os, ita vt ne virile ſemen ſuſcipere valeat. Rurſus eandem omenti craſſitiem exoluendam eſſe docet quibuſdam auxiliis, valentibus attenuare, catharticis prȩterea, peſtis, aut iniectis menſes attrahentibus, & ea quæ in vteri cauitate præter naturam fuere ſtabulata: & conſulit deinde, cuncta hæc auxilia aut alia curandum eſſe ne flatus inducant. Quæ vltima verba, quorum ratione nos liberè hanc modò ſuſcepimus prouinciam, ne minimum ſanè noſtrum angunt animum, cum variè à variis & legantur & interpretentur. Codex Græcus Baſilienſis, quem nuper deſcripſi-

Zzz

mus, tum Hieronymus Mercurialis in sua accurata Hippocratica versione, negatiuam continent particulam, *καὶ φύσας οὐκ ἐμποιεῖ*, seu, *& flatus non inducat*. Ioannes autem Marinellus vir apprimè doctus, & Hippocraticæ doctrinæ addictus explorator, negatiuam respuit particulam, & affirmanter legit, *& flatus inducat*. quæ lectio fortè nostrum Hispanum Mercatum, cum Hollerio com. in sen. 46. lib. 5. Aph. cap. 2. decepit, cum lib. 3. Gynæcion occurrés sibi hæc Hippocratis sententia interpretanda, hæc vltima ille verba, inquit, *& flatus inducat*, maximoperè ad curationem perpendenda. supra quod fundamentum, fallax sanè, anile ac commentitiū erigit ædificium, & ait, Proinde Hippocrates commendat ad huius affectus curationem ea auxilia, quæ flatus inducunt, quia hæc proficua fiunt vtero, cum ipsum quodammodò dilatent, ac distendant, veluti vtres spiritu plenos. vnde vteros à pinguedine, ac omenti crassitie compressos amplius dilatant flatus illi, & meatus patentiores reddunt, & habiles fiunt inde ad virilis seminis receptionem in eorum statuta cauitate contenti. quare conniuentia vteri perfectè tollitur, flatuum beneficio. Hæc est nostri Mercati opinio, & hæc huius loci eiusdem mens, & interpretatio.

Si rem attentè contemplemur, & æquo animo consulamus, virum hunc fœdè trepidare, imò & pace eius dixerim, turpiter oberrare, lubet triplici nomine demonstrare. In primis cum affirmanter Hippocratem legat, postposita Græci codicis Basiliensis vera, & accurata lectione, cuius linguæ forsan ignoratione in hoc incidit baratrum. Mox, quia

quia non perpenderit, quod vti flatus valentes sunt distendere vterum ad seminis receptionem, sic & eundem hiantem seruare, vt & receptum statim eliminet. quasi frustranea sit actio, & frustraneum opus, nisi statim amplectatur vterus genitale semen, conniueat pariter illicò eiusdem osculum, ac aptè cohæreat, vt effluxio nullatenus consequatur. Aduersatur itaque, immò & impedit hanc vtramque vteri actionem flatuum illa copia in vteri collecta cauitate. Nam vti, ex eodem Mercato, hæc dilatando, omentum crassum, vterum comprimens, eleuat, iugiter neque eidem vtero cedet, vt comprimatur, amplectatur genitale semen, ipso cupidè fruatur. solet enim tam ingenti, ac insaturabili, vt Salomon dixerat, Prouerb. 30. delectatione amplecti semen, quod strictè se comprimat, & os claudat, vt ne per eius os specilli quidem, aut acus mucro vllatenus ingrediatur. Innuit hoc idem dictator lib. 5. Aphor. sen. 51. dum ait, *Quæ ventrem ferunt, iis vteri os conniuet*. Paraphrastes Galenus mox inquit, *Vbi primum vterus intra se semen concepit, vniuersam capacitatem suam contrahit, & os claudit.* huic igitur occlusioni, & amplexui flatuum illa copia hauddubiè erit impedimento. Tertiò tandem sibimet ipsi opponitur, dum dicat dignum consideratione esse, neque sanè contemnendum illud, *&* *flatus inducant*: paullò superius verò, quasi sui immemor, ad hunc eundē sanandū affectum plurima ipse præscribit, quæ & siccent, & simul flatus discutiant, qualia cuncta illa, quæ ibidem ab ipso describuntur, anisū videlicet, tū electuariū ex aniso, cimino, & cinnamomo, electuariū rursus ex aromatico rosato, & alia, quæ quidem, tantum abest,

vt flatus inducant, quod & eleuatos iam potenter exoluant, & ceu absoluta carminatiua, efficaciter illos discutiant. Anilis igitur opinio, futilis interpretatio.

Verum, cum vir iste perdoctus, anno CIↃ. IↃ. IC. Barcinonam accessisset, celebrem Cataloniæ metropolim, & inter Hispanicas vrbes & præstantem, & inclytam, accedente pariter tunc Philippo III. potentissimo Hispaniarum Rege, dum illustrissimam Margaritam Austriacam vxorem duxisset, & ibidem Procerum agitasset conuentus, cui inuictissimo Monarchæ, & Archiater, & à cubiculo Medicus ipse, nec immeritò præerat: & cum nusquam hactenus hunc virum, propter distantiam loci alloqui nobis licuisset, contigit hæc ardua, & difficillima in quibusdam litterariis comitiis, inter alia sibi obiici, vt mentem aperiret. Sed heu! prædictarum rationum momento conuictus, libertatem appetens, dum difficilem hanc charybdin adoritur vitare, sub offusa caligine volutans amplius in rapacem incidit Scyllam. Asseruit namque palam, ibi Hippocratem per flatum, suffitum intellexisse, seu fumum ex crematis aromatis, vi ignis cõsurgentem, quem per infundibulum, aut aliâs, in vteri cauitatem receptum prædicta præstare munera, compressum videlicet vterum dilatare, & osculum pariter eiusdem, ad virilis seminis commodã receptionem hians reddere. Excusatur vir; quia repentino bello oppressus. repentina autem leuiora multò, quàm quæ meditata. Nisi fortè, aliquando & ipse fuisset deceptus, vt in hanc peruenisset sententiam altero replicato Hippocratis loco, libro inquam de superfœtat. quem sic (nescio quo fato)

doctus

doctus interpretatur Marinellus nu. 17. *Deinde verò tum stomachum ad rectum statum ad sanitatem redigito, quo aptus sit ad suscipiendam genituram, tum vterum siccum reddito, & flatum immitto.* Quæ vltima verba *& flatum immitto*, & superuacanea, & impropria: cum nec in Basiliensi codice Græco reperiantur transcripta, neque admittatur à doctissimo Mercuriali in sua Hippocratica translatione. Græcus codex sic periodum finit, καὶ τὴν μήτρην ξηρὴν ποιεῖν. hoc est, *tum vterum siccum facito.* expungenda igitur illa verba. Quare impropriè vterque loquutus est, cum ambo flatum cum suffitu confundant, res sanè distinctissimæ. Flatus namque apud Medicos, & Philosophos de vapore quodam dicitur crasso, ac turbido, à debili calore, ex pituitosis præsertim cibis aut humoribus in halitum solutis. vnde Galenus lib. 3. de sympt. causs. c. 2. flatum definit, vaporosum spiritū ab imbecillo calore ex humore pituitoso eleuatum. Fienus, vulgaris quidam vir, libello suo de flatibus cap. 3. perperam adoritur hanc Galeni infirmare definitionem, quasi non sit conuertibilis (vt sic, cum ipso loquamur.) Verum reapsè decipitur, cum & de ipsis itidem dicatur, quę negat ipse. de humore quamprimum melancholico: ex quo, etsi nequeant eleuari, quatenus virtute sicco: bene tamen quo fluido, seu quatenus alter est humor. Melancholicis autem maxima flatuum generatur copia, tum quia per se, ipsis calor natiuus imbecillis, vaporum efficiens caussa: tum per accidens, quia ab eodem calore languido nequeunt tū alimenta, tum humores exactè concoqui, vnde cū ingens aceruetur necessariò crudorum humorum copia, iliades vaporū, hinc & ipsis, adstante vtrâque

caussa, maxima inest flatuum copia. Sed ad pensum redeamus. Cum itaque in Medicorum schola flatus in sua ratione formali illud includat, quod vapor sit, ex materie eleuatus humida, à calore languido, ceu efficienti caussa, vt nuper citato loco testatur Galenus: qui flatus alteri respondet vapori vniuerso, quem itidem Arist. definit lib. 1. meteor. cap. 4. eandem pariter generationis rationem habentem. porrò suffitus, fumus quidam cum sit, ex materie sicca, aromatica præsertim, excitatus, intensa ignis vi iugiter cremata: proculdubiò longè inter se hæc ambo distabunt. nam si suffitus fumus, & fumus exhalatio cõposita ex tenuiori terræ parte rei quæ aduritur, & aëris altera quadam portione, scribente Aristot. lib. 2. de gener. & corrupt. ca. 4. vtraque illa non solum dissita, verum è diametro pugnantia. quid, quod & quia distincta, & distinctis pariter nominibus condonantur etiam, & in omni lingua. Hinc dictator summus cum semper dialexeos, seu sermonis coleret ipse puritatem, hoc loco, libro de Nat. mulieb. quem nos modò interpretandum proponimus, vocabulo vtitur καὶ φύσαι, quod haudquaquam suffitum, verum flatum propriè significat. etiam ex Erotiano in Onomastico. Suffitus etenim, aut suffitio, aut suffimentum ex aromatibus, θυμίαμα Græcis dicitur, aut θυμίασις quibus nominibus etiam passim Hippocrates, tum lib. de superfœt. & lib. 1. de morb. mul. ad suffitum declarandum vtitur, deductis à nomine θύω, vt in Exegesi adnotat Galenus, quod & odores & suffitus significat. Et quamuis odoramentorum formæ plures sint, & in se, ceu genus, & suffitus contineantur; nihilominus & suffitus alias sub se amplectuntur ideas. nam aut suffituum

tuum materies in prunas inicitur, quod fuit antiquis frequentissimum,& in vsum sacrum,ac profanum; aut in cocula siue ænea, siue argentea cũ Sexto Pompeio,eadem odorata reponitur materies, liquore soluta, rosacea inquam aqua,aut angelorum vt vocant,aut altera: aut tandem cum carbone salicis,vnà & liquore idoneo pastilli conficiũtur,quos auiculas cyprias vocant, & hi citra flammam, ignẽ concipiunt, & odoratum præstant suffitum. de his lege Ioan.Renodæum lib.5. Inst.Pharmac. c. 27. Et cum (vt diximus) priorem illam differentiam dignoscerent illi antiqui, hinc Hippocrates suffitum accipit pro fumo aromatum in prunas iniectorum. Insinuat istud palàm & lib.5. Aph.sen. 28. cum infit, ἢ ἐν ἀρώμασι πυρίη quæ verba omnes ferè interpretantur aromatum suffitus. verum infœlix doctúsque ille Germanus, commentario in hanc sententiam inquit, Ionicè πυρίη, idem quod θυμίαμα hoc loco connotare, etsi ad verbum ignitum potius significet, seu vt in onomastico Hippocratis interpretatur Galenus frustum ignitum in vaporarium ad sudorem ciendum. oraculo autem isto non ad sudorem ciendum. verum ad muliebria quasi frustum ignitum aromatum θυμίαμα eliciat seu suffitum; qui sua partium tenuitate, & vasorum oscula, quæ in vteri cauitate terminantur aperit,& sanguinem vnà fundit; vnde muliebria ciuntur.Quare, quia aromata, dum igni apponuntur, atque cremantur oderatum quendam excitant suffitum ac fumum, proinde eo dicendi genere in eo oraculo vtitur Præceptor, nullibi φῦσαν, quod est flatus, pro θυμίαμα, seu suffitũ recepit. Quando autem

ipsi cordi fruit de flatibus orationem texere, opus inscripsit, περὶ φύσων, de flatibus.

Cæterum istud Mercato condonandum est, suffitus hos aromatum crematorum descripsisse aliquãdo Hippocratem, vt nuper citatis libris videre est, ad os vteri, & eius stomachi reserationem: quia cũ calida, & tenuium partium, exactè hos vsus præstant. non tamen proinde admittendum eosdem, vapores esse; tum neque in vteri cauitate inclusos vapores, pondus illud omenti, vteri os comprimentis sursum attollere, ac aptum reddere eundem ad virilis seminis receptionem, & inde sterilitatẽ fugandam. cum hęc cuncta commentitia sanè, & meræ nugæ. difficitum enim, meatus & cauitates recludere conniuentes, citra ponderosi corporis cõpressionem, ac ipsam rem comprimentem atollere, & eleuatam pariter seruare. Sed de his satis.

Tertiò tandem Mercatus, vt obiectam sibi contrarietatem exolueret, carminantia illa, inquit, interius assumpta, non quatenus flatus absumunt cõsulere, sed quia calida eadem & sicca, vim iugiter siccandi habentia: flatus autem illi, seu suffitus (quę inter se confundit ipse) ad oris vteri apertionem. Hæc quamuis acuta videantur dicteria, longè tamen ab Hippocratis mente: & quod magis est, etiã & ab ipsomet Mercato, si eius capitis verba attentè perpendantur. tale huiusmodi est plurimorum ingenium, vt quę ipsi enarrant, aut apparentis subtilitatis quodam velo obnubant, aut verborum fuco adulterata, in scena repręsentent. quæ mox singula, si sensim & attentè explorentur, illico claudicare inueniuntur, plurimísque simul erroribus scatere. quisquilias igitur nobis obtrudunt.

Quamobrem

Quamobrem concludamus, hanc non esse Hippocratis mentem in hoc videlicet affectu compressionis vteri à crasso omento sanando, quòd sint adhibenda auxilia, aut alimenta flatus inducentia: quia hæc humida cum sint, omnia & crassitiem, & obesitatem potius augebunt. nã hæc, ex Galeno lib. 2. de temperament. c. 6. calida modicè sunt, & humida per excessũm. tum si extra vterum fuerint flatus, hunc potius comprimẽt: sin autem intra eius cauitatem, aut ipsam nõ valebũt ampliorem reddere aut non sinent amplius comprimi, vt semen amplectatur. Hæc igitur negligenda, tũ ad sterilitatem vitandã, tum ad muliebria concitanda. Rectè quidem ad vtrumque suffitus valet aromatum, vt alibi demonstrauit Hippocrates, haudquaquam eo modo, quo deceptus fuerat Mercatus. neque fit probabile hunc spiritum subtilem ac tenuẽ, omenti corpus graue, sua vi posse in altum attollere. elumbis itaque opinio.

Vsus suffituum eleganter declarat Præceptor citato oraculo lib. 5. Aph. sen. 28. dum ait, *Suffitus aromatum muliebria educit. Ad alia multa vtilis eßet, nisi capitis ingeneraret grauitatem.* Interpres clarissimus Galenus, qua solet dexteritate, in commentario docet, qua ratione suffitus hi aromatum istud præstent, & inquit, *Eas verò, quæ sine eiusmodi aliquo affectu parcius purgantur, iis ipsis quæ nunc ab ipso docentur odorum suffimentis curandas esse. In his enim vel sanguinis craßitudo, vel vasorum ad vterum pertinentium obstructio, vel eorundem conniuentia, & occlusio, vel totius substantiæ vteri densatio eorum retentionis caussa existit. Quicquid verò*

horum in caussa fuerit aromatum suffitio affectionem curat: quippe, quæ sua vi vasorum extrema conniuentia recludere, & humorum craßitiem extenuare, & obstructiones incindendo liberare poßit. Idem refert doctissimus eius assecla Oribasius lib. 9. synopsf.ca. 45. Verum, hoc Galeni loco, per conniuentiam & occlusionem vteri, ne illa censenda, quæ ab omenti fit compressione: nequeunt enim suffitus illi tātam attollere molem, nec absumere; verum conniuentia, quæ fit ex concidentia partium; vti densationem aliquam vteri emendare queunt, reducēdo hunc in meliorem statum, & tollendo eiusdē caussam frigidam, à qua ipse fit densus. Neque alij vsus, quos promittit Hippocrates ab iis, hanc continent partium comprimentium eleuationem, aut earūdē absumptionem, verum, vt Galenus in comment. interpretatur insinuat, quod suffitus, non solum valentes sint suam exercere vim in ipsum vterum, eo quo dictum est modo, sed & in aliis etiam corporis partibus, nisi hanc contraxisset noxam, capitis inducere grauitates. Hæc igitur huius loci interpretatio, hic sensus. Ad diuerticulum nuper redeamus.

De scopo quantitatis sectionis venæ in restrictis mensibus.

CAP. XIII.

SYmptoma hoc rarò acutum sequitur morbum, ferè semper magnum. quid quod, & actio hæc læsa, ad quam consequitur, maximi momenti cum natura functione toto genere secundum naturam, plurimos, atque præstantes amplectente vsus orbetur, destituatur, morbisitidem afficiatur grauibus,

ac

ac acutis ſępè. Quare ſummo ſtudio, nec minori ſolertia huic occurrendum. Et cum methodica curatio quatuor perficiatur remediorum ſcopis, inuenta qualitate, quam ex hypotheſi venæ ſectionem declaramus, de qua nuper iam diximus, de eiuſdem remedij quantitate mox diſſerere, eadem iam poſtulat methodus.

Quantitas hæc (cuius cognitio coniectanea, Galeno teſtante & lib.3. methodi c.9. lib.2. de rat. vict. ſen.37. lib. de venę ſect. aduerſ. Eraſiſtratæos, c.4. & lib. de cur. rat. per venę ſect. c.14.) ex quatuor dimanat fontibus, ex natura vel totius corporis, vel alterius partis, ex affectu quem ſanandum intendimus, ex eiuſdem affectus cauſſa, tum tandem ex viribus. Hæc igitur cuncta nihilominus conſulenda in deliberatione quãtitatis ſanguinis per venæ ſectionẽ detrahendę in acciſione menſium. In primis itaque natura æſtimanda, ſeu mulieris temperamentum, an iſtud calidum, vel frigidum, an eiuſdem habitus copioſo redũdet ſanguine, an ſecus. Sub natura cõſuetudinem amplectimur, quæ nihilominus obſeruanda, an ſcilicet cõſueta illa fuerit multam eliminare ſanguinis copiã per typicas ſingulas periodos, an verò mediocrẽ, an minimã potius: vti & ætas, & vitæ inſtitutum, quæ, & ſub hoc naturæ ſcopo vnà continẽtur, perpendendum. namque an mulier ſub adoleſcentia ſit, an ſub iuuentute, an potius ad primam iam acceſſerit ſenectam, quam ſemicanam & crudam vocat Galenus. lib.2. P. ſen.69. Rurſus vitæ inſtitutũ an ſobriũ, an verò immodicũ. Tãdẽ ãbiẽs explorandũ, quod & ſub hac definiunt ſcopi parte, vti & ſub ãbiẽte tẽpus ãni, cæli ſtatũ, & regionẽ: quãuis hęc inter ſe diſtĩctiſſima, & ſingula ſigillatĩ

rimanda. verum hæc cuncta an calida, vel frigida, vel temperatas potius sint, serò replicádum. His igitur accuratè perpensis, si mulier ex Galeno lib. de cur. rat. per venæ sect. cap. 9. calida fuerit, multo iugiter repleta sanguine, habitus itidem boni, eusarca inquam, venas simul latas habuerit, assueta copiosum reddere sanguinem, sub ambiente vixerit, regione, ac anni tempore pariter temperato, cœli statu clementi, vltra exortum alicuius magni syderis, qui exortus in nostro corpore, etiam ex dictatore lib. de aer. aq. & loc. maximas pariunt permutationes, sanguinem copiosum huic detrahendum, coindicantia suadent concordia. quæ, scopos simul vocat Galenus lib. 9. meth. cap. 17. in quantum in mentem artificis proponuntur, & ad absolutam auxilij deliberationem æstimantur. idem enim per distinctas rationes formales Indicans vocatur, & scopus. verum inter hæc, quàm maximè rimabimur naturæ consuetudinem, in ipso retribuendo menstruo sanguine, hæcque semper ob oculos, ceu stata regula, proponenda.

Scopus alter, qui ex affectu petitur, non solum qualitatem indicat remedij, verum & eiusdem insinuat quantitatem. cum omnis recessus à natura, ex Galeno lib. Art. Med. cap. 89. adæquatam, adinstar proportionis illius auxilij indicet quantitatem. Et quamuis istud auxilium caussam proximè respectet, primò tamen morbum, cum huius tollendi caussa aggrediamur curationem, ceu methodi finem. Quare quanto maior, & acutior morbus, tanto magis sanguis auferendus, etiam aliquando ad lypothymiam; vt cum Hippocrate docuerat Galenus lib. 1. Aph. sen. 23. quod in vteri maximis inflam-

flammationibus & licere,& expedire credimus.

Tertius ſcopus ex affectus cauſſa exigitur, quæ propriè quantitatem huius auxilij inſinuat. nam ſi hæc, humor videlicet, in quo ſanguis adhuc ſuam ſeruat ideam, contumax ac multa, ex Galeno lib.3. de comp.ſec.loc.c.1.contumaciter iugiter, ac multum vacuandum: vti ſi maxima fuerit plenitudo, ipſa obſtruens vaſa, nec ex præſcripto naturæ muliebria reſpondeant, multum vacuandum eſſe, ad cauſſæ adæquatam proportionem, methodus ipſa docet.

Vltimus ſcopus, qui à viribus, maximè in vſu huius auxilij conſulendus. Vires autem, etſi per ſe nihil præter conſeruationem indicent: tamen per accidens,quatenus conſentientes, vel diſſuadentes auxilium, maximoperè ad eius quantitatis exactã deliberationẽ conferũt. Quamuis enim morbus ſit magnus,magnũ exigens auxiliũ, haudquaquã illud adhibendum, ſi vires ob earum langorem diſſuadeant.Morbo igitur debet auxilium adæquari,iuxta virium ſtatum, & quantum ipſæ ferant. harum enim indicatio dignitate cunctis præſtantior: cum vires ſeruare, ſit vitam ſeruare, qua nihil in homine dignius, aut charius.

Quare hæc ſingula affabrè æſtimanda ſunt, & mutuò inter ſe combinãda ruſus,vt artificioſa cõiectura,eumethodo inquam, exactè in circuncisis menſibus valeamus de venæ ſectione deliberare. Verum inter hęc,illud vnum memoria tenendum, quoad huius auxilij vſum, in hoc ſanando affectu, eam omnem non tollamus quantitatem,quam fœmina ſecundum naturam retribuiſſet, niſi fuiſſet ipſa, ab aliqua præter naturam cauſſa, per menſes

rimanda. verum hæc cuncta an calida, vel frigida, vel temperatas potius sint, seriò replicádum. His igitur accuratè perpensis, si mulier ex Galeno lib. de cur. rat. per venæ sect. cap. 9. calida fuerit, multo iugiter repleta sanguine, habitus itidem boni, eusarca inquam, venas simul latas habuerit, assueta copiosum reddere sanguinem, sub ambiente vixerit, regione, ac anni tempore pariter temperato, cœli statu clementi, vltra exortum alicuius magni syderis, qui exortus in nostro corpore, etiam ex dictatore lib. de aer. aq. & loc. maximas pariunt permutationes, sanguinem copiosum huic detrahendum, coindicantia suadent concordia. quæ, scopos simul vocat Galenus lib. 9. meth. cap. 17. in quantum in mentem artificis proponuntur, & ad absolutam auxilij deliberationem æstimantur. idem enim per distinctas rationes formales Indicans vocatur, & scopus. verum inter hæc, quàm maximè rimabimur naturæ consuetudinem, in ipso retribuendo menstruo sanguine, hæcque semper ob oculos, ceu stasta regula, proponenda.

Scopus alter, qui ex affectu petitur, non solum qualitatem indicat remedij, verum & eiusdem insinuat quantitatem. cum omnis recessus à natura, ex Galeno lib. Art. Med. cap. 89. adæquatam, adinstar proportionis illius auxilij indicet quantitatem. Et quamuis istud auxilium caussam proximè respectet, primò tamen morbum, cum huius tollendi caussa aggrediamur curationem, ceu methodi finem. Quare quanto maior, & acutior morbus, tanto magis sanguis auferendus, etiam aliquando ad lypothymiam; vt cum Hippocrate docuerat Galenus lib. 1. Aph. sen. 23. quod in vteri maximis inflam-

flammationibus & licere, & expedire credimus.

Tertius scopus ex affectus caussa exigitur, quæ propriè quantitatem huius auxilij insinuat. nam si hæc, humor videlicet, in quo sanguis adhuc suam seruat ideam, contumax ac multa, ex Galeno lib. 3. de comp. sec. loc. c. 1. contumaciter iugiter, ac multum vacuandum: vti si maxima fuerit plenitudo, ipsa obstruens vasa, nec ex præscripto naturæ muliebria respondeant, multum vacuandum esse, ad caussæ adæquatam proportionem, methodus ipsa docet.

Vltimus scopus, qui à viribus, maximè in vsu huius auxilij consulendus. Vires autem, etsi per se nihil præter conseruationem indicent: tamen per accidens, quatenus consentientes, vel dissuadentes auxilium, maximoperè ad eius quantitatis exactã deliberationẽ conferũt. Quamuis enim morbus sit magnus, magnũ exigens auxiliũ, haudquaquã illud adhibendum, si vires ob earum langorem dissuadeant. Morbo igitur debet auxilium adæquari, iuxta virium statum, & quantum ipsæ ferant. harum enim indicatio dignitate cunctis præstantior: cum vires seruare, sit vitam seruare, qua nihil in homine dignius, aut charius.

Quare hæc singula affabrè æstimanda sunt, & mutuò inter se combinãda rursus, vt artificiosa cõiectura, eumethodo inquam, exactè in circuncisis mensibus valeamus de venæ sectione deliberare. Verum inter hęc, illud vnum memoria tenendum, quoad huius auxilij vsum, in hoc sanando affectu, eam omnem non tollamus quantitatem, quam fœmina secundum naturam tetribuisset, nisi fuisset ipsa, ab aliqua præter naturam caussa, per menses

aliquot restricta. quia cum illi ingens, ac immodica debeatur vacuatio, quæ omnis, ex dictatore lib. 1. sen. 3. & 2. Aph. sen. 51. periculosa, seriò intermittenda. sufficiet igitur corpus à sarcina illa maiori ex parte leuare, & illud in mediocrem reducere statum, quidpiam relinquendo naturæ, ceu morborum optimæ medicatrici.

Lubet modò, vt dilucidior doctrina fiat, eandem exemplo lustremus. Ponamus ex hypothesi Polymniam iuuenculam eusarcam, calidi simul ac humidi temperamenti, plethoricam, ac venas latas habētem, assuetam mox per tres soles quolibet mense illud cruentum tributum lautè ac abundè reddere, vltra hæminā alteram ac semicem, seu vltra vncias tredecim altero quoquo die: deinceps supponamus hanc ingenti systrophica inflammatione in vtero lancinari, accisionis mensium parente. Porrò per alteram tantum periodum typicam sub veris tempore, temperata vnà regione, cœli statu sereno, & tranquillo, nullo adstante maximi alicuius syderis cosmico exortu, ambiente pariter ad tēperiem vergente. Huius itaque, si morbum spectemus, intemperies erit calida, si caussam, fluxus humoris calidi, maxima copia exundantis; quę omnia illa nuper à nobis supposita liquidò demonstrant, vti & vires robustas esse omnes, vitales inquam, naturales, & animales: quarū priores in omni vacuatione præsertim æstimandæ. In hac itaque fœmina non præcipuum indicans solum, morbus videlicet cum sua caussa validam & copiosam adhortatur vacuationem, verum & cuncta coindicantia, ceu concordia: tum & hanc, per venæ sectionem præstandam insinuant præfata. quia remedium magnū, quod

quod morbus postulat: eius caussæ rursus adæquatum, quia sanguis: tutum, quod optandum: citissimum, quod maximè morbi requirit acuties. Audacter igitur, ac validè hauriendus sanguis. Cęterum, si ex his connexis indicationibus partem adhortētur aliquę, partem alię dehortentur; tunc & numerus earum æstimandus ad quam partem inclinent, ac cuiusque dignitas, & vis consulenda; & in lance omnia reposita prosequendum, & quod virtute, & quod dignitate præpollet neglectis haudquaquam dehortantibus, iuxta cuiusque vim & facultatem, & cunctarum numerum. Dignitate sanè præstant vires, morbus cũ caussa dignatione. vnde hæ indicationes maximam vim habent ad suadendum, cũ reliquas omnes longè antecellant. proinde adstantibus illis, & adhortantibus copiosam sanguinis vacuationem, etsi reluctētur reliquæ, illam seriò pręstabimus: multò tamen minus, iuxta dehortantium numerum, aut singularum vim, & facultatem. Illustrat hanc methodum venustè Galenus lib. 8. meth. c. 9. febrium exemplo. quam omni obseruatione dignam censemus, ne cum Acesiis quibusdam Medicis, ceu amethodis auxiliorum quantitatem temerè præscribamus, maxima cum ægrotantium clade, medium inter vtrumque extremum seriò nos intendentes.

De scopo vtendi modi mittendi sanguinem in accisis mensibus, iuxta Neotericorum sententiam.

CAP. XIV.

DIfficilem, & arduum ingredimur nunc euripum, qui hûc, illûcque marino quodam æstu Medicorũ mentes iactat, torquet. difficultatē parat pyratarũ pręsertī in eodē euripo multus, & assiduus

conuentus, maxima cum nauigantium iactura. Quæritur itaque an in accisis mensibus liceat aliquando cubiti venas tundere, iam rursus crurum, an potius ex cruribus semper hauriendus sit sanguis. Vtramque difficultatis partem præpotentes habet duces, qui & controuersam amplius rem, ac difficiliorem reddunt. Hippocrates, & Galenus, qui in medicina familiam ducunt, vltimam partem firmiter astruūt, quos lubenter plurimi insequuntur classici doctores. alteram mox partem Aëtius tuetur, vir Græcus, & inter eos nec ignobilis, incautus tamen cùm parua manu aduersus illos clarissimos Principes bellum ineat, & classis oppositæ dux fiat. Scribit namque (etsi ex Rufi Galeno coætanei mente) plenitudine in corpore adstante prius cubiti, mox crurum secanda vasa. Hunc ex Neotericis sequuntur plurimi doctores, doctrina celebres, quadam sanè apparente ducti probabilitate, seu si mauis decepti potius. inter reliquos se offert Amatus Lusitanus, Trincauellus insuper, Altimarus, Mercurialis, Riolanus, & alij in multitudine copiosa. Hi igitur, hanc lubricam opinionem, & rationibus, & quibusdam veterum auctoritatibus omni arte conantur fulcire, in primis etiam & doctissimi Galeni, cum lib. 10. de comp. med. sec. loc. ca. 2. illud Aëtij, in curatione ischiadis æstimandum doceat. cuius auctoritatis momentum, magno quodam armorum quasi strepitu illi celebrant, & aduersarios, eôdem perterreri pariter arbitrantur. Galeni diuina sanè verba hæc sunt, *Tanquam igitur maximam vim ad affectionis curationem habeat totius corporis vacuatio, ab ipsa incipiendum est, non solùm à cruribus, sed à cubito primùm, sanguinis detractione*

tractione facta. Inde viri isti construunt sequelam, vti in ischiadis curatione, in corpore adstante plethora à cubito hauriendum prius sanguinem Galenus consulit, rursus ex talo: sic in restito mensurno sanguine.

Tuentur præterea eandem sententiam, & Aëtij testimonio, quem sibi proponunt ducem. hic itaque ex instituto, proprio de hac re inscripta capite Tetrabibli 4. rem lustrat ser. 4. cap. 57. & Rufum huius opinionis fecit auctorem. eius hæc sunt verba, *Atque hæ quidem copiosa sanguinis missione sanantur.* videlicet quæ ob plenitudinem non purgãtur, scopus sanè capitis. *cubiti itaque, ac tali venas secare oportet*, &c.

Deinceps Paullum eiusdem opinionis asseclam proponunt, cum lib. 3. cap. 61. hæc recenseat, *Cum igitur propter aliquod interaneorum affectum primarium purgatio circunciditur, aut moratur, ex vsu maximè fuerit, id quod primariò afficitur curare, inde vteri habere rationem.* Interpretantur Paullum, etiã inter affectus primarios morantes purgationẽ plenitudinẽ esse, & cum huic prius occurrẽdũ: occurritur autẽ plenitudini tutius & cõmodius multò cubiti secãdo venas, vt nuper in ischiade, ex Galeno diximus: hinc inferunt, in accisis mẽsibus, plenitudinẽ adstãte, venas cubiti scindẽdas prius. Amplius mẽtẽ suã aperit Paullus, dũ paullò infrà, agẽs de tali scissione, hæc addit, *Vbi accesserit mẽstruale tẽpus si nihil: aut nulla mẽtione dignũ fuerit excretum, ex talo sanguis detrahẽdus est.* quasi insinuet Paullus ante accessũ illius tẽporis nobis iubeat cubiti secare venas, si affectus adfuerit, eo modo illud auxiliũ postulans, qualis ipsa plethora, vt arbitrantur ipsi.

Tandem Matthæum deGradi nobis offerunt idē ſentientem,com.in 9.Raſis ad Almāſorem, quo loco Aben Sceni in eodem currere ſtadio refert.quod falſum, cum hic Hippocrati & Galeno tenaciter hæreat, vt infrà mox dicemus.

Hi ſunt auctores antiqui, quos nobis ob oculos ponūt huius ſectæ æmulatores. Rationum momēta,quibus eandem ſtruunt,hæc quæ ſequuntur.

Primò, In menſium acciſione, à plethora totius corporis,affectuum adeſt connexio,præſentis videlicet cauſſæ cum morbo.quæ cauſſa non ſolum obſtructionem factam auget, ac ſeruat, verū & de nouo parata eſt alteram efficere. Sed in hoc connexu, ordo poſtulat, curationem à cauſſa inchoandam. Ergo à ſubmotione plethoræ eandem aggrediemur. Hæc tutius, & commodius cubiti ſecando venas ſubmouetur. Ergo prius hæ tundendæ.

Prior ſyllogiſmus axiomatis fruitur Medicis; & vti demonſtratio recolendus. Aſſumptio alterius ſic probatur: Sectio cubiti non ſolum plethoram vberè minuit, verum & ab ipſo vtero retrahendo præcauet, ne ſua multitudine factas obſtructiones augeat, aut de nouo germinet, ſecus autem inferna ſectio, cum oppoſitum præſtet, ducendo humores verſus partes obſtructionem patientes. Ergo per cubiti ſectionem & tutius, & commodius curationem aggrediemur.

Altera ratio, in exoluenda qualibet obſtructione humores illi ſunt retrahendi, qui eiuſdem efficientes ſunt cauſſæ, haudquaquam ducendi verſus locū obſtructum. quia, vti illud reapſe, aut generationē, aut incrementum præcauet: ſic iſtud aut certò gignet,

gnet, aut incremẽtum dabit. Sed venæ sectio cubiti retrahit recellítque ab vtero multitudinem germinantem, aut augentem obstructionem, tali verò ad obstructam vteri sedem eandem ducit, ibíque aut nouam producit, aut iam factam contumaciorem reddit. Ergo & illa vtilis, altera verò noxia, in accisis videlicet mensibus à plenitudine.

Tandem cubiti sectionis præstantiam multis experimentis comprobant; quia hæc non deponere solum valet ipsam plenitudinẽ, verũ illicò & concitare menses. In artis namque operibus postulante morbo venæ sectionem ex cubito, & mox præstita (etiam & sæpè absente periodo menstrua) statim mensurnus sanguis prosiliit.

Cæterum, vt stet omni ex parte firma eorum opinio, cúmque summos Principes Hippocratem, & Galenum aduersarios contemplentur, haudquaquam submisso signo, verũ, non quasi victores, pacẽ, quã Aëtiũ initurũ proponũt, audacter contẽdũt: quia testãte Tullio li. 7. ad Att. epist. 14. Pax, vel iniusta vtilior iustissimo bello, proinde & hanc exoptant, vt absterso Martio puluere, quiescãt paullulũ, sub fœlici Mineruæ arbore. Sed quamuis variè illud intendant varij, frustra tamen, & perperam.

Victor Trincauellus, tum lib. 10. de morb. totius corp. hum. curandis, ca. 4. tum li. 3. Consil. cons. 70. pacem hanc facilè conciliaturam censet, nec alterutros arbitratur abnuere, si morbum simplicem, vel connexum æstimemus. nam si hac ratione, connexæ prius caussæ, plethoræ videlicet occurrendũ indicat, secando cubiti venas: mox affectui, tundẽdo inferiores. sin autem alia ratione, totus tunc animus in sola affectus sanatione conuertendus: vnde

Aaaa

non adstante illa caussa, semper infernæ venæ secandæ veniunt, ceu vnicum ac peculiare auxilium. hinc pacem oriri existimat, dum Hipp. & Galenum de vltimo isto modo fuisse loquutos retur, Aëtium autem caussam potius simul obseruasse connexam. quare vtrosque bene sentire credit. Porrò Altimarus lib. de cur. morb. cap. 107. aliter hos conciliare intendit, dicens Aëtium maximam supponere plethoram. quæ cum vberrima egeat vacuatione, & hanc vires tutò non ferant, idcircò cubiti venas prius, mox crurum secandas iubet, vt ambobus simul iunctis, sufficiens fiat plethoræ tollendæ auxilium, ac tutum. Galenus hanc vberem non obseruauit, virésque robustas adesse in fœminis minori plethora laborantibus, ad vnicam vacuationem plethoræ adæquatam pro certo habuit; qua ratione ductus infernam tantum laudat, vnà & Galenum, cum supernas menses compescere autumet, nisi infernæ illicò secentur.

Franciscus Vallesius lib. 2. meth. ca. 14. vnà cum Trincauello has amicitias simili componit ratione.

Verum inter reliquos Amatus Lusitanus centur. 1. cur. 15. animosè, aut forsan temerè repulsa pace, sub Aëtij signo, aduersus illos Principes arma suscipit, & istud ceu liber, liberè posse censet. Hieronymus Mercurialis palinodiam canit. & Principibus neglectis, Aëtium vltrò & citrò amplectitur. Olim lib. 4. de morb. mul. cap. 1. Galenum strenuè defenderat, & Aëtij consilium, ceu anile haudquaquam admittendum arbitrabatur: in Pisanis autem lectionib. quas post annos plurimos in Hippocrat. historias Epidem. edidit oppositum tenet, in hi-

in historia præsertim 15. vbi, à qua nuper abhorrebat sententia, & iure: rursus, heu! iam eidem tenaciter hæret.

Ludouicus Mercatus lib. 1. de morb. mul. cap. 9. eandem pariter Aëtij tuetur sententiam, plenitudine videlicet existente in corpore, aut in vtero, aut vicinis partibus, obstructiones ibidem generante, ad partes distantissimas ab ipsa obstructa recellendum. vnde supernas iure scindendas tetuet. verum sanguine redundante in vtero, aut in toto corpore, propter obstructiones iam in vtero factas, cum Galeno potius ex infernis sanguis hauriendus.

Tādem Ioānes Riolanus cum Altimaro, & Trincauello iterum inter hos Principes intendit constituere pacem lib. de particul. meth. benè medendi. sect. 4. c. 1. In manifestè plethoricis, inquit, vera est Aëtij opinio, alioquin insequendus Galenus. quibus insinuat Aëtium sequendum esse, plethorica tantùm adstante syndrome, quam Erasistrataei necessariò adesse censebant, ad venæ sectionis deliberationem.

Neque est quod modo alios amplius congeramus auctores hanc insequentes opinionem, his tantum contenti. verum antequam hos expungamus, prius fas est alteram ceu ratam, ac firmam exponamus vberè.

Vera sententia exponitur vtendi modi venæ sectionis in circumcisis mensibus, eiusmethodóque illa, ac rationibus comprobatur.

CAP. XV.

CAstramentata Aetij acie (vtor modò lubenter verbis castrensibus) ex aduerso occurrit cohors insignis altera, cuius inuulnerabiles duces Hippocrates, & Galenus, vti signifer eumethodus, milites doctores classici plurimi, quorum omnium πυκμήεια, ac bellica peritia, quasi certò gloriosam promittunt victoriam. Bellum iam ineat rationalis methodus, cui mox accurrent duces, hos tandem sequentur ordinarij, ac subsidiarij milites. Demonstremus itaque ratione, ac methodo in restrictis mensibus sanguinē semper hauriendum ex infernis partibus, tam adstante, quàm absente iam plethora.

Methodus itaque, quæ nobis viam parat ad colligendum hunc scopum, auxiliorum videlicet vtendi modum, plurima amplectitur, inter reliqua & illud, quod nostrum modò facessit negotium, locum inquam: hic æstimatur non solùm respectu partis affectæ, verùm & auxilij quammaximè, ceu indicati in genere, mox verò & in specie deliberati. Cúmque auxilium in curatione sit efficiens causa sanitatis, etsi per accidens, per se verò, etiam effectiuè oppugnet morbum, supplantet, euellat: indiget quidem, vt hoc præstet, contactu physico corpus attingat, in quo morbus, aut saltem eius vis ac facultas eò perueniat: quod consequetur, si commoda, ac proportionata distantia fuerit intermedia. Neque hic locus simpliciter indicat cum morbo, nec simul cum auxilio indicatur, cum potius vt scopus alter æstimandus, & à Medico proponendus ad absolutam, & methodicam morborum curationem. in quo errore volutauit inter alios Michaël Gauasſetius lib. 1. de indicat. cur. cap. 21. 22. 23. confundens

fundens hanc scopi rationem cum indicatione, & hunc modum vtendi respuens, quasi reapse non distinguatur à qualitate auxilij. Sed hæc iam suo loco abundè expunximus. Præterea, & hic scopus vtendi modi propter indicantis rei diuersitatem, diuersum itidem in se modum includit: aliquando enim (vt non ab instituto recedamus) morbus reuulsionem indicat, aliquando rursus deriuationem, iam aliquando vacuationem, scopi sanè rei indicantis auxilium. quæ munera cum in indicato, seu vt verius loquamur, in deliberato auxilio nos obseruemus, & vnum quodque illorum munus sua peculiari fruatur proprietate, cũ reuulsio distantiam requirat cum oppositione, deriuatio vicinitatẽ, vacuatio sedem affecti loci, vti vasorũ coniugium cõnexa vacuatione cũ reuulsione; hinc varius modus exurgit vtẽdi auxiliis, iuxta naturã cuiusq. indicãtis. nã si affectus fuerit indicãs reuulsionem, qualis magnus motus humoris ad locũ passum, quęrend⁹ tũc locus cum distãtia & oppositione (quod est scopus propositus) inter affectum indicantem, & auxilium in specie deliberatum: vti si deriuationẽ, qualis minimus motus humoris ad eundem locum passum, locus vicinus explorandus &c. Accedamus iam ad hypothesim, & methodum in restitis mensibus illustremus. In hoc affectu, scopus vtendi modi venæ sectionis, quid æstimare porrẽdit? nihil aliud, quàm restitorum sanguinẽ vacuare, & quò natura ipsa, ex eius præscripto v. rgit ducere, per vterũ videl. hoc autem tantũ perficitur illo proposito scopo vacuatiuo; & cũ p venas passi loci nõ liceat, saltẽ p cõiuges id pręst. .bu nus, quales infęrnę, q̃ & locũ passum exactę vacuabũt, vt suprà ex Galeno demõstrauim⁹ i phlegmonis vteri curatione, & accurate vers⁹ par

tes infernas sanguinem ducent. vterus namque locus passus cum sit, per quem, menses natura eliminat, infra corporis medium, quod renes circumagitur: quare vtrunque solum infernæ complent venæ. Ergo & hæ tantum in hoc affectu tundendæ. Porrò, cū nulla in hac hypothesi, à supernis partib. adsit fluxio; cum sensim in vtero humores descenderint, & in eo mox aceruati, nullus pariter adest reuulsionis scopus, nullius itaque vsus cubiti venæ sectio.

Anatomica historia lubet modò demonstrare illud, quod totius difficultatis est cardo, infernas videlicet venas complere tantum vtrunque illud affabrè, & vacuare vteri vasa à quacunque plenitudine, vti & venam etiam cauam, & simul ducere humores versus partes infernas, citra metum nouæ obstructionis generaturæ. Primum itaque scopum adimplet, quia secta vena poplitis, aut tali, quæ vtræque surculi sunt illius stipitis, qui seritur per crus, vti & hic stirps venæ cauæ ramus, dum per vtrunque crus alter quique inseritur, à qua vena caua exoriuntur pariter tubi alij, qui inseruntur per vteri stomachum. Quare proximè, & cum maximo cōiugio, inanitis crurum venis, inaniuntur & stipites illi maximi, in quibus vena caua diuiditur, & eadem vena caua necessariò, tum & surculi illi, qui inseruntur per vniuersum vteri corpus, & eius stomachum. haudquaquam istud præstare valent venæ cubiti, tum propter maximam distantiam, tum multiplices intermedias venæ cauæ diuisiones, tū minimum, aut nullum sanè vasorum coniugium. quia situs vteri multò inferior hepate, & vena caua (vt diximus) multas patitur diuisiones, in surculos

pluri-

plurimos, ex quibus omnibus secto cubito, prius vacuaretur sanguis, quamuis mouens accederet ad ipsius vteri vasa, vt plethoram illius tolleret. Altera scopi pars innotescit, quia infernis vasis sectis etiam inclinatur sanguis versus partem sectam, ad quam secundum naturam ipse fertur. neque probatione hoc indiget; nam consequutione ad id quod vacuatur sanguis, ceu res fluxilis suam seruans cõtinuitatem, versus partem corporis, ab vmbilico totius corporis centro, infernam, apposité detruditur; vt ibi, si lubet, sit recõditus, & apparatus & naturæ præstò, ad eius ex præscripto naturæ typicam expulsionem. cubitorum verò sectiones, tantũ abest, quod hæc præstare valeant, cum oppositum potius ab ipsis sit expectandum, quia retrahunt supra materiem, & inhabilem naturam reddunt ad eius eliminationem. Auersandæ igitur, & ceu amethodæ detestandæ.

Quod si obiiciant aduersarij, vt sæpè balantes audiuimus: hæc, dempta plenitudine totius corporis, locum habere: quia ea præsente, cum infernæ sectionis beneficio humor ducatur ad partem obstructam, inde & maior parabitur obstructio, & contumacior fiet, aut de nouo germinabitur. quare exactior methodus, quæ curationem inchoabit ex ablatione multitudinis, præmissa videlicet cubitorum sectione, longè remouente illa incõmoda, quã quæ semper ex cruribus sanguinem haurit.

Satisfaciemus dicendo, vel consideramus plenitudinem simpliciter, vel alteri affectui, siue secundũ naturam, siue præter connexam. Si primo modo, æquè licet illam deponere, à quacunque corporis parte sectio fiat: imò & ex Galeno lib. 4. de rat. vict.

nuper eleganti quadam ratione ostendemus, & diffusè amplius infrà dũ rationes aduersariorum expungemus. Ratio est huiusmodi, quæ iuxta seriem erit secunda.

Si adstante plenitudine in mensibus suppressis venas infernas secare non liceret, hoc ideo (vt aduersarij censent) quia auxilij huiusmodi vtendi ratio, magis obstructiones augeret. Sed hoc falsum. Ergo & illud ex quo sequitur.

Probamus assumptionem. Illud auxilium nequit augere obstructionem, quod à parte obstructa vacuat, deriuat, ac reuellit, Sed huiusmodi est venę sectio inferna. Ergo.

Iterum assumptionem probamus. In omni systrophica inflammatione, ex rationali methodo, tres illi adsunt scopi reuulsionis, deriuationis, & vacuationis. Sed ex Galeno li. 13. met. ca. 6. in vteri systrophica inflammatione vnicum auxilium est venæ sectio, sub hoc vtendi modo, inferna inquam. Ergo, & quia hæc reuellit, deriuat, & vacuat; quasi hæc, cunctis illis satisfaciat scopis. Quare nequit alibi contentos humores ad vterum ipsum trahere, & inflammationem augere, aliter enim ex vsu non esset istud auxilium. & per consequens nequit hæc sectio suo concursu, ac motu humorum, aut de nouo obstruere, aut factas iam obstructiones, amplius augere. Verum quamuis hæc sectio ab vtero reuellat, ac vacuet, menses tamen non abdit, si in tempore fiat opportuno, vt infià suo loco dicemus: imò quò natura ipsa vergit perbellè & ipsa ducit.

Tertia ratio si in accisis mensibus adstante plethora liceret venas cubiti priùs scindere: hoc idem haudd ubiè & in occultatis lochiis eâdem

præſente plethora, ius cenſendum. Sed in reſtrictis lochiis nefas, etſi ingens adfuerit plenitudo, neque vnquam à viro aliquo mentis compote tentatum. Ergo & nefas in reſtitis menſibus.

Propoſitio veritate fruitur maxima: aut amabò aſſignent nobis diſcrimen, cum eadem materies, ſub certa latitudine, eadem facultas, idem locus, idémque finis, ſi rem ſecundum naturam, & ex eius præſcripto obſeruemus. ſi verò contrà, quatenus præter naturam, idem ſymptoma, idem affectus ad quem ſequitur, eadémque in vtroque cauſſa, ſi rem poſt nixum æſtimemus. nec quicquam diſtinctum reperio eſſentiale, quod valeat in altero horum curationis methodum, ſeu huius auxilij vſum, iuxta medendi ſcopos, immutare, inuertere.

Aſſumptio patet ex Hippocratis, & Galeni doctrina, cum vbicũque fuerit de ſubiecta materie occaſio diſputandi, hanc tantum conſulant infernam ſectionem, nec Aëtium aliter ſentire crederem, aut ſaltem verbis non expreſſit, nec quiſpiam alius ex aduerſariis. quid quod nec rationalis methodus aliud docet. ſequerentur enim grauiſſima ſymptomata, ſi verſus partes principes humor ille in conceptionem per nouem, aut decem menſes in vaſis vteri, aut huic vicinis, ſtabulatus ſurſum recelleretur per quandam palindromen, quam ars ipſa iubet per naturalem meatum, ad hoc munus etiam deſtinatum quam citò ducere, & foras detrudere. Quare ſi propoſitio vera, & aſſumptio; ex duabus præmiſſis veris, vera neceſſariò & concluſio; quod nefas in acciſo menſurno ſanguine, prius cubitorum tundere venas.

Et quamuis aliæ poſſint in medium proponi ratio-

tiones, his, tanquam ad argumenti sufficientem contenti demonstrationem, finem modò imponamus, ad auctoritates mox illustrium virorum descendendo, insignium præsertim Medicinæ parentum.

Vera sententia confirmatur Hippocratis, & Galeni testimoniis.

CAP. XVI.

QVamquam aduersarij magno armorum strepitu eorum ducis Aetij, aut Rufi potius, præstantiam nobis proponant, & militum nihilominus insignem industriam, Amati, Altimari, &c. nec terremur proinde, nec percellitur animus pauore, cũ & nos duces ingenuos, & in palæstra Medica principes sequamur strenuos, Hippocratem videlicet, & Galenum: quorum nomen cunctis imponit silentium, & auctoritas admirationem. horum insuper imperiũ legiones insequuntur proceræ, ac numerosæ, vt palam mox videbimus. Obuiam itaque fiat in hoc theatro ille quamprimum, qui in sacra Medicina primus, Hippocrates inquam ille, qui à diuina prouidentia, ceu alterum Medicinæ numen cunctis Medicis proponitur imitandus. Is igitur lib. 2. Epid. sect. 4. Stymargi famulæ à lochiorum accisione laboranti, cum vniuersum eius corpus tremoribus lancinaretur, venam infernam tantummodo secare iussit, vt vtero, ceu mali principio quã primum occurreret, neglecta etiam cubiti, etsi in toto corpore maxima adesset redundantia, ac cacochymi sanguinis plenitudo, qualis, vt plurimum, ob

ob menses per longum conceptionis tempus occultatos, in cunctis reperitur enixis. hoc ipsum in hac famula palàm demonstrans, symptomata illa maxima, multitudinis illius cacochymæ germina.

Porrò, lib. 1. de morb. mul. num. 66. postquam varia consuluisset auxilia ad menses excitãdos, ac lochia, hæc tandem infert, *Quandoque verò non exit, sed mulieri mortem portendit: nisi quibus breui venam secet, aut ventrem emolliat.* quo loco, cum citra discrimen venę sectionem consulat, nec vtendi modũ declaret, proculdubiò de inferna censisse iudicandum, ceu aptiori ad scopum consequendum, vt in famula illa hunc seriò pręstitisse videmus. quę cum filiam fuisset enixa, & ob vteri osculi contortionem nullatenus purgata, consequutis itidem exinde per vniuersum corpus tremoribus, multitudinis euidens signum, aut per vniuersa corporis vasa ingentis vitiosi sanguinis redundantiæ iudicium, nec cubiti venas secare ausus fuit, imò contrà, secta tali vena, vt respectaret caussæ principium, hac arte illam sanauit consultò.

Tertiò, lib. 1. Epid. com. 3. sen. 22. vxori Epicratis, restitis muliebribus, adstante simul corpore pleno, secundo à partu die, vt illa per statum prosiliissent meatum, pessum adhibuit. verum ne per somnium quidem, plenitudinem illam per venas cubiti deplere intendit. Et cũ vtriusque auxilij, pessi inquã, & infernæ sectionis idem scopus, deponere videlicet plenitudinem, quò natura bene operante, atque ex eius pręscripto, vergit. consulens igitur pessum, & infernam sectionem vnà amplectitur.

Denique libro de virginum morbis n. 3. postquã ẽinumerasset noxa grauia, & incommoda plurima

qu...æ

quæ ex accisis mensibus, & eorũ plenitudine, iuxta partes principes accidũt, hęc recēset. *Cæterũ curatio, vt hinc liberētur, est sanguinis detractio, si nihil fuerit quod impediat.* Simpliciter itaque, vt in reliquis locis, & citra discrimen hoc auxilium consulit, quasi vnica sit via ad tollendã plenitudinē, ex mensium occultatione obortam, sectio videlicet inferna.

Quod si opponat quis, nos Hippocratem enixarũ historias alloquentem proponere, haudquaquam mensurnũ sanguinem typicum occultãtes caussas. Dicemus, vt superiori indiximus capite, vtriusque affectus eandem esse rationem, etiam iuxta hunc scopum vtendi modi: neque apertis verbis alibi de hac re scriptum quicquam reliquit. Proinde accedat iam Phœbus alter, verus mentis Hippocratis explorator, & omnem caliginem absterget, & illustris eius ingenij micantibus radiis Hippocratæam omnem doctrinã, imò & vniuersam Medendi sciētiam miro quodam artificio, & numine ineffabili illustrabit. hic itaque totius orbis verè Γαλην͂ος, vt cunctas nugas, & lubricarum opinionum fluctus recelleret, supplantaret sophismata: (nescio, heu! quo miserando fato amplius pullulent.) hanc de hac nostra hypothesi seriam refert sententiam, quasi ex tripode elicitam. verba eius, quouis nectare suauiora, hîc subscribam, & primum, quæ lib. de cur. rat. per venæ sect. cap. 11. solerter scripsit, *Nam plenitudines à suppreßis mensibus ortas, omnino per crura vacuabis, siue venam secare oporteat, siue scarificare &c.* O Aëtiani, quid dilucidius? quidve apertius? Cur amabò ceu noctuæ lumen amplius quæritis in meridie? si igitur Galenus plenitudinē obseruat, & hac omnē (cũ simpliciter de ipsa loquatur, siue totius corporis siue tãtũ vteri per infernas

sectiones tantum tollendam esse declaret, cubitorũ necessariò neglectis, quare in re certa ambigitis, timore trepidatis, vbi nullus timor? adhuc apertius rem innuit idem, statim subiungens, *secta enim in cubito vena mulierum reuellere purgationem assolent.* Si igitur cubitorum sectiones muliebria retrahũt, quę nos mouere intendimus, etiam adstante simul plenitudine, proculdubiò illæ expungēdę, & crurũ potius cędenda vasa, vt vtrumque vnum commodè præstemus, plenitudinem videlicet tollamus, & motum naturæ concitemus.

Rursus, quod cubitorum sectiones motum vteri retrahant, eodem libro ca.18. declarat Galenus, dum infit, *Namque ex cubito fiunt euacuationes, aliud etiam habent adiunctum malum, nempe quod purgationes menstruas comprimant, sanguinem ad superiores corporis partes retrahendo. quæ verò fiunt ex cruribus, tãtum abest vt etiam menses promoueant.* Hinc porrò sequenti capite 19. concludit, *At in iis, quibus repreßi sunt menses semper in cruribus.* Si igitur in cruribus semper: ergo & omni præsente plethora, & absente cum illud semper, vtrumque hunc modum essendi ambigat necessariò, neque alium quidem.

Præterea, & eundem Galenum audiamus, cuius assertioni præstruenda fides; hic igitur, lib. de venæ sect. aduers. Erasistratæos ca.5. sic fatur, *Postquam enim per tempus purgationis, quæ circuitu quodam fieri solebat sanguine ad superna perlato periculum immineret, ne mulier quandoque sanguinem expueret, Erasistratus plenitudinem minuere cupiens, ad inediam se contulit: atque hæc superuacanea planè est, si modo venæ sectio quæ momento temporis sanguinem superfluum*

fluum euacuare facillimum fuerat: accersatur. Proinde illi, qui Romæ mulieres medebantur, rei quæ contigerat experientia maximè commoti, tempore quo eruptio menstruorum futura expectabatur, venæ sectionem vsurpabant. Neque verò quietem illis imperabant, neque ieiunium, sed melicratum offerebant, victúque humectante, ac lauacris affatim vti concedebant. Ab his enim, si vel mediocri quantitate sanguis fuerit subtractus, purgationes confestim exoriri solent, præsertimque si infra poplitem, aut prope talum vena sectio fiat. In hac sententia quamprimum hæmaphobum conuellit Erasistratum, in accisis mensibus interdicentem itidem venarum sectiones, etiam imminente sanguinis sputo. Vnde Romani eius asseclæ, cùm ope frustrarentur, ad venæ sectionem conuersi, eam imperabant, neglectis Præceptoris auxiliorum quisquiliis, admissis illis tantum auxiliis, quæ & sanguinem attenuare valent, orificia vasorum recludere, lauacris inquam, melicrato, & humectante victu: à quibus omnibus, eò præsertim si sectio fuerit in poplite facta, aut talo, & sanguis vnà in mediocri quantitate subtractus, vt idonea materies excernenti naturæ relinquatur, confestim ac liberè typicæ solent exoriri purgationes. Neque aduerbium illud *præsertim*, quo Galenus vtitur in fine, aduersariorum partes agit; quasi eo velit innuere cubitorum sectiones tollendo plenitudinem (etsi per accidens) menses mouere, præsertim si illicò infernas secuerimus, quia nullibi cubitorum sectionum fuit facta mentio, vt illas possit referre. verùm illo aduerbio seriò innuit, poplitum sectiones, præsertim intendere menstruas purgationes, quā tali: quia vas ma-

Bbbb

gis capax,& amplum,quam tali,multóque vicinius loco patiente. hanc nostram interpretationem astruit idem Galenus lib. 13. meth. dicens, *Renibus verò, & vesica, & pudendo, & vtero sic habentibus, eas quæ in cruribus sunt sitæ: ac potissimum quæ circa poplitem sunt: sin minus, eas quæ iuxta malleolum.* quare quod superiori dixerat præsertim, hoc vltimo loco scribit potissimum; quod idem sonat, & vti istud refert ad scissionem poplitis, sic illud ad eandem referendum, necessariò arbitramur. dum itaque vtendi modum præscribit venæ sectionis in affectibus infra renes, & in eisdem cunctis consulat infernarum partium scissiones, potissimum, ceu vas præstantius & commodius, vas quod sub poplite est secandum imperat: eo verò non apparente, saltem, quod iuxta malleolum, ceu minoris momenti. Vnde dolenda semper nostrorum chirurgorum incuria, cum neglecta poplitis vena, non solum ad eam secandam, quæ circa malleolum est, verum & ad alterá minorem, ac distantiorem, quę podicem perreptat confugiunt, & cum nullo quidem, aut minimo saltem ipsarum mulierum commodo.

Deinceps etiã ex eo Gal. loco, lib. aduers. Erasistra. palàm aduersarij, qui ludentes operam, & nequeũtes ex hac nassa exire Gal. cũ Aëtio cõciliare conãtur, conuelluntur; cũ ibi dilucidè plenitudinẽ supponat, & suppressi menstrui ad thoracẽ maximum recursum; & tamen in hoc connexu, oblita cubiti sectione, etiam plethoram per scissiones infernas deplendam esse consulit, ceu mométo temporis superfluum sanguinem haurientes quod futilia illa auxilia Erasistrati præstare nequiuerant. In illa igitur,

tur, non obstante plenitudine superiorum vasorum etiam in pectoris vasa recondita, dum vtendi modum huius præstantis auxilij exercet, infernas tantum scindendas iubet, quæ sub poplite, aut prope talum sunt, haudquaquam, ceu temeraria, cubiti facta aliqua mentione.

Occurrit mox & alter Galeni idem manifestò docẽs. hic itaq; lib. 11. de simpl. med. fac. ca. de castoreo, sic scribit, *Sed & mẽsib. retẽtis vbi per venã quæ in talo est modicè euacuaßẽ, oblato castoreo, vnà cum pulegio, & calamintha, sẽper medicamẽ hoc expertus sũ purgationẽ ciere.* Si igitur Gal. prius secta inferna vena plenitudinẽ ex restrictis mensibus obortã partim minuit, & partim reliquũ assumptis cõmẽdat medicamentis, castoreo videlicet, pulegio, & calamintha: cur nos eandẽ plenitudinẽ tollemus cubiti secta vena, quæ sursum sanguinis impetũ retrahit, quẽ natura versus partes infernas ducere molitur? Quo loco, vti & altero aduersus Erasistratæos & illud pariter obseruãdũ, sectionis venę beneficio oẽm plenitudinẽ nõ esse tollẽdã, verũ ex parte minuendã vt naturæ relinquatur materies, ad illud opus toto genere secundum naturam architectandum.

Insuper & in eadem stat sententia diuinissimus Galenus lib. de trem. & palpit. ca. 5. dũ elegãtẽ illam Stymargi famulæ historiam seriò explanasset; quã, si fortè aduersatij, ceu Hipp. genuinã nõ recipiãt, saltem ex Galeni mẽte, tãquã illo dignã admittent. Inquit igitur hoc loco Galenus hãc famulam, ob humorum maximam copiam vires grauantium, illo fuisse prehensam tremore, cum à nixu purgata non fuisset, & rursus concludit, *Vnde tremoris occasionem intelligens Hippocrates sanguinis*

copiam, fomitem verò occasionis vuluæ affectum: deinde copia quidem vacuationem indicante: parte autem affecta, locum per quem vacuare conueniebat: ambo hæc coniungens, sanguinis detractionem ex talo molitus est. hanc quidem, quoniam sanguinem vacuare volebat: ex talo autem, quia vterus affligebatur. Quod igitur sanguine abundante venam incidere oporteat, nemo non nouit, siquidem in venis ille continetur. quod autem vtero affecto, circa talum, aut in poplite diuidere conuenit, nisi prius venarum communiones ex Anatome didiceris, haud poteris id quod dico assequi, &c. Quid plura? O oraculum cedro dignum! Manifestò in ipso, Galenus eius propriam aperuit mētem, & Hippocratis auctoritate eandem fulcit: quid, quod, & rationali methodo solerter illud idem struit. O cæci, & cæcorum duces! resipiscite iam; tanto splendore doctrinæ seriò fruimini: replicate Galeni verba, explorate διάνοιαν, veritatem insequimini. Sed, vt non videamur verbis aërem verberare, exempla adsint, à quorum vi homines magis vinciuntur.

Libro itaque 6. Epidem. com. 3. sen. 29. insignis Galenus historiam quandam nobilis cuiusdam fœminæ recenset, cui per menses octo accisi fuerant menses, fomes occasionis, quod in totius corporis vasis maxima aestuaretur plenitudo, quamuis macie ingenti pariter laborasset. Plenitudini igitur huic adiunctæ cacochymiæ satisfaciens ipse Galenus seriò per vices tres sanguinem, duarum librarum pondere, aut paullò plus singulis vicibus haurire iussit. vtendi verò modum huius auxilij non distinguit, ceu peruium, & iuxta rationem. neque aliter sentiendum

tiendum censet.. quæ si distinctionem paterentur, ceu absolutissimus Præceptor, & exquisitissimus veritatis indagator ne intactum sanè reliquisset: imò & solerter replicasset, quando ex cubito, quando verò ex poplite, aut talo esset hauriendus sanguis. quare ceu futile illud respuit, & crurũ tantum venas secandas arbitratur.

Tandem vt colophonem his imponamus vtrumque altera lubet historia comprobare, hanc desumemus ex libro de venæ sect. aduers. Erasistratæos, c. 1. quo loco mulierculam Romanã refert vnius anni supra viginti ætatis, cui per menses quatuor mẽses restitere, ex ea inde accisione vberior fuit seruata in corpore plenitudo, quam faciei rubor, tussis, anhelatio demonstrabant palàm. verum huic, obstinatè, renuentibus Erasistratæis, tunc Romæ commorantibus, quorum iugiter proteruiam Galenus est demiratus, omni verborum conatu venas circa vterum consultò aperire indicauit, vt illinc sanguis vacuaretur superfluus. Dissuaso autem ab eisdem hæmaphobis auxilio, sanguinéque per sputum mox reiecto, non multo interiecto tempore, insanabili spirationis difficultate coërcita, periit.

In hac igitur historia venas tantùm poplitis secare palàm consuluit, adstante plenitudine manifesta; quia hæ, inter reliquas, quæ vsu secari receptum est, vtero sunt viciniores, & ad omnem scopum, iuxta hypothesin, reliquis commodiores. Si verò alia quæpiam vena, ab istis secaretur (inquit Galenus) noxiam ex eo venturam vacuationem, arbitrandum.

Quamobrem disparatis omissis concordantiis li-

benter aduersarij fateantur, & Hippocratem, & Galenum viros alioquin celebres, & totius Medicæ facultatis Archiantistites dilucidè censisse, in occultatis mensibus inferiores venas tantum secãdas, siue plethora adfuerit, siue secus: nec vllatenus ferendum arbitror, Aëtium illis Principibus assentiri; Sed cum Amato potiùs hunc eundem illis obuiam iri iudicandum; quem disparem idem ipse temerè insequitur Amatus.

Claßicorum Doctorum auctoritate eadem fulcitur sententia.

Cap. XVII.

QVamuis Veritas in assensu potissimum consistat sapientum, & inter hos Hippocratem, & Galenum in re Medica summos contemplemur: tamen nec proinde acquiescimus, imò vt potẽtius illa influat in omnium animos, milites eâdem veritate instructos, & ornatos, in medium nunc proponere studemus. Arabes quamprimum astruamus, & inter hos etiam eorum Principem Senis filium, cuius auctoritas olim magnifica, modò verò senescẽs defluit, suo quasi nutu, & contabescit. Hic igitur vir de hac re li. 3. Fen. 21. tract. 4. c. 28. hãc refert sentẽtiã, *Hic verò volumus dicere de regimine, & medicatione illud quod est magis conueniens huic loco, & regimen in hoc est mouere sanguinem cum fortitudine ad menstrua, & de illis quæ faciunt illud est phlebotomia ex saphena* &c. In toto capite nulla præmissa distinctione, nullâve cubiti sectionis mentione facta,

cta, absolutè pronuntiat, in mensibus restrictis saphenam tundendam. Assentitur itaque Principibus illis Græcis, cum & eodem loquendi modo vsus fuerit.

Porrò, & hunc eundem sequitur alter inter Arabes insignis, Rasis inquam, quem huius familiæ asseclæ, inter reliquos Arabes, ceu Græcorum methodo, ac doctrinæ magis addictum demirantur, multísque celebrant encomiis. an rectè, non est nostrũ modò, videant sapientes. hic igitur li. 9. de re Medica, c. 83. quem ad Almansorem Regem conscripsit, sic fatur, dum suppressorum mensium aggreditur curationem, *Ad hac cucurbitulas popliti agglutinare, ac venam interiorem malleolum perreptantem, aut poplitis incidere confert*, &c. Nihilominus & iste cum suo Principe in huiusmodi sanando affectu cubitorum negligit sectiones, cum ne has quidem admittendas esse aliqua ratione suadeat.

Sed hos Arabes relinquamus, & ad Veneres Atticas nostra recurrat oratio. Si itaque Aduersarij in Aëtio gloriantur, viro Græco, nec sanè ignobili, habemus & nos ex eâdem familia (omissis Principibus illis, qui pro mille sufficiunt ambo) etiam inter reliquos clarissimum Oribasium, Galeno & ætate, ac disciplina cæteris proximiorem, nec Aëtio tantum æqualem, verum proculdubiò longè superiorem, quem tanto honore celebrauit Antiquitas, quod quasi Numen à cunctis coleretur. vnde illud, Ἄξιος εὐσεβίης θεῖος Ὀρειβάσιος. Aëtius verò tantum ab hac dignitate recedit, quod etsi Amatus, iuxta hanc opinionem ipsi arrideat, cum aliquibus scatentem ille erroribus contempletur,

mordicùs aliquando carpat, lancinetur.

Oribasius itaque hanc vtriusque Antistitis vltrò, citróque amplectitur doctrinam, non libro tantum 1. Synopseωn c. 10. verum & altero illo singulari de curationibus ad Eunapium, c. 131. & vtrobique citra discrimen in omni mensium occultatione, in qua ius scindere venas, & infernas tantum tundendas iubet. verū eius præclara referamus verba, quæ ad Eunapium, iuxta Ioannis Sichardi interpretationem ita subscribit, *Educere si volueris menstrua ante dies tres, aut quatuor venam incides in talo, aut in tibiis gersis dabis, aut de ambobus talis venas incides, ita vt post vnum diem de alio tollas talo, & iterum post hæc tenues dabis cibos*, &c. Quid exactius amabo? viden' Galenum per os Oribasij seriò alloquentem, & vnà seriam astruentem doctrinam. Et quamuis virum hunc apum mentem habuisse antiquitas referat, eo quod veterum Medicorū flosculos hinc inde legerit, collegerit vnà: tamen eosdem in Hippocratis & Galeni fœcundis hortis collegisse, palàm videmus: & eius doctrinæ splendorem, summos hos viros quammaximè itidem redolere, experimur. Vnde lib. 7. Collectorum Medicin. c. 2. eandem Galeni sententiam, & eisdem verbis ex lib. de cur. rat. per venæ sect. c. 11. & 18. transcriptam, consultò refert, *Plenitudines*, inquit, *quæ ex mensiū retentione sunt ortæ, per crura vacuabis, siue secare venam, siue scarificare oporteat. Reuellere autem mulierum purgationes secta in cubito vena solet*, &c.

Præterea & Paullum hanc eandem familiariter amplecti sententiam, & ab illa aduersariorum abhorrere, sedulò exploranti fit palàm: quamuis ipsi, hunc sibi vendicent, ceu fautorem, & asseclam. Verum

rum sanè decipiũtur, dum Paullus li.3.c.61. sic scribat, *Cum igitur propter aliquod interaneorum affectuum primarium purgatio circunciditur, aut moratur, ex vsu maximè fuerit, id quod primariò afficitur curare, indeq; vteri habere rationem* &c. Hinc igitur illi inferunt, cum plenitudo alter sit affectus circũncidere purgationem valens, hanc prius tollendam, eámque sola cubiti sectione tolli arbitrantur.

Cæterum hi viri, inter quos doctissimus Amatus cẽtur. 1.cur.15. longè à meta veritatis aberrant, cum nullatenus illis, si verba perpendamus, assentiatur. Eo enim loco Paullus de caussis loquitur antecedẽtibus, in quantum prophases, & coniunctarũ principia, quibus etiam adstantibus præuisio priùs debetur, cum nequeant cum morbo tolli, vti neque morbus & eius cõiuncta caussa, citra illius ablationem: iuxta illud Hippocratis libr. 2. Epid. sect. 4. de Idumęa famula Stymargi, in cuius curatione inquit *sed ad caussam veniendum est, & caussæ principium.* vnde, vt prius huic occurreret, venam tali scindere iussit. cum igitur in nostra hypothesi, intemperies illa iecoris sanguinem gignat crassum, fluxioníque ineptum, sanguinis etiam inopia in his quæ præter modum se exercuerunt, intemperies itidem calida & sicca totius corporis idem præstans, aut aliqua præcedens vberior hæmorrhagia, caussæ principium habeant rationem, his proculdubiò prius occurrendum, quàm ad vterum accedamus. Esset enim hauddubiè oleum & operam perdere, si neglectis his primariis interaneis affectibus, prius vteri habuerimus rationem. plenitudo autem lõgè se habet, cum hæc, non vt caussæ principium, verum, ceu cõiuncta caussa, & in vteri vasis firmata & sta-

bulata menſes neceſſariò abdat, vnde ceu coniuncta cum morbo, qui ſedem habet in vtero ipſi prouidendum, locum affectum reſpectando, quod tantum venæ præſtant coniuges, quales vtique infernæ. Quare ſtabit Galeni methodus, iuxta hunc ſcopum vtendi modi venæ ſectionis, quod inſpecto loco obſtructionem patiente, vtero videlicet, venas tundamus inferiores: neque huic methodo illa Paulli verba reluctari, imò aſſentiri liquidò conſtat, vt itidem alia atteſtantur verba eiuſdem capitis, quæ modò referre lubet, *Vbi acceſſerit*, inquit, *menſtruale tempus, ſi nihil, aut nulla mentione dignũ fuerit excretum, ex talo ſanguis detrahendus eſt.* Cũ igitur citra diſtinctionem aſſerat, dum curationem molitur accedentium iam menſium, ac imminutorum, tali tundendas eſſe venas, vnde colligent aduerſarij prius conſuluiſſe cubitorum ſectionem. Quamobrem, etiam ex huius viri auctoritate conſtat, plenitudinem ſeorſum obſeruandam & curandam non eſſe, mox ad morbum conuolandum, cum aptè eodem auxilio & tollamus eam, & vnà affectum, & materiem reliquam naturæ ad expulſionem paremus commodam.

Præter Græcos, Rufo & Aëtio demptis, tum & ſimul Arabes, adſunt ex Neotericis plurimi, ſeu ferè innumeri, & ex his quàm plures doctores claſſici, qui hanc doctrinam arctè amplectantur. Inter reliquos Leonardus Iacchinus Florentinus, vir quidem & doctiſſimus, & cui noſtrum hoc æuum debet maximè, cum ceu fax lucens, & ardens Medicæum quamprimum luſtrarit theatrum, & opacas plurimorum, Arabum præſertim, & eorũ doctrinã ſectantium errorum caligines planè abſterſerit hic

hic inquam affabrè declarat inferiores venas ſemper ſcindendas lib.in 9.ca.66.Raſis,& dicti rationē reddit,quia,inquit,hæc ſectio ſanguinem è ſupernis ad inferna conuertit,ac trahit. quæ communis eſt cæterorum ratio.

Pręterea Iacobus Syluius Parthiſiorum alumnus libello de rat. meden.c.de prouoc.menſt.purg.eidē refragatur,dum ait,*hæc autem obſtructio ſi à ſanguine eſt multo ſecetur vena poplitis,aut malleoli.* quib.verbis innuit maximè hoc auxilium requiri in obſtructione à multo ſanguine oborta: quamuis ſi ab altera excitetur cauſa iuxta cauſſæ naturam,&alia requirantur auxilia, præter venæ ſectionem.

Ioannes Fernelius vir ſummus,&nunquam pro eius doctrinæ ſplendore ſatis laudatus lib.2. meth. med.c.7.eandem pariter tuetur.hic itaque poſtquā docuiſſet venarum cubiti inciſiones, vti & cucurbitæ ſubter mammas affixæ menſes præter modum emanantes coërcere,de acciſo menſurno ſanguine ſic fatur,*Suppreſſos autem menſes vena in poplite, aut malleolo, inſtante purgationis tempore caſa mouet: nam ſanguinis impetu deorſum conuerſo, venæ quæ in vterum pertinent,reſignantur.* Quo loco,cum dilucidè in rerum ac vteri inflammatione diſtinguat, quando ex cubito, quando verò ex talo fundendus ſanguis: hoc idem hauddubiè ſi ipſi cordi eſſet in reſtrictis præſtitiſſet menſibus,nec methodi rationem reddidiſſet.

Hoc idem, ac eiſdem ferè verbis doctiſſimus Hieronymus Montuus Mirabelli dominus in ſua aſtruit morborum anaſceue,tō.4.c.31.dicens,*Si obſtructio naſcitur à ſāguinis copia,tenui victu,& multo labore mulier vtatur. illi vena poplitis, vel malleoli*

secetur, prope tempus consueti circuitus. Sed primum in altero crure sanguis detrahendus, postero die eôdem modo ab altero vacuādus. hoc loco per sanguinis illam copiam obstructionis caussam, quid aliud intellexisse putandum, quam plenitudinem, & hanc maximam quidem, cum ad illam tollēdam tot supponat auxilia, laborem inquam, victum tenuem, & in vtroque crure iteratas cæsuras?

Germanus ille doctus, quem doleo, ob viri summam infœlicitatem, com. in lib. Galeni de cur. rat. per venæ sect. dum 11. capitis illa explanet verba, *Plenitudines à suppressis mensibus ortas, omnino per crura vacuabis*, sic infit, Quod hoc Galeni præceptum, ceu catholicum, omnes plenitudines à suppressis mensibus ortas per crura vacuandas doceat, siue incisa vena, siue malleolis sacrificatis.

Ferdinandus Mena, inter Hispanos doctor celebris, etiam com. in nuper citatum Galeni cap. idem affirmat. quid quod & Aduersarios non solum pertinaces appellat, verum & indignos Galeno.

Ludouicus Lemosius nihilominus Hispanus doctor insignis com. in lib. 5. Meth. med. cap. 3. eandem strenuè defendit sententiam, ceu Hippocratis, & Galeni genuinam.

Petrus Paullus Pereda vir doctus, & inter Ludouici Colladi summi Parentis discipulos haudquaquam minimus eandem confirmat sententiam in lib. 1. de cur. morb. cap. 66. Ioannis Paschalij commentariis. oppositam, ceu temerariam vtrique itidem viriliter vnà conuellunt, ac odio prosequuntur.

In hac tandem stat sententia vniuersa illa alma Valentinorum schola, Galenicæ disciplinæ inter reli-

reliquas alumna, vt nos ab eius grauissimorum doctorum, qui illuc maxima conueniunt frequentia, per annos plurimos, ore accepimus.

Denique ne doctorum numero lectorem amplius offendamus, vltimum iam imponemus carcerem, duos tantum insignes proponentes doctores, qui acerrimè, & ex instituto has nostras partes tuentur, & quorum volumina dum hęc actu literis mandaremus, etiam in nostras peruenere manus. Alter est Alexander Massaria, quem pro eius summa eruditione vnicè diligo: alter Ioannes Baptista Syluaticus Mediolanensis doctor, nec ignobilis. ille lib. pręlectionum de mulierum morbis, ca. 2. hic in sua centuria controuersiarum, controu. 26. conuulsa aduersariorum opinione, Galeni alteram strenuè amplexantur. verba ne fastidiant submittimus, & capiti iugiter finem imponimus.

Refringitur prior Neotericorum opinio ex Aëtio orta & simul expunguntur illorum rationes.

CAP. XVIII.

TEmpus iam est (quo nullum ad gloriam fœlicius) Aëtium adoriamur, hostium ducem, reliquis mox prosequutis ad prædam. Simpliciter igitur auctoritatem eius à nobis ablegamus, ceu Hippocrati, Galeno, ac veritati reluctantem. Ratio iugiter ipsius futilis, qui plethora laborant, copiosa egent sanguinis missione. Ergo cubiti & tali scindendæ venæ: quid frigidius? Nam si adstante plethora nulla peculiaris est pars effecta, ex qualibet corporis parte ius eam deplere. Vnde Galenus con-

sulit, æquè tunc licere venas cubiti, aut poplitis secare: cum æquè vtraque vasa valeant vniuersalem plethoram, quæ potissimum in principe illo tubo venæ cauæ consistit, deponere. Adstante verò peculiari loco affecto haudquaquã fas quamcumque cędere venam: multóque minus si adsit pręsens iam, vel instans motus quisque naturæ, quem contemplari, ac imitari iugiter teneatur Medicus. tunc enim insequendo eius vestigia, quò ipsa verget, eò ducendum. Quare per vtramque rationem cogitur Medicus, & vt commodè ab vtero, ac corpore reliquo plenitudinem tollat, & vt motum naturæ iuuet, ac imitetur, infernas scindere venas.

Pręterea irridenda Aëtij consequentia, Plethora copiosam postulat venæ sectionem. Ergo cubiti & tali scindendę venę, quia plethora, quamuis magnũ postulet auxilium, & tanto maius, quanto illa maior; eius tamen auxilij non docet vtendi modum, cum hunc & situs, ac positus affectę partis insinuet potissimum. Abeat igitur Aëtius, abeat inquam, cum & ipse à primis illis summis Parentibus, tum à vera abeat methodo.

Cæterum antequam vlterius progrediamur, offensaculum tollamus oportet, in quod plurimi fœdè irretiti fuere. Aduersarij itaque passim, tanquam Vulcanium scutum contra omnia externa iacula aniliter nobis locum quendam Galeni proponunt, ex lib. 10. de compos. med. sec. loc. ca. 2. extractum, in quo, dum ischiadis curationem tradit, simúlque pręsens fuerit plenitudo, scindendam cubiti prius esse venam consulit ille, mox cruris. Inferunt ipsi exinde, & simili, methodo accisos esse sanandos mẽses, & pari passu in vtroque affectu progrediẽdum.

Rea-

Reapse tamen. & vtriusque affectus dispar curationis ratio. primò quia in ischiade vrget quamprimum reuulsionis indicatio, propter presentem, aut instantem systrophicam inflammationem, vnde tundenda vena cubiti eiusdem partis, aut alterius cruris, si mauis. in restrictis autem mensibus huiusmodi indicatio omnino, ac longè abest, adest verò tantum vacuationis, vnà & directio sanguinis versus partes infernas. Rursus in ischiade directò percurrunt vasa plethoram continentia, & quæ in ischio disseminantur, ac inferna cæsa in suppressis autem mensibus non item. Quare in ischiade, si adstante plenitudine inferni tubi scinderentur, hauddubiè consequutione rei quę vacuatur, humor itidem ad laborantem partem duceretur, & ibi amplius stabularetur; quod longè ab eumethodo distat, iuxta Præceptorē Galenum lib. 13. meth. c. 6. In accisis verò mēsib. dispar ratio, si anatomicam exploremus historiā, cum nullatenus timenda hæc noxa. vena enim caua directio suā deponit multitudinē, scissis infernis venis, nullo præuio transitu per vterum. quid quod & idē vterus directò suā exonerat plenitudinē per eandē infernam cæsuram, & sanguis ab ipso vnà deriuatur, ac reuellitur, vt elegāter diuinissim⁹ docet Gal. lib. 13. meth. c. 11. dum inflāmationis vteri tradat curādi rationē per venę sectionē. Quāobrē quis dignior Anticyris, eo, qui horū affectuū cōfundent medēdi methodū? Discant hanc amabò, qui suos errores Galeni præmicanti doctrina cælare contendunt: cuncta probè replicent, distinguant singula, affabrè mox cognita eumethodo, cuiusque curationem aggrodiantur.

Demirandi sunt amplius, quod & Paullum intromittant in eodem volutantem errore, cum, si ipsum attentè perlegant, oppositum sentire palàm obseruent, vt nos superiori iam diximus capite. Refragatur itaque Hippocrati, & Galeno; venas infernas semper secantibus. neque plethoram reponendam retur inter affectus primarios, ceu remotos: sed vnà tollendam per easdem infernas venas arbitratur, si menses simul mouere mens fuerit. Verū in vniuersum, ac simpliciter re æstimata, nulla adstante particula affecta, & ineunte vere vacuationē nos molientes, tunc non solùm ex Paullo, verùm & ex Galeno, & Oribasio omnis æquè vena ad incidendum fit apta: quia vtraque incisio superna, vel inferna ęquè eandem probè tollit, quum æquè surculi sint tubi illius maximi venæ cauæ, vbi fons sanguinis.

Ad Matthæum de Gradi affirmantem Auicennam Aëtij quidem partes tueri, dicemus, & gerras esse, & somnia. cum innotescat palàm cunctis eius volumina perlegentibus hunc & oppositum sentire, & Galeno hærere valdè. Ab incepto itaque iam desistant opere, longè gerris istis recessis, cum nec aliquem ex Medicinæ Principibus fautorem habeant: veritatem igitur insequantur, quâ præuia, in cunctis proculdubiò fœliciter procedent.

Porrò ratione quasi neglecta, experientiam celebrant, in ea vtique gloriantur. Verum si Galeno fides astruenda lib. 10. de simpl. med. facul. ca. de sero lactis. vbi ratio adest, nulla experientia. eius lubet modò describere verba, *Quędam de animalium lacte conscribuntur, quę me ab initio dicturum negaui, etiamsi experientia didicissem vera dixisse.* Ceu possibilem

sibilem, Galenus, cõtradictionem supponit. nequit enim quidpiam per experientiam verum esse, & eâdem ratione, ac modo, illud idem rationi reluctari. vnde ex hac, ceu possibili contradictione concludit, quod si possibile esset (vt cum nostris logicis loquamur) verificari quidpiam posse per experientiam, & simul illud idem rationi repugnaret, potius ipse ad rationis claustrum confugiendum censet, quàm ad fallacem (vt vocat Hippoc.) experientiam conuerti. debent igitur vtraque pari passu ambulare, in his, in quibus ambo suum exercent ius. Quare qui ratione relicta sola fulcitur experientia, claudicabit haud dubiè, cum altero tantum ambulet crure, vt perbellè. com. in 1. oraculum libr. 1. Apho. demonstrat Galenus. vnde sensuum notitia, quæ aliquando fallax, ratione firmatur; hæc, cum difficilis approbatur experientia. Proinde absoluta omnis doctrina, vtroque indiget instrumento, & sorores has comites vnà requirit. Cum itaque Aduersariorum opinio eumethodo reluctetur, ablegunda sanè. verum cum ratio doceat, eumethodúsque suadeat, omnem plenitudinem ab accisis mensibus partam, etiam & quę eosdem accisos fœtat, per infernas cęsuras vacuandam, si tamen nobis mens fuerit euocandi eos: inuitis aduersariis; semper hæc ratio stabit, perpetuóque experientiam fautricem habebit.

Explanatis aduersariorum auctoritatibus, iam rationes eorundem expungere modò fas. In primis primam, si admisso prioris syllogismo, negabimus assumptionem alterius, asserentem commodius, ac tutius submoueri plethoram cæsa cubiti vena, quã poplitis. & rationem nos assignamus, quia illud

auxilium commodius, ac tutius administratur, quod postquam methodo fuerit per suas indicationes deliberatum, omnia in se continet, quæ à curatiuis scopis requiruntur: & cum scissio cubiti hæc non adimpleat, in nostra hypothesi, nulla sanè, imò & futilis. Requiritur autem ad scopum vtendi modi (relictis aliis, cum circa hunc versetur quæstio) situs, ac positus partis affectæ, tum & naturæ inclinatio. & cum pars vterus sit, cuius positus infernus, cum infra vmbilicum hominis centrum, naturæ inclinatio pariter versus eãdem partem infernam: necessariò & nos per vtramque rationem tenemur & partes infernas cædere, quæ tutò, commodè, ac vnicè vtrumque præstant; cubitorum autem oppositum; vnde expungendæ.

Rursus, & probationi eiusdem assumptionis satisfaciemus, negando posteriorem antecedẽtis partem, videlicet quod inferna sectio obstructiones factas augeat, ac de nouo alias germinet. innotescit falsitas ex Anatomica historia. ea enim explorata fit palam, sectionem infernam totius venæ cauæ plenitudinem exactè deplere, vnà & alteram quę in vasis seruatur vteri: haudquaquam eiusdem vsu tumor firmatur in vteri vasis; cũ tantum abest, vt eadem potius depleat, & ab eisdem sanguinem hauriat. vnde falsò aduersarij opinantur sectionem hãc, aut factas obstructiones augere, aut de nouo alias generare. potis namque hæc est, & ab vtero reuellere, deriuare, vacuare: vti altera cubiti reuellere tantum, per simplicem reuulsionem, quæ fit ad distantissimam partem.

Deinceps infirmabitur & altera ratio, si iugiter assumptionem non admiserimus: cum reuera, vt iã dixi-

diximus, nec inferna sectio obstructiones augeat, aut nouas parare sit valens, cum commodè ab vtero reuellat, & ab eôdem, & vena caua seorsum vacuare valeat. Neque vllatenus credendum, quod impetus sanguinis, sectis infernis venis ex vena caua ad vterum ipsum feratur, ibíque stabuletur. cum ramus vterque, in quos bipartitur vena caua, & vtrinque vnus per crus inseritur, ab vtero, & à tubis qui disseminantur per vterum longè dissideat. vnde recto tramite vacuata poplitis vena, inanitur vena caua, & seorsum etiam inaniuntur ac simul tubi, qui ex ipso venæ cauæ surculo, vtrinque vno per corpus vteri inseruntur, tanquam illius propagines. Recipit enim vterus, versus partem supernam propagines quasdam, & capacissimas ex vena caua infra renes deductas, idque per vteri ligamenta, ad testes etiam, qui glandularum gerunt vices, simul accedentes: hæ in vteri fundum disseminantur, ob duplicẽ potissimũ vsum, vt per singulos videlicet menses, haudquaquam fœta muliere, natura à sarcina exoneretur, & conceptionis tempore nectar illud fœtui præbeant. Porrò præter illas propagines, & alias mox vterus recipit, versus eius ceruicem, ex vtroque ramo per crura diffuso: hæ, iuxta ossis sacri regionẽ diuaricatæ quãprimũ vteri stomachũ repunt, & sursum per illius corpus deinceps attolluntur. quæ itidẽ & duplicẽ alium habent vsũ, subiectarum partiũ scilicet nutricatum, tum & aliquando fœtationis tempore plenitudinis grauantis leuamen: nequeuntibus tunc prioribus illis adaperiri, vti neque os vteri. Quare cum vasa hæc cuncta infra medium sint, lubet, imò ius, illorũ deponere plenitudinẽ per sectionẽ infernã, cũ præter

alia, & illud habeat adiunctum commodū, humorū videlicet inclinationem, ad instar scopi naturæ, versus partem infernam. Illustrat hanc rem clarissimus Galenus, dum li. 6. Epid. com. 1. sen. 6. sic infit, *Venam autem cadere vbi sanguis multus, aut crassus in venis abundet. quod si vtroque auxilio*, purgatione scilicet, aut venæ sectione, *ipse homo indigeat à vena sectione incipiendum esse patet. Aliàs autem didicisti membra supra iecur, cubiti venæ sectionem postulare: infrà verò crurum, in poplitibus venas nobis cadentibus, aut omnino saltem iuxta malleolos.* Ex hoc itaque insigni Galeni loco innotescit, in plenitudine simpliciter, quamlibet venam scindere fas esse, imò & æquè, vt Oribasius doctissimus simul cum Galeno insinuat lib. 1. Synopseon c. 10. verum si particula quædam fuerit passa, seu potius spectãda naturæ inclinatio, tunc eius potius partis situs obseruandus. nam si supra iecur, aut renes, multitudinem deplebimus cubitorum sectis venis: sin autẽ infra, infernis scissis.

Denique & lubet alio medio aduersariorum prędictas rationes infringere, conantes demonstrare cubitorum sectiones accuratius plenitudinem deponere, infernarum autem partium obstructiones potius augere, aut de nouo gignere. Omissa parte altera, quam licet modo ex hypothesi cõcedere, alteram tantum expungemus. In venæ sectione sanguis illicò versus partem sectam ac inanitam prosiliit, haudquaquam versus partem plenitudine affectam impellitur, cum hæc nec locum vlla ratione cedat fluenti sanguini: Sed vteri vasa ex hypothesi, & plena, & obstructa, crurum autem ob cæsionem inanita. Ergo sanguinis impetus necessariò versus

venam

venam sectam feretur, nequaquam versus vterum: quia vti illa pars parata ad receptionem, ita & altera ad expulsionem habilis, & ad motum versus fluentis impetum.

Experimentis, quibus commoda aduersarij celebrant cubitorum sectionum, nos satisfaciemus dicendo, contingenter illud accidere, ac per accidens: huiusmodi autē effectus per accidēs omnino à Medico rationali respuendus. oppositum autem, retrahere, videlicet sanguinem versus partem sectā, per se; ac naturę quasi necessitudine contingere. quod à Medico prosequendnm. Accidit autem primum illud, aut quia exagitatur sanguis, quo commoto, facilè expultrice facultate irritata, per canalē sibi destinatū à natura, demittere studet: aut quia exonerata eadem natura, ac leuata, reliquum per statutum meatum aliquando expellere nititur. Verum cum per accidens fiant, ne imitanda quidem, nec sub canone statuenda. Quid quod illa, ceu irritamēta, imperfecta semper, ac imminuta apparent, & per consequēns & citra aliquem vsum, ac commodū. Hęc igitur venæ sectio illud habet peculiare, ac per se humorem retrahere ab vtero, non quòd humorem in vtero iam contentum reuellat ac retrahat, quia distantia maxima, communitas vasorum nulla, sed paratum confluere ex partibus supernis, viciniori-bus cæso cubito. Hinc locum habet hæc scissio ad reuellendum ab vtero, nullo acuto adhuc in eo actu existēte affectu. Quare cum in nostra hypothesi supponamus in vtero obstructionem, ne illa quidē cubiti, ceu inutilis habebit locum, sed totū potius committendum partium infernarum sectioni, cum omnes, quos requirimus abūdè adimpleat hęc sco-

pos. hæc igitur vnicè amplectenda, omnino alter, repulsa. Sed ne lectorem in re aperta amplius tundam, consultò prætereo.

Exoluitur quorundam Galeni cum Aëtio anilis conciliatio de vtendi modo scißionis venæ in occultatis mensibus.

Cap. XIX.

QVi falsam æmulantur doctrinam, inter cætera imaginarium sibi exstruunt stadium, insignémque sibi virum adiungunt, cum quo decurrãt, imò in quem incurrant. Aduersarij pariter nostri, Aëtij fallæ opinionis æmulatores, incomparabilem virum Galenum, veritatis Medicæ vnicum assertorem sibi adiungunt, quasi idem sentientem, & vnà cum Aëtio in eodem decurrentem stadio. Cæterum irretientes hos veritatis obices in hunc modum explodimus: cum facilius oceanus cotyla exsorbeatur, quàm Hippocratem & Galenum cum Aëtio conciliemus.

Verùm inter hos viros pacificos, quamprimùm doctissimus adest victor Trinc. hic autẽ quãtũ hos facilè cõciliari posse retur, tãtũ ab scopo recedit. Inquit itaque Hippoc. & Galenum in restrictis mensibus simplicem tantum obseruasse affectum, cui simplex indicatio occurrit: hinc & simplex, citra distinctionem vllam, proponit auxilium, iuxta naturam simplicis illius affectus methodo deliberatũ, quod venæ sectio crurum est. Aëtius verò non simplicẽ, verũ connexum ęstimat affectum, caussam videlicet antecedentem cum suo affectu: illi cubiti sectio-

sectione occurrit, quia in vasis supernis illam contemplatur: huic, internarum scissione, quia respectat vterum. Hæc ille. Arridet huic strenuè Franciscus Vallesius Hispanorum doctor insignis.

Quantum hæc sint ad libitum dicta, Galeni verba passim replicata declarant dilucidè, illa præsertim, quæ lib. de cur. rat. per venæ sect. recensentur, dum inquit, *Plenitudines à suppreßis mensibus ortas, omnino per crura vacuabis.* Si igitur plenitudinem obseruat Galenus, & vbi rem ex instituto examinat, necessariò effectum cum sua caussa connectit, & mentem aperit. quibus vtrisque rebus, & vnico auxilio, eodémque vtendi modo, tum præuidere caussæ, tum morbum sanare contendit. Quisquiliæ igitur, & meræ nugæ. Dixerat autem Galenus plenitudines obortas à mensium suppressione, quia hę, etsi per accidens illius symptomatis effectus: tamen & grauissimorum morborum simul & per se sunt auctores; quid quod & symptomatis caussæ, & obstructionis, aut conseruantes, aut de nouo alterius generantes. proinde ceu tantorum malorũ principiũ, illis succurrendũ quamprimũ censet, sectis semper infernis venis. quod palã declarat illo intensiuo aduerbio *omnino.* Quod si hãc etiã remotã plenitudinẽ, effectũ accisorum mensium, & caussam antecedẽtẽ futuræ obstructionis, per infernarũ venarũ cęsionẽ auferẽdã arbitratur, quãtò magis, si ipsa fuerit cõiũcta caussa morbi illos occultans, & in vteri vasis stabulata, illam vnicè imperabit cæsionẽ? cõiuncta igitur hæc caussa, cum in vteri vasis hæreat, ibique suũ exerceat ius nulla ratione, obseruato situ partis, à cubiti venę sectione tolletur. Quare omnis plenitudo, siue tãtũ existat in vteri vasis, siue in toto

corpore, dummodò à suppressis oriatur mensibus, quam deponere per vterum semper intēdit natura, per crura tollenda. Amplectitur itaque Galenus caussas,& effectus, non autem, vt retur Trincauellus cum Vallesio simplicem æstimat indicationem.

Altimarus rursus etiam & in eodem currit stadio, quod vt facilius comprehendat, plenitudinē in maiorem & minorem secat: illam Aëtium obseruasse censet, cum sectionem cubiti consulit, hanc Galenum, dū infernam tātum. Huic adstipulatur Riolanus, cum adstante tantum syndrome plethorica cubitos opinetur secandos. Obstrigillatur hæc conciliatio historica præsertim Galeni, ex li.6. Epi. com. 3. sen. 29. excerpta, in qua nobilem fœminam plenitudine non minori tantum, verum & maxima redundante repręsentat: cui, & per vices tres, ad libras pariter sanguinis tres, supra vncias duas liberè hausit, haudquaquam præmissa aliqua cubiti sectione, verum semper ex cruribus. Porrò, & quod huic maxima adesset sanguinis plenitudo, ingens ac vberrima sanguinis extractio ad libras nouem cum semisse plenè insinuat. Vnde Altimari futilis conciliatio. Nec putandum herclè, Galenum, virum sanè oculatissimum, & in cunctis quæ ad artem spectāt sedulum exploratorem, hanc intactam reliquisse distinctionem, si sibi cordi fuisset, æstimatione dignam, nec simpliciter plenitudines ortas ex mensibus accisis omnino per crura deplendas litteris mandasset.

Præterea reddens rationem Altimarus, quare vtramque illam sectionem in maxima plenitudine Aëtius consulat, ait, quia maxima cum sit maximā simul vacuationem indicat, quā vires ex eādē parte non

non ferent: vtraque autem illa diuersa,cōmodè fiet citra virium iacturam. Vana solutio,& tanto viro indigna. Nam vires, quantitatem remedij tantùm coindicant. quæ si fortè languidæ, illam eandē minuunt sanè: vtendi verò modum nunquam interturbant. Mox cùm vires cæteris paribus æquè labantur,siue cubitus secetur, siue crus, cum ex vtraque sectione idem hauriatur sanguis, nectar viuificum,iidémque spiritus, quæ omnia in vtrisque vasis eiusdem sunt ponderis. temeraria quidem erit sectio ex vtraque illa parte imperata. quòd si,quia iterata multò minùs exolui vires arbitretur, libenter ei condonandum, cùm subitas ac maximas vacuationes citra dispendium non ferat natura. Verū hanc iterationē ex vtroque crure præstandam potiùs,cū Galeno in citata historia appositè cēsemus.

Detegitur rursus ex his crassus alter Altimari error, dum dicat, Galenum, sub illo præcepto, maximam plenitudinem non æstimasse, virésque supposuisse robustas, quibus adstantibus infernam tantùm consulit sectionem: vtrumque ad libitum dictum, & incauta diuinatio. Ostendat nobis amabò Altimarus, vnde colligat robustiores requiri vires ad crurum sectiones, quàm cubitorum? Ex quo antecedente infert ipse, Ergo cùm tales vires supponat, proinde solas crurum sectiones admittit. Cui si fortè ratio deest, saltem exponat nobis locum in quo Galenus istud scripserit. Verum quidem & ratio, & Galeni testimonium longè absunt. censendum igitur hos viros ceruicosè Galenum cogere Aëtio, & ipsis assentiri. Eorum vmbratilis ratio ex eo demonstratur, quia cùm supernæ partes viciniores sint cordi, vitæ

fonti, caloris fluentis ac spirituum vnà officinæ, maior ex earum sectione fit caloris ac spirituũ vitalium dissipatio, magisque exinde exoluuntur vires, quàm ex infernarum partium sectionibus, per oppositam rationem, quia distantiores multò sunt. hinc elucet maiorem requiri vim ad artuum superiorum sectiones, quàm inferiorum. vsúque compertũ mox est, rariùs multò ægrotantes in lypothymiam incidere, inferna cæsa vena, nec ob aliam sanè rationem, quàm ob recessum à corde, cùm & minorem præstet spirituum exolutionem.

Hieronymus Mercurialis, vir & de re Medica bene meritus, & bonarum literarũ apprimè studiosus, hunc nodũ itidẽ in Pisanis suis lection. in Epidem. hist. intendit exoluere, suppositâ pariter & eâdem plenitudinis distinctione. Verùm dolendum sanè, hunc virum palynodiam canere, & ordine Naturæ præpostero in deterius mutare sentẽtiam: quia solent semper posteriores cogitationes prudentiores esse. Hic itaque vir in illo de morb. mul. opere perdoctè (vti & reliqua iuuentutis litterarum monumenta) strenuè itidem, magna rationum vi, atque momento, Galeni veram tuetur sententiam, Aëtij, ceu futili auerruncata omnino opinione. Quare huic standum, ceu Galeni germanę, & inter eius acutissimi ingenij thesauros repertę: altera, ceu caduca, & mẽtis iã inclinãte robore parta, propulsanda.

Occurrit tandem Hispanus noster Mercatus alia arte contendens Galenum cum Aëtio conciliare, & forsan probabilius. huic adridet Albertinus Bottronus libro dę morbis mulierum capite vigesimonono. Supponit autem ad hoc munus distinctioné quandam tũ plenitudinis, tũ obstructionis.

nis.hæc itaque, aut in vtero facta,à plenitudine in corpore existente, vel in vtero, vel in vicinis vteri partibus:aut citra plenitudinem, verum ab alia distincta caussa trahens ortum: subsequitur tamen hanc plenitudo,ceu effectus,& hæc vel in toto corpore,vel in vtero tantum consistens.Obstructiones igitur ex Mercato aliquando se habent, vt plenitudinis caussæ, aliquando verò vt eiusdem effectus. Mox hoc supposito discrimine,infert ipse,in plenitudine caussæ rationem habente cubiti secandi, vt sanguinem ab vtero reuellamus, sua plenitudine ac vbertate obstructiones germinantem: verùm in altera,quę effectus tantum habet rationem,crura potiùs tundenda,vt symptomati,vnà cum eius caussa, occurramus.

Cæterum hæc parum, vt aiunt ad Parmenonis suem.nam supposita auxilij idea,quæ per suas indicationes,ex morbo præsertim, indicatur, rursus ad eiusdem auxilij deliberati modum vtendi,nihil plenitudinis,aut obstructionis illa confert distinctio, verùm situs, & positus partis affectæ obseruandus, vnà cum naturę inclinatione.exinde inferimus nos hanc vel illam scindendam venam:vt æstimato hoc situ, ac simul vasorum coniugio tum deriuemus, vacuemúsque, tum naturæ inclinationem ac motum seriò imitemur. Quare adinstar nostræ hypothesis,qui menses accisos concitare intendimus,siue fuerit plenitudo caussa, siue effectus, cum pars affecta vterus sit, per quem studet natura certa lege eam deponere, necessariò vtendi modus huius auxilij optimus ille, qui & ab vtero, & à vena caua simul sustulerit multitudinē,& qui versus has infernas partes, iuxta naturæ scopum duxerit

ſanguinem. quod vtrumque ſolum præſtat venarũ inferna ſectio. Neque proindè illam reſpuimus plenitudinis diſtinctionem, cum & eandem inſinuet Galenus lib. de cur. rat. per venæ ſect. ca. 11. dicens, *plenitudines à menſibus ſuppreßis ortas*, quaſi has velit diſtinguere à reliquis valentibus eoſdem occultare, & cauſſæ obſtructionum ſunt, vti illæ effectus potius. Sed ſi rem attentè perſcrutemur, vbique vnicam ac ſimplicem curandi exercet methodum, & infernam tantum conſulit ſectionem. Hæc igitur diſtinctio nullius momenti, ad huius auxilij vtendi modum.

Denique inter cæteros, accidit laudendus Amatus, cum ſeriò in aperto relinquat diſſidium, quaſi diſcordes illos fateatur palàm, odio tamen eò proſequendus, quia optimorum Parentum relicta diuina doctrina, homunculum ſanè Actium, illorum reſpectu, amplectatur, cent. 1. cur. 15. dicens, *Mordicum in omnibus Hippocratem, aut Galenum tenendũ non eſſe. teſtante namque eodem Galeno, libello de libris propriis. ſerui illi videntur eſſe, quicunque ſe vel Hippocraticos, vel Praxagoricos, vel alios alterius ſectæ appellari volunt. vnde quicunque ſiue Romanus, ſiue Græcus, ſiue Arabs, aut Iudæus,* (quorum Amatus ipſe infœlicem perfidè colebat ſibi natiuam, & auitam ſectam) *fuerit optimè loquutus, huic proculdubio eſt fides habenda.* Verum ſi Amatus ipſe rem exactè perpendiſſet, veritatem iugiter exploraſſet, obſeruaſſet vtique nos, Principes illos, non vti ſeruos æmulari, ſed tanquam claſſiarios milites duces optimos inſequi, à ſumma Dei O. M. prouidentia nobis propoſitos, quos inuitemur. Cum igitur horum doctrina ineffabilis, ac diuina quadam vi inuenta, ad-

admirabili rursus fulcita ratione, exactissima nihilominus comprobata methodo, ingenui sanè erunt, liberi, haudquaquam serui, qui tantorum virorum sequuntur vestigia, & semitis eorundem hærent, firmantur. Ratio namque, per quam homo à cunctis animantibus disparatur, & quâ nihil in homine aut nobilius, aut liberius, non seruos sed liberos, non ignobiles sed nobiles reddit. Quare à ratione conuinci, est liberè sentire: legibus rursus rationis subiici, est ingenuè intelligere: cum & potentiæ, qua ratiocinamur, qua & assentimur, & vndequaque sint liberæ, & ingenuæ, nobísque à summa Dei Clementia dono liberè datæ.

Damnandus iugiter & idem Amatus, cum vnà cum Mercuriali eandem canat palinodiam, & quod magis est, etiam & ipse Amatus in eâdem curatione. tanta est enim rationis vis, quod quasi nolentes, fateri mox veritatem cogantur. Attendite quæso eius verba, suprà in curatione, *Primò igitur venam in talo, quam saphenam appellant, tundere iußi, sanguiniśque vncias sex fluere: laborabat autem nimia plenitudine* &c. Si igitur primò ob nimiam plenitudinem venam tali secas, quid præter Galenum sentis? Virginis talum cædis, adstante nimia plenitudine, neglecto cubito: canone deinceps, Galeno relicto, Aëtium commendas prosequendum, oppositum sentientem? O viri inconstantia! Quamobrem istorum omissis quisquiliis, ac ludibriis, Hippocratem, & Galenum amplectamur, eorundem mox & fruamur & delectemur bonis.

An sanguis ex infernis partibus missus, menstruo actu fluente illud euocet.

Cap. XX.

Libenter ingeniolum meum arctis in hoc amplissimo campo continerem frænis, nisi ardua se offerret occasio dubitandi, an infernæ cæsiones, actu menstruo fluente sanguine, ipsum eliminent, an secus sistant eundem. Grauis sanè res, & à cunctis (quod sciam) intacta. Problematis prior affirmans pars Hippocratis, & Galeni auctoritate roboratur, pariter & ratione. illorum dum cunctas artificis actiones fœliciter procedere affirment, quando Naturam habent fautricem: hoc idem innuit & ratio, si enim testante passim Galeno, infernæ sectiones vnicè menses ex se euocant, quantò magis istud præstabunt, si adminiculantem habuerint naturam. adminiculatur verò, si vasa tundātur tempore, quo, mensium excretionis munus ipsa aggreditur, sub typica videlicet periodo, actu iam sarcinam deponente: quâ forsan ratione ducti Medici (vti vsu recepimus) ipsis imminutè fluentibus, inferua vasa quamprimùm secare imperant, vt naturę nuper auxiliares præbeant manus.

Porrò alteram problematis partem negantem, priori aduersam, & Galenus, & methodi vnà ratio strenuè videntur confirmare. Ille, dum inflammationibus vteri, poplitis venas scindendas consulit, tum lib. de currandi ratione per venæ sectionem capite 18. tum 13. meth. c. 6. & 11. & li. ad Glauc. 2. c. 2. Ratio ex ipsa methodo elicitur. Inflammatio omnis per fientes parte. reuulsionem indicat, vti per

factas

ctas vacuationem: vtrumque venæ poplitis scissio commodè, ac vnicè præstat. Ergo & hæc ab vtero reuellet, & vacuabit eundem. quæ si vera sunt (sunt autem quàm quòd verissima) necessariò cum ab vtero fluentem retrahat sanguinem, & contentum in ipso educat, compescetur hauddubiè & typicus ipse fluxus; tantū abest, quod hūc commouere sit potis.

Insurget tamē quis, hoc & Galeno, ac rationi itidem refragari. Galeno quamprimùm cum citato de venæ sect. libro ca. 18. cubitorum scissiones sanguinem ad superna corporis refluere dicat: *quæ verò*, inquit, *ex cruribus fiunt, tantum abest vt retrahant, vt etiam menses promoueant*. Rationi mox, quia cum vterus infra medium sit, vnde & pars inferior: rursus cum reuulsio oppositionem postulet, poplitum sectio, ceu inferior etiam, haudquaquam opposita, ne ab vtero quidem reuellet.

Satisfaciemus Galeno, vnà & rationi, præmissa reuulsionis distinctione. hæc enim aut est simpliciter dicta, & exquisita, quæ morbis præsertim futuris debetur, & hæc, distantissimos, & exactè oppositos requirit terminos: altera rursus est minus exquisita, maximè ad deriuationis naturam accedens, & hæc itidem morbos potissimum magnos & acutos, iámque actu existentes, & pariter partes factas habentes respectat. hæcque mediocrem distantiam cum aliqua possibili oppositione, nec non vasorum quandam communitatem, ac rectitudinem exoptat. Eo igitur loco Galenus priorem illam alteram amplectitur reuulsionem, exquisitam illam videlicet, cum cubitorum cæsiones ab vtero retrahere scribat, quoniam hæ, omnes exquisitæ reuulsionis adimplent ac seruant

conditiones: crurum autem haudquaquam, imò menses promouent; quia distantia mediocris, oppositio medij tantum ad extremum, vasorum insuper coniugium adest, etiam & aliquando naturæ directio, dextra dextris, sinistra sinistris. hinc hęc quàm maximè ad deriuationem accedit, quia minor reuulsio: & proinde cum minus reuellant, humorésque versus infernas partes simul inclinent, menses promouere potius dicentur, quàm retrahere. vnde sectiones hæ in medium ambigunt inter reuulsionem exquisitam, & simplicem deriuationem, & Galenus modò reuulsiones, modò deriuationes appellat: hoc modo, propter viciniam, coniugium, & rectitudinem, altero mox illo, propter distantiam aliquam, & oppositionem medij ad extremum. Quare negandum non est crurum sectiones ab vtero retrahere, vti & affirmandum menses pariter euocare.

His prælibatis, difficultatem quæstionis exoluemus si problematis partem vltimam affirmantem, ceu veriorem, ac multò probabiliorem recęperimus. Nam quando mens est Artifici aliquam à natura iam actu molitam vacuationem iuuare. tunc nefas quidem humorē vacuaturum, aut per vicina, deriuare, aut per lōginqua multò minus reuellere. quare cum illud præstet crurum sectio, vt nulli vertatur in dubium, etiam ex Galeno, & anatomica administratione, haudquaquam ius, ad mouendos actu fluentes menses, illam exercere. Hinc doctissimus Galenus, quamuis lib. 13. meth. c. 11. in vteri inflammatione consulat, ne licere quidem menses ducentibus tunc vti, veluti nec inflammatione obsessa vesica, quæ vrinas mouent: quia nefas per affectam

ctam partem fluxione iam tentatam, humores ducere; tamen ad illam eandem vteri inflammationē sanandam cōsultò crurū imperat scissiones. Quare tantum abest has per vterum menses ducere, quin ab ipso potius retrahant. Inde elucet seria illa ratio, ob quam consultissimus Galenus lib. de cur. rat. per ven. sect. cap. 18. crurum sectiones per tres aut quatuor dies ante typicam mensium periodum fieri consulat, haudquaquam actu ipsis iam prosilientibus: quia, etsi sectio illa aptè sit nota ab vtero partim retrahere: tamen cum sanguis in vero adhuc in totum, per illos soles collectus non sit, nec ab ipso retrahet: imò plurimos, nec contemnendos præstabit tunc vsus; imprimis multitudinem circa vteri vicina vasa contentam (si aliqua fortè adfuerit) aliqua ratione valentem fluxum mensium remorari, perbellè auferet: rursus, & quod maximum est, sanguinis vniuersum motum versus infernas partes concitabit appositè, supernum impetum ad se reuocabit acriter: affabrè naturæ præficiet materiem, vt sedulò vacuet: eius vestigiis etiam opportunè insistet, eidémque suffragabitur: tandem & incommodo non leui ex lipothymia præuidebit. hæc enim si accidat, cum menses non fluant, ne remorari eos valebit, & versus cor reuellere sanguinem. vnde lib. aduersus Erasistratæos cap. 3. illis fluentibus istud dissuadet auxilium: quia & lipothymia accedente (frequentissima quidem fœminis in venarum cęsionibus) occultantur haud dubiè ipsi. Cum igitur tot, tantíque momenti sint huius auxilij promiscuæ vtilitates, nihil mirum si tantis encomiis crurum cæsiones passim ad mouen-

dos menses à nostro Galeno commendentur, cùm locum, & vnà expulsandá materiem aptè disponant, meatum fluxioni aptum reddant, naturam etiam maiori cum impetu expulsionis opus aggredientem, potenter excitent. Sed verba modo perpendantur, quæ ad instituti accuratiorem intellectionem faciunt maximè;ea autem sunt,quæ lib.de cur.rat.per venæ sect.ca.18.rescripserat ipse in hunc modum, *Ac vbi menses promouere volueris, tempus consueti mulieri circuitus, tribus, quatuórve diebus anteuertens aut vena incisa, aut scarificatis malleolis cruris vnius, pauculum euacuato: deinde postero die similiter facito in crure altero,&c.* In hac itaque sententia, quouis Nectare suauiori insignis Galenus, qualitate remedij iam supposita, de reliquis tribus medendi scopis perbellè disputat, vtendi modum quamprimùm demonstrat, cùm dicat; *aut vena incisa, aut scarificatis malleolis cruris vnius:* hoc in candidis fit, venis non apparentibus, illud in reliquis. rursus & eundem prosequitur scopum lustrandum, dum vno, & altero die, iteratis scilicet vicibus sanguinem hauriendum docet, iuxta robur virium, & sanguinis redundantis multitudinem. Occasionem mox declarat, dicens, *tribus, quatuórve diebus anteuertens,* ante typicum videlicet circuitum sanguis mittatur. Quantitatem tandem,scribens, *pauculum vacuato:deinde postero die similiter facito.* Verùm vltima hæc verba, aliquam in se includunt difficultatē, cùm istam vacuationē ne modicā efficere fas,sed copiosam potiùs,vt exēplo docet idem Galenus lib.6. Epid. com. 3. sen.29. cú enim nobili fœminæ occultata essent muliebria

per

per menses octo, iterata venæ sectione per vices tres, & sanguinem semper ex cruribus, & in maxima hausit quantitate, cum prima die sesquilibram, postridie libram alteram, tertia tãdem vncias octo. quæ si in vnam redigantur summam, pondus erit trium librarum cum duabus vnciis: haudquaquam pauculum pondus. Porrò præter Galeni testimonium, adest & ratio, nam cùm mens sit illo auxilio, naturæ motum concitare, sanguinem vnà in diuersas corporis partes distractum, ac exundantem deponere, necessariò illud copiosa vacuatione præstandum, cùm nequeat illud auara perficere manus. Huic dubio nos respondebimus, si dissonantiam prius (si fortè aliqua in Galeni verbis) exoluerimus. Hic itaque lib. de cur. rat. per venæ sect. vti & altero aduers. Erasistratæos ca. 3. pauculam suadet sanguinis detractionem, quia ibi tantùm intendit sanguinem versus partem infernam deducere, vt faciliùs eò deductum, per proprium natura ipsa vacuet alueum: neque tollenda materies vacuanda, copiosa illa vacuatione: necessariò enim illa deficiente, à præscripto scopo desisteret. libro verò Epidem. in illa nobilis fœminæ historia, non intendit tantùm menses mouere; verùm & præsertim plethoram in totius corporis vasis per menses octo aceruatam, omnino tollere, vnà & ægram in suum pristinum, ac optimum habitum, à quo longè deflexerat sedulò restituere, vt Galeni verborum series insinuat palàm. Proinde ad hoc munus exequendum, copiosam illam imperat vacuationem. His igitur substitutis, nulla ampliùs relinquitur difficultas. nam quando nobis cordi est naturam tantùm

concitare ad absolutam mensurni sanguinis eliminationem, hoc est, dirigere eundem, seu euocare versus infernas partes, mox opus reliquum naturæ committere, sufficiet quidem tunc, pauculam ex infernis vasis sanguinis haurire copiam: pauculam inquam, respectu aliarum, seu respectu illius vberrimæ, quam in nobili fœmina exercuerat Galenus. Verùm si ingens in corpore affuerit plethora, siue ipsa obstructionis fuerit causa, siue effectus potiùs, cùm duplex tunc adsit indicatio, maximæ illius plethoræ minuendæ, & vnà naturæ motum iuuandi: per priorem scopum copiosa imperanda venæ sectio, vti & per alterum paucula, vt materies naturæ relinquatur sufficiens, ad instantem mensium vacuationem. Quòd si præcipuus scopus fuerit Medico, vitiosum habitum, corpúsque illud plethoricum ad naturalem, ac optimum reducere statum, nihil, aut quamminimum de instanti curante fluxu, tunc temporis, præuio Galeni exemplo, vberrimam, tum iuxta plenitudinem corporis, tum & robur virium sanguinis missionem exercebimus.

Concludamus itaque ex dictis, & ad mouendos menses sanguinem semper ex cruribus hauriendum, & instantibus ipsis, haudquaquam fluentibus, per tres videlicet, aut quatuor soles anteuertendum.

Cæterum, nec in totum respuenda ipsa inferna scissio, etiam actu ipsis prosilientibus menstruis; cùm, si acri quodam ingenio illud exploremus, plurimos illa, nec sanè ignobiles vsus in se contineat, non ad iuuandū tantum actualem naturæ motum,

verum

verum etiam (quod maximum est) ad præcauendum, ne parca manu, ipsis fluctibus, altera eorum recurrens portio principem aliquam obsidat partem. Arte enim nos defectum emendamus naturæ, seu imminutam corrigimus vacuationem, vt ita ambobus coniunctis, arte ac natura, perficiatur, quod res ipsa postulat.

Ex dictis innotescit palàm, in quàm detestabili versentur errore Medici illi, qui adhibito studio, impudenter inquam, ad menses euocandos per scissionem venæ, typicam expectant periodum, vasáque inferna tundunt, actu ipsis fluctibus. Nam & rationi reluctatur istud, & Galeni doctrinæ: quid quod, etiam & experimentis. his quamprimum, quia nullatenus hoc medio suum, quem intendunt, consequuntur finem. intrò enim recurrens sanguis statim supprimitur fluxus, & omnino occultatur. Mox Galeno, cùm & ipse præcipiat per tres, aut quatuor soles illud auxilium anteuertendum, imò & lege sanxit. Rationi denique, quia cùm auxilium & vacuans, & deriuans, per vtramque rationem haud dubiè menses accidet; tum materiem excernendam tollendo, tum & eandem versus sectam partem retrahendo. Nihil igitur, aut quamminimum hoc auxilium ad menses eliminandos præstat, iusta occasione neglecta.

Tandem, vt hæc sententia, digna cedro, dilucidior fiat, opinio altera opposita lubet modò exponere. Imprimis ad illa Hippocratis, & Galeni testimonia respondebimus, & verum artificis omnes actiones procedere fœlicius, si naturam habuerint adiutricem, & in vnum vtri-

que concurrerint. Sed cum sectio venę etiam & inferna aliud à naturæ scopo intendat, sanguine videlicet versus partem sectam ducere, dispari valdè ab altero naturæ alueo, per quem intendit ipsa sarcinam eliminare; hinc necessariò respuenda, cum disparia natura & ars in se inuicem appetant. iuuant autem naturam hæmagoga, & menses prouocantes antidoti, quæ pari passu cum natura ambulant, cum sanguinem per eundem canalem ducant, quò natura vergit; reserantia itidem medicamenta, sanguinem & reliquos pariter humores attenuantia, & incidentia. Auxiliaria itidem remedia sunt, quæ (quamuis secundariò) sanguinem versus partē inclinant decliuiorem, qualia siciæ cruribus affixæ, ligaturæ, frictiones, circa partes easdem, & alia pleraque.

Denique expungetur ratio, si negemus illud per se venæ sectionem menses euocare, cum potiùs sit per accidens, & per se eosdem potius retrahat. Euocat enim menses, quando aliqua tollit impedimenta, quibus sublatis, natura ad eorum expulsionem expeditius accingitur, remouet autem plethoram, grauantem ipsam naturam, aut vasa obstruentem, deducit itidem humores versus infernas partes, præcauet syndromen, seu ad supernas partes recursum, quæ omnia illi per accidens effectus: per se verò, seu scopus naturę per status canales mensurnum sanguinem ciere, eliminare. quod tantum abest venæ sectioni, quòd ab eisdem potiùs reuocet, per se retrahat, & versus partem cæsam reducat. Quare noxia, & intempestiua inferna venæ sectio, actu ipsa natura operante, ad huiusmodi menses euo-

euocandos: commoda verò, ac vtilis, si alterum respectet scopum, emendandi naturæ defectus, & retrahendi sanguinis motum, ne partes repat supernas.

An ius aliquando in accisis mensibus cubiti prius tundere venas.

Cap. XXI.

NVsquam licere ad mensurnum occultatum sanguinem educendum, ex venis cubiti eundem haurire satis abundè ostendimus nuper, etiam nec ipsa adstante plenitudine: quamuis plurimi, ac classici viri, leui certè persuasi ratione, decepti potiùs, tenaciter id crediderint. Nihilominus, his non obstantibus, istud idem explorandum in animum duximus nostrum, An fortè aliqua se præbeat occasio, in qua ius easdem scindere. Verùm, vt hæc nostra dilucidè progrediatur disputatio, prodidagmata aliqua priùs proponere, ac exponere lubet; inprimis cardinis ideæ, circa quas versatur auxilium, æstimandæ: habitus fœminæ rursus rimandus: obseruandum tandem periodi tempus. Menses itaque accisi, aut in totum occultantur, vt ne statis quidem periodis recurrant vnquam, siue morbi ratione istud accidat, siue ætatis, vt in iuuenculis, ac senibus: aut mox aliqua, etsi obscura apparent vestigia, ídque vel typicè ac ordinatè per stata temporis interualla, aut inordinatè, tam termini respectu, quàm numeri: haudquaquã sui ipsius oblita

natura. Fœminæ deinceps habitus contemplandus, an plethoricus tantum & carnosus, an gracilis & cacochymus, an preter illam plethoram accisionis, aut imminutionis mensium caussam alteram, illi occultentur ab obstructione à crassis, ac viscidis in vteri, aut reliquorum viscerum venis oborta humoribus. Denique periodi tempus consulendum, an instet, an iam præsens, an secus longè recedat. His igitur statutis, hoc licet modò inferre symperasma.

Ius in accisis mensibus, nullatenus typico innotescente carcere, obstructione symptomatis illius caussa à crassis, ac lentis germinata succis, cacochyma multitudine pariter adstante, quocumque tempore cubitorum scindere venas: vti, & in imminutè fluentibus in tempore tamen longè distáti ab illorum carcere, ac typica meta.

Ratio facilis, perspicua; quia eo auxilio tunc mẽses primò euocare non intendimus, verum corpus ad futurum perfectiorem statum disponere, vnà & impedimenta remouere, quæ Naturæ ad istud mẽstruum absoluendum opus fiunt obuia. vnde, media ista sectione præuia multitudinem cacochymiæ adnexam minuimus, vt natura & ars reliquũ facilius multò vincat, & opus absoluat. depleto enim corpore, obstructionis caussas tollemus appositè, lenta incidendo, crassa attenuando, viásque ab infarctu liberando: & tandem eumethodo, cathartico peculiari vitiosos repurgando succos. Et cum supponamus nobis terminum occultari, in quo fore natura accinctura ad illam menstruam expulsionem, reliquum nobis erit eandem excitare, recordari sopitam, quolibet tempore poplitum aut malleo-

malleolorum ſcindendo venas. & hoc eſt primò menſes euocare: haudquaquam neglectis auxiliis, idem valentibus per ſe efficere.

Cæterùm ſi typicam periodum inſinuarit natura, idque ſiue obſcuris quibuſdam ſignis, ſiue euidentibus (obſcura ſigna ſunt ſymptomata aliqua apparentia, vt lumborum ac ventris imi dolores, corporis grauitas ſeu laſſitudo, crurum præſertim: vti euidentia, aliquod ſanguinis per vterum ſtillicidium) tunc in ipſo actuali paroxyſmo, haudquaquam venas ſecare infernas ius: multóque minus quæ in gibbero, quocunque modo corpus fœminæ fuerit diſpoſitum, ſed medicamentis potiùs, aliiſve irritamentis motum naturæ tunc iuuabimus. nam tenemur perpetuò naturam bene ac conferenter operantem imitari: & cùm hæc, dum bene operatur periodos ſemper obſeruet, artifex pariter & eaſdem non negligere certò tenetur, vt vtriuſque auxilio, facilius, ac crebrius conſequatur finis. Verùm ſi quouis modo carcer illorum innoteſcat, abſcederit tamen longè, habitus prætereà fœminæ cacochymus fuerit cum aliqua ſimul coniunctus plenitudine, etiam & aliquæ fuerint in internis viſceribus, nec minimæ obſtructiones, tunc in illo ſilente interſtitio, etiam menſtrua neglecta ſuppreſſione, ſedulò ad illam deplendam multitudinem accingemur, abſtergendam iugiter, & expurgandam cacochymiam, nec non ad reſerandas obſtructiones, idque & cubitorum ſectionibus, decoctis itidem & catharticis illud pollentibus. Inſtante autem menſium periodo, ac iam imminenti, per tres, aut quatuor ſoles ante eius aduentum venas

crurum nos secabimus, vt hoc medio sanguinis motum, versus infernas partes concitemus, & si fortè aliqua obstruens plenitudo in vteri vasis adfuerit, simul tollamus.

Dum igitur nobis mens est, menses primò euocare, siue carcer typicus innotescat, siue secus, vsus tantum adest sectionum infernarum, cubitorum autem nullus; vti nec catharticorum, etiam consulente Galeno lib. 11. simpl. c. de castoreo. quia si scopus est, redundantiam deponere per vterum, nihil ipsa crurum sectione commodius, decocto itidem pulegij, origani, dictamni, & sabinæ assumpto, aut castoreo ipso: quæ omnia illud potenter præstant; reliqua verò, tantum abest, vt per se hoc præstare valeant, quòd oppositos potiùs germinent effectus.

Quare, quotiescunque ad fœminam nos accesserimus, solo nobis proposito scopo menses monendi, ac vnà tollendi plenitudinem, ab eorum accisione obortam, per tres, aut quatuor saltem dies, ante typicam periodum, hac innotescente, poplitis venam secabimus, malleoli, aut quæ circa talum est, aut eiusdem partis cutem scarificabimus, mox cæsam partem calida fouentes. quibus proculdubiò quod intendimus, apprimè consequemur.

Insurget quis aduersus hanc doctrinam Galeni, illa oblata historia, ex lib. 6. Epid. comm. 3. sen. 29. nobilis illius fœminæ, cui menstrua periodo occultata, & vnà vrgente plenitudine, sanguinem semper, ac vberè ex cruribus hausit, gibberos neglexit,

xit, simul & illos præparantes decoctos, & reliqua.

Exoluemus istud, dicendo, Galenum in hac fœmina tantùm obseruasse symptoma illud à sola sanguinis plethora obortum, obstructiones in vteri vasis germinante, cúmque ex rationali methodo cogeretur de remedio illam tollente deliberare, quo nullum exactius ipsa venæ sectione, teneretur iugiter ex eadem methodo, ad vsum huius auxilij commodum, etiam locum passum obseruare, tum naturæ inclinationem: hinc accuratissimè venas crurum secare iussit, quæ omnia affabrè adimplet hæc sectio: menses enim ipsa euocat, totius corporis plenitudinem, ac vteri præsertim tollit, obstructiones ab eadem obortas pariter reserat: secus autem alteram, quam crassus, ac lentus parit humor. hæc námque, nisi fiens eius pars, nequit tolli venæ sectione: imò cum distinctas in se includat caussas, & distincta indicabit, & cum vnicuique indicanti, vnicum & adæquatum sibi respondeat indicatum, necessariò nos in huiusmodi disparitate, & disparia deliberabimus auxilia. Quare cùm obstructio apertionem indicet, & quæ vasa ab infarctu liberent, mox viscida abstertionem, ac incisionem, vti crassà attenuationem, necessariò huiusmodi concurrentibus caussis, & hæc indicata auxilia debent crurum sectiones præcedere.

Ad pensum itaque redeuntes, & finem capiti imponentes, dicemus, nefas quidem, aut instante, aut præsente mensurni sanguinis motu, quem artifex intendit perficere, gibberos tundere, etsi vrgeat in corpore plenitudo, cum & hęc cõmodius

multò per infernarum partium cæsiones auferatur. verum absente, aut occultato eodem motu, si primariò aliud intendat Artifex, fas & gibberos cædere, & pharmaca largiri. vtrumque promiscuè, siue in corpore fuerit plenitudo, siue cacochymia. Nec mirietur quispiam, quod ad hanc tollendam, venæ sectionem consulamus; cum hæc, vt plurimi, & fortè ignauè censent, purgationem potius, vti & plenitudo venæ sectionem indicet. Nam licet, & ad cacochymum reuellendum humorem nos vti venę sectione, veluti & aliquando ad eiusdem minuendam copiam, qua imminuta, & reliquum facilius natura vincet, & artifex commodius multò concoquet, & pariter mox excernet. Nec rursus arbitretur quispiam hāc doctrinam inusitatam ac nouam, cum ex perenni Galeni promptuario haustam receperimus. hic itaque apertè eandem insinuat, tum lib. 5. ca. 14. & 9. Meth. ca. 10. & 11. tum & lib. 3. Aph. sen. 20. cuius loci hæc sunt verba, *Quod autem sanguinis profusiones plenitudinem & cacochymiam, id est humorum prauitatem vacuando, ab his morbos fieri prohibeant, omnino est manifestum.* Sunt & alij plurimi loci apud Galenum idem demonstrantes, quos & breuitatis caussa relinquimus, & ne lectori pariant fastidium. Eandem doctrinam vnicè amplectitur illa amplissima Valentinorum Schola, & assiduus opprobat vsus.

De

De scopo occasionis secandi venas in restrictione mensium.

Cap. XXII.

Replicatis abundè reliquis tribus medendi scopis, quibus venæ sectio in soluendo menstruo sanguine restricto, debet astringi: operæ pretium est, & nunc alterum tandem lustremus, qui & inter cæteros nec ignobilis, imo in eo inueniendo, ac persoluendo omnis ferè consistit Medici industria. Istud lib. de morbo sacro n. 18. Hippocrates insinuat, dum, *Medicum* scribat, *oportere temporis occasionem in singulis pernoscere: cuius inuentor ille est,* ex Galeno lib. 6. Epidem. commentario 5. sentent. 1. *qui faciendi auxilij est auctor.* Cæterum cum occasionem varia alterent, commuténtque, ac sæpe illico, varia inquã morborum symptomata, diuersæ morborum constitutiones, variæ nihilominus & naturarum proprietates, vnà cum diuersis hominũ naturis, & aliis, exinde hanc statam assignare, difficillimum coniectrici artificio emendamus, apprimè coniectabitur, qui acerrimum fuerit nactus ingenium: vti & exactè operabitur, qui prudentiam consequutus. hæc autem comparatur multis actibus methodo prosequutis. cum igitur cunctis his indigeat coniector artificiosus, quàm minimum recedet à scientifico, qui paratus.

Sed iam rem exemplo aperiamus. In accisis mensibus, vt venę sectionis captemus occasionem, præter ea, quæ nuper diximus, & alia tria veniunt consulenda, ex quibus catholicum & opportunum auxiliorum tempus captatur potissimum, affecti videlicet postulantis præsentia, impedientium ab-

ſentia,& futuri eiuſdem remedij conſideratio. Si igitur affectus præſens, ſymptoma illud germinans fuerit plenitudo obſtruens, vel ſimplex, vel cacochymiæ adiuncta, tunc & poſtulans aderit venæ ſectionem,per conſequens itidem & vniuerſalis eiuſdem occaſio. nam poſito, morbum adeſſe actu poſtulantem remedium,ſimul & abeſſe impediens, neceſſariò & ſimul dabitur eiuſdem auxilij occaſio. particularis verò non ſolum requirit obſeruationem futuri illius auxilij, verum & quàm maximè proprietatis naturæ ſedulam æſtimationem. quæ particularis naturæ proprietas, particularem inſuper inſinuat auxilij occaſionem. cúmque hæc naturæ proprietas,ſit per ſingulas periodos, in ſingulis menſibus, ſanguinis vbertatem redundantẽ per vteri alueum deponere (quam proprietatem nos ſupponimus aut vitiatam,aut abolitam, aut imminutam) : hinc proſequenda natura quantum libuerit,iuxta locum, ac typum.vacuãdum igitur,quando ipſa opportunè operatur, ſub typica videlicet menſtrua periodo. verùm futuri auxilij poſtulati obſeruatio, iſtud renuit, ac diſſuadet quidem, quandoquidem ſanguinem ipſum ab vtero retrahit, etiam & illa, quæ ab infernis fit partibus: quare actualem typicam periodum negligemus, tanquam impedientem, inſtantem autem nequaquam:quia tũc natura,iam quaſi commota ad multitudinis expulſionem,illius auxilij beneficio iuuatur, cum ſanguinem deducat verſus partes infernas,& eiuſdem impetum commoueat verſus partem,per quam ſolita eſt natura, eandem etiam deponere ſarcinam.Inſtans itaque periodus per tres

aut

aut quatuor soles, opportunum erit tempus, & optima itidem occasio secandi crurum venas. refertur & ad hanc futuri auxilij considerationem, & illud iam à Galeno decantatum lib. de venæ sect. aduers. Erasistratæos cap. 5. lipothymia inquam, quam ne metuendam censet extra typicam periodum, timendam in ipsa, cum sanguis eius ratione ad cor feratur, & recellat impetum; tum sequuntur & illa incommoda, quæ Galenus idem ex Hippocr. commemorat lib. 6. Aphor. sen. 29. In fœminis autem, in quibus nulla sanguinis per vterum apparent vestigia, verùm symptomata aliqua prosiliunt, ostendentia sanè typicam periodum, qualia lumborum dolor, ventris imi grauitas ac dolor, lassitudo, capitis & oculorum vnà grauitas, circa partes colli rubedines, phlegmones aliquando, per nares sanguinis stillicidia, eiusdem itidem vomitus, tunc & eiusdem auxilij opportunum erit tempus. quia ipsis apparentibus signis, hauddubiè innotescit naturam actu iam accingi ad rei molestæ excretionem: quem motum nos imitari debere methodus ipsa postulat: cum & impedita natura sit iuuanda, & eandem procurandum auxiliatricem habere.

Quòd si omnino mensurnus carcer nobis occultetur, aut quia adhuc fœmina menses reddere non sit solita, aut quia oblita potiùs natura per aliquot circuitus eosdem repurgare, occasio tunc captanda, non ex futuri auxilij consideratione, ceu noxij, cùm ne noxium quidem, abdita periodo eodem vti, verùm ex impedientium absentia, cruditatis inquam ventriculi circa alimenta, maxi-

mæ, itidem in vasis crudorum humorum copiæ, sanguinis etiam corruptelæ, ita vt ne eius vincat idea, vitium præterea lãguoris, præcedentis hemorrhagiæ, siue per nares, siue per os eductæ, inediæ etiam, aut morbi alicuius præcedentis, valentis vasa ipsa inanire &c. si enim etiam horum alterum affuerit, abest quidem huius auxilij occasio, cunctis verò absentibus, adest sanè.

Verum enim verò, quod methodus hæc rationalis, occasionem inueniendi huius auxilij in accisis mensibus sit ex perenni Galeni ærario deprompta, ex eo manifestum fit, quod etiam apertis verbis eãdem referat lib. de cur. rat. per venæ sect. cap. 18. quo loco, postquam vtendi modum descripserit, de ipsa occasione sic effatur, *Ac vbi id facere volueris tempus consueti mulieri circuitus tribus, quatuórve diebus anteuertens, aut vena incisa, aut scarificatis malleolis cruris vnius pauculum euacuato: deinde postero die similiter facito in crure altero: vt tamen etiam istis diebus in quib. vacuas, & ante eos quatuor, aut quinque extenuantem victum procures &c.* Altero rursus libro de venæ sect. aduers. Erasistratæos cap. 3. idem recenset, dum Erasistratum arguit, nolentem Chiensi puellæ sanguinis sputo ex mensium accisione laboranti sanguinem haurire. verum eius hæc sunt verba, *Postquam enim per tempus purgationis, quæ circuitu quodã fieri solebat, sãguine ad superna perlato periculũ immineret, ne mulier quãdoque sanguinem expueret, Erasistratus plenitudinem minuere cupiens, ad inediam se contulit: atque hæc supervacanea planè est, si modo venæ sectio quo momento temporis sanguinem superfluum euacuare facillimum fuerat, accersatur. Proinde illi qui Romæ mulieres medebantur,*

tur, rei quæ contigerat experientia maximè commoti, tempore, quo emptio menstruorum futura expectabatur, venæ sectionem vsurpabant, &c. Hoc itaque loco, postquam hæmaphobum Erasistratum expunxerit, Medicos eos laudat, qui veritate conuicti occasionem secandi venas in accisis mensibus captabant; illud videlicet tempus, in quo menstruorum eruptio iam iam expectabatur futura, haudquaquam actu ipsa existente.

Inferamus igitur ex his, non innotescente typico mensurni sanguinis paroxysmo, quodlibet tempus & idoneum ac opportunum ad huius auxilij vsum: agnito verò eodem, licere tunc tantum, aut per tres aut quatuor dies ante eruptionis menstruæ accessum. illud, vt naturam quasi oblitam excitemus, & eius motum secundum naturam mox iuuemus: hoc autem, vt citra discrimen, hoc idem præstemus. Verum nec respuenda venæ sectio, etiam ipsis actu fluentibus, respectu tantum alterius scopi, vt scilicet, naturæ defectum arte emendemus, & aliqua simul futura noxa sedulò præcaueamus.

Cæterum aduersus hæc & ardua occurrit difficultas, quæ certò comprobare videtur in accisis mensibus nullatenus licere, saltem in quibus iuxta consuetudinem auarè prosiliunt; per tres aut quatuor ante soles infernas tundere venas. Ratio facilis. Ignoratur rei expurgandæ ab ipsa natura quantitas; quæ fortè futura sufficiens. ergo ante eius operis consumptionem, ne ius vacuare, néve aliqua ratione mouere.

Antecedens manifestò probatur: quia quamuis solita fœmina mēses imminutè reddere, tamen va-

riè natura ipſa ſe habet, non in diuerſis indiuiduis naturis ſolum, verum & circa idem indiuiduum, ob varias & diuerſas cauſſas, quæ & diuerſimodè alterant, & noſtrum diſponunt corpus. Hinc altera quæque mulier iam parcè, iam copiosè, iam rurſus mediocriter ſanguinem reddit menſurnum. Quare, ſi anceps res, & temerarium cenſendum, quod natura ſufficienter forſan erit aggreſſura, nos perturbare, aut ſi paullò minus vltra modum nos vacuare. Videtur hanc doctrinam, criſium exemplo ſummus Dictator confirmare, lib. 1. Aphor. ſen. 20. cum naturam, dum decernit, haudquaquam mouendam eſſe ſcribat, ſed omittere. quod ſi mox imperfectè motam conſpexerimus, illud tunc addere, ac ſupplere, in quo ipſa defecerit. Idem præſtandum ſuadet inſignis Gal. li. aduerſ. Eraſiſtratum, dum hiſce diuinis eloquitur verbis, *Oportebat enim primum te opera naturæ mihi deſcribere, deinde declarare: & quæ illa integrè, & perfectè propriis conatibus incitata, & quæ morboſis cauſſis præpedita diminutè agat: nam huiuſmodi ratio viam ad inuenienda medicamina nobis ſuppeditat. cum enim didicero quæ probè ab illa perficiuntur, ſuperaddito eo, in quo illa deficit, facilè ei adiumento eſſe potero: rurſum, ſi ipſa nihil penitus mouet, id quod quandoque morboſarum cauſſarum vehementia ſuperata patitur, tum ego illud omne ſuggerere enitar, &c.* Ex his itaque Gal. verbis, quouis ſole illuſtrioribus innoteſcit palàm, antequam de aliquo nos deliberemus auxilio, motum naturæ prius obſeruandum. Cúmque menſurna purgatio, altera quędam ſit quaſi criſis perquam natura per menſes decernit ſingulos: vti in criſi, ne
licet

licet quidem, operante ipſa natura quicquam mouere, nec instante opere, verum illam contemplari. quare nec instante periodico fluxu, aut actu ipſis proſilientibus menſibus. Expectandus itaque motus, & æſtimandus eiuſdem modus, an vberè, an ſecus parcè natura ipſa decernat, eliminet. quod ſi primo modo pro gratia habendum, ſin altero, defectum emendabimus.

Verum cum venæ ſectio in reſtrictis, aut imminutis menſibus duplicem (vt diximus) habeat ſcopum, aut motum naturæ iuuare, aut eius defectum emendare, prior difficultas, & eius comprobatio tantum habet locum in hoc vltimo huius auxilij ſcopo: quando ſcilicet, per illud nobis mens eſt naturæ defectum emendare, haudquaquam quando motum eiuſdem iuuare: quia, tunc ſecta vena per tres aut quatuor dies ante periodum, commodè materiem diſponimus, vt facilè & aptè eandem natura expellere valeat. neque eo medio intendimus primò redundantem materiem deponere, inde mediocrem imperamus, ſed aptam ſolùm vacuationi parare. vnde nihil intereſt ignoretur quantitas expurgandæ materiei, dummodò innoteſcat ex iam præcedentibus periodis, mulierem nihil, aut auarè ſaltem vacuaturam eſſe. quid quod & illud criſis exemplum, nihil ad rem, cum nec antè criſim quicquam mouendum, natura tota in coctione poſita, quam impedire nefas, motus itidem eiuſdem naturę ignoretur, ac locus etiã, per quẽ obſceſſus; quare ceu incerta, nec imitari, aut proſequi ius. In mẽſibus autem reſtrictis, cũ coctio abſit, nec vlla ſeque-

tur læſio, ſemper adſtante occaſione: locus porrò agnitus, vterus inquam, per quem certò natura expulſura: commodè itaque illo venæ ſectionis auxilio, naturam omni tempore iuuabimus, non innoteſcente typico termino.

Prætere a in illo altero ſcopo & defectum ipſius naturæ corrigendi, & morbos vnà præcauendi, duo æſtimanda veniunt; primum, an per longam cõſuetudinem ipſius purgationis menſtruæ quantitas innoteſcat, an ſecus abdita occultetur. ſi igitur agnita, & auarè procedat, comminans humoris ad ſuperna anadromen, lentóque ſimul gradu moueatur natura, etiam ipſis actu fluentibus venas tundemus infernas, vt videlicet quantitatis emendemus defectum, & motum quamprimum retrahamus ſupernum. ſin verò cunctanter illa moueatur, ac crebrò depleuerit plurima, tunc ſi vniuerſæ molem naturæ moleſtam non depoſuerit adhuc, æſtimata per coniectricem artem redundantiæ copia, tum ex conſuetudine menſium periodorum, vita antegreſſa, mulieris ſtatu, temperamento, ætate, morbo ſi forſan præceſſerit aliquo, vel altera quapiam effatu digna vacuatione petita, reliquum omne, eâdem arte, venas ſecando crurum, vacuabimus, vt vtriſq; inſuper coniunctis, natura, & arte, quod redundans poſtulat materies, abſoluamus. Sin autem menſium conſuetudo, ſeu tenor fuerit nobis ignotus, quacunque illud acciderit ratione, ne mouebimus quidem nos ipſa operante natura, nec ſectione venæ, néve aliis irritamentis: ſed illorum carcerem expectabimus vltimum. quod ſi naturam parcè ac imminutè operatam perſpexerimus, nos arte defectum ſupplebimus.

Tandem

Tandem si coniectemur & nos, ex quibusdam signis, aut indiciis euidentibus menstruam fluxionem, siue præsentem, siue futuram mancam,& parcam, nihilominúsque humorum anadromen ad aliquam partem principem comminari, germinaturam ibidem morbum aliquem acutum: tunc sedulò, ac seriò quidem motum naturæ iuuabimus, eosdémque humores ad partes retrahemus oppositas & longinquas: cædemus itaque infernas.

De curandi methodo per venæ sectionem morbos tum acutos, tum simpliciter magnos, ex mensurni sanguinis accisione germinatos.

CAP. XXIII.

CVm ea, quæ ad mensurnum sanguinem accisum per venæ sectionem eliminandum spectant, vberè explicauerimus: iam superest modò aliqua libare de curandi methodo per idem auxiliũ, morbos tum acutos, tum simpliciter magnos, ab eâdem exortos caussa. Vti namque plures existunt morbi huiusmodi restrictionis caussa, ita & alij plures, quos eadem suppressio effœtat, vtrorumque & ideas, & caussarum iliades primis huius libri capitibus abundè explorauimus: mox priorum curationem aggressi: iam modò, eadem acclamat methodus, aliorum non negligamus curationem. Rem ordiamur.

Symptoma istud, vti necessariò suam habet caus-

ſam, à qua producitur, nihilominus & ſæpè rationem habet cauſſæ, & plurimorum morborum ſit auctor: imò & graues aliquando, ac hoſtiles germinat morbos, iam mediatè, iam rurſus immediatè, iam in ipſomet vtero, iam denique in parte aliqua principe, ſiue in reliquo corpore. Et cum diſparem hi contrahant naturam, cum alij vrgentes & acuti, alij magni ſimpliciter, & chronici aliquãdo: hinc methodus exurgit diſpar. nam quando vrgens & acutus, neglecto hoc ſymptomate, ſeu antecedente ac remota cauſſa, illicò ad coniunctæ ablationem accingemur, niſi fortè aliquis concedatur locus occurrendi quamprimùm & ipſi, vt ne & alteram coniunctam foueat, quando videlicet hæc, vt agens vt nunc æſtimatur. Hanc eandem methodum ſeruandam conſuli mus ſuprà & libro primo, dum imminutos menſes cum morbis acutis connexos replicauimus, tum & libro tertio, dum in lochiorum acciſione eandem methodum exercuimus, capite præſertim 45. Quare, quanto acutior morbus, quantóve vrgentior, tanto magis ſymptoma illud negligendum. Ratio, quia ars iubet vrgentiori illicò occurrendum: & ſi reuellendum & vacuandum crebrò à parte recipiente præſtandum, haudquaquam ab alia diſtante, etiam nec à mandante, etſi ipſa innoreſcat. Verum in morbis ſimpliciter magnis, vti in chronicis aliter nos geremus, cum inducias ipſi dent, nec in ipſis volucris occaſio, diſtinguendi igitur quamprimum hi. nam aut venæ ſectionem admittunt, aut eandem potiùs renuunt: ſi hanc omnino renuant, etſi acciſio eandem poſtulet, adſtante prohibente

hibente

hibente digniori, respuenda sanè: quod si vnà prosequatur, tunc vtriusque affectus ratione cordatè consulenda. quamuis, si vtendi modum spectes, potiùs infernæ partes scindendæ, ex Hippoc. decreto 2. Epidemicorum, quia in vtero caussæ principium.

Quod si in medio horum ambigat affectus, qualis hydrops, qui ceu frigidus morbus, venæ sectionem omnino respuit, admittit aliquando eius caussa, si mensurni sanguinis, aut hæmorrhoidum aut alteram quamcunque sanguinis suppressionem caussam habuerit, aut morbum acutum, iuxta Hippocratis librũ secundũ Prognost. sen. 1. seriò distinguendum: cum si positiuè insit frigiditas in hepate, nefas sit tundere venas, cum amplius intemperiem augeat frigidam: sin priuatiuè, & à sanguinis copia obruatur calor, ius sane illud præstare: neque enim lubet hydropem sanare, quin prius tollatur multitudo, natiuum extinguens calorem, & frigidæ intemperiei, ac hydropis simul auctor. Adeamus vtrosque Medicinæ Antistites, dilucidè hanc rem exponentes, Hippocrates quamprimum libr. 4. de rat. vict. sen. III. mox & Galenus in eius sententiæ comm. tum & libro quinto, de loc. affect. cap. 6. appositè rem declarant. Hoc tenore procedit affectio, stabulato sanguine in vteri vasis, illicò sursum ad fontem ille refluit, ad hepar inquam ἱεμάλιον ab Hippocrat. lib. 1. de morb. mul. nuncupatum: mox sanguis sua copia eius calorem minuit, ac obruit quodammodo, hinc sanguinis œconomia vitiatur, & eius vbertas in aquas, & pituitam haudubiè vertitur. ex his rursus succis cache-

xia oritur, ipsis impartitis, ac per totam compaginem distributis: quia in minores confluunt venas carnibus & cuti affixas: & cùm nec apponantur, nec assimilentur succi illi cacochymi, cùm appulsu potiùs ad partium nutritionem accedant, inde vitiata illa nutritio. Quare suppressio oppressionis caussa, vti hæc suffocationis, & suffocatio fiens cachexiæ, hæc tandem amplius perseuerans hydropis, illius præsertim speciei quam Græci *ἀνάσαρκαν, ὑπόσαρκαν, κατάσαρκαν, σαρκίτην, ἐπισαρκίδιον*, & *ὑποσαρκίδιον*, vocāt. Lubet igitur in hac tantum affectione venā secare, vt multitudinē tollamus oppressionis, & suffocationis caussam. Istud perbellè etiam innuat Alexander lib. 9. cap. 2. dum inquit, *Ac frigiditatis quidem ratione illa non indiget: sed quoniam copiæ detractio naturam leuat, vt hac minorem illam effectam facilè superet.* Postulat itaque proximè hoc auxilium multitudo obruens, hydropis caussa altera.

Occasio captabitur ex absentia itidem impedientium. impediens quidem positiua hepatis intemperies frigida, tum & languor virium, quas robustas requirit auxilium. vtrumque abest in hydropis principio. quare in ipso tantum venas scindere lubet. firmatur & Galeni auctoritate citato com. 4. de rat. vict. quo loco sic fatur, *Nempe hic solus, cum incipit, eget interdum sanguinis detractione, cum scilicet ex retentione vel hæmorrhoidū, vel muliebriū, vel ex quapiam, quæ ita plethorica sit caussa, inceperit.* Interest igitur in huius morbi principio rem exercere, dum adhuc calor natiuus labascit, & à suffocante caussa obruitur. quia tunc & vires sustinebunt

nebunt auxilium, cũ adhuc non ſuccumbant, & vanà ſpes eſt calorem de nouo recreari à ſarcina liberatum. quod eleganti pariter analogia illuſtrat paullo infrà Galenus dicens, *Vt ignis propè extinguitur immißis lignis tum humidis, tũ multis, niſi quis multitudinem ſuſtulerit: ſic & in frigidiore ob copiam ſanguine, vbi calor natiuus propè extinguitur, præſentißimum eſt remedium ſanguinis mißio, quo tempore periculum ita prehenderit* Ex vtraque itaque ſententia liquidò elicitur, ius tantùm tundere venas in hydropis huius principio, ſub cachexia inquam, aut ipſa inchoante anaſarca: qua ingraueſcente nefas quidem; quia extingueretur potiùs ſciſſione imbecillimus calor, maiórque amplius introduceretur, frigida in hepate intemperies, cæteris ſpeciebus, atque temporibus interdicendum auxilium.

Franciſcus Valleſius com. in citatam Hippocratis ſententiam, neque in hoc principio morbi huius auxilij locum eſſe retur: quia, inquit, vires venę ſectionem neque eo tempore ſuſtinere valent, niſi exiguam nos ſanguinis copiam fuderimus, aut mediocrem ſaltem, eò præcipuè cum morbus paulatim non ingruerit, ſed affatim potiùs calore ſuffocari incipiente, aut ab acciſis menſibus, hæmorrhoidibus, aut altera quapiam vacuatione conſueta, aut exercitatione intermiſſa: quo ſanè caſu ait, miſſio ſanguinis propiùs expetitur.

Cæterum duplici expungitur nomine, primum, eò quòd vires in eius ſaltem morbi principio (iuxta noſtram hypotheſim) robuſtas non admittat, quas etiam per eſſentiam firmas arbitramur. quod ſi fortè huiuſmodi aliquando non æſtimentur, hoc

ideò, quia pulsatiles venas humoris grauantis moles & deprimit, & sensum decipit. Præterea neque suffocatio affatim quit vlla ratione à circuncisis mensibus germinari, cum illius moles indies sensim augeatur, ac vnà seruetur, paulatim simul calorem obruens. quare neque affatim ad hepar irruit, imò lento gradu succrescendo, suas actiones exercet, calorem natiuum extinguens, & frigidam itidem sensim in hepate introducens intemperiem. In hujus itaque morbi principio, dum adhuc vires sustinent, quas robustas illud requirit auxilium, tum morbi frigidi non renuit magnitudo, venæ sectio exercenda tantum.

Vtendi modus indagandus modò, si Hippocratē consulamus, citata libr. 4. de rat. vict. sententia, ex brachio auferendus sanguis, dum scribat, *Si difficulter spirauerit, fuerítque anni tempus æstiuum, & viguerit ætas, viribúsque fuerit valentibus, sanguinem à brachio tolles.* Quibus verbis innuit Hippocrates ad detractionem sanguinis assistant opus esse, tum consentientes scopi, tum postulantes. consentientes vocat, robur virium, ætatē vigentē, tum vernū tempus, ita enim seriò legendum cum Dioscoride Alexandræo censet Galenus, quam eandem admittit Hieronymus Mercurialis lectionem, dicens, *καὶ ἡ ὥρη ἐαρινὴ ἐοῦσα τύχῃ: & tempus vernum fuerit.* postulantes rursus morbi magnitudo, quam patit aceruata plenitudo, comitatur difficilis spiratio. His itaque adstantibus consultò sanguinem mittit, & cum respectet hypochondria, ceu mali sedem, eundem à brachio auferendum suadet. Hunc modum vtendi intactum relinquit Galenus in commentario, cum nec respuat, aut

ad-

admittat, sola qualitate contentus, vti & Trallianus.

Vallerius in citato commentario diuersimodè sentit, & forsan exactius, dicens, *ex brachio sanè non semper, nam ob menstruas euacuationes*, potius suppressiones, *aut hæmorrhoidas ex talis melius extrahitur.* Si rem exactè contempletur accuratè hunc dixisse fiet palam. nam, cum in morbis præsertim chronicis, ex parte mandante innotescente præstanda reuulsio, cum vterus, aut anum partes sint mittentes, à quibus hepar afficitur, & eius calor, à transmissa ab eisdem partibus sanguinis mole obruitur: proculdubiò ab hisce partibus, quamprimùm reuellendum. quid quod & plenitudine ab eisdem partibus deposita, illicò iterum ad eandem partem mittentem sanguinis superna copia irruet, insequens infernum impetum, & hepatis calor leuabitur, ablata obruente caussa, & ventillabitur ampliùs.

Ad oraculum dicemus, hunc librum, neque Hippocratis genuinum. imò plurimis scatet erroribus, vt sæpè eosdem conuellit Galenus sub variis eiusdē operis cōmentariis, etiam & in eod. cō. eiusdē sentētię. Quare ne standū huic, sed rationi. Consulerem igitur, vt caussæ principio quamprimum occurrerem, aut menstruis, aut hæmorrhoidibus accisis, venas infernas tundere, verum in quibus nulla particularis plethoræ obruentis inest caussa, cubitorum potius vti & in illa hydropis specie, quā Gal. describit lib. 6. de loc. affect. ca. 1. dicens, *Haud secus hallucinari cōsueuerūt in ea quoq; aqua intercutē specie, qua ad acutos morbos sequitur. quippe ab iis*

iecur, calida, & sæpenumero sicca quoque intemperie tam grauiter afficitur, vt cibum in sanguinem transmutare nequeat. In hac enim, vt attemperetur ingens hepatis calor, aut ratione ardentis febris, aut phlogosis, seu phlegmonis potiùs contractus, ius quidem illicò & venam scindere, & cubiti internam. Neque fas, calidam hanc hepatis intemperiem per se, ac positiuè hydropis statuere caussam; sed quia obruit natiuum calorem, vitiat, ac corrumpit hepatis œconomiam, & introducit per accidens frigiditatem, primò alterius morbi causam: omnis itaque hydrops primò ac proximè intemperiem sequitur hepatis frigidam ex Aëtio tetrabibli 3.ser.2.c.20. nisi fortè illa, quæ consequitur febrem quampiam ardentem, hæmatoseon non corrumpentem, nequeuntémve cibos in sanguinem transmutare: verum liquantem, ac in serosam substantiam vertentem omnem ferè sanguinis molem, quem affectum illicò, ac affatim contingere videmus, & ardentes febres insequi. Cæterum hunc, hydropem propriè non esse reor, cum & affatim irruat, & affatim quasi occultetur, nulla relicta in hepate frigida intemperie, aut tumore in ventre, aut reliquo corporis habitu, formalis quidem cuiusque hydropis ratio. quod si fortè perseueret tumor, succrescátve affectus, & vnà intemperies in hepate frigida contrahatur, hydrops iam censendus. in quo affectu quamprimum febris ardentis ratione adhuc præsentis sanguinis missio pariter exercenda, & ex cubito itidem.

Syllo-

Sylloge huius libri quarti de curandi ratione per venæ sectionem menses suppressos, & vnà morbos acutos ex eorum germinntos accisione.

Cap. XXIV.

RAtio docet,& experimentum confirmat (dico sciētiarum omnium præclara tecmeria)& solam mulierem illustriorem inter animalia cun-ctas,& solam pariter menstrualé. istud tum propter ingentes ac plurimos vsus, tum varios,ac clarissimos fines seriò Natura prouisit: quos & accuratè Galenus recenset, & sedulò iugiter distinguit, lib. præsertim de venæ sect.aduers. Erasist. cap.5. Illos itaque cum ab vniuersa natura, tum à sexus peculiari proprietate tributos,cuique contempláti peruium. Sed cum & inter cæteros,illum nihilominus præstet vsum, per singulos videlicet menses fœminam à molesta quadam sarcina liberare,vt integra,ac fœlici fruatur sanitate: quoties hoc cruentum tributum Lunæ,cui subiicitur ipsa, non liberit,in graues,vt plurimum,ac funestos sæpè incidit ipsa morbos.Indiget igitur,vt se à tot vindicet malis, perpetuò, per omnem scilicet vitæ statum (demptis extremis,pueritia, inquã,& senectute)typica quadã periodo,& harmonica tenuore istud per soluat tributũ.Quare hãc à tot pressuris liberare deuincimur,tũ quia nobis in auxiliũ, tum quia plurima in nobis ab eadem collata beneficia, idque per longa interualla fœtationis, nixus, lactationis, & educationis, maximo & assiduo cum labore. Omni igitur cura, omniue solertia hanc ipsi toto genere secundum naturam vacuationem seruemus

ius est, imminutam, aut abolitam in naturalem ac salubrem restituamus statum: cum ipsi nec vlla alia res, aut gratiosior, aut fœlicior. Inter cuncta verò Medica organa, nullum ad vtrumque captandum præstantius ipsa sectione venæ. hinc huius quarti libri exurgit consilij ratio, An morbis cunctis menses occultantibus auxilium illud conferens, an quibusdam tantum, quod si quibusdam, & quibus, & qua methodo procedendum, indicationibus parta, iuxta quatuor medendi scopos, quibus cuiusque auxilij congruus perficitur vsus. Cæterum cum hæc omnia, ob doctrinæ perfectionem, quasi coacti, variis ac diuersis nos implicaremus doctrinis, disparatis vnà opinionibus, à quibus fortè, ob ingenij tenuitatem, quibusdam obscurior apparet nostra sententia, difficiliórque methodus; decreuimus proinde, ac seriò, illa eadem cuncta, sub breui modò aperire sylloge.

Sed; vt methodo rem prosequamur, inquirendum quamprimum, An affectus, quem sanandum proponimus, illud insinuet nobis auxilium: demõstrat istud & morbi natura, vnà & eiusdem caussæ idea. quare, cum affectibus ab obstructione, quam parit vel plenitudo, vel humorum redundantia, sanguine suam ideam seruante, venæ sectio sit ex vsu, morbo eôdem adstante, adstante iugiter & eâdem caussa, seriò venę sectionem deliberabimus, vel absente haudquaquam.

Eiusdem rursus auxilij quantitatem artificiosa coniectura nos metiemur, quàm plurimis inquam obseruatis, temperie videlicet, ætate, consuetudine tam circa victum, quàm iuxta mensurni sanguinis redditio[illegible]m, anu[illegible] p[illegible]æterea tempore, regione, viribus

bus itidem: nam ex his perbellè coniectabimur sanguinis quantitatem, quam nobis detrahere fas. In quo exequendo munere & illud quammaximè æstimandum, quod multò minor fiat detractio, quàm fuerit redundantis sanguinis copia, iuxta illud diuini Dictatoris libro primo Aphorismorum, sententia quinta. *In tenui victu peccant ægroti, quò fit vt magis lædantur, siquidem quoduis peccatum grauius hic, quàm in paullò pleniore victu solet esse.* Quæ quamuis de diæta scribantur, appositè & de vacuantibus queunt intelligi; cum vtrorumque eadem ratio. nam non aliò in tenui victu peccant ægroti, nisi quia præter modum ipsâ vires languescunt, quas nihilominus elumbes ac flaccidas copiosæ parant vacuationes, cum nec ipsas natura ferat, citra maximum discrimen. Hunc concentum pariter Galenus insinuat lib. de ven. sect. aduers. Erasistrat. in c. 7. dicens, *Sit enim, si ita sors ferat, mediocris detractio trium heminarum: vti si quatuor detraxeris, noxam maximam inferes. duas rursum si euacuaris, commodabit quidem id satis, læsionis verò nihil afferet. licebit namque tibi vnam illam heminam vel clysteribus, vel inedia, vel frictionibus, vel sudoribus exhaurire; præterquam quod & denuò detrahere si voles, non vetaberis.* In hoc igitur capite Galenus eleganter innuit, quod ad vnguem dignoscere tum morbi recessum, tum eius caussæ quantitatem cum sit difficile, aut impossibile ferè; similiter aut impossibilis, aut difficilis adæquatæ auxilij quantitatis descriptio: quare in re dubia, cum tutior pars eligenda, & abstinendum, & cauendum quæ vltra

modum vacuent, vti iuxta Hippocratis oraculum, peccatum in tenui victu: vtrumque dignitatis viriū respectu. mediocritas igitur consulenda, vt vires seruemus incolumes. & satius multò versus partem robustiores vires seruantem deflectere, tum & immoderatas semper inanitiones vitare.

Porrò & eiusdem auxilij modus vtendi, duplici ratione æstimandus, etiam iuxta Galenum lib. aduers. Erasistratæos, ca. 4. primò, quatenus in quolibet affectu vena secanda exploratur conferens, quæ itidem crebrò partis læsæ plenitudinem tollat, aut fluxum recellat. non enim indifferenter, aut citra discrimē in quolibet affectu quælibet scindēda vena, vt falsò existimarunt quidam. Mox, quatenus eiusdem auxilij æstimamus iterationes, an semel tantum, an bis, an amplius potius sanguinem subtrahere liceat. In nostra igitur hypothesi, illud primum, æstimato videlicet partis affectæ situ, meatus natura, humoris inclinatione, venarum denique coniugio, impellit venas scindere infernas, vt celerrimè multitudinem, obstructionis caussam ab vtero, parte quidem læsa) ac commodè, auferamus: quia maxima vtriusque partis coniugatio. neque, etsi in toto corpore adfuerit plenitudo, ab incepto opere desistendum, cum nullo alio medio, serius ac commodius, naturæ impetu, & inclinatione inspectis, naturali pariter meatu, ac vasorum coniugio æstimatis, plenitudo tollatur: neque alius contemplandus affectus, prҿter morbum hunc, & eius caussam. morbus obstructio, eius caussa plenitudo in vteri vasis stabulata, in fiente simpliciter efficiens, in facta fouens vel augens. plenitudo verò, extra vterū potentia tantum caussa, quæ qua talísne indicat autem

autem actu, quæ actu caussa & tantò celerius, quantò vrgentius. Proinde coniuges cædendæ venæ, quę caussam actu tollunt, & rursum sanguinem exactè ducunt versus meatum, per quem natura bene operans, mouere intendit. quid quod nec altera potentia caussà remoratur istud, cum & hęc, iuxta Medici operantis scopum, etiam & multò commodius per easdem cæsiones infernas tollatur, etiam citra noxam aliquam, aut obortæ obstructionis, aut auctæ: cum vtraque plenitudo tam vteri, quàm venæ cauæ æquè impetum capiat versus partem sectam, & inanitam, cōsequutione quadam naturæ. & quod magis est, potentius multò dirigitur sanguis, versus sectam partem, quam versus partem ad quam à natura propellitur, vt accuratè exemplo hæmorrhagiæ per nares Galenus demonstrat, quæ quidem & cohibetur, ac retrahitur cubiti secta vena. quasi potentius ars operetur, quàm ipsa natura.

Denique iuxta partem alteram scopi vtendi modi, quæ iterationes respectat, dicemus, duo itidem consulenda, vires, tum materiæ redundantis copia. quæ quamuis ad quantitatis scopum referri videatur: tamen per alteram rationem formalem, discutionis quantitatis, quæ vsum respectat potissimum, ad hunc alterum scopum spectabit hauddubiè. Illa igitur duo consulenda; quia cum natura, diuino testante Dictatore & lib. 1. sen. 3. & 2. Aph. sen. 51. & subitas & multas non ferat vacuationes, ius est, & cum euphoria simul exerceatur auxilium: vt si fortè morbus & eius caussa multum indicet vacuandum, neque affatim, ac vice vnica istud fiat, sed paulatim ac sensim, quantum postulantis vrgentia indicabit, vires pariter patientur: quæ si forsan imbecilles, etsi

maxima redundantia, cum virium indicatio præstet cæteris, & hæc præferenda. quare his æstimatis, sanguinem quidem hauriemus, verum per vices plures auxilio repetito, ne vires amplius labātur, ex hypothesi imbecilles, quas subitæ ac copiosæ proculdubio valēt exoluere vacuationes. Sin autem redundantis humoris portio, à mediocri parū recesserit, vnica tunc, ac simplici nos vacuatione vtemur: sin vltra modum aucta, viribus nihilominus robustis existentibus, copiosam nos axercebimus, quantum illæ patientur, & plenitudo simul postulauerit, citra lypothymiam tamen, ne sursum sanguis retrahatur. quam noxam seriò iteratione vitabimus, & vires vnà seruabimus firmas. quare prima facta vacuatione, copiosa satis, intra rationis carceres, si adhuc instarit plenitudinis indiciū, cum itidem adhuc naturam contemplemur grauari, mox altero die repetemus eandem, etiam & tertio si licuerit, & amplius. Hanc methodum & præceptis lib. de cur. rat. per venæ sect. ca. 18. docuit Galenus, & libro 6. Epidem. commen. 3. sen. 29. ingiter exemplo illustrauit, cum nobili fœminæ per tres vices ex talo sanguinem hauriens, octo mensium occultatorum plenitudinem depleuerit, & in pristinam restituerit sanitatem.

Opportuni temporis tandem scopus vltimus, exponendus restat. qui iuxta nostram hypothesim, ex naturæ operatione captatur, dum typicè, per singulos menses, redundantem illa eliminat sanguinem, maximo cum animalis commodo. quæ actio, si fortè abolita, aut imminuta (neque modò deprauatam admittimus, cum potiùs hęc ad muliebre spectet profluuium:) & vtraque rursus si obscura,

aut

aut manifesta, omnis hauddubiè, curationi subiicitur. obscuram iudicamus, non solum eam abolitã, in qua nulla excretionis apparẽt vestigia, verum & eam, in qua, citra fluxum manifestum, aliqua apparent signa, symptomata videlicet aliqua imperfectum naturæ motum ostendentia, qualia lumborũ, & ventris imi dolores, anxietates, cephalalgiæ, inappetentiæ, crurum grauitates, & alia. Manifestam denique actionem eam dicimus, in qua suo quoq; periodico tempore actu sanguis apparet mensurnus, etsi imminutè fluant ipsi. In vtraque igitur Naturæ operatione, cùm manifesta, tum obscura, triplex nobis se offert opportunum operandi tempus, aut instante actionis naturæ termino, aut eâdem actu iam operante, sub typica videlicet periodo, aut demum ipsa periodica fluxione vndequaque absoluta. Si igitur periodorum typus innotescat, vnà & in reddendis lochiis consuetudo, tunc, cunctis illis præcedentibus seriò perpensis, vnà & æstimata natura, imminutè, & auara manu sanguinem mensurnum eliminante, etiam iuxta Galeni consilium, lib. de cur. rat. per venæ sect. c. 18. venas infernas tũdere summa ratione decernemus, paullò ante ipsius periodi terminum, per tres videlicet, aut quatuor ante carcerem dies, ne actu fluens sanguis retrahatur, aut accedente lipothymia superiora repat, cor versus. Quare hac methodo, non solum hæc cuncta cauentur incommoda, verum, & quod magis est, ad instar naturę, sanguis ipse maiori cũ impetu versus partes mouetur infernas: quo motu naturæ sanguis aptatur, vt & copiosius, ac exactius multò prosiliat, forasque per naturalem meatum demittatur.

Verum, si periodi carcer lateat, ac ignoretur, aut

propter fœminæ incuriam, mentiſque leuitatem, aut quia fortè prima adhuc efflorescentia, rurſus imminutè fluat, aut quia pauore aliquo perculſa, aut quia in gelidam ingreſſa, aut aliàs, tunc cum abſolutè imminuta hæc naturæ actio nobis ignota, haudquaquam ei prçuidere fàs: ſed ipſa adhuc operante, in vltima ſcilicet eius parte, inferna vaſa tundemus, vt arte defectum naturæ emendemus nos, & præcaueamus iugiter ne retentum excrementum multorum malorum fiat de nouo parens. Hanc doctrinam diffusè luſtrat Hippocratis, tam in enixis, quã imminutê menſes reddentibus, lib. 1. de morb. mul. eandem ſimul & accuratè Galenus explicat lib. aduerſ. Eraſiſtratum, cap. 4. & ſummi dictatoris confirmat auctoritate, ex lib. petita 1. Aphor. ſen. 20. 21. Scopus itaque non erit mouere primò menſes, cum extra opportuni tempus fiat, iſtud præſtare valens, verùm naturæ defectum emendare, ac ne mala ex eorum retentione, aut imminutione oboriantur præuidere.

Cæterum ſi nullatenus periodicus carcer menſium fuerit exploratus, aut quia non fluant actu, aut ne ſtillent quidem, aut quia ſigna homonymos naturæ commotionem valentia innuere non occurrant, opportunum tempus tũc ſemper aderit, tum & optima venas cædendi occaſio, cum ſemper & poſtulãs adſit, & abſit impediens: nec licet in aliud tempus auxilium differre, quia paratum ſemper, ſiue ſupernas tibi cordi fuerit ſecare, vt cauſſas menſes occultantes emendes, ſiue infernas, ſi fortè eoſdem concitare.

Hæc eſt itaque methodus, iuxta vtriuſque Medicinæ Parentis conſilium, qua (etſi ſecundariò) accuratè

ratè occurrimus, venæ sectione, mensibus accisis, quatenus diuersorum affectuum sunt sympromata. Verum, cum & hæc rationem habeant aliquando caussæ, de nouo morbos acutos, & itidem alios, germinantis, nihilominus, iuxta nostri consilij rationem, & eisdem satisfacere lubet. Si igitur morbus ex his ortus acutus; neglecto symptomate isto, seu caussa antecedente, ad coniunctæ remotionem illicò accingemur: nisi aliquis fortè locus concedatur præuidendi, & huic antecedenti caussę, ne coniunctam patiatur fouere. Quantò igitur acutior morbus, quantóve vrgentior, tantò negligendum symptoma, seu antecedens hæc caussa & tantò citius occurrendum illi. Sin autem morbi vrgentes non fuerint, aut acuti tunc causæ principio, vtero inquam, prius præuidendum, ad morbum mox conuolandum.

Optatum iam attigimus portum, in quo nunc acquiescimus. Sit Omnipotenti Deo Patri, Iesu Christo Domino eius filio, & Spiritui sancto paracleto salus, honor, virtus, gloria in secula regnanti. Amen.